37670/D
vol 1

Index generum (2 ll.) wanting

abrus. 66.
Acetosa. 183. 582.
Agrimonia. 614.
Alcea. 526.
Alchymilla. 195.
Allium. 384.
Aloe. 413.
Alsine. 549.
Althea. 529.
Amaranthus. 601.
Anagallis. 568.
Anthyllis. 180.
Androsaemum. 468.
Anemone. 424.
Anguria. 28. 43.
Anil. 202.
Antirrhinum. 504.
Aphaca. 60.
Arachus. 63.
Arachydna. 98.
Aresta bovis. 168.
Argemone. 278.
Ascyrum. 468.
Asparagus. 2.
Asphodelus. 229.
Astragulus. 104.
Atriplex. 603.
Auricula Ursi. 556.
balsamina. 280.
beta. 595.
bituminosum. 136.
bistorta. 584.
blattaria. 489.
blitum. 598.
brassica. 205.
bryonia. 4.
bulbosa. 356.
bursa pastoris. 303.
cacubalus. 4.
Campanula. 251.
Capnos. 258.
capparis. 284.
caryophillata. 429.
caryophillus. 559.
centaurium. 565.
cepa. 382.
cervicaria. 459.
chelidonium. 256.
christophoriana. 8.
chrysogonon. 285.
cicer. 75.
cicercula. 50.
clematis. 6.
cochlearia. 308.
cochleatum. 151.
colchicum. 339.
colocynthis. 27. 42.
colutea. 121.
Convolvulus. 10. 36.
corchorus. 238.
coris. 468.
cornutum. 157.
corona Imperialis. 406
coronilla. 119.
corruda. 2.
cracca. 63.
crocus. 334.
cucumis. 30. 35. 44.
cucurbita. 22. 39. 41.
cynocrambe. 612.
dens Caninus. 343.
dentaria. 254.
digitalis. 478.
dolichus. 66.
draba. 233. 313
Epimedium. 196.
Erisimum. 217. 589.
Erraticum. 277.
Eruca. 226.
Ervilia. 58.
Ervum. 73.
Eupatorium. 614.
faba. 82.
foenum graecum. 165.
falcatum. 157.
fagopyron. 589.
ferrum Equinum. 116.
flos passionis. 6.
fragaria. 185.
fragiferum. 185.
fritillaria. 401.
frumentum saracen. 589.
fumaria. 258.
galega. 91.
gaviana. 401.
geranium. 509.
gladiolus. 392. 421.
glastum. 286.
glaux. 100.
glycyrrhiza. 89.
granadilla. 6.
hedisarum. 79. 100.
hepatica. 433.
hepaticum. 433
heptaphyllum. 187.
Herba viva. 101. 198.
hesperis. 251.
hyacinthus. 370. 422.
hydropiper. 588.
hyoscyamus. 493.
hypecoon. 279.
hypericum. 468.
Iberis. 310.
Indica } 202
Indigo }
Iris. 348.
bulbosa. 356.
Isatis. 286.
Iucca. 419.
Kali. 609.
lapathum. 577.
lathyrus. 50.
lens. 58.
leontopetalon. 285
lepidium. 311.
leucoium. 238.
liliasphodelus. 412.
lilium. 404. 423.
linaria. 496.
linum. 571.
lotus. 173.
lupinus. 86.
lupulus. 37.
lychnidos. 538.
lychnis. 534.
lysimachia. 268.
malva. 518.
martagon. 408.
marucuja. 6.
meleagris. 401.
melo. 29. 40. 44.
melochia. 283.
mercurialis. 612.
mimosa. 101. 198.
moly. 392. 423.
myagrum. 314.
napus. 214.
narcissus. 359. 421.
nasturtium. 220. 300.
nemorosus. 437.
nicotiana. 491.
nil. 202.
noli me tangere. 280.
numularia. 567.

Ochrus. 58.
Odoratum. 160.
Onobrychis. 129.
Ononis. 168.
(Opium. 276.)
Ornithogalum. 377. 423.
Ornithopodium. 124.
Orobus. 73. 77. 92. 96.
Oxalis. 582.
Oxytriphyllum. 183.
Papaver. 272.
Parietaria. 600.
Pentapetalum. 183.
Pentaphylloides. 192.
Pentaphyllum. 187. 288.
Persicaria. 588.
~~Pepo. 25. 39. 42.~~
Pes Leonis. 195.
Phalangium. 333.
Phaseolus. 66.
Phyllon. 612.
Pisum. 45.
Polygala. 119. 326.
Polyganum. 591.
Porrum. 389.
Portulaca. 570.
Potamogeton. 586.
Poterium. 112.
Primula veris. 553.
Pulsatilla. 427.
Radicula. 264.
Ranunculus. 434.
Raphanistrum. 267. 227
Raphanus. 236. 264.
Rapum. 212.
Rapunculus. 455.
Ruta. 506.
Sanicula. 556. 616.
Scamonia. 12.
Scilla. 395.
Scorpioides. 126.
Scrophularia. 481.
Securidaca. 79.
Senna. 201.
Sentions. 101. 198.
Sesamum. 282.
Sesban. 79.
Sinapi. 215.
Sisyrinchium. 345. 421.
Smilax. 10. 66.
Solanifolia. 617.
Soldanella. 11. 285.
Sophora. 78.
Spinachia. 597.
Stella. 81.
Tabacum. 491.
Thlaspi. 289.
Thora. 449.
Tormentilla. 187.
Trachelium. 461.
Tragacantha. 112.
Tribulus. 102.
Trifolium 136
  Acetosum. 183.
  Cochleatum. 151.
  Cornutum. 157.
  fœnugræcum. 165.
  falcatum. 157.
  fragaria. 185.
  fragiferum. 185.
  Hepaticum. 433.
  Lotus. 173.
  Odoratum. 160.
  Ononis. 168.
  Oxytriphyllum. 183.
  Pentapetalum. 183.
Tulipa. 396.
Verbascum. 484. 553.
Veronica. 315.
Vicia. 60.
Viola. 473.
  Lunaria. 244.
  Matronalis. 251.
Xyris. 347.
Yucca. 419.
Zuccha. 22.



Quæ Moriſone viro potuit contingere major
Gloria, Pæonium quam ſuperaſſe genus?
Ipſe tibi palmam Phœbus concedit Apollo,
Laureaque eſt capiti quælibet herba tuo.

Poſuit Archibaldus Pitcairne M. D.

87783

PLANTARUM
Hiſtoriæ Univerſalis Oxonienſis
PARS SECUNDA

SEU

Herbarum Diſtributio Nova,

PER

TABULAS COGNATIONIS & AFFINITATIS

Ex Libro Naturæ Obſervata & Detecta.

AUCTORE

ROBERTO MORISON

Medico & Profeſſore Botanico Regio, nec non Inclytæ & Celeberrimæ Univerſitatis Oxonienſis P. B. ejuſdemque Hort. Botan. Præfecto primo.



OXONII,

E Theatro SHELDONIANO

Anno Domini M. DC. LXXX.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

CVM primum animum ſeriò ad ſtudia Botanica appulimus, ſub auſpiciis Sereniſſimi Principis Gaſtonis Franciæ, obſervavimus complures, imo omnes pene, Authores de re Botanica confuſe & ſine ordine ac methodo ſcribentes, etiamſi in edendis ac illuſtrandis lucubrationibus operam poſuerint non pauci, iique exquiſitæ eruditionis viri; ut inter Italos, Petrus Andreas Matthiolus, Andreas Cæſalpinus, Fabius Columna: inter Gallos, Johannes Ruellius, Jacobus Dalechampius: inter Germanos, Otho Brunfelſius, Valerius & Ericius Cordus pater & filius, Hieronymus Tragus, Leonardus Fuchſius, Theodorus Tabernæmontanus, Joachimus Camerarius: apud Helvetios, Bauhinus uterque frater Caſparus & Johannes, Conradus Geſnerus: inter Flandros, Carolus Cluſius, Rembertus Dodonæus, Matthias de Lobel: inter Anglos, Gulielmus Turnerus, Johannes Gerardus, Thomas Janſonus, Johannes Parkinſonus: omnes hi cum trecentis aliis minoris notæ apud varias Nationes in re Botanica deſudarunt, nondum tamen omnes, nec quivis eorum id aſſequutus eſt, ut methodum veram & genuinam, ſemper & conſtanter eandem, ſeu eodem ſemper ſe modo habentem, à tertio mundi creationis die, detexerit. Quamobrem non exiguum operæpretium nos facturos identidem reputavimus, poſt omnes ſupra recitatos, atque multos alios recentiores authores evolutos, Hiſtoriam generaliorem Plantarum aggredi, aliquot abhinc annis (dum operam dabamus per decennium Celſitudini ejus, nempe Aurelianenſium Duci præfato) incœptam. Quanquam & laboris magnitudo & difficultas perficiendi nos ab hujuſmodi cœpto deterrebant; adde expenſarum immenſam ſummam, & faſtidioſam ac nauſeoſam Pictorum, Chalcographorum, Typographorum, aliorumq; id genus hominum artes manuarias exercentium turbam; nihilominus quidam amici hic animum nobis addiderunt, viri ſatis per orbem terrarum clari, non ſolum pereruditi, ſed etiam bono publico ſtudentes (quorum judicio, a prima cum ipſis notitia, multum tribuimus) qui id a nobis tanto felicius faciliuſque præſtitum iri ſibi pollicebantur, quod fama noſtra per totam Europam inter Botanicos ante aliquot annos evolaverat, quodq; etiam è longinquo ad magnum hoc opus ſuſcipiendum à quibuſdam majoris notæ excitati fuimus: horum igitur partim conſilio atque hortatu, partim ſtudio atq; affectu erga rempublicam Botanicam ſtimulati, ad immenſum hunc laborem non ſine fauſtis auſpiciis accingimur. Intelligant rei Botanicæ ſtudioſi nihil apud Botanicos ſupra citatos, alioſque quorum nec dum meminimus, hucuſque niſi chaos confuſum & ἀμεθοδίαν in diſponendis & rite aſſociandis plantis inveniri; atque multum intereſſe reipublicæ Botanicæ, ut methodus vera & genuina, a primordio mundi a Deo & natura data, imo numeris ſuis omnibus abſoluta prodeat. Obſervare præterea velim Lectorem me non detractum ire tot tantorumque hominum doctorum conatibus, quibus ſi in multis offendiſſent danda eſſet venia, cum facem nobis prætulerunt ſequuturis; ac quod ſemel pro ſæpe à nobis offerendum erit, cum officio ſuo ſtrenue perfuncti ſint, ſupereſt ut ea quæ illi ſibi excidiſſe teſtantur ex Hallucinationibus ipſorum a nobis allatis, & Methodo noſtra exhibita, diſponente plantas per genera & ſpecies, definiendo genera & deſcribendo ſpecies, per Tabulas cognationis & affinitatis exhibeamus; & genera & ſpecies, inquam, a teſſera ſeu ſymbolo notâve eſſentiali, à fine ultimo petitâ, omnium plantarum hiſce quinque Sectionibus contentarum, cum cohærentia Sectionis cum Sectione (quantum fieri potuit) diſponamus.

In deſcribendis hiſce noſtris de ſtirpibus Tabulis quid præſtitum ſit obſervabunt Botanici; licet plerique fortaſſis à nobis prolixa oratione enarratas plantas exiſtiment, maluimus tamen, imo elegimus id aliorum verſatorum in arte Botanica ac æqui cujuslibet judicio potius deferre, quam de noſtris lucubrationibus multa prædicare, affirmare tamen ac profiteri (& quidem uti ſperamus citra arrogantiæ notam) audemus, nos laboraſſe omnique ſtudio annixos eſſe, ut clare, dilucide & quam commode fieri potuit breviter (ſucciſis ſuperfluis) ſingularium ſtirpium hiſtoriæ

ſive

ſive deſcriptiones proponerentur, præmiſſo claſſibus ſectionibuſve ordine quàm licuit commodiſſimo atque expeditiſſimo, digerente plantas ſecundum genera & ſpecies, præmittendo itidem generibus longe patentibus, imo & intermediis, ſuas notas eſſentiales à Natura datas, quæ plantas certo indicio notu faciles reddunt. Hæc autem quo labore, quâ cura ac induſtria a nobis ſunt digeſta, facile is cognoverit, qui ſtirpium multitudinem in hiſce Tabulis noſtris exhibitarum ac deſcriptarum, earumque varietatem, obſervare & attentius expendere voluerit. In immenſa Herbarum multitudine illud deſiderari video quod in alio quocunque agmine incompoſito maxime expeti ſolet; niſi enim in ordines redigantur & veluti caſtrorum acies diſtribuantur in ſuas claſſes, tumultu & fluctuatione omnia perturbari neceſſe eſt. Id etiamnum maxime in plantarum examine contingere videmus: cum enim inordinata multitudine obruatur intellectus, errores inextricabiles, & moroſæ altercationes ut plurimum exoriuntur: ignorato utique proprio genere nulla deſcriptio, quamvis accurate tradita, plantam certam demonſtrat, ſed plerumque fallit; nam confuſis generibus omnia (ſaltem ſpecies) confundi oportet. Cum igitur ſcientia omnis in ſimilium collectione & diſſimilium diſtinctione conſiſtat, hæc autem diſtributio eſt in genera & ſpecies veluti claſſes ſecundum differentias rei naturam indicantes, conatus ſum id præſtare in univerſa plantarum hiſtoria, ut ſi quid pro ingenii mei tenuitate in hujuſmodi ſtudio profecerim, ad communem utilitatem proferrem. At ordo, qui ſecundum naturarum ſocietatem aſſignatur, omnium facillimus, tutiſſimus, utiliſſimuſque reperitur tum ad memoriam adjuvandam, tum ad facultates contemplandas: facillimus quidem, quoniam differentiæ ex ipſamet natura prodeuntes maxime ſenſibiles ſunt & unicuique manifeſtæ, neque fallunt ut adventitiæ conditiones, quæ non ſunt perpetuæ: ad memoriam etiam pollet, quoniam in compendio ſub generibus ordinatis clauditur pæne immenſus plantarum numerus, adeo ut eas quæ nunquam antea viſæ ſunt unicuique liceat in ſuam claſſem redigere, &, ſi innominatæ ſint, nomine ſui generis appellare: tandem & facultates quas Medici maxime quærunt & expetunt, tanquam proprietates innoteſcunt ex naturarum cognitione; quæ enim generis ſocietate junguntur, plerumque & ſimiles poſſident facultates. Perſequendo autem ſecundum hunc ordinem plantarum hiſtoriam, fit ut brevior deſcriptio ſatisfaciat, non enim cogimur in ſingulis ea repetere quæ communiter generibus conveniunt, atque adeo ex certa & brevi deſcriptione paratur notitia, ut pictura certiorem efficere non poſſit: nam non omnes differentias pictura exprimit ut oratio.

Ad curationem variorum morborum adhibuerunt ac utiles ſtirpes obſervarunt antiquitus Medici; reliquæ artis partes poſt natæ ſunt: quæ tametſi Medicum aptiorem & perfectiorem reddant, a nonnullis tamen neglectæ vel etiam contemptæ ſunt, non minus quam hodie ſtirpes. Medicorum autem veterum nemo fuit qui non & ſtirpium & ſimplicis medicinæ notitiam ſibi comparare ſtuduerit, ſi non omnium, ſaltem earum quas ad medicationes adhibuerunt. Atque hinc eſt quod Galenus omnes Medicos artiſque medicæ ſtudioſos ad ſtirpium cognitionem adhortetur. Medicus *(inquit l.* 1. *de Antidotis)* omnium ſtirpium (ſi fieri poteſt) peritiam habeat conſulo; ſin minus, plurium ſaltem quibus frequenter utimur. *Nobis autem ſtirpium Hiſtoriam univerſalem meditantibus de methodo ac ordine non exigua acceſſit ſolicitudo. Nam quemadmodum artes omnes ac ſcientiæ, ſi methodico aliquo ordine diſtribuantur, non exiguum ornatus ac lucis inde referunt: ſic ſtirpium hiſtoriæ hinc plurimum gratiæ ac decoris accedere poſſe haud dubium eſt. Tametſi facile ſit inventis addere, qui tamen inveniat quod non inventum prius, non invenitur facile. Quem penes jus & norma plantas detectas recte diſponendi aut vere riteque deſcribendi, niſi eum qui frequenti atque iterata inſpectione, earum flores, capſulas ſeminales ſeminaque diligenter & ſumma cum attentione conſideraverit? Quod mihi objiciet ignavus forte ſtupiduſque Botanicus, factu facillimum, quandoquidem patebant fores a tertio creationis die, ex noſtra ſupra allata aſſertione, in hodiernum; at nullus in hæc penetralia ante me ingreſſus, nulluſve ſecreta methodi veræ hucuſque, etiamſi in propatulo fuere, detexit. Vana hæc a quibuſdam haberi poſſunt, aſt ſunt vera, atque eo fine hæc Poſteris relinquo ut ſciant Chriſtophorum Columbum Indiam occidentalem, cujus ante ipſum nulla unquam fuit mentio, primo detexiſſe Hiſpanis, ipſius tamen tempore ab ipſis nihilominus exprobratum, inventionem fuiſſe facillimam; ipſe vero Columbus, ut modeſte illorum ingratitudinem, ſimul & imperitiam arrogantiamque oſtenderet, ipſis ovum porrexit, ut ſagaciſſimus inter ipſos id rectà erigeret aut ſtare angulo acuto per ſe faceret, quod captum illorum ſuperare obſervans, vel depreſſo ovi angulo*

gulo acuto paululum frangendo, vel ut aliter perhibetur, aſſumpto modico ſalis ſtare recta fecit ovum; ſic illorum arrogantiam ſimul & inſcitiam poſteris detexit. India Occidentalis extabat à condito mundo, at nullus ante Chriſtophorum de eadem unquam cogitavit. Sic plantæ eadem nota generica à tertio creationis die afficiebantur; at nullus ante me à nota illa generica ac eſſentiali in methodum eaſdem per tabulas cognationis & affinitatis reduxit. Sed de his ſatis, ad magis ſeria pergamus.

Inter Medicinæ partes, quæ haud paucæ exiſtunt, ſtirpium ac ſimplicium notitia, ut nec minima, nec poſtrema, ſic præcipua ſemper habita fuit, utpote antiquiſſima, quæque ipſi arti originem contulit ac præbuit. Cum enim nulla ars medica eſſet, à notitia nonnullarum ſtirpium initium ſumpſit, quas veteres illi Heroes quibus artis inventio adſcribitur, vel caſu aliquo monſtrante, vel alio modo cognoverunt: & deinde frequentibus experimentis ad curationes variorum morborum adhibuerunt ac utiles obſervarunt. Nunc tandem quam in harum quinque Sectionum herbarum hiſtoria vobis Subſcriptoribus ac Benefactoribus obſtrinxeram fidem libero, ſerius haud dubie quam multi exoptaſſent, & quam ipſe conſtitueram. Sed multa ſubinde præter ſpem incidunt, quibus noſtra conſilia perturbari atque iis moram injici contingit: ſic mihi variis ac diutinis negotiis occupato, ac fruſtrationibus impedito, hiſtoriam harum quinque Sectionum huc tenus abſolvere non licuit. Maximam harum Sectionum quas hic complexus ſum partem, quoad earum diſpoſitionem à nemine (cujus lucubrationes legerim) hactenus obſervatam certus ſum. Ingenue inſuper profiteor meam hanc methodum non ex libris Botanicorum ſcribentium, ſed ex Libro Naturæ mire & mere depromptam. Cæterum meos labores, quales quales ſunt, tametſi lectorum quorundam malevolorum expectationi fortaſſis non reſpondeant, bonos boni conſulturos & candide, ſicubi lapſus ſum, interpretaturos confido: quod ſi fecerint, reliquam quam mihi Deus optimus maximus conceſſerit vitam ad ſtudia Botanica pro meo modulo promovenda impendendam eſſe ſciant.

Plantarum & aliorum ſimplicium cognitionem apud priſcos & etiam inter neotericos celebrem fuiſſe, ac ſummo in honore habitam; imo perjucundam & delectabilem, atque ad vitam tuendam ſummopere neceſſariam, non à philoſophis tantum & medicis, ſed etiam à regibus, veteres teſtantur hiſtoriæ. Siquidem Plantæ in medendo primum obtinent locum, cum ſint illæ baſis & fundamentum Medicinæ; quin & illis ſanitas præſens incolumis ſervatur, vitaque in multos annos producitur: iis quippe omne morborum genus depellitur, ac deplorati etiam interdum, quorum in extremo ſpes ſalutis eſt poſita, luci auræque natali redduntur. Hinc authores multi ſtirpium facultates ſummo ſtudio ſunt proſequuti, & earum formas & imagines affabre ſculptas exhibuerunt, & anxia cura medendi explorarunt vires, ſcriptiſque eaſdem poſteritati conſecrarunt. Ac cum quilibet pro ingenii excellentia ſententiam ſuam publicæ utilitatis cauſa ſcriptis divulget, nec mihi id cenſeo vitio datum iri, cum aliorum, imo doctorum, ſententias convellam atque improbem, quum nullius lucubrationibus quicquam derogem, ſed potius quicquid à me profertur, illud omne virorum ingenuorum, candidorum & eruditorum (non autem momorum atque ignavorum cavillatorum) judiciis ſubjectum atque adeo commendatum velim. Itaque tantum abeſt, ut qui hoc ſtadium ante nos ſunt ingreſſi, quanquam perdocti, gnavi & ſeduli Scriptores, nos deterruerint, ut nobis potius facem, imo lampadem hanc tradidiſſe & ad eundem curſum invitaſſe videantur: ſicuti nec noſter hic labor improbus ad alios avertendos inſtitutus fuit, ſed ad acuendum potius aliorum ingenium, majoremque diligentiam. Sed cum plerique mortalium, etiam doctiſſimi, in pleriſque plantis hæſitent, atque ſæpenumero earum cognitionem non ſolum ignorent, imo modum ipſas ad peculiaria, propria & genuina genera ſpecieſque reducendi omiſerunt. Nullus omnino eſt inter mortales qui omnia norit, nec niſi ſoli Deo convenit Plantarum omnium ſimul, earumque virtutum perfecta ſcientia. Cum memoriam impediat, atque obruat tanta plantarum copia & varietas abſque methodo certiore, quam à prædictis omnibus Botanicis hucuſque traditur, inde multi à plantarum ſtudio abſterrentur: quippe ſtudium hoc arduum & difficile eſt, partim ob magnum plantarum numerum, partim vero ob nominum apud Authores diverſitatem, ſed multo magis ob defectum veræ & infallibilis methodi. Hinc Plantæ memoria facilius excidunt, cum unius ejuſdemque Plantæ tot varia nomina ab authoribus proponantur, & propter tot nominum diverſitatem plantis impoſitam non tantum appellationes genuinæ, ſed & notitia & cognitio tota confunditur, quæ ſtudioſos ac etiam profeſſores rei Botanicæ ab hoc ſtudio adeo Medicis neceſſario ſeducunt. Quare ſtudioſi complurimi, imo & Profeſſores ipſi, ſæpius & ardenter

ſummis precibus efflagitarunt, ut hos noſtros labores communicaremus, atque methodum hanc noſtram, omnium adhuc propoſitarum (abſit jactantia) faciliorem certioremque ipſis exhiberemus, per tabulas cognationis & affinitatis diſpoſitam; tandem ipſorum precibus victi, manus dedimus. Cum itaque omnium plantarum, tam ab antiquis, quam recentioribus deſcriptarum & noſtris obſervationibus detectarum & exhibitarum Hiſtoriam hanc univerſalem contexendam in me ſuſceperim, primum Herbis antiquitate reliquis ſtirpibus lignea materia conſtantibus præferendis inter omnes dare locum ſtatui, in hac ſecunda hiſtoriæ noſtræ generalis parte; quia notu & diſtinctu arboribus ſunt difficiliores, eaſque numero longe excedunt. Et quod prioritate naturæ excellant Herbæ, facile probatur ex ſacris paginis Geneſios cap. 1. *v.* 11, 12. *ubi leguntur hæc verba.* Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens ſemen juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, & factum eſt ita, & protulit terra herbam virentem & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam; & vidit Deus quod eſſet bonum, &c.

Cum enim Herbæ (uti dictum) notu & diſtinctu difficiliores ſint, & numero longe excedant arbores, frutices ſuffruticeſque lignea materia conſtantes; ideo Herbas numero plures, difficiliores & confuſius apud authores traditas aggredimur, ne idem nobis contingat, quod Dalechampio & Johanni Bauhino præmaturâ morte ablatis, atque eorum operibus in manus male verſatorum in Botanicis incidentibus contigit. Porro obſervantes ſuffrutices bacciferos ſcandentes primæ Partis agmen claudere; idcirco ab herbis bacciferis Hiſtoriam herbarum incipere animus fuit. Prima Sectio continet Herbas bacciferas tam ſcandentes quam non ſcandentes: ſcandentes campanulatas lacteſcentes & non lacteſcentes: ſcandenteſque pomiferas. Secunda ſectio, Legumina ſeu ſiliquoſas, tam ſcandentes quam non ſcandentes & Trifolia leguminoſa ſeu Legumina trifoliata, &c. Tertia, tam ſiliquoſas quam ſiliculoſas bicapſulares tetrapetalas. Quarta, tricapſulares hexapetalas. Quinta, tricapſulares plantas monopetalas pentapetalaſque: bicapſulares monopetalas: quadricapſulares tetrapetalas: pentapetalas quinquecapſulares & multicapſulares: pentapetalaſq; unicapſulares &c. Primo in generibus longe patentibus ſingularum Sectionum notam genericam & communem unicuique generi ſuperiori aſſignamus: Secundo, Notas ſubalternorum generum: Tertio, Tabulas cognationis & affinitatis cum duratione plantarum ſingularum, cum notis ſuis characteriſticis earundem durationem indigitantibus (ſcilicet ☉ vivaces, ☿ annuas) proponimus: nomina in uniuſcujuſque ſpeciei principio adjicimus: natales verſus finem: denique Temperamentum & Vires, Hallucinationes Caſpari Bauhini aliorumq; authorum tandem addimus: quæ omnia authoribus pæne inuſitata methodum noſtram omnino novam facilitant, cum ad memoriam adjuvandam, tum etiam plantas earumq; facultates retinendas. Vale amice Lector & harum quinque Sectionum diſpoſitione multis peregrinationibus ac lucubrationibus acquiſitâ fruere, donec reliquæ prodeant eadem methodo per Tabulas cognationis & affinitatis diſpoſitæ.

Datum ex Muſæo noſtro in Collegio dicto Univerſitatis, Idibus *Novembris*, 1680.

Tuus tuiſque inſerviens commodis
ROBERTUS MORISON Medicus
& Profeſſor Regius Botanicus, nec non
Univerſitatis *Oxon*. P. B. ejuſdemque
Horti Præfectus primus.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Univerſalis Oxonienſis
PARS SECUNDA,
DE HERBIS
SECTIO PRIMA
De Bacciferis & Scandentibus.

IN hoc primo libro ſeu ſectione prima herbarum, ſeu plantarum molli herbacea materiâ conſtantium, exordiemur à bacciferis herbis: quia majorem habent connexionem (ex libro naturæ) cum fruticibus & ſuffruticibus bacciferis, in partis Primæ Capite ultimo explicatis. Et in primo capite hujus primæ Sectionis tractabimus de Bacciferis *Scandentibus & non Scandentibus; in ſecundo de Scandentibus campanulatis lacteſcentibus; in tertio vero de Scandentibus pomiferis.*

CAPUT I.
Bacciferæ Scandentes & non Scandentes.

BAcciferam plantam appello, cujus fructus exterius conſtat pellicula involvente ſuccum & ſemina. Et quæ deſtituuntur hiſce conditionibus, improprie dicuntur Bacciferæ apud authores: ſive ſint arbores, frutices, ſubfrutices aut Herbæ: & idcirco vitio vertendum authoribus putamus, qui Baccas Lauro, Paliuro, multiſque aliis aſſignant. Improprie enim hujuſmodi baccæ dicuntur, ut fuſius poſtea declarabitur in doctrina à nobis exhibenda.

TABULA I.

Bacciferæ non ſcandentes, Aſparagus.	1. *Foliis acutis, C.B.P. Corruda prior, Cluſ. Hiſt.* ⊙
	2. *Aculeatus alter, tribus aut quatuor ſpinis ad eundem exortum, C.B.P. Corruda altera, Cluſ. Hiſt.* ⊙
	3. *Aculeatus ſpinis horridus, C.B.P. Corruda* 3. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
	4. *Domeſticus, Eyſt. Hortenſis, Dod.* ⊙
Bacciferæ ſcandentes, minores.	5. *Bryonia alba, Dod. Vitis alba, Matth.* ⊙
	6. *Bryonia nigra, Ger. Vitis nigra, Matth. Sigillum Mariæ & Tamus, Dod.* ⊙
	7. *Planta recentiorum Alſines majoris facie, baccis Solani, Ad. Lob. Cacubalus Plinii, Hiſt. Lugd.* ⊙
	8. *Clematis pentaphylla, flore roſeo clavato, nobis. Marocuia, ſeu Marucuia, Georg. Marcgr.* ⊙
	9. *Clematis trifolia ſeu flos paſſionis, flore viridi, nobis. Marucuia* 3. *Georg. Marcgr.* ⊙

TABULA II.

Bacciferæ ſcandentes capreolis, majores.

1. *Clematis paſſionalis pentaphyllos, flore campanulato, Monting.* ⊙
2. *Clematis paſſionalis triphyllos, flore roſeo, nobis. Paſſiflora trifolia, flore roſeo, Monting.* ⊙
3. *Clematis triphyllos, flore luteo, nobis. Paſſiflora trifolia, flore luteo, Monting.* ⊙
4. *Clematis Marocuia pyriformis minor, nobis. Marucuia pyriformis altera, Georg. Marcgr.* ⊙
5. *Clematis Marocuia pyriformis major, nobis. Marucuia Guacu ſeu pyriformis. Georg. Marcgr.* ⊙
6. *Clematis paſſionalis folio bifido, nobis. Ferrum equinum volubile, Monting.* ⊙

Bacciferæ non ſcandentes, racemoſæ.

7. *Chriſtophoriana Americana, racemoſa, baccis niveis & rubris, nobis. Aconitum baccis niveis & rubris, Cornut.* ⊙
8. *Chriſtophoriana baccifera, vulgaris, racemoſa & ramoſa, nobis. Chriſtophoriana vulgaris, Park. Aconitum racemoſum, an Actæa Plinii, C. B. P.* ⊙
9. *Chriſtophoriana baccifera peregrina racemoſa, & ramoſa, nobis. Chriſtophoriana baccifera, Monting. Panaces καρπίμον racemoſa, Corn.* ⊙

EXPLICATIO TAB. I.

IN prælimine, cujuſque generis nomina antiquorum, cum Græca, tum Latina, ex Theophraſto, Dioſcoride, & Plinio, aliiſque authoribus à Caſp. Bauhino deſumpta præmiſimus. Nos bacciferarum plantarum turionibus edulium doctrinam, à Corruda exordiemur; quia Corruda magis participat materiam ligneam ſeu duriorem, ſuffruticibus magis affinem. Corruda dicitur, teſte Ruellio, quod ubi adolevit, facile corruat decidatve; ſic & Horminium ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν, ὁρμῶ enim eſt ruo.

§. 1. Bacciferæ non Scandentes.

ASPARAGUS ſive CORRUDA.

ETſi ἀσπάραγος vel ἀσφάραγος Galenus 2. Alim. omnes propemodum teneros caules, & tenera germina, ſeu ex oleribus & herbis, ſeu ex fruticibus, ſuffruticibus, arboribuſque vocitet; attamen peculiari generi plantæ etiam tribuitur, quæ ſic dicta, quod cauliculos hos, qui prima germinatione è terra prodeunt, præcipuos habeat.

Genera duo Dioſcoridi lib. 1. c. 152. petræum & ſativum: & Galeno βασιλικὸν regium & ἕλειον paluſtre: ſic enim Dioſcorides ἀσπάραγος πετραῖος, quem μυάκανθαν (id eſt murinam ſpinam) vocant, vulgaris eſt notæ: & paulo inferius; Aſparagus altilis, frutex eſt ramoſus, folia habens multa, longa, Fœniculo ſimilia, radice rotunda, grandi, tuberculum habente. Et Theophraſtus 6. Hiſt. 1. ἀσπάραγος (hanc ſolam vocem per geminam Aſparagum Corrudam Gaza vertit) ex tota aculeata eſt, & nullum juxta aculeum folium gerit: & 6. Hiſt. 3. juxta aculeos puſillum quiddam clavæ ſimile producit, ex quo tandem floſculus ipſe erumpit: radice larga, alta, numeroſa, eâdemque tam crebra innititur, ut pars ſuperna radicum tota connexa & continua reddatur, ex qua vel ipſorum caulium proventus factitatur, &c. Plinius lib. 19. c. 8. omnium hortenſium lautiſſima cura Aſparagis, &c. Eſt & aliud genus incultius Aſparago, mitius Corruda, paſſim etiam in montibus naſcens, refertis ſuperioris Germaniæ campis; non infaceto Tiberii Cæſaris dicto, herbam ibi quandam naſci ſimilimam Aſparago &c. & paulo infra: judicavimus & Corrudam: hunc enim intelligo ſilveſtrem Aſparagum, quem Græci Orminium aut Myacanthon vocant: & lib. 19. c. 4. ſilveſtres natura fecerat Corrudas, ut quiſque demeteret paſſim &c. Altiles ſpectantur Aſparagi: & lib. 20. cap. 10. Aſparagi vires ubi recenſuit, ſubjungit, ſilveſtrem Aſparagum, aliqui Corrudam, alii Lybicam vocant, Attici Orminium; hujus efficacior vis, & candidiore major: & lib. 21. cap. 16. in totum ſpina eſt Aſparagus.

Explicatio Tabulæ primæ, Sectionis primæ.

1. A*Sparagus* foliis acutis, *C. B. P.* Corruda prior, Cluſ. Hiſt. Fruticoſa eſt hæc planta, duabus aut tribus pluribuſve virgis, candidis, lignoſis, firmis & ramoſis prædita, circa quas quina, vel ſena foliola ſimul ſemper juncta naſcuntur, brevia, rigidiuſcula & pungentia: floſculi lutei, ſenis parvulis petalis conſtantes, ſub alis inter folia naſcuntur, odore jucundo uti violæ Martiæ: baccæ initio vireſcunt, deinde cinereum colorem induunt, ſemenque continent nigrum, durum: radices ab uno capite multæ, craſſæ, inſtar Aſparagi altilis, ſed breviores, naſcuntur. Hujus cauliculi prima germinatio in cibos venit, ſed cæteris ſuæ ſortis cauliculi tenuiores ſunt, quin & amariuſculi, quo fit ut ingratiores habeantur in cibis.

2. *Aſparagus* aculeatus alter, tribus aut quatuor ſpinis ad eundem exortum, *C. B. P.* Corruda altera, Cluſ. Hiſt. Fruticoſus etiam eſt hic alter Aſparagus, in viridibus & mollioribus ramis ſive virgis ramoſis, tres aut quatuor plureſve ſpinas, ab eodem fere exortu prodeuntes, hinc inde ſparſas pro foliis ferens, virides itidem, uti ſunt rami: flores ac baccas ſuperioris majores fert, initio virides, deinde per maturitatem nigricantes, ſucco & pulpa virente plenas, qua ſemen includitur durum, foris nigrum, intus candidum, utplurimum unicum, interdum bina: radices habet plures, craſſas, longas, ſuperioris non valde diſſimiles.

3. *Aſparagus* aculeatus, ſpinis horridus, *C. B. P.* Corruda 3ia Cluſ. Hiſt. Tertius hic Aſparagus cubitales habet virgas, ramoſas, candidas, lignoſas, priori ſimiles; candicantibus, firmis, deorſum ſpectantibus ſpinis, alternatim & ſecundum virgarum ramorumque inæqualium inflexionem horridis; ad quos quina, ſena, nunc plura, nunc pauciora folia ſeu aculei ex eodem capite prodeunt, (ut in Larice) prioris Aſparagi ſylveſtris foliis longiora, craſſiora, magiſque pungentia, larignis inquam foliis non diſſimilia: quæ commanducata ſubdulcia, & aliquantulum gummoſa deprehenduntur: flos inter folia ex alarum ſinu, longa tenuique petiolo dependet, ſenis itidem petalis conflatus, iiſque herbaceis ex viridi palleſcentibus: deinde fructus pene rotundus, ſed qui tricoccos videtur (tametſi unicum granum magna ex parte contineat (raro bina) foris nigrum, intus candidum, firmum, ut ſuperioribus initio vireſcens, maturitate rubeſcens) & carnoſus, ſuccum continens lentum & viſcidum: radice firmatur multiplici, inſtar aliorum ſilveſtrium Aſparagorum, craſſa, intus alba, foris flaveſcente; initio veris aliquot turiones fiunt, inſtar Aſparagi altilis ſive domeſtici, qui illorum modo manduntur, tam crudi, quam cocti, cum oleo, aceto & ſale.

4. *Aſparagus* domeſticus, Eyſt. Hortenſis, Dod. Aſparagi hujus domeſtici caulis, poſtquam adolevit, craſſus, durus, & rotundus eſt, bicubitalis ac ſæpe altior, in multos ramos diffinditur, qui foliolis conveſtiuntur mollibus, virentibus, copioſis quidem, ſed exiguis, capillamenti aut fœniculi inſtar tenuibus: floſculi ſecundum ramulos exeunt minuti, ſenis pariter petalis herbacei coloris præditi, atque plura intus ſtaminula apicibus luteis donata proferunt; quibus ſuccedunt baccæ virides, per maturitatem corallii ſimilitudine rubentes, rotundæ, Ochri fructus magnitudine, in quarum ſingulis aliquot nigra ſemina conduntur numero incerto, quinque, ſex, ſeptem: radices ſunt multæ, craſſæ, molles, ſpongioſæque, fibris etiam ſcatentes, & ab uno capite ſeu apice ſuperiore dependentes, longe lateque in rotunditatem ſparſæ. Datur & Aſparagus ſilveſtris tenuiſſimo folio; & maritimus craſſiore folio, *C. B. P.* differunt tantum ratione loci in quo producuntur, atque ex alterutro (mangonio) domeſticus noſter manavit; idem cernere licet in quamplurimis domeſticis plantis, in hortos bene ſtercoratos tranſlatis.

LOCUS & TEMPUS.

1. *Aſparagus ſeu Corruda prior abunde creſcit in agri Salmanticenſis locis petroſis, & in tota fere Caſtella, & Granatenſi Regno, non modo in ſepibus, ſed etiam in arvis cultis, etiamque in agro Narbonenſi.*
2. *Aſparagus ſeu Corruda 2. Cluſ. Hiſt. frequens eſt ad Tagum fluvium in Luſitania, atque etiam in Bœtica, ſolo petroſo.*
3. *Aſparagus ſeu Corruda tertia, Cluſ. Hiſt. nuſquam abundantius, quam ſupra Oliſipponem in ſabuloſis locis, juxta vias non procul à Tago fluvio. Florent omnes hi ſupra dicti*

Julio & Auguſto, ſeminaque Octobri ſunt matura.

4. *Aſparagus domeſticus, ſeu hortenſis, in hortis cultis & bene ſtercoratis feliciter provenit. Aſparagus ſilveſtris ſponte in locis humentibus, ac in pratis herboſis, non procul Moguntia. Aſparagus maritimus in arenoſorum tumulorum convallibus Armoricæ, Neuſtriæ, & Hollandiæ, ad oceani litora. Florent omnes cum domeſticus, tum ſilveſtres prædicti menſe Julio & Auguſto, citius aliquando; atque menſe Octobri & Novembri, matura edunt ſemina. Nomina in titulis ſuis ſatis evidenter apparent.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Aſparagi urinas nonnihil promovent, renibus & veſicæ ſunt utiles, atque urinæ per ureteres in veſicam diſtillanti odorem ingratum & quaſi quid hircinum conciliant. Alimentum autem corpori humidum adferunt, ſemen genitale augent & ad venerem excitant: radices cum ſativi, tum ſilveſtris Aſparagi extergendi vim habent; renes & jecur ab infarctu liberant, pectori ac pulmonibus proſunt: decoctum earundem radicum dentium doloribus mederi author eſt Dioſcorides.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI.

Pag. 490. col. 2. pl. 2. & 3. Aſparagus folio tenuiſſimo, & maritimus craſſiore folio, C. B. P. differunt tantum natalibus, atque ex hiſce ſilveſtribus in hortis cultis inque agro bene ſtercorato, & mangonio bene & diligenter elaborato provenit domeſticus, quare entia non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate ut vult Caſp. Bauhinus in Pin. aliique authores ab ipſo citati.

Pag. 490. col. 2. pl. 4. Aſparago aculeato affinis, triplici ſemper ſpina, C. B. P. Echinopoda Cretica, Hon. Belli, Ep. 2. ad Cluſ. & Ponæ Italice.

Pag. 394. col. 2. pl. 7. Geniſta, ſpartium ſpinoſum, aphyllon, alterum, tribus aculeis ſemper junctis, floribus luteis, C. B. P. Echinopoda Cretica, Hon. Belli, Ep. 2. ad Cluſ. Echinopoda Cretica à Caſp. Bauhino bis repetitur, ſub diverſis generibus. Plantam eſſe ſpinoſam tribus ſpinis ſeu aculeis præditam obſervamus, ſed ad quam horum duorum generum claſſem debeat referri, in incerto relinquimus, quia nihil certi haurire potuimus ex Hon. Belli, neque ex Joh. Pona. Johannes Pona figuram prædictæ plantæ exhibet ſine flore, & ſine capſula ſeminali, nec bene deſcribit: tantummodo in deſcriptione montis Baldi Italice, florem dicit eſſe luteum, ſed ſitne hexapetala baccifera, ut ſunt Aſparagi ſeu Corrudæ, an papilionacea ſiliquoſa, ut Geniſta ſpartium, nondum nobis innoteſcere potuit, nec ex deſcriptione Hon. Belli, nec ex ipſius Ponæ deſcriptione, nec figura ut dixi. Proinde ad quam claſſem reducenda ſit hæc ſpinoſa planta, poſteris ipſam florentem, & fructum producentem remittimus.

§ .2 Bacciferæ Scandentes minores.
Bryonia, Cacubalus Plinii.

Bryonia, Dioſcorodi lib. 4. cap. 184. ἄμπελος λευκὴ *vitis alba &* βρυώνια ὀφιοστάφυλος μηλώθρος & ψιλώτρος *&c. dicitur. Theophraſto 6. Hiſt. 1.* μηλώτρος *Plinio lib. 22. cap. 1. Vitis alba quæ Græcis Ampeloleuce, aliis Ophioſtaphylon, aliis Melothron, aliis Pſilothrum, &c.*

Genera duo Dioſcoridi lib. 4. cap. 184. & 185. Vitis alba quæ aliquibus Bryonia, & vitis nigra, aliis Bryonia nigra, aliis Chironia vitis. Sic & Plinio, qui nigram proprie Bryoniam vocari ſcribit.

5. *Bryonia* aſpera incana ſive alba, baccis rubris, nobis. Vitis alba, Matth. Multa longa, & tenuia ſarmenta promit, claviculas ſive capreolos habet inſtar vitis: folia ejus lata ſunt, quinquangularia ad ſimilitudinem vitis diviſa, ſed aſperiora ſeu potius hirſutiora, candidioraque: flores exigui, candidi ſeu luteo-pallidi herbaceive: racemoſi fructus in uvis parvis, quæ initio virent, maturæ rubent: radix prægrandis eſt, longa & craſſa, alte deſcendens ex albido ſublutei coloris, guſtu perquam amaro & ingrato. Agyrtæ & nonnulli Rizotomi mira quædam monſtra ex hujus radice affingunt, quæ ex terra eradicata, ſi ſit bifurcata, quemadmodum ſæpe contingit, membrum genitale puerile ſcalpello formant, etiam genitale muliebre (ſacrum antrum à Laurentio dictum) facilius facta inciſura imitantur, atque ad aliquod tempus arenæ ſeu potius terræ arenoſæ committunt quoad partes læſæ ſeu factitiæ corticem ſuperinduxerint, & poſtea pro Mandragoris maribus & fæminis vœnum exponunt. Bifurcari multis radicibus naturaliter contingere obſervavimus, ut Carotæ aliiſque plurimis umbelliferis: ſi ars adhibeatur ipſis, alias etiam partes efformari audacter aſſerimus; ſed cum Bryoniæ radix vetuſta, ſit craſſa & nonnunquam bifurcata, hujuſmodi ineptiæ aniles fabricari facile poſſunt

poſſunt. Deinde avenæ ſemina parti vulneratæ indunt, quæ in terra germinant, atque folia protrudere conantur, ſed ob inopiam alimenti & aëris, in fibrillas capillamentitias degenerant hæc impoſtura facilè percipi poteſt ab oculatis Botanicis. Nos hanc impoſturam pluries obſervavimus Lutetiæ Pariſiorum, & etiam *Londini* à circumforaneis hujuſmodi impoſtoribus pro veris mandragoræ radicibus exponi. Sepimenta, dumos, frutices & arbores ſcandit, & ſuperat; non tamen quarundam modo circumplectendo, ſed claviculis ſeu capreolis ſuis vicina quæque apprehendendo iiſque diverſimode ſe innectendo ac implicando. Eſt & huic omnino ſimilis Bryonia aſpera incana ſeu alba, baccis nigris: uvæ ſolæ in hac per maturitatem nigricant.

6. *Bryonia* nigra, Ger. Lævis ſeu nigra racemoſa, C. B. P. Vitis ſyl. Sigillum Mariæ & Tamus, Dod. Hæc longos, lignoſos, quaſi mediocris craſſitudinis, rimoſi corticis inſtar ſarmentorum vitis, obſcure ſubrubentes viticuloſos promit cauliculos, quibus vicinis quibuſvis ſepibus, arboribus, fruticibus, multis amplexibus circumvolvit, ac crebris intorquet circuitionibus, ab imis ad faſtigium ſcandens: capreolis ſeu viticulis caret; folia hederacea, cordata in mucronem acutum deſinentia quaſi cordis figura, mollia, ſplendentia, viridia, Smilacis lævis maj. haud abſimilia: flores candidi, exigui, ſuccoſi, odorati, racematim dependent: uvæ quæ parvæ ſunt & virent primo, maturæ cocci modo rubent, modò ex rubore in fuſcum degenerant: radix craſſa, longa, & magna, ſucco glutinoſo & lento plena, adeo ut friata digitis adhæreat.

LOCUS & TEMPUS.

Bryonia aſpera ſive alba, incana, baccis rubris, nobis. Paſſim in Italia, Gallia & Anglia, multiſque in Belgio locis provenit: Bryonia lævis ſeu nigra racemoſa, Sigillum Mariæ & Tamus, in ſilvis opacis & ſimilibus locis aſperis: Martio menſe prima germina erumpunt: flores utriuſque Bryoniæ Maio producuntur: uvæ circa vindemiam maturantur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Ducit Bryoniæ albæ non modo ſuccus, ſed & radicis decoctum, pituitam. Bilem flavam ducere ait Dioſcorides. Radix fœtus mortuos & ſecundinas ſubdita extrahit; idemque in inſeſſibus decocta radix poterit. Vide Dodonæum &c. Bryonia nigra ad prædicta omnia ſimilis, niſi quod imbecillior ſit.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI.

PAg. 297. pl. 6. Col. 2. Bryonia Mechoacana alba, C. B. P. Mechoacan non eſt Bryonia. Nicolaus Monardus florem hujus eſſe ſcribit veluti Mali aureæ ex 5. foliis (ſi libet petalis) majoribus compoſitum, è cujus medio inſtar lobi capitulum exit, ad avellanæ nucis magnitudinem excreſcens, quod intercipienti tenui membrana in duas partes dehiſcit: in quarum ſingulis duo ſunt ſemina Ciceris exigui magnitudine, colore nigra. Deinde Bryoniæ radix valde eſt amara: forma igitur florum & fructuum ex Monardo differentiam Mechoacan à Bryonia clare demonſtrat. Sicut dictum, flores & ſemina Bryoniæ toto cœlo aliter ſe habent. Non eſt Scammonium ex libro naturæ; nec floribus, nec ſeminibus Mechoacan convenit cum Scammonio. Purgat Mechoacan per inferiorem ventrem pituitam & ſeroſos humores, ſed qualitas purgandi nihil facit ad Mechoacan Bryoniam conſtituendam. Bryonia Mechoacana nigricans, Jalapium Maſſilienſibus dictum. Pag. 298. col. prima, pl. 7. & ibidem col. 2. pl. 8. Bryonia Mechoacana ſil. C. B. P. Non ſunt genuinæ aut veræ Bryoniæ ſpecies propter antedictas rationes, ergo male pro Bryoniæ ſpeciebus à Caſp. Bauhino recenſentur poſt doctrinam Bryoniæ.

7. *Planta* recentiorum, Alſines majoris facie, baccis Solani, *C.B.P.* Cacubalus Plinii, Hiſt. Lugd. Alſine repens (potius ſcandens) Cluſ. Hiſt. Caulibus iiſque numeroſis prædita eſt hæc planta baccifera, geniculis flexibilibus, humanam altitudinem plerumque ſuperantibus, præſertim ſi frutices, quos ſcandere poſſit, vicinos habeat, alioqui propter infirmitatem humi diffuſis: folia ſingulis geniculis ſeu internodiis bina adnaſcuntur ex adverſo ſita, Alſines vulgaris majoris foliis colore & figurâ ſimilia, longe tamen majora & molliora: flores ex cauliculis & folliculis prodeuntes ex herbaceo candidi, ſex petalis conſtant ad medium bifidis; ſingulis floribus ſuccedunt acini ſeu uvæ baccæve ſingulares, piperis nigri, aut baccarum Juniperi vulgaris magnitudine, initio virides, per maturitatem nigræ, ſemine exiguo & plano, nigro itidem plenæ: radix candida, valde fibroſa, longa & ſarmentitia, quæ ſingulis annis novos caules promit.

LOCUS

LOCUS & TEMPUS.

Alſine ſcandens baccifera copioſe provenit in agro Salmanticenſi & paſſim in Galliæ locis humidis & umbroſis, circa ſepes: floret æſtate; fructum producit ineunte autumno.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Quibus facultatibus prædita ſit hæc planta baccifera, Alſines facie, non ſatis conſtat apud authores; cum à flore & foliis debeat accedere Alſinarum viribus, à baccis autem, Solanis accedit. Nomina ſeu ſynonyma authoribus magis uſitata ſupra in deſcriptione adhibuimus. Dicitur Alſine ſcandens baccifera C.B.P. *eſtque Alſine heteroclita, folia floreſque habet Alſines, fructum ſeu baccas Solani, uti diximns in præludiis Botanicis Pag.* 392. *Omnis Alſine producit poſt florem quinis petalis conflatum, quorum ſingula ſunt bifida, capſulam pyriformem, ergo non poteſt accenſeri genuina Alſines ſpecies, uti illic diximus.*

§ 3. Bacciferæ majores Scandentes Capreolis. Clematis, Marucuia, Granadilla ſeu flos paſſionis.

KΛήματις *Dioſcoridi lib.* 4. *c.* 182. *eadem eſt ac ſermentaria: ſic dicta quoniam* κλήματα *flagella, vitigeneis flagellis ſimilia emittit, ac ut illa arbores ſcandit. Plinio l.* 24. *cap.* 10. *Clematida Smilaci ſimilem per arbores repentem geniculatam & ipſam appellaverunt. A Theophraſto.*5.*Hiſt.* 10. Ατραγένη *dicitur, & eſſe arbor, quæ vitis & labruſcæ modo ſurgit.*

8. *Clematis* pentaphylla, flore roſeo, clavato, nobis. Marucuia 2. ſeu Marucuia maliformis. Caulem habet ſarmentoſum ac ſubruffum: folia gerit hinc inde, ſuis pediculis circiter digitum longis affixa, & quodlibet in quinque lobos ſectum; quintus lobus eſt fidium inſtar, omnes lobi nervo medio adhærent, quique ſuos nervos & venas habent: pediculus ſuſtinet florem elegantem & conſpectu admirabilem, qui inferius tria folia viridia obtinet, ſupra autem quinque longiora, inferne virideſcentia, ſuperne cæruleo-purpurea, & inter hæc alia quinque purpurea; dehinc Solis quaſi pingitur figura, radiatim multa filamenta criſpata obtinens & in orbem explicata, exteriori medietate cæruleo-purpurea, interiore dilute cærulea, vel etiam è contrario in medio floris columellam breviſſimam, pallidam, ſuperius in quinque partes diſſectam, quæ ad latera curvatæ extenduntur. Cuique parti ſpongiformi corpus luteſcens, pulverem, luteum aſperſum habens, adhæret; in medio autem columellæ piſiformis orbiculus eſt ex flavo albicans, huic tres clavi ſuperius infixi ex flavo albi, & punctulis minimis purpureis variegati, & deorſum inclinati ut brachia columnæ: flos totus ſuavis odoris: fructus æquat pomum noſtras vulgare ſilveſtre, rotundus, cortice craſſo, flavi exterius coloris, interius conſtans pulpa ſucculenta, vinoſo-acida, crocea, & linguam croceo colore tingentè, & in illa multa ſunt granula nigra magnitudine ſeminis pomi vulgaris, variis tuberculis inſignita, & folliculis ſuis propriis incluſa.

9. *Clematis* trifolia ſeu flos paſſionalis flore viridi, nobis. Marucuia 3. Georg. Marcgr. Marucuia maliformis altera: folia habet magna, quodlibet in tres lacinias ſectum, continetque quælibet lacinia ſuum nervum ſecundum longitudinem & venas obliquas, ſuntque præterea in ambitu ſerrata, inque mucronem deſinentia, læte viridia & ſplendentia, eodem modo ad caulem poſita, ut in prima ſpecie: flos magnitudine & figura convenit cum antecedente, ſed differunt colore atque numero foliorum, hujus exteriora & majora folia inferne viridia, ſuperne alba, quibus prorſus quinque alba interponuntur, ex medio autem flore prodeunt in orbem filamenta, dimidia parte quidem interiore cæruleo-purpurea, altera exteriore albo-flaveſcentia, columella in medio rotunda ex viridi flaveſcens, ſuperius in quinque interdum & ſex curvaturas deorſum vergentes diviſa, cum ſpongiformi corpore è viridi ſubflavo, ut in aliis; in medio ſummitatis columellæ orbiculus piſiformis cum tribus clavis infixis deorſum inclinatis. Flos ſuavis odoris: fructus convenit cum ſuperiore, ſed immaturus adhuc ex viridi flaveſcit, punctulis albicantibus variegatus, adinſtar Colocynthidis, & ſplendens inſtar ſpeculi ſumme lævis, maturus autem citrinus eſt.

Explicatio Tabulæ ſecundæ Sectionis primæ.

1. *Clematis* paſſionalis pentaphyllos, flore campanulato, nobis. Paſſionalis flore campanulato Monting. Hæc 3ia ſpecies, at 1a hujus tabulæ, Marucuiæ ſeu floris paſſionalis à foliis acutis quinquefariam ſectis, atque omnino à prima foliis vel ſola facie cognitu facilis, quin & notâ adhuc magis certâ à cæteris omnibus ſuæ ſortis diſtinguitur, quod florem campanulatum in margine fimbriatum producat. Ejus color nos latet, cum ad manus non haberemus deſcriptiones Batavice editas, ſed ſolummodo icones Montingij.

2. *Clematis* paſſionalis triphyllos, flore roſeo, Monting. Hujus Granadillæ radices ſunt longæ, lateque ſerpentes, craſſiores radicibus Sarſaparillæ, ex quibus producuntur caules plurimi rotundi, longi, flexuoſi, binas, ternas, quaternaſve ulnas longi, ſecundum ſolum & cœli calorem: hiſce annectuntur folia ternis lobis multo profundius ſectis ſequentis tertiæ hujus tabulæ, nec ſunt ſerrata, ut ſecunda ſpecies primæ tabulæ: inter caulem & folium (aliarum hujus generis ſpecierum more) capreoli ſeu claviculæ intortæ atque ex eodem loco flos oritur ex pediculo biunciali, coloris roſei. Cætera in omnibus partibus cum reliquis ſuæ ſortis conveniens.

3. *Clematis* paſſionalis triphyllos, flore luteo, nobis. Paſſiflora trifolia, flore luteo, Monting. Quinta ſpecies numero, at tertia hujus tabulæ ſecundæ, convenit cum præcedenti in foliorum numero, cæteriſque partibus, niſi quod folia non tam profunde trifariam diviſa gerat, & conſequenter foliorum mucrones non ſunt tam acuti, ſed obtuſiores: florum foliola ſeu petala minora, prioris ſunt latiora, & lutei coloris, atque his nominibus quam facillime à præcedenti diſtinguitur.

4. *Clematis* Marucuia pyriformis minor, nobis. Marucuia pyriformis altera. Georg. Marcgr. Subſequenti Marucuiæ pyriformi itidem flore eſt ſimilis, ſed minore; folia itidem ſunt minora, flos quoque minor ſicut & fructus: folia ſolitarie poſita ſunt (quodlibet ſuo pediculo ſeſquidigitum longo innitens cordis bubuli figura) circiter quinque digitos longa, quatuor fere lata ubi latiſſima, in ambitu nihil aut parum ſerrata, læte virentia & ſplendentia, nervo ſecundum longitudinem etiam & venis prominentibus, ad quemlibet pediculum folij etiam capreolum habet caulis, quo ſe annectit aliis fruticibus. Hiſce foliis herbaceis inſidit flos diametro quatuor digitorum, continens 10. folia, quorum quinque ſuperne & inferne rubri ſunt coloris, quinque vero ſuperne rubri, inferne viridis coloris, ita alternatim poſita: ſupra hæc folia filamenta ſeſquidigitum longa in orbem ſtant erecta (cum in aliis ſpeciebus incumbant) ſatis fortia, quorum inferior medietas ex lacca purpureo & albo colore variegata eſt: in centro floris itidem columna erecta, tornata, digitum alta: ſuperius ovale corpus cum tribus clavis infixis ex albo flaveſcentibus, infra quod quinque brachia rubra, punctata, cæterum flaveſcentia extenduntur in orbem, quorum quodlibet ellypticum corpus habet referens ſpongiam, compreſſum, albicans, cui pulvis luteus adhæret: floris odor ſuavis; fructus pyriformis.

5. *Clematis* Marucuia pyriformis major, nobis. Pyriformis ſeu Marucuia Guacu, Georg. Marcgr. Planta eſt viminea, lignoſa, lentiſſima: caulis contortus, quadratus, varius, coloris cinerei, aut griſei, pollicem craſſus ſicut vitis, & interdum brachii craſſitie, longe ſerpit, arboribus & fruticibus ſeſe implicat: folia habet læte viridia, lævia, ſplendida, quinque aut ſex digitos longa, non ſerrata, ſed leviter quaſi ſinuata & inæqualis figuræ, adhærent autem cauli pediculis ſuis ſubruffis; & nervis per longitudinem laciniarum, tranſverſim multæ venulæ intexuntur: florem fert inſignem, quem paſſionis etiam vocant, magnitudine roſæ majoris, exterius foliis plurimis ſuperne & inferne dilute purpureis, & quinque viridibus inferius, ſuperius rubris. Supra hæc folia in orbem expanduntur filamenta inſignia, ſeſquidigitum longa, criſpa, medietate interiore tota purpureâ, exteriori rubrâ, ſeu ex purpureo & albo variegatâ. In centro floris extat columna ex flavo albicans, teres, & quaſi tornata, lata unum digitum; cui ſuperius apex, ovalis figuræ, magnitudine ſeminis pyri impoſitus, & huic itidem clavi extremis ſuis cuſpidibus infixi in uno puncto; infra ovalem autem figuram à faſtigio columnæ quinque brachia extenduntur ad latera, quorum quodlibet continet ſpongiforme corpuſculum, flavo pulvere aſperſum ut in Lilio: flos autem facillime perit decerptus, & vermiculi in eo generantur ut in caſeo. Fructus pyriformis eſt prioris major, initio viridis, maturus flaveſcentis è viridi coloris; intus tribus lineis in tres partes dividitur ſecundum longitudinem, inter quas lineas multi proceſſus quibus ſemen

cum

cum pulpa fructûs per tenues cuticulas annectitur; pulpa alba, ſucculenta, glabra, inſtar rudimenti avis in ovo, cui inhærent in quolibet fructu grana ſeminis 260. nunc plura, nunc pauciora, nigra, compreſſa, ſplendida, quorum quodlibet ſuo folliculo includitur. Odor & ſapor fructus dulcis & ſuavis, cortex craſſior eſt quam Mali aurantiæ. Quando comeditur ſcinditur tranſverſim (non ſecundum longitudinem) & pulpa inſtar ovi tremuli exhauritur. Quando autem animus eſt ſemen colligere & ſervare, pulpa cum ſeminibus per linteolum leniter exprimenda & ita grana ſeparanda. Granaque adhuc ſuis folliculis incluſa, triduo aut quadtriduo chartæ imponenda ut ex parte ſiccentur, dein ſummis digitis folliculus unicuique grano detrahendus, aliàs ita glabra ſunt ut comprehendi nequeant, nec inter edendum ore ſeparari.

6. *Clematis* paſſionalis folio bifido, nobis. Ferrum equinum volubile, Monting. Hæc Marucuiæ ſeu floris paſſionis octava ſpecies numero, at ſexta Tabulæ ſecundæ Sectionis primæ facile cognoſcitur primo intuitu foliorum bifidorum à cæteris ſuæ ſortis, neglectis aliarum partium ſtructurâ & diviſione, quandoquidem non nobis ſuppetiit copia videndi Montingij deſcriptiones lingua Batavicâ editas, ſed tantum nudas icones ex quarum intuitu particulares & magis eſſentiales differentias obſervare potuimus ex noſtris ſculpturis ab ipſius mutuatis & delineatis, atque cum aliis ejuſdem farinæ adaptatis. Quam inepte & inadvertenter ipſe Montingius ferrum equinum appellat, aliorum in botanicis melius ipſo verſatorum judicio relinquimus.

LOCUS & TEMPUS.

Marucuiæ ſive Granadillæ ſpecies omnes ſponte in regno Quito, ibidemque in campeſtribus locis Fluminum ripas adamare author eſt Petrus de Cieza in Hiſtoria Peruana. parte 1. cap. 18. in valle etiam dicta Lile, in montibus ſponte, Monardus. Florent omnes utplurimum menſe Auguſto: fructus maturus menſe Januario & Februario, & poſtea folia amittunt, novis ſubnaſcentibus.

NOMINA.

Clematis paſſionalis ſeu flos paſſionalis aut paſſionis, quod in flore aliquæ veluti paſſionis Chriſti figuræ plane delineatæ conſpiciantur, Monardus. Granadilla dicitur Hiſpanis, propter ſemen ſimile illi quod in malis granatis incluſum continetur. Marococ & Maracocum quibuſdam dicitur, Marocuia & Marucuia Georgio Marcgravio dicitur. Nullis harum hucuſque aſſignantur facultates.

§. 4. Bacciferæ non Scandentes racemoſæ.

CHRISTOPHORIANA.

7. *Chriſtophoriana* Americana racemoſa, baccis niveis & rubris, nobis. Aconitum baccis niveis & rubris, Cornut. Hæc Chriſtophorianæ ſeu forte Solani ſpecies peregrina opacis & ſilveſtribus Americæ locis frequentiſſima eſt, in Europam delata, tam baccis niveis, quam rubris in hortis verno tempore viget; in pedalem caulem profilit, radix nigrior & craſſior vulgaris noſtratis cortice nigro, nec imum petit, nec diviſionibus radix ſpargitur, ſed coacta in ſe plurimas fibras capillares demittit; caulis purpuraſcit, aliique minores à principali radice germinantes ſunt pulli: folia ſunt majora & obſcùrius virentia, atque foliis Chriſtophorianæ noſtratis ſeu vulgaris ſunt rugoſiora, eandemque obtinent diviſionem ternatim & ter ternatim factam; caulium ſummitates racematim floſculos muſcoſos, albidos edunt, ſi autem microſcopio conſpiciantur floſculi ſinguli ſeorſum ſex alba petala muſcoſis illis ſtaminulis ſubſtrata habentes apparent. Poſt flores deciduos ſuccedunt in cacumine caulium racematim junctæ plurimæ baccæ, oblongæ, niveæ vel rubræ, quæ ſemina plura continent ſub pellicula, & punctum purpureum in extremis ſingulæ gerunt. In hac planta nullatenus quidquam deleterium aut venenatum latere arbitramur, nec Aconitum proprie dici poteſt propter rationem inter nomina & vires ſequentis adferendam: locum, tempus & nomina ſupra indigitavimus.

8. *Chriſtophoriana* vulgaris noſtras racemoſa & ramoſa, nobis. Aconitum racemoſum, an Actæa Plinii lib. 27. c. 7. Chriſtophoriana vulgaris, Park. Chriſtophoriana, Dod. Lob. Ger. Cluſ. Hiſt. Chriſtophoriana cum ſit baccifera, racemoſa, & ramoſa non ſcandens, nec

ex earum genere, quæ adminiculis egent, aut amplexu vivunt, quia tamen uvas fert, ἀμπέλοις ſe facile annumerari permittit. Cauliculos hæc promit ternos, quaternos, plures paucioreſve, pedem aut ſeſquipedem longos: folia circa hos terna aut potius ter terna ſuis propriis pediculis commiſſa, particularia quorum ſunt lata, ſerrata & ambitu in virore candicantia: flores tenues, muſcoſi, candidi: fructus rotundi paulo longiores, per maturitatem nigri, ſtriam lineamve ab una parte oſtentantes uvarum acinis alioqui ſimiles, & in uvæ modum racematim cohærentes: radix craſſiuſcula, non abſque fibris, foris nigricans, interiùs Buxi colore lutea, vivax ac diuturna, quotannis cauliculos & folia regenerans.

LOCUS & TEMPUS.

Pleriſque Germaniæ & citra Rhenum Moſamque locis, in ſilvis præſertim montoſis hæc Chriſtophoriana vulgaris racemoſa & ramoſa occurrit. Floret Maio: fructus Auguſto aut ſerius perficitur.

NOMINA & VIRES.

Chriſtophoriana vulgaris noſtras racemoſa & ramoſa, nobis. Vulgaris, Park. Chriſtophoriana, Dod. Ad. Lob. Cluſ. Tab. Ger. Aconitum racemoſum, an Actæa Plinij lib, 27. c. 7. Aconitis autem annumerari contingit, propter pernicioſam & Aconito ſimilem, quam habere creditur, facultatem: an tam ſit exitialis, ac non minus noxia planta hæc, quam Aconitum, dubitatur. Sed ex libro naturæ à fine ultimo (quum Chriſtophoriana nil habet affine cum Aconito, planta cucullata, cujus ſingulis floribus cucullatis, ſuccedunt plures thecæ ſeu ſiliquæ membranaceæ) non iiſdem gaudere viribus deleteriis utramque concludimus. Inſuper aſſerimus male recenſeri Chriſtophorianam pro Aconito, atque ibidem cum Aconitis male collocari à Caſp. Bauhino, ut innuimus in Præludiis noſtris Botanicis. Pag. 376.

9. *Chriſtophoriana* Canadenſis, racemoſa & ramoſa, nobis. Panaces καρπιμὼν ſeu racemoſa Canadenſis, Corn. Angelica baccifera Montingio perperam nominatur. Hæc Chriſtophorianæ ſpecies elegans, in agri Canadenſis & Americani ſolo macro, pingui etiam & limoſo, quin & inter rupes & ſaxa invia & acceſſu perdifficilia ubique provenit. Radix pollicari craſſitudine deorſum fertur, pedem & ſeſquipedem longa: caulis rotundis geniculis articuloſus, obſcure purpuraſcens, medulloſa cartilagine repletur: folia ab eodem pediculo bina terna (in præcedentibus Chriſtophorianæ ſpeciebus ter terna) pediculis propriis quoque ſingula innituntur, ſerrata, & in mucronem acutiorem deſinunt. Ex geniculis prodeunt pediculi inter caulem & foliorum exortum, caulem ipſum ſinu amplexantes, qui in ſummis flores gerunt, vitis floribus ſimiles, primum herbaceos, deinde candicantes, quibus ſuccedunt racematim & ramatim uvæ ſub initium virentes, deinde magis ſature rubentes, intuſque pleniore ſemine turgent. Hiſce ſuavitas ineſt guſtui acceptiſſima. Floret eodem tempore cum duabus præcedentibus.

Scandentes Campanulatæ Lacteſcentes.

SECT. I. CAP. II.

CONVOLVULUS SEU SMILAX LÆVIS.

S*Milacem duplicem Dioſcorides habet ; alteram lib.* 2. *c.* 176. *ubi Phaſeolum intelligere oportet. Alteram lib.* 4. *cap.* 144. *&* 145. *quam in aſperam & lævem diſtinguit : illa* Σμίλαξ τραχεῖα, *hæc Smilax* λεῖα *dicitur : utriuſque & Plinius meminit l.* 24. *c.* 10. *at Theophraſtus* 3. *Hiſt.* 16. *Smilacem arborem, quæ Ilici ſit ſimilis deſcribit, quam Plinius l.* 16. *c.* 6. *Ilicis genus facit : qui l.* 16. *c.* 10. *& Taxum à quibuſdam Smilacem vocari ſcribit. Smilax lævis, Convolvulus à Plinio l.* 21. *c.* 5. *dictus videtur, quod arbores ſcandat, & eis ſeſe circumvolvat. Quibuſdam Iaſione ejuſdem lib. & c.* 22. *cenſetur.*

In priore capite hujus primæ Sectionis, deduximus Bacciferas Scandentes, & non Scandentes, tam edules quam non edules, in hoc capite ſeu membro ſecundo Scandentium, agemus de Scandentibus Campanulatis Lacteſcentibus : atque primo dicemusquid ſit Convulvulus prout hic accipitur, quia latiſſima eſt ſignificatio ſeu acceptio Convolvuli. Convolvulus hoc in loco, eſt Herba Scandens (utplurimum) florem producens monopetalum ſeu unifolium, Campanulatum (id eſt integrum in fundo, Campanulæ aut calathi inſtar) quin & plicas quinque in margine ſeu orâ extrema rotundâ gerit, cui flori Campanulato deciduo ſuccedit capſula ſeminalis, ſubrotunda, aliquando longa, tribus loculamentis, membranis ſuis propriis trifariam diſtincta, in quorum ſingulis bina continentur ſemina anguloſa, nigra aut fuſca, ſubrotunda ; inſuper quælibet plantæ pars rupta ſuccum effundit lacteum, perpaucis exceptis, de quibus in explicatione ; ſingularum ſpecierum agemus ; Sicut de quibuſdam non Scandentibus Convolvulis.

TABULA III.

Convolvulus
- *Major*
  - *Rectus*
    1. *Creticus, argenteus, nobis. Dorycnium quorundam Ponæ, Ital.* ⊙
  - *Scandens*
    2. *Maritimus major, Italicus, ſinuato folio, nobis. Maritimus noſter, Imperat.* ⊙
    3. *Maritimus noſtras, rotundifolius, nobis. Braſſica maritima, Matth.* ⊙
    4. *Indicus orientalis, Inhame ſeu Battatas, nobis. Inhame ſeu Battatas, Siſarum Peruvianum ſeu Battata Hiſpanorum, Ger.* ⊙
    5. *Syriacus & Scammonia Syriaca, nobis. Scammonia Syriaca,* C. B. P. ⊙
    6. *Vulgaris albus, flore majore albo, nobis. Smilax lævis major, Dod.* ⊙
    7. *Cæruleus ſeu Purpureus, folio ſubrotundo, nobis. Indicus, flore violaceo, Eyſt.* ☿
    8. *Cæruleus Hederaceus ſeu trifolius, Park. Parad. Cæruleus, Ger.* ☿
    9. *Vulgaris arvenſis, flore minore albo vel purpureo, nobis. Smilax lævis minor, Dod. Ger.*
    10. *Argenteus Althææ folio, nobis. Convolvulus Peregrinus pulcher, folio Betonicæ,* I. B.

TABULA IV.

- *Minor*
  1. *Scammoniæ foliis æmulus, nobis.* ⊙
  2. *Argenteus repens Rupellenſis, flore rubro, nobis.* ⊙
  3. *Linariæ folio,* C. B. P. *Minimus ſpicæfolius, Lob. Icon.* ⊙
  4. *Peregrinus cæruleus, folio oblongo, flore cyaneo, peramæno, ſeu triplici colore inſignito, nobis. Campanula cærulea, Aldin.* ☿
  5. *Ægyptiacus quinquefolius,* C. B. P. *& Prod. Ægyptiacus quinquefolius Caſpari Banhini,* I. B. ⊙
  6. *Africanus, Park.* ⊙
  7. *Pennatus exoticus, Col. Pennatms ſeu Quamoclit Ger.* ☿

Naſtrui-

Convolvulus heteroclitus & ſui Generis.
8. *Naſturtium Indicum majus*, C.B.P. *Indicum cum flore & ſemine*, *Ger.* ☿
9. *Halicacabum peregrinum & Cor Indicum*, I.B. *Piſum veſicarium*, *fructu nigro, albâ macula notato*, C.B.P. ☿

Explicatio Tabulæ tertiæ, *Sectionis primæ.*

CONVOLVULI MAJORES.

1. *Convolvulus* major, rectus, Creticus, argenteus, nobis. Dorycnium quorundam, Ponæ, Ital. Herba eſt fruticoſa, multis ab eâdem radice caulibus ſimplicibus, rectis, incanis ornata, altitudine cubiti: numeroſis foliis, Oleæ figura, eoſdem circumdantibus, anguſtioribus, molli lanugine tectis, & quaſi argenteis, unde Argentinam vocant vulgo, in ſummis virgis bicubitalibus & tricubitalibus & altioribus, in hortis bene ſtercoratis: coma eſt prædenſa, in qua flores candidi calathi effigie; & fructus Convolvuli minoris inſtar: lacte caret, aut modicum tribuit; etiamſi caules edat rectos, non vero ſcandentes, etiam parum aut nihil lactis habentes, in ſiccis & aridis arenoſis proveniens; tamen propter conformitatem in floribus Campanulatis, Capſularumque triplici diviſura & ſeminibus binis in ſingulis loculamentis contentis, cum cæteris Convolvuli ſpeciebus (carere lacte nonnullis, infra deſcribendis, non minus quam huic convenit, at lacteſcit modicum aut parum in cultis, uti dictum, quin & ſolus hic rectus, cæteri ſcandunt aut humi procumbunt) aptius hic collocatur inter conſimiles, & rectius à Ferrante Imperato & Johanne Pona Italice, Convolvulus Creticus, potius quam Dorycnium nominatur. Hyeme folia minime abjicit, proinde inter perpetuâ fronde virentes ſeu potius caneſcentes annumerabitur.

SOLDANELLA.

Smilacis Lævis generibus Soldanella adſcribenda venit, quare & Belgis Convolvulus maritimus dicitur: quæ duplex eſt, Italica, folio ſinuato ſeu auriculis pulchris geminatis; & major noſtras, rotundi-folia. Soldanella maritima, quæ in officinis habetur, Dioſcoridis l. 2. c. 148. eſt κράμβη θαλασσία *Braſſica marina: ſi textus corrigatur.*

2. *Convolvulus* maritimus major, Italicus, ſinuato folio, nobis. Maritimus noſter, Imperat. Hæc major maritimi Convolvuli ſpecies (obſerva Authores male plantas ad oram maritimam provenientes, marinas appellare paſſim, ac ſi ex rupibus & ſaxis in fundo maris aut aqua marina ſitis, excreſcerent, ideo nos mutavimus nomen marinum in maritimum, data occaſione paſſim) in ora maritima Venetorum & Regni Neapolitani proveniens, folia habet Hemionitidis peregrinæ alterius Cluſij modo, auriculis pulchris, geminatis (in quas nervi excurrunt) pinnata: flores profert majores ſeminaque majora, nigra, cætera cum maritimo noſtrate minore convenit, & apte ſatis denominatur Italicus (à natalibus) auriculis pulchris, geminatis; facile à noſtrate foliis rotundis, Cochleariæ Batavicæ modo factis, diſtinguitur, ut apparet ex forma folii appicta, & ſculpta, in Tab. primæ planta ſecunda.

3. *Convolvulus* maritimus noſtras, rotundifolius, nobis. Braſſica maritima, Matth. Braſſica maritima minor, C.B.P. Convolvulus hic maritimus rotundifolius, eſt planta repens, (ut maxima pars Convolvulorum perennium Scandentium, in hiſce tabulis duabus contentorum) cujus cauliculi humi procumbunt, ſuntque cubitales, bicubitales, craſſi & ſubrubentes: folia ſunt rotunda, Ariſtolochiæ rotundæ vel potius Cochleariæ Batavicæ more craſſa, ſucculenta, ſubcandida, non ſine lacte, aut potius ſucco lacteo, copioſe & affatim emanante poſt rupturam aliquam, pediculis longis innixa: flos magnus, purpureus & albus; calices fert ſubrubentes, magnitudine Convolvuli majoris vulgaris, imo majores, quos cingunt bina foliola ad eorundem baſin ſita, hoc familiariter aliis quamplurimis hujus Claſſis commune eſt; ſemina pariter ad eundem modum anguloſa, binatim juncta, in tribus diſtinctis loculamentis depoſita habet, in capſulis rotundis, in mucronem deſinentibus contenta, ad ſenarium numerum.

4. *Convolvulus* Indicus Orientalis, Inhame ſeu Battatas, Siſarum Peruvianorum ſeu Battata Hiſpanorum, Ger. Cauliculos profert multos, flexiles, ſatis craſſos, ſucculentos, humique diffuſos ſeu procumbentes, ad inſtar Peponis; quibus folia utcunque carnoſa, ex

ex viridi candicantia, Ari foliis aut potius Spinachiæ haud diſſimilia, ex longis pediculis pendentia; atque ex foliorum coſta media plurimi nervi oriuntur, qui variè deducti terminantur in foliorum orbitam: radices producit multas, tuberoſas, longas, Pœoniæ, Aſphodeli albi, Ari potius, aut Oenanthes odore viroſo æmulas, utrinque obtuſas; junctas in unum apicem, verſus ſuperficiem terræ, adinſtar Siſari vulgaris radicum, quæ ſunt minores, ſeruntur: quæ autem majores & integræ in fruſta conciſæ, ſolo culto, & in ſuos ſulcos bene ducto, feliciter naſcuntur: nam intra octavum menſem in eam craſſitudinem excreſcunt ut edi & in alios uſus parari poſſint. Radices, caules & folia ſolummodo obſervavi, ſed cum apud authores, qui hucuſque ad manus meas pervenere, nullam obſervo mentionem factam florum, nec capſularum ſeminalium, nec ipſius ſeminum; idcirco perfectam notitiam ipſius plantæ remittimus examinantibus plantam florentem, & cum capſulis ſemina producentem. Nos ex radicibus in foro olitorio *Londinenſi* emptis, ipſarumque ruptura ſuccum percepimus lacteum emanantem, atque iiſdem terræ commiſſis obſervavimus folia, Convolvulorum more conſtructa, proinde ex ſucco lacteo, quo ſcatebant radices, juncta caulium & foliorum ſimilitudine, conjecimus tantum & concluſimus eſſe Convolvulum. Si quis poſt obſervatum florem detexerit à fine ultimo, id eſt flore, capſula ſeminali ipſoque ſemine non eſſe Convolvulum, poterit facile ex doctrina noſtra, in libro naturæ obſervanda, eandem hanc plantam reducere ad genus ſubalternum, cujus fert teſſeram. Varietates ſunt tres à corticis colore vel purpuraſcente, vel pallente, vel candido: radix aſſata frixave fructuum vel leguminum loco Indis inſervit. Battatas triplex, Indiæ Orientalis planta prima, quam nos Convolvuli ſpeciem conſtituimus: & eſt alia ſecunda Canadenſis, quæ ad Corymboſas, Sectione ſexta explicandas, inter Chryſanthemas amandabitur, & illic Chryſanthemum tuberoſum nobis dicetur: eſt & tertia, Virginiana, Solani ſpecies inter congeneres, decima Sectione explicandas, diſponenda, & Solanum tuberoſum Virginianum appellabitur. Vox Battatas male omnibus hiſce tribus aſſignatur ab indigenis à ſimilitudine radicum tuberoſarum, ut conjicio, quæ nota communis reddit plantas toto cœlo differentes, congeneres; radices, folia &c. inſerviunt tantum ad ſpecies determinandas, non autem ad genera ſive ſumma, ſive intermedia conſtituenda: ergo ex libro naturæ quilibet mediocriter in Botanicis verſatus, obſervando ductum ultimum naturæ, id eſt diverſum modum florendi, & capſulas ſeminales, & ſemina producendi, facile nobiſcum, unamquamque harum trium plantarum ſpeciem, ad genus ſuum à natura ipſa aſſignatum revocare poterit.

SCAMMONIA.

Σκαμμωνία Dioſcoridi l. 4. c. 171. & Theophraſto 4. Hiſt. 6. & 9. Hiſt. 1. & 10. Latinis Scammonia, ex cujus radice ſuccus elicitur, ut l. 12. ſec. 6. oſtendemus. Dioſcoridis deſcriptio noſtræ plantæ conveniret, niſi ſuæ ramos quadantenus hirſutos, folia item hirſuta tribueret: quam hirſutiem (neſcio an loci ratione) hactenus non obſervavimus: & Matthiolus in deſcriptione Dioſcoridea omiſit.

5. *Convolvulus* Syriacus & Scammonia Syriaca, nobis. Scammonia, Matth. Hic Convolvulus, Scammonia Antiochena dictus Camerario, in Hort. Tenues viticulos fert tricubitales & multo altiores (ſecundum ſolum cui committitur) aliquando ad altitudinem quinque cubitorum, modo habeat baculum, perticam, aliudve adminiculum vicinum, beneficio quorum ſeſe in altum attollere poſſit: foliis donatur triangulis, effigie Sagittariæ parvæ, id eſt ſunt acuminata ad baſin foliorum, Smilacis lævis majoris æmula: flores ſunt Campanulati ex candido palleſcentes, ſeu ὀχρόλευκοι ut Clariſſimi Car. Cluſii voce utar, capſulas ſeminales & ſemina, cæterorum ſuæ familias inſtar, gerit: radicem grandem Raphano ſimilem, & ſuccoſam habet, unde ſuccus effunditur, poſt exſciſſionem ejuſdem; & excipitur in vaſis aut tegulis ad hunc finem poſitis, qui Scammonium vocatur, hocque eſt medicamentum mochlicum, violenter enim purgat, ſed corrigitur ejus vis & violentia ſeu vehementia, ſi prædictus ſuccus incoquatur Malo cotoneo tunc à Pharmocopœis ſeu Pharmacopolis Diagridium dicitur. De cujus compoſitione, viribus & facultatibus, vide ad finem explicationis Convolvulorum fuſius.

6. *Convolvulus* vulgaris major albus, ſeu flore majore albo, nobis. Smilax major lævis, Dod. Ger. Smilacis herbæ duo apud veteres reperiuntur genera; aſperum unum, de quo diximus inter bacciferas ſcandentes ligneas, ſeu lignea ſubſtantia præditas, ad finem partis primæ; de Smilace lævi, leguminoſa ſeu hortenſi, quæ & Phaſeolus dicitur in Sectione ſequenti

ti ſeu ſecundâ hujus partis, inter ſuæ ſortis conſimiles, Legumina ſcilicet, dicemus. Aſt de Smilace lævi majore, campanulato, lacteſcente, hoc in loco jam tractabitur. Convolvulus major vulgaris, viticuloſis ſeu ſarmentoſis cauliculis, longis ac tenuibus, ſurſum verſus, Arboribus, fruticibus, ſubfruticibus, viciniſque adminiculis ſepibuſve obuolvitur, & circumligatur: folio eſt trianguloſo, in acutum mucronem deſinente in extremo, verſus pediculum binas auriculas etiam acutas habente: tota folii facies eſt hederacea, mollior lævigatiorque: flores è ſummis pediculorum exſiliunt candidi, ampli, copioſi, Campanulati, imo candidiſſimi, colore Lilii candidi valde æmuli: radices ſunt longæ, craſſioribus cirris ſimiles, intus candidiores, hac illac per obliquum intra terram, ſeu potius ſuperficie terræ tenus feruntur: capſulæ ſeminales, ſeminaque ipſa cæterorum ſuæ familias æmula ſunt. Obſervare licet, ſed raro, eundem Convolvulum majorem, flore rubro.

7. *Convolvulus* purpureus, folio ſubrotundo, C. B. P. & Prod. Indicus, flore violaceo, Eyſt. Convolvulus major hic annuus, cordifolius, caules longos, viticuloſos, paucis pilis exaſperatos, vicinis perticis appoſitis circumvolutos, promit: folia habet longis & aſperis pediculis donata, quæ cordis figuram æmulantur, nonnihil hirſuta, præſertim ſuperiora: flores oblongi, Campanulati, calicibus hirſutis innituntur, Campanulæ forma, ex cæruleo purpurei vulgo, aliquando albi, cum in Horto Blæſenſi à nobis obſervati; atque tum etiam dum hæc ſcribo, in horto Univerſitatis Botanico publico, albos flores ejuſdem conſpicere licet: floribus fatiſcentibus, ſuccedunt capſulæ membranaceæ intus ſemina anguloſa, triangularia, fuſca, continentes, binatim ternis loculamentis diſtincta, congenerum more: quin & lacteſcit copioſe ſatis, & evidenter, ſi ejuſdem rumpantur folia, caules, pediculive.

8. *Convolvulus* cæruleus hederaceus ſeu trifolius, Park. Parad. Cæruleus, Ger. Convolvulus hic annuus major, cæruleus, hederaceus, longos, tenues & viticuloſos promit cauliculos, quibus quæcunque prope poſita adminicula conſcendit & amplectitur, crebris ſeſe eis implicans circuitibus: folia lata ſunt, & anguloſa, repentis per terram Hederæ foliis ſimilia, tribus lobis diſtincta, Hepaticæ trifoliæ inſtar, ſed majora; non in totum lævia, ſed nonnihil hirſuta: flores Campanulatos, veluti Smilacis lævis majoris, azureos ſeu profunde cæruleos gerit, quorum ſinguli oras plicis quinquefariam diviſas, quaſi quinquangulares proferunt, quæ ſic diviſæ plicis ſuis quinque, flores ſingulos quinquangulos cuilibet ipſos intuenti apparere facile faciunt. Hoc familiariter convenit omnibus Campanulatis floribus, non ſolum hujus capitis, ſed aliis monopetalis, tubuloſis etiam, ut Daturæ & Solani ſpinoſi ſpeciebus &c. Propter florem elegantis ſaturate cærulei coloris, Lazura quaſi Lazula (id eſt cærulea) nuncupatur.

9. *Convolvulus* vulgaris, flore minore albo, vel purpureo, nobis. Smilax lævis minor, Dod. ut. Ger. Hæc Smilacis lævis majoris minor ſpecies perennis, majore vulgari eſt humilior, tenerior, tenuiorque: tenues illi quoque ſunt viticuloſi cauliculi, quorum nonnulli humi procumbunt; alii Herbas, Vites, Frugeſque ſcandunt, & crebris circuitionibus eas revinciunt: folia oblonga, mollia, ac lævia; Sagittariæ forma & figura accedentia itidem: flores ut cæterorum ſuæ familias pariter calathi inſtar, nonnihil odorati, plurima parte albidi, relucente tamen in eis diluto rubentis purpuræ colore, & radiantes inſtar ſtellæ effigie & forma; variat colore ſæpe, vel eſt albus cum umbilico purpureo, vel punicantibus lineis aſperſis, vel purpureis radiis albis pictus: ſemina ſubſequuntur exigua, anguloſa, fuſca, cæterorum hujus claſſis ſeminum modo, ſed non copioſe perducuntur ſemina ad maturitatem, propter nimium rependi ſtudium radicum; hoc contingit omnibus longe lateque ſub terram repentibus radicibus, cujuſcunque ſint ſectionis aut generis ſubalterni, ut poſtea patebit, in ſingularum ſectionum & generum intermediorum doctrina.

10. *Convolvulus* argenteus, Althææ folio, C. B. P. Ger. Peregrinus pulcher, folio Betonicæ, flore purpureo, potius folio Bryoniæ, ex noſtra ſententia. Hujus floris cum ante dictis in hac Tabula, & poſtea dicendis in quarta Tabula, conformitas & ſimilitudo faciunt, ut hanc herbulam, alioquin primo intuitu foliorum ſuperioribus parum congenerem, nec forma illis congruentem, ſubnectamus. Vepribus atque fruticibus, aliiſque herbis ipſi vicinis adnaſcitur hæc planta ſcandens, illiſque circumvolvitur, alioqui ſi adminiculis careat, humi jacet, nec ſe attollit, nam infirmioribus conſtat viticulis, gracilibus, villis quibuſdam obſitis: folia inordinate poſita ſunt, Althææ vulgaris aut potius Bryoniæ albæ foliis fere reſpondentia, incana, in ambitu ſinuata & quaſi criſpa, nonnunquam ſerrata, imo aliquantulum laciniata, minora tamen, gummoſa, ſi guſtentur ſubacria, & etiam ſubamara: flores ex alarum ſinu promit, longis pediculis inhærentes, Convolvuli floribus omnino ſimiles, monopetalos,

petalos, & ita implicatos, ut ex pluribus petalis (in margine quinque ſcilicet) conſtare videantur, ex candicante purpureos ſeu purpuraſcentes: radix tenuis, exilis, fuſca, per terræ ſuperficiem repit, atque ex nodis ſeu geniculis, aliorum ſuæ ſortis more, alias plantulas producit. Non lacteſcit: in hoc convenit cum Convolvulo ſpicæfolio Lobelii, de quo infra in ſequenti Tabula acturi ſumus.

LOCUS & TEMPUS.

1. Convolvulus *Creticus, rectus, argenteus, nobis. Dorycnium quorundam ſeu potius Convolvulus Creticus, Ponæ, Italicè. In Creta & Sicilia Inſulis provenit: floret æſtate: ſemina perficit autumno, adinſtar aliorum Convolvulorum ſcandentium.*

2. Convolvulus *major, Italicus, folio ſinuato, nobis. Maritimus noſter, Imperat. Auriculis pulchris geminatis provenit, ad oram maritimam Venetorum & ſecus litus maritimum Neapolitani regni, etiam in Hiſpaniæ & Inſularum mediterranearum orâ maritima, cæteriſque calidis maritimis locis meridionalibus Galliæ Narbonenſis, aliiſque plagis Africæ, Hiſpaniæ oppoſitis, prope Tingidem, ad oram illic maritimam, teſte* Roberto Spotſwood, *à quo plurima ſemina nobis fuerunt communicata rariora.*

3. Convolvulus *maritimus noſtras, rotundifolius, nobis. Braſſica maritima, Matth. In ora maritima Galliæ ſeptentrionalis, Bataviæ & Angliæ, viget: floret æſtate & ſemen maturum eſt autumno.*

4. Convolvulus *Indicus Orientalis, Inhame ſeu Battatas, nobis. Battatas, Siſarum Peruvianum ſeu Battata Hiſpanorum, Ger. In novo orbe viciniſque Inſulis, illi adjacentibus, quin & in India Orientali provenit; floret æſtate & ſub initium autumni maturantur ſemina.*

5. Convolvulus *Syriacus & Scammonia Syriaca, nobis. Scammonia, Matth. In calidis pingui exit ſolo, veluti in Aſiæ Myſia, & Syria paſſim reperitur, nec non in Creta Inſula, teſte Belonio: floret æſtate atque ſemina perficit autumno.*

6. Convolvulus *vulgaris major, albus, flore majore albo, nobis. Smilax major lævis, Dod. Ger. Reperitur paſſim circa fruteta & ſepes; quæ ſemel comprehendit loca, ea ægerrime deſerit, adeo pertinacis vitæ radices ſunt, hac illac rependo; æſtivis menſibus ſeſe propagat, & copioſe flores protrudit, nitore albido Liliorum inſtar conſpicuos, calathi forma amplos; per totam æſtatem floret, atque autumno ſemina ſua perficit.*

7. Convolvulus *major annuus, purpureus, folio cordato ſeu ſubrotundo, nobis. Purpureus, folio ſubrotundo,* C. B. P. *Indicus, flore violaceo, Eyſt. Convolvulus hic cordifolius ſeu exoticus, peregrinuſvè ex India delatus, & ſeminibus propagatus apud nos Europeos: floret cum cæteris ſuæ familias, æſtivo tempore, & medio autumni ſemen perfecte abſoluit; quo citius in pulvino bene ſtercore equino præparato ſeritur & tranſplantatur, citius ejuſdem ſemina maturantur.*

8. Convolvulus *Cæruleus, hederaceus ſeu trifolius, Park. Parad. Cæruleus,* Ger. Ex *India primum delatum hujus ſemen in Europam, ex quo apud nos ſato, (cum ſit planta annua) & educato, de novo ſingulis annis maturantur & colliguntur ſemina in vernam tempeſtatem reſervanda, & exeunte hyeme aut ſub initium veris, in pulvino bene ex ſtercore equino præparato ſi feratur, perfecta producit ſemina verſus autumni finem; diu per æſtatem ſucceſſive producit flores.*

9. Convolvulus *vulgaris, flore minore albo, vel purpureo & vario, nobis. Smilax lævis minor, Dod. Ger. Gignitur hic Convolvulus vulgaris minor, reſpectu majoris albi, in hortis cultis, & arvis ſegetalibus, vinetis paſſim in Gallia, Anglia & Belgio aliiſque regionibus ſponte, maximo detrimento hortulanorum & agricolarum, etiam in neglectis arvis & ſecus agrorum margines, viarumque ſepes, imo & in pratis ipſis, pluvioſo tempore, valde moleſtus: æſtivis menſibus floret, natura mirum in modum ludente in producendis floribus variorum diverſorumque colorum: raro ſemina ſua perficit, propter nimiam ſerpendi aut repend facultatem, radicibus à natura conceſſam. Hoc ſæpe contingit repentibus plurimis, uti obſervavimus; natura enim non poteſt duobus finibus ſimul & ſemel eſſe intenta & propagationi radicum; & productioni ſeminum: idem obſervare licet commune aliis quamplurimis Convolvulis vivacibus, in hiſce duabus Tabulis contentis.*

10. Convolvulus *argenteus, Althææ foliis,* C.B.P. *Peregrinus pulcher, folio Betonicæ, flore purpureo,* I. B. *Hic in collibus juxta Tagum flumen, læto ſolo, & in Bætica plurimiſque aliis Hiſpaniæ locis naſcentem & menſe Martio & Aprili florentem, ibidem Decembri menſe invenit*

invenit Clariſſimus Carolus Cluſius & florentem & ſemine prægnantem. Propter rependi nimiam aviditatem (uti dictum de aliis) vix apud nos ſemina edit matura.

NOMINA.

1. Convolvulus *rectus Creticus argenteus, nobis. Dorycnium quorundam ſeu potius Convolvulus Creticus Ponæ, Ital. Dorycnium verum Plateau, Cluſ. Hiſt. Dorycnium Creticum Alpin. Dorycnium Imperati* I. B. *Cneorum album foliis argenteis, Ger. Cneorum album, folio Oleæ argenteo, molli*, C. B. P. *Cneorum album Dalechampii, Lugd.*

2. Convolvulus *maritimus major Italicus, ſinuato folio, nobis. Maritimus noſter, Imperat. Auriculis pulchris geminatis quibuſdam & aptius. Convolvulus maritimus ſoldanellæ affinis*, I. B. *Braſſica maritima major vel Soldanella*, C. B. P. *Braſſicæ marinæ genus Rauwolfii, Lugd.*

3. Convolvulus *maritimus major noſtras, rotundifolius, nobis. Braſſica maritima, Matth. Lugd. Hiſt. Cam. Braſſica maritima ſeu Soldanella*, I. B. *Soldanella, Dod. Ad. Lob. Tab. Soldanella marina, Ger. Eyſt. Vulgaris, Park. Soldanella maritima minor*, C. B. P.

4. Convolvulus *Indicus orientalis Inhame, ſeu Battatas, nobis. Battatas, Siſarum Peruvianum, Battata Hiſpanorum, Ger. Battatas Indiæ occidentalis & Inhame Orientalis Luſitanorum, Park. Camotes ſive Amotes & Ignames, Lob.*

5. Convolvulus *Syriacus & Scammonia Syriaca, nobis. Scammonia Syriaca*, C. B. P. *Scammonia Antiochena, Cam. Hort. Scammonia Matth. Cam. Ep. Lugd. Scammonia Syriaca legitima, Park. Scammonia Syriaca, flore majore Convolvuli*, I. B. *Scammonium, Dod. Syriacum & Antiochenum, Ad. Lob. Antiochenum, Ger.*

6. Convolvulus *vulgaris major albus, majore flore albo, nobis. Major*, I. B. *Cæſ. Ad. Lob. Major albus*, C. B. P. *Park. Smilax major lævis, Dod. Ger. Lob. Icon. Volubilis major Trag. Tab.*

7. Convolvulus *purpureus, folio ſubrotundo*, C. B. P. *Major peregrinus, annuus, cordiformis, cæruleus, nobis. Indicus, flore violaceo, Eyſt. Cæruleus, folio rotundo, Ger. Major cæruleus, Park. Parad. Campanula Indica*, I. B. *Campanula azura Swer. Indica purpuroviolacea, Bry. Nil Avicennæ, Dod.*

8. Convolvulus *cæruleus, hederaceus ſeu trifolius, Park. Parad. Cæruleus, Ger. Azureus ſeu cæruleus, Ob. Lob. Hederaceus, Ad. & Icon. Lob. Convolvulus cæruleus hederaceo anguloſo folio*, C. B. P. *Campanula cærulea, Dod. Azuria, Nil Arabum ſeu convolvulus cæruleus*, I. B.

9. Convolvulus *vulgaris, flore minore albo vel purpureo & vario, nobis. Smilax lævis minor, Dod. Ger. Convolvulus vulgaris minor, arvenſis*, C. B. P. *Minor Cluſ. Hiſt. Minor purpureus, Ad. & Icon. Lob. Volubilis arvenſis, Tab. Convolvulus minor albus vel purpureus vulgaris, Park. Helxine ciſſampelos ſeu Convolvulus minor*, I. B. *Hiſt. Lugd. Matth. Fuch. Cam. Ep. Helxine in ſegetibus naſcens, Cord. in Dioſc. Iaſione veterum, Helxine ciſſampelos, Convolvulus minor*, I. B.

10. Convolvulus *argenteus Althææ folio*, C. B. P. *Ger. Althææ folio, Cluſ. Hiſt. Lugd. Park. Convolvulus peregrinus, Lob. Peregrinus pulcher, folio Betonicæ, flore purpureo*, I. B. *potius Bryoniæ folio, nobis.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

2. & 3. Convolvulus *maritimus, Soldanella maritima major & minor dictus, eſt calida & ſicca temperie, tertio etiam exceſſu, ſicuti eſt amara, ſalſilaginem cum acredine quadam guſtabilis ejus qualitas oſtendit. Alvum purgat, crudos & aquoſos humores diſtrahit, Hydropicis cenſetur utilis, adverſatur tamen ventriculo, tortiones & moleſtias adfert: plus incommodi quam auxilii adfert. Ex Dioſcoride tota herba ſtomacho incommoda eſt, acris maxime alvum ſolvit. Conveniunt cum eâ quidem ad acrimoniam obtundendam pingues carnes.*

4. Convolvulus *Indicus Orientalis inhame ſeu Battatas & ſiſarum Peruvianorum ſeu Battata Hiſpanorum, Ger. Ex novo orbe & Inſula Divi Thomæ hæc Herba delata in Hiſpaniam, & ſata in multis Bæticæ locis, inque taleolas diſſecta; principatum obtinet Malacæ nata. Editur ab ipſis incolis aut cruda, aut cocta, nunc Hiſpanis etiam in deliciis, ob*

ſapo-

ſaporis jucunditatem & teneritatem, præſertim ſi in cineribus cocta aſſave & exteriore pelle repurgata radix, & in taleolas ſecta, ex pauxillo vino, ſtillatitiique Roſarum liquoris & ſacchari momento edatur: lutea quæ ex Inſula Divi Thomæ adfertur inſtar Carotæ, pluris habetur quam illa ex Manicongo; quæ ex regione Benim gratiſſimi eſt ſaporis. Battatas in prædictis regionibus & in Hiſpania etiam radices admodum bonum cibum & multi alimenti exiſtimant, mediaque eſſe veluti ſubſtantiæ, inter carnes & fructus, flatulentas tamen: ſed aſſatæ flatus deponunt, præſertim ſi cum generoſo aliquo vino edantur: ex iis etiam fiunt conſervæ non minus gratæ, quam Cydoniorum carnes; morſelli, placentulæ aliaque edulia gratiſſimi ſaporis; verbo, idoneæ ſunt ad omnes generis conſervas conficiendas & edulia. Nunc adeo frequentes ſunt in Hiſpaniis, ut ſingulis annis è Valez Malaga decem aut duodecim longæ naves, (quas Caravallas vocant) iis onuſtæ Hiſpalin invehantur. Temperamento ſunt eodem radices, & coctæ & aſſæ ventrem emolliunt: at crudæ eſui non ſunt aptæ, quoniam admodum flatulentæ, idcirco difficilis digeſtionis. Radicum Battatas genera ſunt tria à corticis colore, videlicet purpuraſcente, vel pallente, vel candido; radices aſſatæ fructuum vel Leguminum loco Indis ſunt.

5. Convolvulus *Syriacus Scammonia Syriaca ſeu Antiochena dictus. Omnes Convolvuli vi conſtant purgandi, ſecundum magis & minus: hanc doctrinam eruimus à forma florum, capſularum ſeminalium & ipſorum ſeminum conformium; natura indice nobis monſtrante viam: at omnium horum principatum tenet Convolvulus hic quintus, ſupra à nobis explicatus, Syriacus & Antiochenus ſeu Scammonia Antiochena vel Syriaca dictus, ex cujus radice ſciſſa, excipitur in vaſis ſuccus ſeſe effundens, qui Scammonium dicitur. Scammonium eſt Scammoniæ plantæ ſuccus, qui ex radice, lactei ſucci plenâ, inciſa emanat, & in vaſis recipitur & reſervatur exſiccandus: cujus modum Dioſcorides l. 4. c. 171. docuit. Scammonium Plinius l. 26. c. 8. vocat: cujus ſuccum tantum uſui Theophraſtus 9. Hiſ. 10. ſcribit. Scammoniæ ſuccus, ad Arabum imitationem dicitur Scammonium qui denſatus in maſſas cogitur, & exſiccatus, fuſcus aut lividus, aut cinereus aut fulvus redditur. Differentiæ hujus ratione loci apud Dioſcoridem & Plinium: ille eum, qui ex Myſia regione Aſiæ deportatur, commendat: Scammonium Syriacum & Judiacum deterrimum habetur, Ervi farina & Tithymali ſucco adulteratum. At Plinio laudatur Colophonium Myſiacum Priennenſe: adulterinum vero fieri Ervi farina & Tithymali maritimi ſucco, in Judæa fere, quod deprehendi poterit guſtu, cum Tithymalus linguam calefaciat &c. Quod vero Scammonium noſtrum notas à Dioſcoride tributas non habeat, cauſa putatur, quod hoc tempore veterum parandi modum non obſervaverint, ac non ex radice inciſâ, ut Dioſcorides docuit, ſed prorſus diſſecta vel expreſſa, aut è ſtipitibus & foliis contuſis paretur: alioqui tanta Scammonii copia quotannis vix afferri poſſit, vel etiam Tithymali lacte adulterati. Optimum eſt quod ex Antiochia defertur, dein Armenum; Europeum omnino pravum eſt. Probatur quod pellucidum, leve, rarum, ſpongiæ inſtar foraminoſum, colore cum frangitur fulvum, taurini glutinis modo tranſlucens: nec vehementer linguam excalefaciens (quod admiſti Tithymali argumentum eſt) & cum linguæ affricatur, in candidiſſimum liquorem lacti ſimilem ſe ſuperficie reſolvens: cito liqueſcens, friabile non valde ponderoſum, nec tetri odoris. At glebæ ingentes nigræ & graves, aut adulteratæ ſunt, aut ſuccus eſt ex tota planta expreſſus. Hujus vehementia corrigitur à quibuſdam, Aloë addita; ſed rectius ſi Malo cydonio excavato indatur, paſtâ circumdetur, & in clibano coquatur, dein contundatur, ut veteres fecêre, aut (ut alii) in ſucco Cydonii coquatur: melius vero ſi ſemina Fœniculi, Aniſi, Dauci adderentur: ſic correctum Diagridium, quaſi lachrymula dicitur: in Officinis Diagridium, quod nimis recens, vehemens; antiquum imbecillum, quare tormina excitans: bimum optimum eſt. Succus ergo Scammoniæ per inferiora vehementer, nulli aliorum medicamentorum purgantium potentia cedens, purgat inquam non aliqua facultate calida, ſed alia quadam latente, totius ſubſtantiæ proprietate, guſtu quidem; nulla caloris vehementia deprehenditur: cuicunque liquori aut rei permiſceatur, nullam ei vel amaritudinem vel acrimoniam, aut alium ingratum ſaporem communicat. Quamobrem nec inter calidiſſima, ut pleriſque videtur, ſed inter moderatius calida & ſicca habendus Scammoniæ ſuccus. Extergit & educit potiſſimum bilem flavam, ſeroſos itidem tenueſque humores & quandoque pituitam; ventriculo tamen, magis quam omnia reliqua medicamenta (ut Paulus Ægineta tradit) noxium eſt Scammonium. Meſues non modo ventriculo grave & moleſtum eſſe, verum & inteſtina ipſa abradere, interna viſcera corrodere, venarum ora dilatare; totaque ſuæ ſubſtantiæ eſſentiâ*

cordi

cordi reliquiſque viſceribus obeſſe ſentit. Inordinatum & minus opportunum ejus uſum ſequuntur animi deliquia, ventriculi ſubverſiones aut fluores & dyſenteriæ. Occurritur hiſce malis (eodem authore) ſi Scammonium in Malo cotoneo decoquatur, & in mucagine Pſyllii, Prunorum carne, aut ſucco, aliiſve lentis, ſimpliciter permiſceatur, addita Maſtiche aut aliis moderate aſtringentibus: de cæteris vide Dodonæum & Johannem Bauhinum & Simeonem Pauli, in tertia claſſe operis quadripartiti, qui diffuſe de Scammonii viribus egêre.

6. Convolvulus *vulgaris major albus ſeu flore majore albo, nobis. Smilax major lævis, Dod. Ger. Viribus accedit Scammoniæ, aſt in minore gradu; quin & propter characteriſticam & eſſentialem, in floribus, capſulis ſeminalibus, atque etiam ſeminibus repertam notam, concludimus omnes Convolvulos lacteſcentes Campanulatos iiſdem viribus pollere ſecundum magis & minus. Atque hæc de viribus tam eorum, quæ in hac tertia Tabula, quam quarta explicanda continentur, dixiſſe ſat erit.*

Explicatio Tabulæ quartæ Sectionis ſecundæ.
CONVOLVULI MINORES.

1. *Convolvulus* Scammoniæ foliis æmulus, nobis. Hic eſt radice craſſâ in terram ſe demittente, atque longe lateque ſerpendo ſeſe propagat aliis radiculis, ex quibus pullulant novæ plantæ: folia gerit Scammoniæ triangularia, multo latiora ad baſin quam ſunt Scammoniæ folia, nec ſunt tam acuminata ad baſin: flores habet dilute pallidos, Campanulatos, herbacei omnino coloris, Scammoniæ quodammodo æmulos: capſulas ſeminales, tribus loculamentis, triplici membranarum ſerie ſeparatas itidem, atque in ſingulis bina continentes ſemina anguloſa, nigra aut potius fuſca; primo intuitu, ſi juxta Scammoniam collocetur ab ipſa primo foliorum ſtructura, deinde radice longe lateque ſub terram repente cognoſcitur, quia Scammonia radicem longam, craſſam Napi aut Raphani majoris inſtar fert: Lacteſcit ut Scammonia cæteræque plurimæ Convolvulorum ſpecies, binis exceptis quas recitabimus & obſervabimus in propriis locis.

2. *Convolvulus* minor, argenteus, repens, Rupellenſis, flore rubro, nobis, Eſt humilis hæc Convolvuli ſpecies, per terram procumbens, foliis eſt longis, anguſtis, argenteis & omnino incanis, ex quibus ruptis emanat ſuccus lacteus, more aliorum ſuæ tribus aut Claſſis: flores producit Campanulatos, rubros, aut coloſſinos; ex hac notâ florum coloris, junctâ incanitie argenteâ foliorum anguſtorum & longorum, parvo aut nullo quaſi negotio diſtinguitur â cæteris Convolvuli minoribus ſpeciebus.

3. *Convolvulus* minimus ſpicæfolius, Lob. Obſ. Lugd. Linariæ folio, C. B. P. Hic minor Convolvulus tenuibus adeoque junceis, ex eâdem radice prodeuntibus, & humi procumbentibus ramulis præditus eſt, duris tamen & hirſutis, qui in ſummo flores proferunt Campanulatos, purpureos ſeu purpuraſcentes & inodoros, in margine implicatos, ut quinquefariam dividi videantur, florum oris in totidem angulos deſinentibus, dum complicantur & inexpanſi adhuc ſunt flores, quique expanſi & explicati angulos ſuos in margine florum relinquunt quaſi acuminatos: folia inferiora nullo ordine ramulis inhærent, ſuntque longa, anguſta, pilis hirſutis obducta, ſalicis foliis haud abſimilia, ſuntque gummoſa (ſi quis eadem mordeat) etiamque aliquantulum amara: radix candicans ſingularis & vivax. Non lacteſcit, in hoc convenit cum decimo ultimo Tab. præcedentis.

4. *Convolvulus* peregrinus cæruleus, folio oblongo, C. B. P. & Prod. Peregrinus cæruruleus, folio oblongo, flore peramœno, triplici colore inſignito, nobis. Campanula cærulea, Aldini. Hæc perelegans Convolvuli ſpecies minor, radice eſt ſingulari, oblonga, ruffeſcente, ex qua caules multi, pedales, ſeſquipedales, flexiles, leviſſimis & curtis pilis pubeſcentes, prodeunt per terram ſtrati; quos folia inferiora uncias tres quatuorve longa, vix unciam lata, inordinate veſtiunt, quæ ſurſum verſus minora redduntur, perque marginem ſunt leviter hirſuta: ex foliorum ſinu pedicelli tenuiſſimi, oblongi, exſurgunt, ſingulis flos eleganter maximam partem cæruleus, Campanulatus, triplici colore inſignitus inſedet, quinis plicis in margine exterius, quiniſque interius, cæterorum ſuæ familias more; florem elegantem gerit, inquam, triplici colore notatu digniſſimum, in ſuperiore Campanulæ limbo circulum habet elegantem cyaneum & peramœnum; medium album, ſeu potius ochroleucum; tertium circulum uſque ad fundum luteum, ex cujus umbilico exeunt ſtaminula quinque ſubcærulea, ambientia apicem longiorem: inter circulum luteum

in fundo, & medium ochroleucum conſpicere licet quina puncta nigra, bifariam, trifariam ſurſum verſus diviſa, quæ attentius intuenti ter quina apparent, & numerari facile poſſunt. Plantula hæc cum ob florum copiam, tum elegantem & amœnum colorem Cyaneum, luteo pallido & albo colore intermixtum, viſu pulcherrima; aliquando obſervatur florem totum album gerere, hiſce omnibus coloribus variantem hoc anno obſervavimus in Horto Botanico Academico publico; à ſemine ex Mauritania Tingitana ad nos tranſmiſſo, ab amico familiari *Roberto Spotſwood* Chirurgo & Apothecario oppidi Tingidis: floribus evaneſcentibus ſuccedunt capitula membranacea, parva, cæterorum more diviſa, in terna loculamenta.

5. *Convolvulus* Ægyptiacus, quinquefolius, I. B. Quinquefolius, C. B. P. *Ægyptiacus*, quinquefolius, flore rubro aut purpuro-cæruleo, nobis. Hic eſt viticulis tenuibus geniculatis, lævibus: ex quolibet geniculo folium exoritur longo & tenuiſſimo pediculo donatum, quod in quinque lacinias anguſtas, longiuſculas, dividitur, & quandoque una alterave bipartitur, & cuilibet pediculo duarum aut trium unciarum longo, ſunt foliola ſeu membranæ quatuor folioſæ, cingentes caulem & baſin pediculi: flores, capſulas ſeminales & ſemina, cæterorum more habet: ſcandit ut cæteri Convolvuli & caulibus & foliorum pediculis.

6. *Convolvulus* Africanus minor, Park. Hujus folia ſunt longa, non diviſa ad oppoſitionem pediculi, ſicut præcedens; cauliculos hic plurimos per terram ſtratos gerit, quibus arcte adhærent folia oblonga, in exortu acuminata & in mucronem tenuem deſinentia; quoad flores, capſulas ſeminales & ſemina ipſa, cum cæteris ſuæ tribûs aut claſſis convenit.

7. *Convolvulus* pennatus exoticus, Col. Quamoclit Camerarii, I. B. Hæc plantula primo intuitu, nullatenus Convolvuli ſpeciebus accedere videtur, propter foliorum pennatorum effigiem, quæ Myriophyllum aquaticum imitantur quoad ipſorum diſpoſitionem & diviſionem; ſed ut multoties aſſerui in Præludiis Botanicis, & paſſim infra in hac noſtra doctrina Univerſalis Hiſtoriæ Herbarum aſſeram; folia non inſerviunt ad genus conſtitudum, ſed diverſas ſpecies diverſorum generum determinandas. Hæc itaque exotica non poterit alii generi referri aut adſcribi, quam Convolvulorum claſſi; natura ſua & toto habitu florum, capſularum, & ſeminum ibidem contentorum, iiſdem eſt conformis: lacte etiam turget dilutiore: floribus eſt oblongis, tubuloſis ſeu campanulatis in fundo, quinquepartitis in margine, roſeo colore hilari, lineis ſive plicis ſtriatis, longo petialo ſingulis, vel duobus inſidentibus, alternato ſitu ex geniculis viticulorum; apicibus quinis, pallidis: fructu oblongo ex ſquammoſo calice, in apicem deſinente, cartilagineo aut membranaceo cortice obducto, ut vulgaris Convolvuli, ſed anguſtiore & longiore; ſeminibus intus oblongis, nigris, duris, acri guſtu: folia viticulis purpuraſcentibus alternatim hærent caulibus, pennata, tenui admodum diviſura, Myriophylli aquatici ritu, minora & obſcurius virentia, pluribus lobis utrinque affixis ad ter denos uſque, nunc plures, nunc pauciores, unico extremum claudente, quin & priores lobi bifurcantur propter innumeros viticulos folioſos & floridos, quos profert, arundinaceas crates adimplentes, ſeſe (aliorum Convolvulorum modo) contorquendo, maxime oculos conſpicientium recreat, quare penſilibus hortis, verſus meridiem ſitis, jucundiſſima: ſemen primo vere ſatum prima folia protrudit, quæ Aceris fructus effigie alata apparent. Auguſti fine floret, & Septembri deinde fructum perficit; ſed ob defectum coloris ineunte vere, & exeunte autumno rigido & gelido, apud nos ſeptentrionales raro in hortis ſemina ad maturitatem perducit, ac vix ac ne vix quidem prima rudimenta, quamvis ad pedalem ſæpe altitudinem aſſurgentem & altiorem obſervavimus, nec dum florentem propter rationes antedictas. In Meridionalibus Italia, Hiſpania & Mauritania Tingitana, facile & copioſe; ex quibus regionibus, ſemen ad nos delatum, cum in Gallia & hic in Horto publico ſatum, produxit plantulam ipſam, ſed propter rigorem tempeſtatis hyemalis & autumnalis, nec floret, nec ſemina fert; ſed ſingulis annis (cum ſit annua) perit, atque ſeminibus ex Meridionalibus ad nos miſſis & tranſlatis ſubinde recuperatur æſtate, ſine flore & fructu tamen.

8. *Naſturtium* Indicum, Dod. Lob. Obſ. & Icon. Lugd. Eyſt. Convolvuli hujus Heterocliti genus à regula præcedentium recedentis, quoad flores & ſemina, hic collocavimus; etiam propter ſcandendi facultatem caulibus illi conceſſam, Convolvulis proprie dictis ſubjunximus. Naſturtium ſatis apte dictum ob ſaporem, Indicum à loco natali, in quo ſponte provenit. Quum ſit herba annua & ſeptimeſtris, caulibus & foliorum pedicu-

lis

lis ſcandens, eam ad calcem Convolvulorum hic collocavimus, neſcientes quo alio referre. Eſt enim planta heteroclita Convolvuli in modum ſeſe ſepibus ex perticis conſtructis implicans. Caulis hujus eſt teres, tenuis & longus, qui in ramulos plurimos dividitur graciles, ac proinde pedamentis ac adminiculis, quibus fulciatur, indiget: folia circa ramulos rotunda, tenuia, quibus pediculus biuncialis & triuncialis ſubeſt veluti Cotyledonis folium ſuſtinens, cui figurâ admodum ſimile eſt, ſed tenuius & tenerius ac ſaturatius virens: flos eſt luteus cum amplo rictu in anteriore parte, & calcari ſatis longo donatur poſterius; cum flore Delphinii aliquatenus convenit figurâ, ſed eſt multo major & longiore petiolo dependens: floribus ſingulis flacceſcentibus, ſuccedunt terna ſemina arcte ſibi-invicem juncta, aſpera ſeu verrucoſa, quemadmodum cernere licet in Chamelæa tricocco. Naſturtium ſapore, omnino ejus folia, flos, etiamque ſemina adhuc viridia redolent. Flores inexpanſi collecti & muriæ inditi è ſale & aceto confectæ, quemadmodum Capparis flores inexpanſi, optimum acetarium hyemale conficiunt, ſcorbuticis curandis ſatis idoneum.

9. *Halicacabum* peregrinum & Cor Indicum *I. B.* Piſum veſicarium, fructu nigro, albâ macula notato, *C. B. P.* Halicacabum peregrinum veſicarium, fructu nigro, albâ maculâ notato, nobis. Hæc plantula veſicaria ad Halicacabi genus refertur à quibuſdam, ab aliis ad Piſum, ſed male, nec ad alterutrum reduci poteſt ex libro naturæ. Eſt enim planta heteroclita ſcandens beneficio capreolorum, & hoc nomine cum Piſo convenit, in eſſentialibus toto cœlo differt. Halicacabo congruit aliquatenus in veſica membranacea, ſed ſeminibus omnino eſt diſpar: ergo cum ſit Heteroclita & ſui generis, huc retulimus neſcientes quo alio referre, ſi quis melius diſpoſuerit, per me non ſtabit. Eſt cauliculis tenuibus, ſtriatis, viticuloſis, late ſe diffundentibus, qui vicina quæque adminicula apprehendunt beneficio capreolorum: folia hujus ſunt oblonga, diviſa, ſeu laciniata & per ambitum profundius inciſa: floſculi è longis pediculis virides aut herbacei: folliculi ſeu veſicæ ſunt triquetræ, flatu quaſi diſtentæ, magnitudine Halicacabi noſtratis, intercipientibus membranulis, in tres diſtinctos loculos eandem veſicam dividentibus; fructu in unoquoque loculamento, triplici, duro, arcte ſibiinvicem adhærente, cujus unicus & ſingularis Piperis eſt figurâ & magnitudine, colore maxima parte nigro, candido umbilico ſeu maculâ albâ, cordis formam & figuram exprimente, unde Piſum cordatum (inepte ſatis) dicitur cum ejus fructus nec ſaporem Piſi, nec flores papilionaceos ferat planta ipſa: radix tenuis, multis fibris capillatur; in ſapore fructus eſt amaritudo, imo ſapor eſt nauſeus, unde calidus & ſiccus judicatur.

LOCUS & TEMPUS.

1. Convolvulus *Scammoniæ foliis æmulus, nobis. Aliunde à pereginis nationibus ex ſemine, ad nos Europeos allato & ſato, provenit ſatis feliciter in hortis cultis: flores fert æſtate, atque autumno ſemina perficit.*

2. Convolvulus *minor argenteus ſeu incanus, repens, Rupellenſis, flore rubro, nobis. Paſſim ad oram maritimam circa Rupellam à nobis repertus: floret æſtate, atque ob nimium radicibus ſeſe propagandi deſiderium, raro ſemina ad maturitatem perducit: ſi quæ occurrunt ſunt pauca, ejuſdem formæ cum cæteris ſuæ ſortis.*

3. Convolvulus *minimus ſpicæ-folius, Lob. Icon. Linariæ folio,* C. B. P. *In multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis, atque etiam in Gallia Narbonenſi & Germania in colle Thermarum, urbi vulgo Baden imminente, quarto ab urbe Vienna Auſtriaca milliari provenit, teſte Cluſio: floret Maio & Junio, nonnunquam tardius in Angliæ Belgiæque hortis Julio videlicet & Auguſto floret, neque etiam utplurimum ſemen ſuum perficit.*

4. Convolvulus *peregrinus cæruleus, folio oblongo,* C. B. P. *Et Prod. Peregrinus cæruleus annuus, folio oblongo, flore peramœno, triplici colore inſignito, nobis. Hic paſſim circa Tingidem, et in tota plagâ maritimâ Mauritaniæ Tingitanæ, viget floribus eleganter Pictis, variis coloribus, ſicut obſervavit primo* Robertus Spotſwood *apothecarius oppidanus & regius, à quo ſemina hujus ſicut & aliarum rariorum plantarum, illic ſponte naſcentium, communicata habuimus, floret per totam pene æſtatem atque eâdem exeunte & ineunte autumno (cum ſit annua) ſemina feliciter & copioſe ſatis producit apud nos.*

5. Convolvulus *Ægyptiacus quinquefolius,* I. B. *Ægyptiacus quinquefolius, flore rubro, nobis. In Arabia & Ægypto aliiſque Africæ locis hic ſponte provenit: floret ſub finem æſtatis, raro ſemina apud nos ad maturitatem perducit, propter nimiam rependi facultatem illi conceſſam.*

6. Convolvulus *Africanus minor*, *Park. Paſſim in Africa ſponte provenit hæc Convolvuli minoris ſpecies: æſtate floret: verſus autumnum ſemina (ſi quæ producit) ſua perficit.*

7. Convolvulus *pennatus exoticus*, *Col. Quamoclit Camerarii*, I. B. *Exoticus*, *annuus*, *foliis Myriophylli ſeu Millefolii aquatici*, *flore ſanguineo*, *nobis. Ex America ejus ſemen ad nos delatum*, & *in hortorum pulvillis*, *ſtercore equino adhuc calente bene præparatis*, *ſatum*, *viget æſtate*; *ſed ob defectum caloris nondum apud nos floruit multo minus ſemina produxit.*

8. Naſturtium *Indicum. Hujus ſemen ex India orientali & occidentali delatum*, & *in hortis ſatum*, *cum meſſe ubere hanc Volubilem heteroclitam producit*, *quæ apud nos floret per totam*, *æſtatem atque autumno ſemina ſua terna ſimul juncta*, *rugoſa gerit*, *ex quibus ſingulis annis terræ commiſſis renovantur affatim.*

9. Halicacabum *peregrinum & Cor Indicum*, I. B. *Piſum veſicarium*, *fructu nigro*, *albâ maculâ notato*, *nobis. Hujus ſemina ad nos delata ex Seni*, *aliiſque Indiæ locis feliciter ſatis proveniunt in hortis noſtris cultis. Floret ſub finem æſtatis*, & *verſus autumni finem ſemina ſua terna rotunda*, *nigra*, *macula alba cordiformi notata*, *in veſica triplici loculamento diſtincta gerit*: *ægre apud nos poſt flores conſpicuos ſemina ejus matureſcunt*, *niſi favente tempeſtate autumnali calido.*

NOMINA.

1. Convolvulus *Scammoniæ foliis æmulus*, *nobis.*
2. Convolvulus *minor argenteus ſeu incanus*, *repens*, *Rupellenſis*, *flore rubro*, *nobis.*
3. Convolvulus *Linariæ folio*, C.B.P. *Minimus Spicæfolius Ad. Icon.* & *Obſ. Lob. Lugd. Ger. Spicæ foliis*, *Park. Volubilis terreſtris Dalechampii*, *Lugd. Cantabrica quorundam*, *Cluſ. Hiſt.*
4. Convolvulus *peregrinus*, *cæruleus*, *folio oblongo*, C.B.P. & *Prod. Peregrinus Cæruleus annuus*, *flore peramœno*, *triplici colore inſignito*, *nobis. Cæruleus minor*, *folio oblongo*, *Ger. Minor cæruleus Hiſpanicus*, *Park. Parad. Campanula exotica*, *Hort. Ferneſ. Campanula cærulea*, *Aldin.*
5. Convolvulus *Ægyptius*, I. B. *Ægyptiacus quinquefolius*, *flore rubro*, *nobis. Quinquefolius ſeu foliis laciniatis*, *tertius in Prod. Caſp. Bauh. Convolvulus Ægyptiacus Bauhini*, *Bry. Ægyptiacus quinquefolius Caſp. Bauhini*, I. B. *Mas Arabicus ſeu Ægyptiacus*, *Park.*
6. Convolvulus *Africanus minor*, *Park. Africanus minor*, *longo*, *anguſto* & *acuto folio*, *nobis.*
7. Convolvulus *exoticus pennatus*, *Col. Quamoclit Camerarii*, I. B. *Convolvulus pennatus*, *Americanus*, *Park. Quamoclit ſeu Convolvulus pennatus*, *Ger. Gelſaminum Indicum pennatum*, *flore ſanguineo*, *Ponæ Italice. Jaſminum Millefolii foliis*, C. B. P. *Convolvulus exoticus*, *annuus*, *foliis Myriophylli ſeu Millefolii aquatici*, *flore ſanguineo*, *nobis.*
8. Naſturtium *Indicum majus*, C. B. P. *Indicum*, *Dod. Lob. Eyſt. Peruvianum Myconi*, *Lugd. Indicum cum flore* & *ſemine*, *Ger. Indicum*, *Park. Parad. Naſturtium Indicum ſcandens*, *folio peltato*, *flore luteo venulis cinabericeis notato*, I. B. *Flos ſanguineus Monardi*, *Lugd.*
9. Halicacabum *peregrinum & Cor Indicum*, I. B. *Piſum veſicarium*, *fructu nigro*, *albâ maculâ notato*, C.B.P. *Piſum cordatum*, *Ad. Lob.* & *cor Indum*, *Lob. Obſ. Icon. Eyſt. Piſum cordatum veſicarium*, *Park. Halicacabum peregrinum* & *cor Indum*, I. B. *Halicacabum peregrinum*, *Dod. Fuch. Lugd. Tab. Ger. Veſicaria ſeu Halicacabum repens*, *Matth. Ex noſtrâ ſententiâ procumbens*, *cum ſit annua planta cujus cauliculi procumbunt*, *ſeu humi ſtrati ſunt*, *niſi adminiculis vicinis adjuventur*, *beneficio capreolorum. Repens* & *ſerpens intelligi debent de radice ſub terram repente*, *unde vitio vertendum authoribus judicamus*, *qui indifferenter utuntur voce repens*, *pro caulibus*; *ſcandens aut procumbens iis aptius convenit. De viribus ſatis dictum*, *ad finem explicationis Tab. primæ omnium Convolvulorum ſaltem uſitatorum*, *cæteros de quibus nil illic dictum propter analogiam* & *conformitatem in partibus tendentibus ad finem ultimum* & *perfectionem*, *iiſdem pollere viribus ſecundum magis* & *minus neutiquam dubitamus.*

HALLU-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

In Pinace, aliorumque Authorum.

PAg. 294. pl. 11. col. 1. *Scammonia Monſpeliaca, foliis rotundioribus, C.B.P. & ibidem pl. 111. col. 2. Scammoniæ Monſpeliacæ affinis, foliis acutioribus, C.B.P. Quum Scammonia ſit omnibus numeris abſolutis Convolvuli optima ſpecies, à flore campanulato, & capſulis rotundis, ternis loculamentis diſtinctis, continentibus in ſingulis bina ſemina utplurimum, niſi Cœli aut ſoli inclementia impediantur naturæ conatus, ut ſæpe in aliis multis generibus contingit, non raro, ob ſiccitatem aut ob defectum nutrimenti; hæ duæ ſpecies ſupra citatæ non conveniunt cum Convolvulo, Scammonia dicto, in eſſentialibus ſuis notis, etiamſi lacteſcant, prout omnes Convolvuli ſpecies, exceptis duabus. At hæ duæ plantæ pro Scammoniæ ſpeciebus à Caſp. Bauhino aliiſque authoribus denominatæ, flores producunt integros in fundo, in margine quinquefariam dividuntur, atque ſingulis floribus ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ longæ, lanigeræ, in medio tumidæ, quæ in ſe continent ſemina compreſſa, ruffa, pappo, aut lanæ papposæ, ſerici inſtar, involuta (quemadmodum cæteræ omnes Apocyni aut Aſclepiadis ſpecies) ergo ex libro naturæ ratiocinando, averruncandæ ſunt à Scammoniæ ſpeciebus, atque ſuis conſortibus Apocynorum aut Aſclepiadum claſſi adjungendæ. Idcirco graviter lapſi ſunt authores ipſeque Bauhinus, qui minus attente omnes (quot quot ſunt) librum naturæ evolvêre. Solus Clariſſimus Carolus Cluſius oculatus ſatis, recte ad genus ſuum proprium, has plantas reduxit, & Apocyni nomine donavit. Item Dodonæus ſecundam, Periplocam priorem fecit, quod ſi obſervaſſet Caſp. Bauhinus, atque librum naturæ diligentius inſpexiſſet, non inter Scammoniæ ſpecies, ſed Apocyni collocaſſet, cum Apocyni gerant teſſeram, & notam genericam.*

Pag. 295. col. 1. Pl. 4. *Convolvulus minor, ſemine triangulo, C.B.P. Helxine Ciſſampelos, Hiſt. Lugd. Male inſeritur hæc planta ſcandens caulibus, inter Convolvuli (ut ſupra in Prœludiis Botanicis aſſeruimus) ſic dicti ſpecies, cum Convolvulus proprie dictus ſit planta volubilis ſeu ſcandens, lacteſcens, florem gerens monopetalum ſeu integrum, calathi forma: capſulas itidem rotundas longaſve, triplici ſerie, ſemina anguloſa, nigra aut fuſca habentes, bina in unoquoque loculamento continentes, niſi (uti dictum) inclementia Cœli impediat. Hæc autem Convolvuli antedicti ſpecies, ſcandit quidem beneficio caulium, at hoc multis, ſub diverſis ſignis militantibus, plantis eſt commune, ſed nec lacteſcit, nec florem producit monopetalum, calathi modo; nec capſulas ſeminales, nec ſemina paria aut ſimilia Convolvuli ſeminibus; ergo hæc planta eſſet hinc arcenda, & ad claſſem cujus fert teſſeram notamve eſſentialem remittenda. Florem hic Convolvulus ſeu Helxine Ciſſampelos fert pentapetalum, ſemen triangulare, unicum, tribus foliolis pro capſula inſertum, ergo ad ſui generis conſortes, ſcilicet Lapathi, Acetoſæ, Biſtortæ, Polygani & Frumenti Saracenici ſeu Fegopyri ſpecies, eſt amandanda hæc Helxine. Eſt enim vera Frumenti Saracenici ſpecies ſcandens, a notis ſuis eſſentialibus, nec quicquam habet commune cum Convolvuli ſpeciebus proprie dictis, niſi quod ſcandat atque vicina quæque amplectatur, quod eſt commune multis aliis generibus diverſimodi collocandis, prout vult earum teſſera à natura data, & à fine ultimo, ex libro naturæ à nobis obſervata.*

Pag. 295. col. 1. pl. 1. *Soldanella maritima major, & ibidem pl. 11. Soldanella maritima minor, C.B.P. Quum hæ duæ plantæ lacteſcant & ſcandant, floremque capſulam, ſeminaque ipſa Convolvulorum proprie dictorum more habeant, Convolvulis adſcribi, & cum ipſis in eodem titulo diſponi debent, non autem ab ipſis ſeparari in peculiari diviſione, ut fecit Caſparus Bauhinus. Sed ſit Braſſica maritima κράμβη θαλασσία Dioſcoridis, & Soldanella Neotericorum, non impediunt hæc diverſa Synonima quin diſponatur inter conſortes Convolvulos, infallibili argumento à fine ultimo petito. Ibidem pl. 111. Soldanella Alpina, rotundifolia major, & pag. 296. pl. 4. Soldanella Alpina, folio minus rotundo, C. B. P. Soldanella Alpina minor, Cluſ. Hiſt. Hæ duæ plantulæ nil habent affine cum Soldanellæ ſpeciebus prædictis, quæ, uti dictum, Convolvuli ſunt perfectæ ſpecies, nec cum prædictis conveniunt niſi foliorum rotundorum ſimilitudine, quod multis authoribus in plantis denominandis hucuſque impoſuit. Sed cum à fine ultimo ſint plantæ ſiliquoſæ, ad finem ſiliquoſarum tetrapetalarum in Sectione tertia eſſent collocandæ & diſponendæ.*

Pag. 398. col. 11. pl. 6. *Jaſminum Millefolij folio, C. B.P. Gelſeminum Indianum pennatum, flore ſanguineo, Ponæ, Ital. Quamoclit, Cam. Cum hæc planta ſit perfecta Convolvuli ſpecies (non obſtante Myriophylli inſtar foliorum diſpoſitione) ut ſupra in ejuſdem explicatione à nobis allata apparet, male igitur à Caſparo Bauhino aliiſque authoribus Gelſeminum nominatur, atque injuſtiore titulo, à ſuæ claſſis ſimilibus Convolvulis diſjungitur, & collocatur inter Gelſemina, quibus nec floribus, nec capſulis, nec ſeminibus accedit, ut ſupra comprobavimus.*

Pag. 463. col. 11. pl. 11. *Cneorum album, folio Oleæ argenteo, molli, C.B.P. Dorycnium verum Plateau, Cluſ. Hiſt. App. 1. Male hæc Convolvuli ſpecies perfecta, ut innuimus in explicatione Tab. 3. diſjungitur à ſuæ familias cæteris, & pejus diſponitur inter frutices, cum quibus nil habet commune, præter ligneam ſubſtantiam, cum à fine ultimo, ut docuimus in explicatione ipſius, ſit Convolvulus; proinde recte à Johanne Pona Italice ſcribente, dicitur Convolvulus rectus, Creticus: inepte ſatis à cæteris omnibus denominatur Cneorum ſive Dorycnium.*

Scan-

Scandentes Pomiferæ.

SECT. I. CAP. III.

§ I. Cucurbita ſive Zuccha.

Κολόκυνθα ἐδώδιμος Dioſcoridi l. 2. c. 162. dicitur, ad differentiam κολοκυνθίδος de qua l. 4. c. 178. Meminit & Theophraſtus 1. Hiſt. 18. Latinis Cucurbita, à curvatu, quod facile, ſi quid obſtiterit, quo minus extendatur, incurveſcat.

Genera duo prima Cucurbitæ, Plinio l. 19. c. 5. camerarium, & plebeium quod humi repit: creſcit qua cogitur forma, libertate vero penſili conceſſa, jam viſa eſt novem pedum longitudinis. Semina quæ proxima collo fuerint, proceras proferunt: quæ in medio rotundas, quæ in lateribus craſſas, brevioreſque.

Calabaſſi ſeu Cucurbitæ in India ad miraculum uſque augeſcunt, quæ in hac ſolâ provincia Chile naſcuntur & Capallos nuncupant: Cucurbitarum ſpecies prope infinitæ ſunt, ſeu potius variant in infinitum, quædam immenſâ mole monſtroſæ ſunt, quæ diſſectæ, & reſiccatæ excavantur, & ex iis varia vaſa efformantur & effinguntur: ex minoribus pocula aut pateras ingenioſè cælatas concinnant. Joſephus Acoſta l. 4. c. 9. Sic Braſiliani ex Cucurbitis liquidam pultem, Mingau vocatum ſorbent, Stadius deſcriptione Braſiliæ l. 2. c. 12.

In hoc tertio capite Sectionis primæ, agemus de ſcandentibus pomiferis, quarum deducemus notam genericam & eſſentialem, omnibus & ſingulis in hoc capite tertio contentis convenientem; deinde ſingulis ſubalternis generibus notam ipſis peculiarem adaptabimus. Pomiferæ ſcandentes cauliculis donantur lentis, & viticuloſis, craſſis utplurimum, quibus aſſignantur à natura claviculæ ſeu flagella grandia & longa, intorta flagellorum vitium inſtar: folia habent vitiginea, lata, ſinuata, aſpera, imo hirſutie nonnunquam molli ſcatentia: flores integros in fundo, quinquefariam in margine diviſos habent; atque regula non variante, à fine ultimo petitâ, fructus producuntur ſatis magni, imo omnium vegetabilium maximi, in quibuſdam ſaltem, rotundi, longi: cortice lævi, ſcabro, hirſuto, teſſulato, undulato, verrucoſo tecti: verum non omnes flores frugiferi ſunt, frugiferi enim facile cognoſcuntur ex concepto rudimento fructus ſub ipſis extuberante, qui maturi cortice conſtant duro, cujuſcunque ſint formæ aut figuræ; diverſorum colorum ſunt, vel lutei, albi, virides, phænicei, atque ex albo & viridi mixti, ſive lineis, ſive maculis notati; intra corticem, cujuſcunque coloris extra, pulpa interna teneris adhuc eſt candida, maturis fungoſa, ſive ſit alba, lutea aut rubra; guſtu dulcis & amara, ſeminibus plena diverſiformibus, quæ indigitabunt utplurimum genera ſubalterna à nobis infra in medium producenda. Pauca veteres eaque obſcure ſatis, de holeraceis hiſce fructibus horariis, pomiferis ſcandentibus ſcripſere, confuſe Plinius ipſe, ac magis confuſe adhuc Neoterici Botanici egere in diſtinctionibus generum ſubalternorum. Nos igitur ut parem confuſionem evitemus, has ſcandentes pomiferas, horarios fructus ferentes, ad ſua ſubalterna genera diſtincta reducere conabimur, aſſignando unicuique generi ſubalterno ſuam notam eſſentialem, ſeu teſſeram infallibilem à natura datam, & ſingulis convenientem, natura non variante finem ultimum. Adferamus igitur certiora & magis probanda in medium, Philoſophis Botanicis gratiora & utiliora. Cucurbita habet ſemper florem album: ſemen duabus eminentiis, ſi mavis auriculis cornutum, ſive ſit album, ſive ſubfuſcum colore: omnia inſuper Cucurbitæ poma corticem ſeu cutem exteriorem duram & quaſi lignoſam gerunt, crocei utplurimum coloris matura: folia ſunt mollia, incanâ lanugine ſeu albida obducta, hiſce igitur notis allatis, facile à cæteris omnibus ſubalternis generibus ſcandentium pomiferarum dignoſcuntur Cucurbitæ.

TABULA

TABULA V.

- *Scandentes Pomiferæ*
  - *Cucurbita* — *Flore albo, folio molli*
    - 1. *Lagenaria.* ☿
    - 2. *Major ſeſſilis.* ☿
    - 3. *Oblonga.* ☿
  - *Pepo* — *Flore luteo ſeu potius aureo, folio aſpero*
    - 4. *Indicus compreſſus, maximus, Lob. Icon.* ☿
    - 5. *Compreſſus minor, C. B. P. Rotundus minor, Dod.* ☿
    - 6. *Oblongus, C. B. P. Major oblongus, Dod.* ☿
    - 7. *Minor verrucoſus, nobis. Indicus minor, clypeatus, Tab.* ☿
    - 8. *Clypeatus minor, C. B. P. Indicus minor, clypeatus, Tab.* ☿
    - 9. *Pyriformis & Pomiformis, nobis.* ☿

TABULA VI.

- 1. *Colocynthis major fructu rotundo, C. B. P. Vera, Trag.* ☿
- 2. *Anguria, Matth. Lugd.*
- *Melo*
  - 3. *Hiſpanicus, I. B.* ☿
  - 4. *Vulgaris, C. B. P. Melo, Trag. Ger.* ☿
  - 5. *Ægyptiacus Abdelavi Dictus, nobis.* ☿
- *Cucumis*
  - 6. *Sativus vulgaris, C. B. P. Dod. Ger.* ☿
  - 7. *Flexuoſus ſeu anguinus Ad. Lob. Anguinus, Lugd.* ☿
  - 8. *Aſininus, Tab. Ger. Silveſtris, Trag.* ⊙
  - 9. *Puniceus, Cord. Hiſt. Balſamina mas, Ger.* ☿

Explicatio Tabulæ quintæ, Sectionis primæ.

1. C*Ucurbita* lagenaria, flore albo, C. B. P. Lagenaria, Lob. Obſ. Ger. Lagenaria major & minor, Ad. Lob. Cucurbita caules oblongos, viticuloſos & anguloſos, in alas nonnullas diſtributos profert, qui adnatis capreolis vicina propeque aſſiſtentia adminicula apprehendentes, ſurſum ſcandunt, & in altum tolluntur: folia admodum magna, lata, & nonnihil acuminata, Bardanæ fere magnitudine ſimilia, ſed mollia, albove veluti tomento unà cum caulibus ac foliorum pediculis candicantia, inſtar Althææ: flores è foliorum ſinu exeunt magni, albidi, Calathi effigie in fundo integri, in margine autem quinque latis & longis quaſi lobis diviſi: fructus ſubſequitur non unius formæ, quandoque enim lagenarum formam exprimens, qui in ventris modum excreſcit & turgeſcit, supereminente collo minore ſurſum verſus anguſtiore; ſubinde vero ventricoſus & craſſus abſque collo, & in inferiore ſede latior, Pyri quodammodo turbinatam figuram referens: alias in longitudinem producitur. Creſcit inquit Plinius l. 19. c. 5. Cucurbita quâ cogitur forma, plerumque & intorti draconis figurâ. Libertate penſili conceſſa, viſa eſt habere fructum novem pedum longitudinis. Omnibus autem cujuſcunque formæ cortex per maturitatem durus & quaſi ligneus, flavi coloris: caro autem iis ſive pulpa interior candida recens, lutea matura; ſemina oblonga, plana, compreſſa, ſuperiore parte cornuta ſive auriculata, duabus apophyſibus eminentibus & quaſi anguloſis affecta: cortex omnium hujus generis ſubalterni eſt durus, candidus, aut ſubfuſcus: medulla ſubalbida ſimiliter ac dulcis matura. Quod cito fit, cito perit, ut vulgo dici ſolet, quod ſane dictum, ſi ulla alia de re dici poterit, certo certius de Cucurbita dicetur; nam à ſatione poſt ſemeſtre aut octomeſtre ſpatium perficitur.

2. *Cucurbita* major ſeſſilis, flore albo, folio molli, *C. B. P.* Seſſilis, Matth. Ep. Major, Dod. Omnes Cucurbitæ unâ æſtate in ſublime conſcendunt, ut faſtigia altiſſima arborum attingant, autumno autem ſi vel unam pruinam ſenſerint, dejiciuntur, foliis & palmitibus prorſus marceſcentibus: ſeſſilis hæc variat magnitudine, colore corticis viridi, flavo,

flavo-candido, atque cortex in veteratis eſt durus, quo, carne ſeu pulpa ſeminibuſque exinanitis, peregre proficiſcentes urceorum vice frequenter utuntur, in eo vinum condentes, quo per iter à ſitis injuria ſe vendicare poſſint.

3. *Cucurbita* oblonga, flore albo, folio molli, *C. B. P.* Oblonga, Fuch. Longior, Dod. Cameraria longa, Lugd. Cucurbita hæc longa, flagellis longis, ſarmentoſis, teneris, anguloſis, vitis modo ſe defundens, per humum ſeſe proſternit, niſi adminicula nacta fuerit, quæ capreolis ſuis (quos ſecus folia ſingulos producit) facile complectitur, eiſdem etiam arbores & pergulas ſcandit, ſeſeque illis implicat: folia ex intervallo profert ſingula, ſingularibus petiolis inſidentia, fere rotunda, ſerrata, niſi anteriore parte acuminati anguli eminerent, ſubcandicantia, tactu mollia, leviter hirſuta, ampla admodum, Aſari foliis haud abſimilia: flores juxta capreolos & folia ex pediculis orta, figura liliaceos, albos, integros in fundo, ſed quinquefariam ſeu in quinque quaſi lobos foliolave ſtellæ modo diviſos gerit, intus hirſutos, partim ſteriles, partim fœcundos, qui ſic facile internoſcuntur; ſteriles, breves, & hirſutiores habent in medio apices, nec qua pediculo junguntur tuber ſeu capitulum intercedit, futuri fructus ſpes: fœcundi vero in medio tria craſſiuſcula bifidaque ſtamina continent, nec ſtatim pediculo hærent; nam inter ipſos & pediculum capitulum parvum, & leviter hirſutum, extuberat, Cucurbita futura, juxta adnexum in anguſtum collum definens, quod marceſcente flore, paulatim areſcit, deinde in magnam & longam molem, quam Cucurbitam vocamus longam, auctum matureſcit: fructus hic primùm herbaceus & lanuginoſus, eſt cortice tenero, pulpâ candidâ, guſtu dulci, in maturitate flavus, cortice duro, pulpa fungoſa, ſeminibuſque plena, quæ plana ſunt & compreſſa, altera parte acuminata, & altera ſuperiore latiuſcula, duabus anguloſis eminentiis cornuta, horum cortex lignoſus & candidus eſt, aliquando in aliis fuſcus, guſtu dulcem nucleum includens. Tota planta radice nititur candidâ in multas radiculas fibroſas diſtracta.

LOCUS & TEMPUS.

Ex Orientalibus enim & calidioribus locis Aſiæ, Africæ & utriuſque Indiæ, ad nos deferuntur Cucurbitarum ſemina: ſua ſponte apud ſeptentrionales Europæos non proveniunt, ſatæ tamen in hortis cultis, aut agris ſatis feliciter in Gallia & Italia proveniunt, & perfectionem attingunt. Sed rariſſime apud ſeptentrionales ſemina perficiunt, aut ſaltem ad maturitatem perducunt, quòd apud ipſos frigidior ſit terra, hyems longior, & autumnus ſeverior quam quod in illis locis fructum proferre poſſint: floret Auguſto, nec ante fere autumnnum exactum maturus eſt fructus; ſi forte per tempeſtatem calidiorem licet in Meridionalibus citius ſeritur, & conſequenter citius maturatur & colligitur Cucurbita.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Omnes Cucurbitarum diverſiformium fructus frigidæ & aqueæ ſunt naturæ, ut recte dixit Plinius Cucurbitam nihil aliud eſſe, quam aquam congelatam; Cucurbitæ ad ardentes febres utrinque (id eſt intra & extra) mirifice faciunt. Aqua ex immaturis Cucurbitis diſtillata ardori capitis, quem ſiriaſin vocant, præcipue infantium efficaciſſimè magno experimento in linteolis ponitur, aut defectu aquæ diſtillatæ, ſuccus pari ratione uſurpatur. Succus etiam Cucurbitæ immaturæ, ejuſve aqua ſtillatitia, non tantum aurium dolori inſtillatu auxiliatur, ſed & oculorum & omnium membrorum inflammationes & Podagras refrigerat. Cucurbitæ ſemen urinæ acrimoniam contemperat, & eandem mediocriter provocat. Succus cum aqua roſacea, aut per ſe auribus inſtillatus, earum dolori auxiliatur. Folia recentia mammis puerperarum admota lac ſiccant. Oleum quod è Cucurbitarum floribus paratur, iiſdem diutius in oleo inſolatis, renum calorem (exterius unctis partibus contra renes ſitis) extinguit. Capitis dolores præſertim in febribus mulcet. Aridæ cineres ambuſta & pudendorum ulcera ſanant. Eſtur paſſim æſtate in cibis aut juſculis elixa Cucurbita, tum quoque in oleo aut butyro frixa ejus pulpa, farinâ prius circumlita & uvarum acerbarum ſucco aſperſa.

NOMINA

NOMINA.

Cucurbita Κολόκυνθα ἐδώδιμος *dicitur, Cucurbita edulis & ſativa. Quidam (teſte Marcello) inter longas & rotundas eam ſtatuunt differentiam, ut has* Κολοκύνθας, *illas* σικύας *vocatas velint. Itali Zuccas & Zucchas vocant.*

1. Cucurbita *Lagenaria fl. albo, folio molli*, C.B.P. *Lagenaria major, Park. Prior, Dod. Lagenaria Lob. Ger. Lagenaria, major, & minor, Tab. Cucurbita cameraria ſeu Lagenaria, Hiſt. Lug. Cucurbita Lagenaria*, I.B. *Cameraria minor, Lugd. Hiſt. Cameraria dicitur quod curvitate ſua cameras, teſtudines, tecta, & pergulas ſcandat & operiat.*
2. Cucurbita *major ſeſſilis, flore albo*, C. B. P. *Seſſilis, Matth. Ep. Latior, Dod. Lagenaria major, Park. Lagenaria major, Ger. Cucurbita latior fl. albo, folio molli*, I. B. *Zuccha rotunda, Anguil. Cameraria major, Lugd. Hiſt. Dod. Gall.*
3. Cucurbita *oblonga, flore albo, folio molli*, C. B. P. *Oblonga, Fuch. Longa, Park. Tab. Cam. Hiſt. Lugd. Longior, Dod. Auguina, Ger. Zuccha longa, Anguil. Cameraria oblonga, Lugd. Hiſt.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

Ex nota generica & eſſentiali Cucurbitæ ſuprà à nobis aſſignata, & ex libro naturæ deprompta, Cucurbitæ omnes ſpecies florem producunt amplum, album, non luteum; atque ſemina longa, fuſca aut alba, duabus auriculis in ſuperiore parte ſeminis prædita habent: ergo Cucurbita major, rotunda, flore luteo, folio aſpero, C.B.P. Indica, Cam. Ep. Cum florem gerat luteum, & ſemina Romboïdea (hoc eſt Symbolum Peponum, ferre florem luteum & habere ſemina oblonga utrinque tumida, Romboïdea, & foliis veſtiri aſperis,) male hic collocatur à Caſparo Bauhino, inter Cucurbitas, cum ut patet ex dictis, debeat diſponi inter Pepones ſeu Citrullos, quorum fert teſſeram ſeu notam genericam, florem ſcilicet luteum & ſemina Romboïdea, ſeu Rombi figura utrinque tumida.

§. 2. PEPO.

Πέπων *Dioſcoridi lib. 2. c. 164. Theophraſtus* 1. *Hiſt.* 22. *& Plinius l.* 20. *c.* 2. *de Peponibus, quæ Dioſcorides refert; qui l.* 19. *c.* 5. *ſcribit Cucumeres cum magnitudine exceſſerunt, Pepones vocari. Peponem dictum volunt,* ἀπὸ τοῦ πεπαίνεσθαι *matureſcere, eo quod maturitate flaveſcant.*

Nota generica indigitans Pepones ab aliis fructibus pomiferis horariis, eſt quod Pepo florem producat aureum luteumve; ſemina romboïdea; & folia aſpera. Semina aſſculpta ſingulis ſpeciebus uniuſcujuſque generis præcipuam indigitabunt differentiam genericam.

4. *Pepo* Indicus compreſſus maximus, Lob. Icon. Rotundus major, Dod. Major hic Pepo rotundus craſſos, aſperos, ſpiniſque nonnullis obſitos caules promit prælongos, qui claviculis ſive capreolis ſuis vicina comprehendentes, perticas, frutices & ſepimenta conſcendunt, quæ niſi juxta poſita fuerint humi procumbunt: folia ampla ſunt, valde aſpera, aliquot profundis inciſuris diviſa, marginibus hirſutis: flores admodum magni ſunt, calathi formâ, auri colore, lutei per oram, quinque prominentibus angulis denticulati: fructus magni, craſſi, rotundi, aliquando oblongi, craſſioribus rigis veluti anguloſi & ſulcis depreſſi, quorum pulpa cortici ſubjacens candida, mediocriterque dura eſt. Interior medulla fungoſa: ſemen album, latum, planum, in medio tumidum, Romboïdeum ſeu Rombi piſcis figura, cæterorum deducendorum Peponum ſeminibus ſimile. Cucumerum ſemine multo majus, quin & in margine habet fimbriam exterius planam, interius criſpam, cingentem ipſum ſemen. Conſule Tabulam 5. & obſervabis ſemina Peponibus ſingulis aſſculpta: color corticis quandoque obſcurè virens, alias albidus, nunc luteus; virentis autem Peponis cortex durior eſt, ac veluti lignoſus, albidi autem mollior ac tenerior.

5. *Pepo* compreſſus minor, *C. B. P.* Rotundus minor, Dod. Pepo hic minor rotundus in omnibus accedit priori, niſi quod folia habeat profundius ſciſſa fiſſave: caules etiam

gerit teneriores, fructumque minorem & conſequenter ſemina pariter minora, ejuſdem coloris albidi, ejuſdemque figuræ cum præcedentis majoris ſeminibus.

6. *Pepo* oblongus, *C. B. P.* Major oblongus, Dod. Pepo hic oblongus à præcedentibus duobus ſupra explicatis duplici nomine diſtinguitur, primo à foliorum ſinubus ſeu inciſuris aut diviſuris profundiùs factis; deinde à magnitudine, præcipue longitudine fructus; in cæteris omnibus cum prædictis convenit: ſcandit ſcilicet capreolis; florem habet luteum integrum in fundo, quinquefariam in margine ſeu limbo diviſum: ſemina plana, alba, tumida, cortice cum fimbria criſpa ipſa tegente. Septimo die exeunt omnes poſt ſationem cum Pepones tum Melones, Cucumeres, Cucurbitæ, ſicut & Anguria ſuccum aquoſum refrigerantem ſuffundens, refert ad proventum celeriorem recentior ſeminum ætas. Magnam Peponum, Melonum, Cucurbitarumque varietatem diverſitatemque à ſeminis natura dependere teſtatur Columella. Tanta porro eſt naturæ cognatio inter Melones, Pepones ſeu Melopepones, Cucurbitas, Cucumeres, ut ſæpe proprietates & nomina Græci Latinique confuderint. Invenies enim Melones, etiam Pepones, alios oblongos, alios rotundos, à colore nonnullos luteos, alios virides, atque utplurimum hi omnes foris ſunt in cortice ſtriati aut ſulcati; intùs vero ſuccoſi, fungoſi, ſeminibus in utero liberatim digeſtis referti: odore ſuaviſſimi, aſpectu jucundiſſimi, ſapore vero ſatis dulces, ſemina alba, fuſca, ſpadicea id eſt ruffoatra: carnem obtinent intimam (in qua latent ſemina) aquoſam. Raro autem Melonum internam ſubſtantiam ſeu pulpam aquoſam comedimus, ſed unà cum ſeminibus auferimus. Peponum multæ ſunt ſpecies, atque multo plures varietates, quæ figura, colore, & ſapore diſtinguuntur. Eſt enim ventricoſus Pepo, qui à pediculo ad umbilicum uſque ſtriatus & canalatus eſt: alius eſt femina vocatus, qui minus eſt ſtriatus: quidam totum corticem textura quadam, reticulato miro naturæ artificio, conſperſum habent. Aliquorum fructus grandis eſt humani capitis magnitudine, aliquando etiam major, nonnullorum longe minor. Sunt qui herbaceo ſunt colore, alii flavo, alii pallido, nonnulli cinereo: interior quoque pulpa varia, in quibuſdam enim rubet, in aliis albicat, in nonnullis ex albo ruffeſcit, in quibuſdam dulcis & guſtui ſuaviſſima: in aliis inſuavis & inſipida.

7. *Pepo* minor verrucoſus, nobis. Cucurbita verrucoſa, Lugd. Ab aliis radice, foliis, flore, capreoliſque non differt, ſolo cortice elatis & eminentibus (verrucarum aut achrochordonum modo) nodis pluribus tuberoſis prædito, à cæteris in hac Tabula diſpoſitis diſtinguitur.

8. *Pepo* clypeatus minor, *C. B. P.* Indicus minor clypeatus, Tab. Hujus fructus flavus eſt circa petiolum, ſuperficiem in exteriore fructus parte viridem, aſperam anguloſamque gerit, quæ corticem mollem habet, raris ſulcis exaratum, extremam circumferentiam, multis quaſi lobis aut extuberantiis mollioribus atque rotundioribus ſubinvicem ſuccedentibus, exornatam obtinet, ſupremam partem dimidiæ ſphæræ depreſſæ tamen undique, & minus convexæ ſimilem exhibet, inque medio ſui foveam aliquam decidui floris latiorem aſperioremque ſedem ſpectandam offert: cortex corrugatur ſucceſſu temporis: caro firma, lutea: ſemina parva, circinata fere & inæqualia: fructu eſt compreſſo, lato & rotundo, tecto cute lævi & tenui, rugato, in margine clypeum exprimente, unde ei nomen clypeatus aut clypeiformis: ſemine conſtat albo majore, romboïdeo, Anguriæ ſeminis inſtar ſine limbo.

9. *Pepo* pyriformis & pomiformis, à figura fructus Pyri aut Pomi æmuli, facile decernuntur primo intuitu; cortice conſtant duro, lævi, lineis ſtriatis ex albo & viridi maculatis affecto: ſemina habent ſatis ampla pro exiguitate fructus, limbo etiam donata, quod innuit eos eſſe ex Peponum genere.

LOCUS & TEMPUS.

Omnes hæ Peponum ſpecies, plurimæque aliæ, & varietates quoad fructum innumeræ proveniunt in oris maritimis ſabuloſis maris Mediterranei, & prope oſtia ejuſdem maris, in ſabuloſis calidis, veluti verſus Sanctam Crucem, etiam in Africa ſponte, & in Barbarorum finibus. Apud nos ſeptentrionales, hortenſes ſunt, & ſerotini; niſi æſtas calida & ſicca fuerit, vix ad perfectionem perveniunt eorum ſemina. Florent ineunte æſtate, citiùs ſi cito ſerantur in pulvinis bene ſtercoratis.

TEMPE-

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Omnes Pepones ſunt naturâ frigidi, cum copioſâ humiditate; habent autem vim quandam abſtergentem, cujus beneficio urinam ciunt, & deorſum expeditius quam Cucurbitæ permeant, ut Galenus ſcriptum reliquit. Editur Peponum caro haudquaquam cruda, ſed cocta; deſcendit autem omnino faciliter, alvum facilem & quodammodo lubricam reddens. Alimentum autem confert exiguum, tenue, humidum frigidumque (vitioſum inquit Galenus) idque potiſſimum cum probe concocta non fuerit pulpa, quo caſu Choleræ morbo obnoxios efficere ſolet; ſemen magis quam caro extergit, urinas promovet, renibus & calculo infeſtatis utile eſt: de dulcibus aut aliter inſipidis loquimur hoc in loco, nam Pepo amarus idem eſt ac Colocynthis, de qua ejuſque viribus infra dicemus.

NOMINA.

4. Pepo *compreſſus major*, C. B. P. *Pepo Indicus compreſſus maximus*, *Lob. Icon. Pepo rotundus major*, *Dod.*
5. Pepo *compreſſus minor*, C. B. P. *Pepo rotundus minor*, *Dod. Indicus minor rotundus*, *Ger.*
6. Pepo *oblongus*, C. B. P. *Major oblongus*, *Dod. Lob. Maximus oblongus*, *Tab. Ger. Pepo ſeu Cucumis oblongus ſeu ovalis vulgatiſſimus*, *Ad. Lob. Maximus oblongus*, *Ger.*
7. Pepo *ſeu Melopepo verrucoſus*, *nobis. Cucurbita verrucoſa*, *Park. Hiſt. Lugd. Ger.*
8. Pepo *ſeu Melopepo clypeiformis*, C. B. P. *Elatior clypeiformis*, *Lob. Icon. Cucurbita laciniata*, *Dal*[pii] *Hiſt. Lugd. Melopepo clypeatus*, *Tab. Maximus clypeatus*, *Ger. Pepo latus*, *Dod. Cucurbita clypeiformis ſeu Siciliana*, *Melopepo latus quibuſdam vocata*, I. B.
9. Pepo *pomiformis*, *nobis. Rotundus Aurantii formâ*, C. B. P. *Cucurbita Aurantii formâ*, *Eyſt. Indica rotunda*, *Park.*
10. Pepo *pyriformis*, *nobis. Cucurbita Indica ovalis*, *ſeu pyriformis*, *Park.*

§. 3. COLOCYNTHIS.

Κολόκυνθις *aut* Κολόκυνθα ἀγρία *aut* σικύα πικρὰ Κολόκυνθα Ἀλεξανδρεινὴ *Dioſcoridi l. 4. c. 178. Cucurbita ſilveſtris Colocynthis dicta, quæ minor Sativa Plinio, l. 20. c. 3.*

Genera varia habentur: alia minor fungoſa & levis, quæ officinarum eſt; alia major oblonga & flava, alia candida, alia rotunda varia; alia ſeſſilis, nigra maculata, magna inſtar Cucurbitæ: & alia ab hac differens etiam ſeſſilis, ſed minor, alia denique turbinata.

Explicatio Tabulæ ſextæ, Sectionis primæ.

1. *Colocynthis* major fructu rotundo, *C. B. P.* Vera, Trag. Folia profert nigricantia, aſpera, laciniata: caules itidem rotundi, aſperi, humi repunt ſicut Bryonia, neque unquam ſublimia affectant loca, ſed humili & dejecto ſtatu ſemper contenti. Plures obtinet claviculas, quibus vicinis ſeſe alligat fruticibus, baculis ſepibuſve ex perticis factis: flores habet, quorum alii nullum, alii fructum ferunt. Qui nullum producunt fructum, nullum rudimentum fructus procreant, ſed protinus evaneſcunt; qui tumidi conceptui innituntur, fructum poſt ſe relinquunt, cujus pulpa eſt admodum amara & eo nomine à Meſue, quia reliquas omnes plantas amarore ſuperat, dicitur fel terræ, eſtque diverſiformis fructus, Pomi aut Pyri figuram æmulans &c. Amaritudine pulpæ à cæteris Peponibus diſtinguitur; cæteri ſunt aut dulces, aut inſipidi: ſola Colocynthis eſt pomifera ſcandens amara, ex genere Peponum à ſemine conformi cum Peponum ſeminibus. Ideo nos concludimus eſſe Peponem amarum.

LOCUS & TEMPUS.

Provenit in peregrinis regionibus meridionalibus ſponte, in hortis ægre apud nos ſeptentrionales colitur. Ex Ægypto, Alexandria, delata hujus ſemina feruntur, ſed plantæ vix ad maturitatem perducuntur apud nos, quia ſolum noſtrum frigidius eſt quam quod in eo fructum perficere poſſit Colocynthis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Colocynthis *calida & ſicca eſt, vim purgativam obtinet, medico tantum utilis, non coquo, niſi illi qui artem Eliſæ Prophetæ, qui filiis prophetarum Colocynthides dulces reddebat, calleret,* 4. *Regum* 4. *Cum ſit mochlicum medicamentum, nullis ſanioris mentis medicis, ſed ſolis Judæis & Agyrtis in uſu eſt, qui illam vino maceratam & decoctam iis quos purgatos volunt exhibere ſolent. Hieræ Picræ Colocynthis adhibetur, ſed nimiâ violentia aut vehementia purgat. Colore eſt flavo: hujus medulla ſeu pulpa arida utuntur officinæ: cortex variat colore, primò viridem oſtendit colorem, poſtea maculis candicantibus conſpergitur, poſtremo totus in luteo pallet, fitque durus & quaſi lignoſus. Ut retundatur ejus ferox purgandi natura, ne inteſtina corrodat, admiſcetur Maſtache & Gummi Tragacanthæ monente Meſue. Cum Colocynthis ſua natura amara ſit, ita quoque temperamento calida & ſicca eſt, in ſecundo quidem ordine intenſo; expurgandi quoque non minorem vim obtinet, quam ſilveſtris Cucumis Dodonæi. Vinum præterea calici (exemptâ cum ſemine medulla) infuſum, ſi tantiſper in eo hæſerit, donec amaritudinem contraxerit, per alvum purgat, ac petuitoſos bilioſoſque educit humores. In ſumma, hujus ſuccus idem quod Cucumeris agreſtis præſtat; reſiccatus vero Elaterii loco ſuccedere poteſt. Opportet colligere Calocynthidas ſub finem anni, quando ſunt maturæ & quando color earum incipit fieri citrinus, nec collegatur ea quæ eſt viridis, vel dum habet aliquid viriditatis, quoniam modicum ex ipſa occidit, ſed colligitur poſtquam citronatur pomum ejus, tunc eſt perfecte maturum, hoc eſt menſe Septembri, aliquando tardius. Manifeſtum eſt quod Colocynthis, quæ oritur in rupibus & locis altis, eſt fortioris operationis, quam illa quæ eſt propinqua aquis.*

NOMINA.

1. Colocynthis *major fructu rotundo*, C. B. P. *Colocynthis, Matth. Ad. Lob. Lugd. Hiſt. Cam. Ger. Colocynthis pomiformis & pyriformis, Park. Cucurbita ſilveſtris, Dod. Pepo amarus (à ſemine & pulpa) ſeu Colocynthis nobis dicitur.*

§. 4. ANGURIA.

A*Nguriæ voce primum Ætium uſum eſſe volunt: alias Citrullus aut Citrulus à citreo colore dicitur. Peponem Dioſcoridis, Galeni & Plinii & Arabum Battecha eſſe volunt.*

Anguria, à cæteris pomiferis ſcandentibus horariis, hiſce notis cognoſcitur, quod ſemen producat oblongum, planum, nigrum, rubrum aut fulvum; modo album reperitur, majus & compreſſius ſeminibus Melonum, Cucumerum, Peponumque.

2. Anguria, Matth. Lugd, Dod. ut. Anguria ſarmentoſis, viticuloſis, aſperis ac humi procumbentibus caulibus, tum etiam claviculis, ſuprà dictos Pepones ſeu Citrullos refert: folia autem majora ſunt & profundis utrinque laciniis diviſa vel diſſecta: flos aurei coloris: fructus globoſi ſtriati, colore ſuperius virentes, inferius qua humi jacent inalbicantes, quorum exterior cutis lævis, interior caro mediocriter dura, Peponum quam Melonum ſimilior; medulla fungoſa, in qua ſemen, ſupra nominatum latet, cujus exterior cortex eſt durus. Non facile hujus fructus computreſcunt (veluti vulgaris Melonis aut Cucumeris, qui decerpti facile corrumpuntur) ſed diutius aſſervari queunt, præſertim tritici acervis impoſiti, referente Matthiolo.

LOCUS & TEMPUS.

Anguria *in calidis regionibus ſponte, ut Apulia, Calabria, Sicilia, ac ſimilibus meridionalibus locis calidis: apud ſeptentrionales ſeritur & provenit, ſed non matureſcit: floret Auguſto: ſemen perficit autumno, in Italia, Hiſpania, & calidis aliis regionibus.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Anguriæ *caro quæ cortici ſubeſt, cruda, ſed frequentius coɛta comeditur; alimentum confert exiguum idque frigidum ac humidum, ſanguinemque generat aquoſum, qui internarum partium inflammationes mitigat & bilis acrimoniam & fervorem contemperat: cruda in ore commanſa linguæ ardorem & aſperitatem lenit, & ſitim ſedat, multo magis aqua ejus hauſta, qua Itali per fervorem caloris æſtivalis frequenter Romæ utuntur: ſemen viribus & facultatibus Cucumerum ſimile eſt.*

NOMINA.

Anguria *Citrullus dicta*, C.B.P. *Anguria, Matth. Lugd. Anguria ſilveſtris, Cam. Anguria, Citrullus, Dod. ut. Fuch. Citrullus officinarum, Ad. Lob. Ger. Citrullus, Anguria*, I.B. *Italis Citrullus ſeu Citrullo, & Melo aqueus Gallis dicitur.*

§ 5. MELO.

Cucumerum genera cenſentur Pepones & Melopepones, potiſſimum figurâ & quantitate differentes: majores enim oblongi, Pepones; Mali effigiem referentes, Melopepones (nomine ex Melone & Pepone compoſito) dicuntur. Hoc genus Paladius Melones quos Μελῶνας *id eſt Pomeos, â Malorum figura appellavit, quod nomen adhuc in uſu eſt. Sicque tria genera Cucumerum ſtatui poſſunt, Cucumer, Melo & Pepo. At Melon Theophraſti Sycion; Plinio Cucumis Mali cotonei effigie; Melopepo Galeni, forte Cucumis antiquorum.*

Melo ab antedictis omnibus pomiferis ſcandentibus horariis fructibus, ſemine cognoſcitur minore & compreſſiore ſive aureo ſive albo; à Cucumere, formâ & cortice ipſius fructus.

3. *Melo* Hiſpanicus, *I.B.* Melo hic omnium eſt maximus, quaſi Citrullis ſive Peponibus majoribus magnitudine valde accedens; fructum producit pedem & ſeſquipedem longum, & ſatis craſſum, cujus cortex eſt ornatus ſulcis & rigis, ſeu eminentiis & depreſſionibus eundem longitudinaliter à pediculo ad umbilicum cingentibus; quoad cæteras partes, caules, folia, capreolos & flores cum reliquis ſuæ ſortis convenit.

4. *Melo* vulgaris, *C.B.P.* Melo, Trag. Ger. Melo à recentioribus nuncupatus, eſt cauliculis humi procumbentibus, longis, ſarmentoſis, & aſperis, vulgaris Cucumeris modo: folia ſatis reſpondent etiam Cucumeris foliis, minora tamen, rotundiora minuſque anguloſa: floſculi ſimiliter lutei ut Cucumeris ſativi: fructus craſſiores, initio nonnihil piloſi, ſulcis & rigis etiam affecti, qui modo contractiorem rotundam figuram, (ut in hoc) modo oblongam obtinet; ſubinde vero majores, quandoque minores reperiuntur: cortex omnium Melonum cujuſcunque magnitudinis aut figuræ (mire enim natura in Melonum fructibus condendis ludit) vel viret, vel ex luteo viridis eſt; planus, canalatus, ſulcatus, teſſulatus aut reticulatus &c. Pulpa ſubdita cortici, ſive caro ipſa quæ editur, ex luteo langueſcit: medulla interior lutea vel aurea potius, humida, muſcilaginoſa, defluens, in qua ſemen veluti Cucumeris continetur, luteum utplurimum, aliquando in peregrinis album. Multiplex eſt differentia in fructu, non tantum colore cutis, carnis ſapore & odore, verum etiam forma, rotunda, ſeſſili, oblonga &c.

LOCUS

LOCUS & TEMPUS.

Melones *cujuſcunque formæ aut figuræ, coloris, ſaporis, aut odoris, ſeruntur in Europæ partibus meridionalibus, videlicet in terra ſatis pingui bene ſtercoratâ, & ſole illuſtratâ: ſin ſecus, ægre perfectionem attingunt apud ſeptentrionales, propter defectum caloris. Sponte proveniunt in Aſiæ, Africæ, locis valde calidis, etiam in Indiæ utriuſque plurimis locis. Florent omnes æſtate, & fructus ſub finem ejuſdem maturantur. Melones in valle Peruviana tanta felicitate proveniunt, ut radix caudicis craſſitudinem aſſequatur, & viva aliquot annis in ſolo illic vigeat, quæ quotannis Melones profert, cujus luxuries non ſecus ac cæterarum arborum amputatur, Joſeph. Acoſta. l. 4. c. 19.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Caro Melonum ut teſtatur Ætius, ſi in ventriculo diutius hæreat, corrumpitur, & malignis febribus occaſionem præbet. Non vero Melonum caro frigida & humida eſt, ut vult Dodonæus, nec difficilius coquitur quam reliquorum Cucumerariorum fructuum caro: ipſa enim Melonum caro mollior, odorata, concoctionem faciliorem demonſtrat. Melones ſemper ſine manifeſta noxâ, ſi ſufficienter à ſole ſint cocti, & pene maturi edantur, atque ne Melonum caro per concoctionem in ventriculo vitietur ac corrumpatur, noxamve aliquam inferat, ſolent ubique terrarum gentes, in meridionalibus præſertim, eos cum Pipere & ſaccharo comedere vinumque generoſum (præcipue ditiores) ſuperbibere; etiam cum pane & pauco ſale eſitantur. Seminis Peponum & Melopeponum cremor febricitantibus utiliter ex hordeacea Ptiſana (teſte Matthiolo) propinatur, non ſolum refrigerat ſitimque extinguit, ſed obſtructiones tum hepatis, tum vaſorum expedit, & urinam provocat: datur tuſſientibus, tabidis & maraſmo affectis: atque etiam contra urinæ ardores valde prodeſt. Sed & magis confert, ſi ſeminum Papaveris cremor accedat, baccarumque Halicacabi, & Malvæ Althææve decoctum fiat, Melonibus, Melopeponibus in particulas ſectis, Ari, Bryoniæ radicibus & Limonum ſucco, ac caprino lacte, quod hæc omnia ſuperet, ſi aqua vitreis vaſis ſeu organis ut vocant diſtillatur, qua faciem mulieres adornant, & concinnam reddunt Medici coſmetici. Nomina ſatis evidenter ſupra apparent.

5. *Melo* Ægyptius C. B. P. Melones quos Abdelavi Ægyptii vocant, à noſtratibus plane ſunt diverſi, atque differunt ab iis quos Chajar nominant, quorum uſus in cibo non multum jucundus percipitur, cæteriſque omnibus inſipidiore ac molliore pulpa obſervantur. Habent tamen ſemina quæ aliis omnibus longe magis refrigerant. Qua de re omnes ea plus aliis in uſu frequentiore habent, aliorum Melonum ſemina parvi facientes. Planta hæc Abdelavi à noſtratibus multum differt, nam fructum fert oblongum, acutum in extremis, medium valde craſſum & tumidum habet, Bohobab fructui figurâ proximum. Habent etiam Angurias à noſtratibus magnitudine quoad aſpectum differentes; noſtris quidem majores, cortice flaviore, quæ intus ſemina tantum, & aquam dulciſſimam continent, quam ad ſitim arcendam, caloremque multum in ſtomacho, vel hepate, vel renibus corrigendum largius epotant. Ad febres non minus ardentes & tertianas illiuſce aquæ uſus ſummopere laudatur, atque ab illis frequenter uſurpatur. Sunt qui diſtillatione aquam tenuiorem ad ſiticuloſos, ſtomachos bilioſos, ad jecur reneſque calidos & calculis vexatos ſublevandos eliciunt, quam certe multæ utilitatis eſſe experiuntur. Turcæ, Ægyptii Arabeſque per æſtatis ſummos calores harum Auguriarum aquam frequenter bibunt, eique aliqui aquæ roſaceæ, Moſchi atque Ambræ paululum miſcent. His advenas honorare Ægyptiis eſt conſuetudo, eas ſcilicet edendas offerentes, haſque per annum in palea incorruptas conſervant & aliquando cariore pretio ægrotis venduntur.

§. 6. CUCUMIS.

Etſi Σίκυος nomen apud Græcos (quemadmodum Cucumeris apud Latinos) generale eſt omnium pomiferorum ſcandentium horariorum fructuum, videlicet Melonum, Peponum, Cucumerum, Auguriarum & cæterorum ejuſdem generis, ut Guilandinus quoque notavit. Attamen

men σίκυς ἥμερος *Dioſcoridis lib.* 2. *c.* 163. *Theophraſti* 1. *Hiſt.* 18. *aliis* σικύον *&* κικύον. *Cucumer Plinio l.* 19. *c.* 5. *Cucumis Varroni à curvore quaſi Curvimer dicitur.*

Genera duo Theophraſto & Dioſcoridi, ſativus & ſilveſtris: ſativi, inquit Theophraſtus, partim genera eſſe exiſtimant, ut & Cucurbitæ, partim negant: ſed in uno eodemque genere, alios meliores, alios deteriores affirmant. Cucumeris tria genera notant, Laconicum, Scytalicum & Bœticum. Plinius l. c. de Cucumere agens, Melones, Cucumeres & Angurias complectitur; admonens, eâ formâ qua cogantur, creſcere, ſic flore in fiſtulam demiſſo mira longitudine naſci; ſubjungens, Græcos tria genera Cucumerum feciſſe Laconicum, Scytalicum, & Bœticum: ſic de ſilveſtri l. 2. *c.* 1. *& de anguino ſive erratico l.* 20. *c.* 2. *egit.*

Cucumis inter pomiferas ſcandentes horariaſque herbas dignoſcitur à floribus multo minoribus Peponum & Cucurbitarum, deinde à fructu craſſo, medio ventrioſa ſuperficie eminente, & crebris ſpinoſis bullis quadentenus Opuntiæ ſeu Ficus Indicæ æmulis, ſeu tuberculis exaſperatis aut pilis hirſutis ornato.

6. *Cucumis* ſativus vulgaris, C.B.P. Dod. Ger. Longis, ſarmentoſis, ramoſis & aſperis caulibus, per terram ſtratis, Cucumis hic ſativus reptat: circa quos folia anguloſa, ampla, aſpera, ambitu ſerrata ſeu potius ſinuata; ſubinde claviculæ quædam ex ſinibus pediculorum oriuntur, atque ex ſinibus prædictis floſculi erumpunt dilute lutei, integri in fundo, & quinquefariam in margine diviſi, aliarum ſuæ ſortis herbarum in hiſce Tabulis duabus contentarum more, multo minores Peponum & Cucurbitarum floribus; deinde fructus quadantenus craſſi, medio ventrioſa ſuperficie eminente, & crebris ſpinoſis bullis Opuntiæ aut Ficus Indicæ dictæ æmuli, ſeu tuberculis exaſperatis ſcatentes, ſemipedem longi, primo virides, per maturitatem lutei, in quorum ſingulis tranſparens ſolidior medulla ſeu pulpa eſt, quæ recens comeditur, antequam ad integram maturitatem pervenerit; ſemina oblonga, plana quadantenus, in medio tumida ſive convexa candicant, quemadmodum Melonum ſemina (utplurimum) flaveſcunt.

LOCUS & TEMPUS.

Seritur Cucumis vulgaris in hortis, pinguia & aprica amat loca: Maio & Junio menſibus floret, aliquando citius, aliquando tardius ſecundum regionis clima ſoliſque calorem. Julio & Auguſto menſibus fructus edules edit: Septembri autem ad perfectam maturitatem perducuntur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Omnium Cucumerum frigida & humida ordine ſecundo eſt temperies; horum autem minùs humida quam reliquorum horariorum fructuum, atque idcirco quando eduntur, minùs cito in ventriculo corrumpuntur: ſucci etiam minùs pravi ſunt, alimentum autem conferunt corpori frigidum quidem, nec non humidum, exiguum, ac ſucci haud probi. Eligi debent virides nondum maturi, maturi ſiquidem & jam citrini facti eſui non ſunt idonei. Semen frigidum quidem ſed multo minùs quam fructus: aperiendi atque extergendi vim propterea obtinet: urinas movet, Jecinoris obſtructiones aperit, pectori atque pulmonibus inflammatione laborantibus prodeſt, contuſum & foris abſterſorii loco adhibitum, cutem ſplendidam reddit. Cucumis vulgaris, major quidem decorticatur, ac tranſverſim in orbiculos tenuiſſimos, quoad fieri poterit, diſſecatur, & paropſide duplici excipitur, agitando eouſque donec aqueus humor maximâ ex parte eliciatur deperdaturque. Sic agitati Cucumeris orbiculi, cum ſale, pipere, oleo & aceto comeduntur, inſeruntur quandoque Caryophylli orientales. Inſuper per totum annum conſervantur. Sic enim Simeon Sethi habet ἀγγούρια τὰ λεγόμενα σίκυα κατὰ κοινὴν δὲ τετράγγουρα *frigida & humida ſecundo gradu, ex hac autem appellatione Germani partim* **Angurien** *& partim* **Gurchen** *vocant, quæ ſic conditæ & ex Batavia in ſeptentrionales regiones delatæ,* **Gurkes** *&* **Gurchens** *dicuntur. Apud Batavos ipſos etiam* **Geſulte Cucumers** *nuncupantur.*

NOMINA

NOMINA.

Cucumis *ſativus vel vulgaris dicitur Caſp. Bauhino. Paſſim Cucumis ſeu Cucumer appellatur, & pro eo habetur quæ σίκυς ἥμερος, id eſt Cucumis ſativus dicitur. Sativus, Matth. Park. Sativus & eſculentus, Ad. Lob. Hiſt. Lugd. Vulgaris, Dod. Ger. Vulgaris viridis & albus*, I.B.

7. *Cucumis* flexuoſus ſeu anguinus, Ad. Lob. Anguinus, Lugd. Oblongus, Dod. Hujus Cucumeris fructus ſponte naſcuntur oblongi, ſed arte recurvi crebro reperiuntur, quos inde anguinos vocant. Primo enim fructus rudimentum in fiſtulam aut tubam impoſitum oblongum naſcitur, cavitate quidem anguſtiore impleta in longitudinem incrementum capit: quin & crebro curvatum arte, ſi tubus curvatus recipiat idem incrementum; tum fructus provenit ſerpentis ſeu anguis modo curvus, unde ei nomen anguini Cucumeris. Caulibus, Capreolis, imo floribus cum antecedente ſativo convenit, ſed foliis magis diſſectis & ipſius fructus magnitudine, præcipue curvaturâ, à ſativo diſtinguitur. Dicuntur anguini Cucumeres longiſſimi Johanni Bauhino. Nomina ſatis evidenter ſupra apparent.

CUCUMIS ASININUS.

Σίκυς ἄγριος *Dioſcoridi, l. 4. c. 154. Theophraſto 7. Hiſt. 6. & 9. Hiſt. 10. Cucumis ſilveſtris, Plinio l. 20. c. 1.*

8. *Cucumis* aſininus, Tab. Ger. Eyſt. Silveſtris, Trag. Dod. Matth. Hic Cucumis Silveſtris caulibus conſtat ſarmentoſis, humi procumbentibus & foliis ſubrotundis, mollibus tamen, incanis & aſperioribus: flores ſunt ſublutei ſeu luteopallidi, minores: fructus oblongi, glandibus calice exemptis ſimiles, majores tamen, alioqui iiſdem forma omnino ſimiles (ſativi Cucumeris fructibus tanto ſuut minores, quantum glans minor cono Pini) qui maturi ad flavedinem inferne vergentes, vel ultro vel leviſſimo contactu deſiliunt, ſeminaque ſua cum liquore actutum ejaculantes cum vi non ſine ſtrepore adſtantem attonitum reddunt: radix multiplex, craſſa, candida; tota ſtirps vehementer amara.

LOCUS & TEMPUS.

In pleriſque regionibus calidis, in ruderibus ſabuloſis aliiſque incultis locis reperitur Cucumis aſininus ſeu ſilveſtris. Apud Germanos, Belgas, Anglos, hortenſis eſt: ſemel autem ſatus pluribus inde annis renaſcitur, ſeminibus ex ſe ſparſis provenit: floret per totum Junium, & Auguſto Septembrique ſemen ſuum perficit, idque ſparſim longe lateque projicit: radix ejus craſſa, longa, in multos annos durat, atque ſingulis annis ex eâdem radice folia, caules & fructum renovat, quod nulli cæterarum pomiferarum horariarum plantarum convenit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Circa Autumnum Cucumeris aſinini maturantur fructus, atque eo tempore ad Elaterium conficiendum colligendi ſunt. Eſt enim ſuccus iſte denſatus Elaterium dictus, ex ſecundo ordine calefacientium (teſte Galeno) & ſubtilium partium; extergendi, item digerendi vim habet: folia Cucumeris ſilveſtris, radices, earumque cortices, uti vehementer amara, ita ſimiliter quoque excalefaciunt & extergunt, ſed minus tamen quam Elaterium. Expurgat autem iſtud Elaterium bilem, pituitam, aquoſoſque humores & quidem valenter, ac non modo per ventrem inferiorem, ſed & quandoque per ſuperiora. Doſis à ſemiobolo ad obolum, pro virium proportione: cit idem menſes in peſſario ſubditum: naribus cum lacte infuſum, oculorum in morbo regio colorem emendat. Paratur ex fructu hujus medicamentum mochlicum, Elaterium dictum, cujus colligendi conficiendique rationes & modos Dioſcorides pluribus verbis refert. Elaterium ἐλατήριον *Dioſcoridi l. 4. c. 155. ex Theophraſto 9. Hiſt. 10. dicitur: (agitatorium vertit Gaza, forte quia motu turbatorio corpus exagitat.) Elaterium Plinio lib. 20. c. 1. Hoc Dioſcorides ex ſucco fructus, addito extrahendi modo; Theophraſtus ex ſemine (fructum intelligens) liquato; Plinius ex ſucco & ſemine expreſſo fieri ſcribit. Hoc à bimatu ad decennium colore candido utile, Dioſcoridi. Ægineta quod anno*

anno antiquius non eſt, & quod vireſcit probat. Theophraſto omnium medicamentorum diuturniſſimum, & optimum quod vetuſtiſſimum. Plinius ex Theophraſto 9. Hiſt. 14. ducentis annis ſervatum meminit. Hoc Hippocrates uſus fuit, nunc vero ob ejus vehementiam, non facilè uſurpatur. Elaterium optimum quod leve & candidum, & igne inſtar pinguedinis accenditur, Bellon.

NOMINA.

Cucumis *aſininus ſilveſtris dictus*, C. B. P. *Agreſtis*, *Lugd. Hiſt. Silveſtris*, *Trag. Matth. Fuch. Dod. ut. Cucumer Elaterii ſilveſtris*, *Ad. Lob. Cucumer aſininus*, *Tab. Ger. Eyſt. Silveſtris ſeu aſininus*, I. B. *Erraticus vel aſininus Geſn. Hort.*

CUCUMIS PUNICEUS.

9. Cucumis puniceus, Cord. Hiſt. Balſamina mas, Ger. Park. Hic perexiguus & tenuis Cucumis cauliculis aliquot tenuibus, gracilibus & viticuloſis vicina quæque conſcendit & capreolis ſuis ex alarum ſinubus prodeuntibus eadem apprehendit: folia non magna, lata, glabra ac mollia, in quinque partes diſſecta, quarum ſingulæ ambitu circumroſæ: floſculi ex quinque petalis mediocris magnitudinis, ſed omnium horariorum fructuum minimi, ex albido in luteum aut viridi-herbaceum elangueſcunt: fructus oblongi aliquantulum in medio tumidi craſſioreſve, ovi columbini magnitudine, & fere forma, ſed minores, ſaltem longiores utrinque in mucronem obtuſum deſinentes, ſeu utrinque in conum faſtigiati, medio ventrioſa ſuperficie crebris bullis ſpinoſis Opuntiæ ſeu ficus Indicæ inſtar tumido, ac veluti tuberculis ſpinulis aculeatis innocentibus donato, ſeu fragis ſpinoſis fructûs cujuſdam Fragariæ more exaſperato, qui per maturitatem foris intuſque rubet, ſponteque finditur, in quibus ſemina lata, fimbriata, nigra, aut ſubnigricantia apparent, ubi inaruerit fructus.

LOCUS & TEMPUS.

Non niſi ſatus hic provenit in hortis, meliuſque in Hiſpania, Italia, Galliæ meridionalibus calidis regionibus proficit, quam in Germania utraque, Anglia, Belgio aliiſque Septentrionalibus locis, ubi tarde floret & nunquam fructus ſuos hic Cucumis puniceus, aliquando luteus, ad perfectionem perducit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Obtinent fructus hujus Cucumeris punicei, tum etiam folia, eximiam reſiccandi vim, cum moderatâ quadam frigiditate temperiei mediæ proximâ. Vulnera recentia conglutinare folia impoſita feruntur. Cum vino verò aſſumpta coli inteſtinorumque dolores ſopire, & ruptis convulſiſque utiliter exhiberi judicantur. Oleum in quo fructus (exempto ſemine) vel inſolatur, vel in aquæ calentis balneo decoquitur, aut in fimo equino maceratur vulnerum inflammationes arcet, idem facilè ac cito unit ac perſanat: doloribus ac ulceribus mammillarum auxiliatur: uteri exulcerationes injectum curare poſſe exiſtimatur: punctis ac vulneratis nervis utiliter adhibetur: adverſus combuſtionem ex aqua, oleove fervente, ferro ignito, vel ipſo igne, multum confert: cicatrices extenuat: ramices quoque hujus unctione ſaneſcunt, ſi foliorum pulvis aliquot diebus interea exhibeatur. Steriles quoque hujus oleo fœcundas reddi affirmatur, ſi poſt balnei convenientis uſum partes circa pubem ac uterum iſto unguantur, ac demum mulier viro miſceatur.

NOMINA.

Cucumis *Puniceus Balſamina mas dicitur, quod ex pomis ipſius maris maturis, oleo injectis, inſolatione oleum ſeu Balſamum (ut Chirurgi vocant) ad vulnera conſolidanda præſtantiſſimum conficiatur. Cucumis puniceus, Cord. Hiſt. Balſamina mas, Ger. Balſamina Pomifera, Geſn. Collec. Balſamum ſeu Pomum mirabile, Trag. Nonnullis Pomum Hieroſolimitanum. Balſamina cucumerina punicea, Ad. Lob. Tab. Momordica fructu rubeſcente, Eyſt. Charantia, Dod. Cucurbita ſomphos à Græcis appellatur, quibuſdam Italis Viticella.*

la. Balſaminæ ei nomen inditum quòd maturum pomum in oleo maceratum, ſit ad multa utile veluti opobalſamum.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

Cucumis ſilveſtris, Dod. ut. Cucumis Aſininus, Tab. ſemel ſatus pluribus inde annis facilè renaſcitur aſſerente Dodonæo, non tamen ex radice revireſcens, ſed ex ſeminibus ſparſis proveniens. Errat hoc in loco Dodonæus, eſt hæc ſola perennis planta inter Cucumerinas; nam ex eadem radice folia, caules, flores & fructum per plurimos annos producit maturum, qui ſuccum & ſemina vel ſponte vel levi contactu longe ac veluti in inſtante non ſine admiratione, & cum ſtridore projicit, atque ſeſe ex iiſdem propagat, in pluribus locis circumjectis: reſtibili radice matre, à qua reliquæ plantulæ ſicut è ſeminibus pullulant.

Pag. 306. col. 1. pl. 1. Balſamina rotundifolia mas repens, C.B.P. Vitioſe adhibetur repens & hic & alibi à Caſp. Bauhino cæteriſque authoribus, cum capreolis ſcandat; repere & ſerpere conveniunt radicibus tantum, proprie loquendo: deinde cum ſit Cucumeris perfecta ſpecies à floribus & fructu, male disjungitur à cæteris ſuæ ſortis, ſcilicet Cucumerum claſſe, pagina 110. contentorum; & collocatur pag. 306. à Caſpero Bauhino (propter uſum) cum Balſamina femina toto cælo diverſa à Cucumere; quumque Balſamina femina perſicæfolia rubra, & Balſamina lutea, ex libro naturæ militent ſub eodem genere, propter paritatem cum in figura florum, tum ſiliquarum, debent alio amandari ad finem ſiliquoſarum tetrapetalarum, etiamſi ſint plantæ ſiliquoſæ ſui generis, non vero tetrapetalæ, ut clare innoteſcet in Sectionis 3. Tab. 15. explicatione.

Scandentes Pomiferæ & Campanulatæ

Suis propriis generibus adaptandæ.

SECT. I. CAP. IV.

Ex quibuſdam libris nuperrime nobis viſis, & exactiore trutina perpenſis omnibus qui nunc ad manus ſunt, hæ variæ ſcandentes Herbæ nobis ſeſe obviam dedere, idcirco eaſdem in hoc ultimum hujus Sectionis primæ caput conjiciendas, & tanquam appendicem, prædictis Scandentibus earumque generibus ſubalternis addendas, operæpretium duximus.

TABULA VII.

Scandentes variæ addendæ

- *Cucumis*
  - 1. *Ægyptiacus reticulatus ſive Luffa Arabum, Veſling. in Alpin. de Plantis Ægypti. Pepo Ægyptius reticulatus (à ſemine rhomboideo) nobis.*
  - 2. *Luffa Arabum cum flore & fructu.*
  - 3. *Ægyptiacus rotundifolius*, C.B.P. *Chate Ægyptiis Cucumeris genus, Proſp. Alpin. de Plant. Ægypti.*
- *Convolvulus*
  - 4. *Siculus, annuus, cæruleus minimus, capſula binis ad baſin foliolis oblongis cincta, nobis.*
  - 5. *Africanus minimus, Park.*
  - 6. *Quinquefolius Ægyptiacus Veſlingij in Proſp. Alpin. de Plant. Ægyp.*
  - 7. *Maritimus major Italicus, ſinuato ſeu auriculato potius folio, nobis. Maritimus noſter Ferrant. Imperat.*
  - 8. *Ramoſus minor, nobis.*
  - 9. *Perennis heteroclitus, floribus herbaceis, capſulis foliaceis ſtrobili inſtar, nobis. Lupulus mas & femina.*
  - 10. *Idem ſeu Lupulus ſilveſtris minor, ſine fructu.*

TABULA VIII.

Scanden-tes variæ addendæ.

- *Cucurbita*
  - 1. *Fungiformis*, Ger. *Pepo Indicus minor clypeatus*, Tab.
  - 2. *Indica parva*, I. B. *Cucurbitæ parvum genus pugni magnitudine, cortice rubro, maculis aſperſo, & ſemine rubro, Johannis Bauhini*, C.B.P.
- *Pepo*
  - 3. *Minor anguloſus Tabernemontani*, I. B. *Pepo Indicus minor* 4. Tab.
  - 4. *Seu Melopepo latus clypeiformis abſque capreolis, nobis. Cucurbita clypeiformis Siciliana*, I. B. *Melopepo clypeatus*, Tab.
  - 5. *Maximus clypeatus*, Ger.
  - 6. *Minor clypeiformis Virgin. torulis & ſulcis à pediculo ad umbilicum ductis.*
- *Melo*
  - 7. *Moſchatelinus, rotundus, parvus ſeu Melo Saccharinus dictus*, I. B. *Saccharatus*, Lob. Ger.
  - 8. *Melo Moſchatus compreſſus, major ſulcatus, nobis.*
  - 9. *Melo Moſchatus oblongus, major ſulcatus, nobis.*
  - 10. *Melo Hiſpanicus Tabernemontani & Gerardi, Melo longus*, I. B.

Explicatio Tabulæ ſeptimæ Sectionis primæ.
CUCUMERES PEREGRINI.

1. *Cucumis* Ægyptius reticulatus ſive Luffa Arabum, Veſling. in Proſp. Alp. de plantis Ægypti. Addendus eſt hic peregrinus Cucumis perelegans cæteris ſuæ ſortis Cucumeribus, ſupra explicatis in fine Cap. 3. unà cum Cucumeris genere Chate Ægyptiis dicto. Hic Cucumis Luffa Arabum dictus, cibis quidem eſt inutilis, partium tamen omnium elegantia ſpectatiſſimus. Arabs in cujus horto prope Cairum urbem crevit, Luffam appellabat, Veſlingio poſtea Cucumis Ægyptius reticulatus nuncupatus. Hujus ſemina ad inclytum Botanicum & nobilem Venetum Nicolaum Contarenum à domino Veſlingio tranſmiſſa, & in ejuſdem plus quam urbanæ Floræ amœniſſimo pandochio, plantam cujus iconem hic adſcribimus expreſſam dederunt. Foliis donatur hiſpidis fuſcam viriditatem pallore hinc inde diluente, atque eadem diviſuris inæqualibus profundius laciniata ſunt, Bryoniæ aut Balſaminæ cucumerinæ potius folia æmulantur: florem edit amplum, ſpecie venuſtum, languide flavum, ſtriatum, inducto aureo pigmento largius circum oras ſaturantem. Idem ſtamina capaci ſinu plurima demittit, quibus appendices grandiuſculas flaventeſque connectit. Cæterum planta ipſa numeroſis capreolis inſtructa, quaquaverſum reptabunda, proxima quæque cincinnis ſuis longis implicat: fructum promit ſemipedalem ab anguſto collo paulatim tumente, ventre gravidatum, ſuperficie modo læviorem, modo paſſim verrucoſiorem: cortice velatur tenui, ex obſcuro virore, pro maturitatis gradu plus minuſve flaveſcente, eum vel nulli vel tenues excavant ſulci, in longitudinem tamen atris lineis eleganter inſcripti, à colli principio ad umbilicum veluti centrum ſuum commeantibus. Cum fructus bene maturus, cortice remoto, numeroſa in conſpectum veniunt albicantia filamenta ſuccoſiore medullâ ſtipata, miro adeo ordine contexta omnia, ut plane fateri neceſſum ſit, non eſſe rude & tumultuarium hoc opus; ſed quod egregius artifex excogitaverit priuſquam fecit. Id enim evidentiſſimum evadit, cum quis jam tabefacta pulpa ſimplicem implexum inſpicit. Sinum plexus hic triplicem efformat in longitudinem, in quo ſemina copioſa, candida, cortice nonnihil inæqualia, lacteſcente vero medulla Melonum æmulâ, junctim aſſervantur. Uſus hujus fructus poſſeſſori Barbaro non ſatis exploratus erat, in balneis tamen publicis, dempto cum ſemine cortice, plexum filamentorum ſucco ſuo madidum, tergendis corporibus adhiberi affirmabat, quorum cuti morphæ fætidæque vitiligines inſederunt, malum Ægypto familiare. Reticulum ipſum ſi quis triverit, Lini macerati nerveis veluti fibris præditum agnoſcet. An igitur quemadmodum Æthiopes & Indi authore Theophraſto è laniferis arborum pomis, aut Arabes (ut ſubjungit Plinius) ex Cucurbitis in arboribus genitis lanam parabant, ita hoc plexu decenter arefacto, malleo ſtupario contuſo & corticato, ſimile fieri poſſe haud facile negaverat Veſlingius ipſe.

2. Nos Cucumeris Luffa dicti Arabibus, exactiorem floris & fructus Iconem, etiam ex Veſlingio in Alpinum de Plantis Ægypti, exhibuimus in hac Tabula.

3. *Cucumis* Ægyptius rotundifolius, *C. B. P.* Chate Ægyptiis Cucumeris genus, Alpin.

de plantis Ægypti. Folia habet hic minora, albidiora & rotundiora noſtratis vulgaris Cucumeris: fructus admodum differunt à præcedentium fructibus, recentes enim ſunt virides, ventrioſi ſeu tumidi in medio (Abdelavi Melonis modo ſupra explicati inter Melones cap.3.) pilis hirtis ſcatentes, ſecundum longitudinem altioribus liris & torulis canaliculati ſeu ſulcati. Colitur in hortis Ægyptiacis ſicut Cucumis ſativus apud alias gentes: floret itidem eodem cum ſativo tempore, atque earundem eſt virium cum ſativo. Fructus hujus ab Ægyptiis Medicis febricitantibus porriguntur, qui tempore febrium æſtus ſedant, eiſdem crudos comedendos concedunt, ſed maxime peſte affectis, quibus ſumme conducere vulgo illic creduntur: ſuccum cum oleo roſaceo & lacte adhibent podagricis doloribus, ſi cauſa fuerit calida. Aquam vero ſtillatitiam ad jecoris incendia extinguenda, renes inflammatos ſedandos, atque eorundem calculos minuendos, per multos dies ægris propinant.

CONVOLVULI PEREGRINI.

4. *Convolvulus* Siculus annuus, cæruleus, minimus, capſulâ floris binis foliolis cinctâ, nobis. Siculus minor, flore parvo auriculato, Boccon. Convolvulus hic omnium minimus quoad florem cæruleum, ſub primum exortum è terra plurima protrudit folia, denſe humi ſtrata, ſubrotunda, quæ mucronata ſeu in angulum acutum definunt, atque ineunte æſtate viticuloſos profert cauliculos bipedales, quos amplectuntur ſurſum verſus folia ad baſin ſubrotunda, verſus extremum acuminata & in mucronem definentia, ac per longa intervalla alternatim longis pediculis pendentia; ex ſinubus inter caulem & folia latentibuſoriuntur floſculi, omnium Convolvulorum nobis adhuc viſorum minimi, campanulati, cærulei, longioribus pariter petiolis innixi, quorum calicis baſin cingunt bina foliola anguſta, longiuſcula, ex oppoſito adnaſcentia: floribus ſingulis minimis, cæruleis, campanulatis fatiſcentibus ſuccedunt capſulæ mambranaceæ, rotundæ, ternis loculamentis ſejunctæ, continentes bina ſemina minora, fuſca aliorum Convolvulorum more. Obſerva aliquando, ſed raro, quaterna ſemina tantum latere in capſula, ſepto membranaceo unico dirimente hinc inde bina ſemina. Hoc contingit errante naturâ, ſicut in aliis ſæpe cernere licet, propter inclementiam cœli aut ſoli. An Convolvulus Africanus minor Park. ſit eadem plane planta dubitatur, quia non habet ex Icone bina illa foliola cingentia baſin calicis. Concludimus eſſe differentes ſpecies, ſed aliis utrumque hunc Convolvulum rite examinantibus controverſiam hanc impræſentiarum diſcutiendam relinquimus.

5. *Convolvulus* Africanus minimus, Park. Hic non ſcandit, ſed aut humi cauliculi ſternuntur, aut aliquando erecti ſtant; folia ſunt minima, ſubrotunda, plurimis venis à coſta media, ſeu nervo medio ad marginem foliorum tendentibus donantur ſingula, & juxta appoſitionem ſingulorum foliorum alternatim poſitorum conſpiciuntur petioli indidem exorti, unciales, ſuſtinentes floſculos campanulatos: ſingulis floribus marceſcentibus & decidentibus ſuccedunt exiguæ capſulæ ſubrotundæ, tribus loculamentis ſeparatæ, pelliculâ membranacea trifariam eadem dividente, atque in ſingulis bina minuta, anguloſa interiùs, continentur ſemina, exteriùs rotunda, ſicut in antedictis omnibus Convolvuli ſpeciebus contingit.

6. *Convolvulus* quinquefolius Ægyptiacus, Veſling. in Proſp. Alpin. de plant. Ægypti. Convolvulus Arabicus, Proſp. Alp. Exot. Elegans hæc planta ſcandens, ornamentum eſt tapetiis Alexandrinis conſpectius in hortis Arabum, adeo ut matrem pulchram Arabes ipſi ام الحسن *om ell Heſſen* nominent. A flore, capſula ſeminali & ſemine, eſt perfecta Convolvuli ſpecies, non lacteſcit, in hoc convenit cum Convolvulo argenteo Althææ folio, C. B. P. & Convolvulo ſpicæfolio Lob. ſupra allatis. Diverſa mihi omnino videtur ſpecies à Convolvulo quinquefolio Ægyptiaco C. B. P. & I. B. à partibus diſparibus. Radice enim conſtat longa, lignoſâ, fibrata; caulis beneficio, facili reptatu adminicula omnia tranſcendit, & quocunque trahes retraheſve ſequetur. A caudice exeunt virgulæ numeroſæ & lentæ, ſive umbraculum mediteris, hortenſemve ſcenam, ſive conchyliatis omnibus & belluatis vetuſtiora parietum peripetaſmata cogites, prompto flexu ductoris arbitrium admittunt: folia longiuſcule producta petiolis inſiſtunt læto virore ſtrata; ſeptenis laciniis profunde diſcriminantur, quarum inferiores additamenta ſua quoque nactæ ſunt: ſed præcipuum plantæ ornamentum flos eſt, quem fecundo partu, non ſemel quotannis producit, quique vulgati Convolvuli floribus eſt amplior, calathi aut campanulæ effigie. Is ſi non ſuavem naribus halitum, ſaltem amœnam oculis cærulam purpuramque largiter explicat,

radiato

radiato foliorum emblemate conſpicuus. Sinum obſcurior inumbrat color, in quo brevis exſurgens columella lepidum caput innumeris ſtaminulis & appendicibus onerat; flos diſcuſſis umbris à ſole expergefactus ſeſe dilatat; eodem in meridie radiante, collectis oris connivet: abeuntem ad Heſperios ſolem, hiulcis denuo labellis blande ſalutat, reliquo deinde noctis nemini copiam ſe videndi facturus; tandem flaccido flore, capſulæ ſeſe proferunt (Lini capitula quoad magnitudinem æmulantes) ternis loculamentis diſtinctæ, membrana pellucida (maturo ſemine) ſeparante loculamenta prædicta, in quorum ſingulis bina ſemina aliorum Convolvulorum more, Orobum magnitudine haud ſuperantia, fuſca leviterque lanuginoſa reconduntur. Ex dictis facillimum erit diſtinguere hanc Convolvuli ſpeciem à Convolvulo Ægyptiaco quinquefolio, ſupra in Tab. 3. explicato, primo à cortice virgulas involvente ſcabro, ſecundo à foliis latioribus glabris, & ab amplitudine florum eleganter purpuro-cæruleorum: quum Convolvuli quinquefolii Ægyptiaci ſupradicti folia hirſutie ſcateant, atque ad appoſitionem pediculorum cum caulibus quatuor cernantur foliola; denique flores multo ſunt minores, ex purpura rubeſcentes, aut expanſi vinoſi coloris ſunt, ipſaque planta ex Alpino de Exot. Arabica eſt, floribus fere innumeris redditur oculis ſpectatiſſima, quaſi umbellam efformantibus, qui ſunt ſimul 7. 9. ac aliquando plures.

7. *Convolvulus* maritimus major Italicus, ſinuato ſeu auriculato potius folio, nobis. Hujus ſuccinctam dedimus deſcriptionem inter Convolvulos majores, & ſub Soldanellæ ſeu Braſſicæ maritimæ nomine à Caſp. Bauh. & authoribus proponitur. Ad mare (inquit Ferrantes Imperatus) ſe expandit ſupra terram ad 5. vel 6. cubitos, folia habens inciſa ſinuata ſeu potius auriculata ad baſin, craſſa, ſaporis ſalſi: flores Campanulæ forma albos habet; ſemina continet in folliculis triangulis hirſutis, Soldanellæ maritimæ modo, cui omnino in omnibus (præter folia) congener, & quia viribus illius ſimilis, ejuſdem eſt cum illo uſus cum è terra prodit. Eſt herba lactifera. Hiſtoria Lugdunenſis in App. hujus Iconem ex Rauwolfio ponit, ac Braſſicæ maritimæ genus inſcribit, quod ab incolis Meuhendi à Rhaſe ad Almanſorem Corrigiolam nominari tradit. Sed nec Meuhendi, nec Corrigiolæ nomen alteri ſuæ Braſſicæ marinæ Rauwolfius attribuit, verum Scammoniæ Monſpelienſi. Folia ejus (uti dictum) quædam ſunt laciniata, quædam non; omnia tamen parte ſuperiore ſinuata ſeu auriculata, ut apparet in Tabulæ tertiæ planta 2da, & in Tabula hac ſeptima largius tota ipſa planta de novo exhibetur.

8. *Convolvulus* ramoſus minor, nobis. Hic à cæteris omnibus antedictis hac nota ſpeciali diſtinguitur, quod ſinguli cauliculi in plurimos ramos bifurcationibus ſuis findantur, atque ex finibus inter caules & folia protrudantur flores campanulati, quibus ſuccedunt capſulæ & ſemina, cæterorum Convolvulorum ſuæ familias modo. Nomina & natales in titulis ſuis ſatis ſuperque apparent, ejuſdemque ſunt temperamenti, earundemque virium cum prædictis (ſecundum magis & minus) ratiocinando ex libro naturæ, ſeu à fine ultimo, propter conformitatem in floribus, capſulis ſeminalibus & ipſorum ſeminibus.

LUPULUS.

Lupulum *à Plinio l.* 21. *c.* 15. *Lupum ſalictarium nominatum volunt: qui Meſueo* 2. *Purg.* 24. *Volubilis foliis aſperis dicitur: hodie in Græcia* Βρυονία *nominatur.*

Sativus eſt & Silveſtris, magnitudine differentes: ſic Silveſtris florum conos minores, rariores, paucioreſque habet: aliis Lupulus florens fructu caret: & contra fructum ferens non floret.

9. *Convolvulus* perennis hereroclitus, floribus herbaceis, capſulis foliaceis ſtrobili inſtar, nobis. Lupulus mas & femina, C. B. P. Cam. Ep. & Hort. Hæc herba Convolvuli heterocliti ſcandentis eſt ſpecies, quæ amplexu vivit & perticas aliaque adminicula Caulibus ſuis circumligando ſcandit. Cauliculos promit longiſſimos, aſperos & hirſutos: folia quoque aſpera, lata, anguloſa, Vitis aut Bryoniæ albæ potius ſimilia; verumtamen magis viridia & paucioribus inciſuris diviſa: flores è ſummis virgulis racematim dependent parvi, herbacei ſeu ſubalbidi: quibus ſuccedunt fructus qui folliculoſi & haud magni ſunt, ſtrobili inſtar ex foliolis imbricatim ſeſe contegentibus, ſeu ex tenuibus membranis ſquamatim ſed laxe ſatis compacti, colore ſubalbidi, ſeu ochroleuci & quaſi ad pallidum colorem vergentes: gravis ſunt odoris, in quibus latet ſemen exiguum, nigricans, facile poſt ſtrobilos exſiccatos excidens; radices tamen vivaces ſibi invicem implicantur.

16. *Lupulus* ſilveſtris, minor ex primo intuitu omnium partium apparet in ipſa planta vigente ſponte in ſepibus; Vide icones ſativi & ſilveſtris in fine Tab. VII. & referantur ad ſcandentes Herbas heteroclitas, poſt Naſturtium Indicum & Halicacabum Piſum veſicarium dictum, in fine Cap. 2. explicatas & Tab. 4ta ſculptas.

LOCUS & TEMPUS.

Lupulus naſcitur inter vepres & ſenticeta, circa agrorum margines; ſed ſilveſtris ſtrobilos ſeu conos minores, rariores paucioreſq; quam ſativus profert: quin & quoad omnes partes minor eſt ſativo, hoc contingit omnibus ſilveſtribus, quippe in macriore ſolo proveniunt. Cultus vero reſtibile & pingue deſiderat ſolum, atque cultura multo lætior exit. Coni tam ſilveſtris quam culti ſeu ſativi ſæpe flores inutiles edunt ſubpallidos, qui ſine fructu pereuntes in pollinem luteum abeunt, unde ſterilis ſeu femina authoribus dicitur, aliquando poſt flores deciduos ſemina ſubnigricantia profert & mas dicitur. Floret tam mas, quam femina, aut fertilis aut ſterilis renitentibus authoribus; at ſolus mas producit ſemina æſtate. Septembri colliguntur coni tam maris quam feminæ, & ad cerviſiæ ſeu potius Zythi uſum reponuntur. Vere autem novi turiones erumpunt, qui adhuc recentes è terra nati, comeduntur cum ſale, oleo, addito aliquando Pipere, adinſtar turionum Aſparagi: per totam vero æſtatem perticas appoſitas ſcandunt cauliculi ſeſe in altum attolentes, in quorum ſummis pendent coni ſtrobilive, qui collecti ſub finem æſtatis in uſum prædictum conſervantur, & per totam hyemem ſolæ reſtant radices in terra, decidentibus foliis, & putreſcentibus cauliculis, & eo præcipuo nomine hic collocavimus inter herbas Scandentes, non autem Scandentes caulibus, & lignea ſubſtantia donatas plantas ſub finem primæ partis locatas.

NOMINA.

Convolvulus *perennis heteroclitus, floribus herbaceis, capſulis foliaceis ſtrobili inſtar, nobis. Lupulus mas, C. B. P. Cam. Ep. Sativus & ſilveſtris, Trag. Lugd, Salictarius, Fuch. Dod. Gall. Geſn. Hort. Lob. (cui & vitis ſeptentrionalium quia patentiſſimos Lupulo conſitos tractus ad ſuam cerviſiam conficiendam ſedulo colunt ſeptentrionales) Cæſ. Lupulus ſalictarius (quod ſalices ſcandat) Ad. Lob. Lupulus femina cui follicares ſunt fructus & mas qui ſteriles habet flores, I. B. Lupulus femina, C. B. P. & Cam. Ep. Eſt & ſpontaneus, qui neutiquam à culto ſeu ſativo differt niſi partium tenuitate, quemadmodum omnes omnium generum plantæ cultura & mangonio lætius & felicius proveniunt. Sterilis (uti dictum) floſculos producit ſubpallidos, qui tamen ſine fructu pereunt & in pollinem luteum abeunt. Hoc familiare eſt quibuſdam aliis ſubalternis herbarum generibus, ut Mercuriali annuæ, perenni Cynocrambe dictæ, & incanæ maritimæ, (quæ omnes in marem & feminam ſeu teſticulatam & ſpicatam, ſi mavis, fertilem & ſterilem dividuntur) Spinachiæ, Cannabi noſtrati, & Cannabi Contareni. Omnes hæ herbarum ſpecies (& ſi quæ aliæ hujus farinæ detegantur) producuntur indifferenter ex eodem ſemine aut teſticulatæ ſemine onuſtæ, aut ſpicatæ ſteriles ſine ſemine, quarum priores omnes utplurimum dicuntur mares, poſteriores autem feminæ, ex marum ſemine ſato procreatur utraque varietas, femina ſpicata non ſe ſeminibus propagante. De hiſce omnibus propriis ſuis locis diſſeremus, hæc obiter impræſentiarum dixiſſe ſufficiat.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Coni Lupuli ſunt calidi & ſicci, caput ſæpe impetunt & idem facile implent, odore graviore ipſum ferientes; ejuſdem temperamenti ſunt & folia ipſa ſimul aperientia & abſtergentia. Primi turiones ſeu Aſparagi Lupuli vere erumpentes mitiores multo ſunt, & in edulia recipiuntur; oblectamento tamen magis (ut ait Plinius) quam cibus. Nam alimenti quidem perexiguum conferunt; proſunt tamen viſceribus & aperiendo, & urinam movendo; faciliorem etiam alvum faciunt. Teneriores cauliculi ſub exitum è terra, turiones, ipſique quoque coni jecur & lienem ab obſtructionibus liberant; per urinas expurgant; ſanguinem mundant: adverſus diuturnas febres ſcabiem & cutis fæditates decocta in ſero lactis proſunt. Succus ejuſdem potentior eſt, & non modo ab obſtructionibus liberat, ſed & bilem & pituitam per alvum educit; idem auribus inſtillatus à fætore eas liberat, & putredine vendicat.

vendicat. Cerviſia conis conditur, copia tamen nimia amarorem & conciliat, & capiti moleſtiorem efficit. Semen Lupuli lumbricos ventris necat, urinas provocat & menſtrua educit. Vulgus ſeu vetulæ Salmanticenſes, ſæpenumero medicinam factitare ſolitæ, ad curandam alopeciam ex lue venerea natam, hac ratione Lupulo utebantur. Ejus radices pondere unius libræ probe lotas & à ſordibus repurgatas, per noctem in aquæ lib. 8. macerabant, poſtridie in illa ipſa aqua, lento igne fumo experte, ad tertiæ partis conſumptionem coquebant, vel etiam ad mediam partem, ſi vehemens eſſet alopecia. Decoctionem ſervabant in uſum, ejus uncias octo mane ægris jejunis propinabant, deinde ſtragulis injectis ſudorem provocabant, addebant interdum Apii ſive Selini hortenſis duas aut tres, & graminis aliquot radices, nonnunquam etiam uvas paſſas à gigartis purgatas. De cæteris facultatibus vide Joh. Bauhinum pag. 153.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Lupulus florens fructu caret: & contra ſilveſtris fructum ferens non floret. Redarguendus hic eſt Caſp. Bauhinus, & ejus ſequaces neoterici, mutuati ab ipſo in hiſtoriis ſuis univerſalibus, cæcutientes in re tam manifeſta: nos contra aſſerimus Lupulum cæteraſque illic citatas herbas omnes, fructum ferentes, florere primitus, deinde fructum ferre, ut videre eſt in Lupulo ipſo, Mercuriali triplici, Cannabe tam noſtrate, quam peregrina Bangue dicta, Spinachia & id genus aliis. Steriles ſeu feminæ flores ſine fructu inutiliter proferunt.

Explicatio Tabulæ octavæ, Sectionis primæ.

CUCURBITÆ ADDENDÆ.

1. *Cucurbita* ſilveſtris fungiformis, Ger. Capitata, Tab. C. B. P. Stellata ſeu ſeſſilis Cam. Hæc Cucurbitæ ſilveſtris ſpecies, multos ſarmentoſos cauliculos, capreolis donatos, habet, quibus vicina quæque apprehendit: folia ſunt lata, laciniata & in margine ſerrata vitium inſtar, mollia, incana; flores candidi ſunt, & integri in fundo & quinquefariam in margine diviſi: ſemina compreſſa utrinque auriculata &c. quæ omnia eam Cucurbitam eſſe plane demonſtrant. Facile à cæteris antedictis Cucurbitis cognoſcitur à figura diverſa fructus, qui eandem habet exterius rotundam, convexam adinſtar exterioris & ſuperioris partis fungi eſculenti (*Moreille* Gallice dicti) unde fungiformis dicitur; pars autem verſus pediculum eſt concava, in orbita ſeu limbo majore & viciniore pediculo multis angulis ſeu potius protuberantibus bullis notatur, & eo nomine Cucurbita major anguloſa ſeu ſtellata dici ſatis apte meretur.

2. *Cucurbita* Indica parva, I. B. Cucurbitæ parvum genus, fructu pugni magnitudine, cortice rubro maculis aſperſo, & ſemine rubro, Johannis Bauhini C. B. P. Hoc genus Cucurbitæ eſt fere globoſum, pugno paulo majus, verſus pediculum paulo anguſtius, cortice conſtat valde craſſo, ſubflavo, potius rubro, maculis fuſcis notato; ſeminibus Cucurbitæ mollis fructu longo minoribus, rubris, medullâ intus albâ.

PEPONES ADDENDI.

3. *Pepo* Indicus, minor, anguloſus Tabernemontani, I. B. Pepo minor Indicus IV. Taber. Pepo hic fructum profert tumidum ſeu extumeſcentem, petiolo inflexo & exaſperato quinquangulo innixum, ſtriiſque per longitudinem ſulcatum, in regione media ampliorem, multis coſtis modo majoribus, modo minoribus, ſinum latum inter majorum interſtitia relinquentibus, quibus inæqualior non quidem aſper redditur fructus; coſtæ ipſius fructus majores, utplurimnm à medio petioli centro deflectentes, & verſus ventrem excurrentes undique prominent, quæ ſecundum fructus longitudinem unà cum ſinubus protractæ deſinunt in angulum, ſeu potius faſtigium aliquantulum acutum, cujus contrarium cernitur in Cucurbita fungiformi Gerardi; quandoquidem exterior hujus cortex conſtituit quaſi ſemicirculum, at illius definit in faſtigium acutum.

4. *Pepo* ſeu Melopepo latus, clypeiformis abſque capreolis, nobis. Melopepo clypeatus, Tab. Cucurbita clypeiformis Siciliana, I. B. Hic eſt Pepo à foliis aſperis & à ſemine rhombi piſcis inſtar; quin & flores fert luteos. Paſſim male Cucurbita & Pepo ab authoribus hucuſque confunduntur. Nos notam utrique genericam & eſſentialem aſſignavimus;

mus; Cucurbitæ enim flores albos, folia mollia ſeu incana, ſemina auriculata gerunt; Pepones autem flores luteos aureoſve, folia aſpera, ſemina rhomboïdea in medio tumida. Hic præcipue inter cæteros dignoſcitur, primo quod erectus proveniat, ſecundo quod abſque capreolis reperiatur, & in hiſce ſolus hic Pepo convenit cum Cucumere aſinino, inter omnes fructus horarios pomiferos. Fructus clypeum in orbita anguloſum repræſentat, tenero eſt exteriore cortice, carne luteola, firma; ſapore aliorum Peponum, atque ſemine rhomboïdeo uti dictum: fructus labia reflectuntur & criſpantur. In calidis ædium cameris apud meridionales durat per totam quadrageſimam, ſicut & plurimi alii diverſarum omnino formarum ſeu figurarum Pepones; ſed in humidis omnes putreſcunt. Pepones in taleolas ſciſſos & farina aſperſos, cum pipere, ſale & cepis frixos, ſuaves ſatis, mandunt in Italia, Gallia, Belgio & alibi ut refert Lobelius. In Gallia additur lac ipſis in taleolas ſciſſis. Diverſimode præparati diverſum habent guſtum omnes cujuſcunque formæ Pepones.

5. *Pepo* maximus clypeatus, Ger. Hic figura tantum fructus in cortice exteriore clypeato diſtinguitur à Pepone maximo rotundo, convenit in cæteris omnibus, cauliculis, foliis, capreolis (ſuperiore excepto) floribus. Nota floribus majoribus majora ſuccedere poma & conſequenter ſemina etiam majora, rhomboïdea tamen. Variant in infinitum, magnitudine, figura, cortice duriore, molliore: colore itidem, ſunt enim albi, lutei, virides dilute, aut ſaturate, adeo ut ſubnigreſcere videantur aliquando; ſuntque cortices ſulcati, ſtriati, teſſulati, verrucoſi &c. Non dubium eſt, quin in calidioribus regionibus ad vaſtam amplitudinem excreſcant Peponum fructus. Vidimus unicum Peponis pomum pendere libras 80. & amplius. Natura mirum in modum ludit in producendis fructibus hiſce horariis pomiferis, qui Pepones aut Melopepones nuncupantur. Idem venit dicendum de Melonibus in diverſis regionibus natis & educatis, tot enim reperiuntur varietates (ejuſdem tamen generis) quot ſunt diverſæ formæ, corticumve colores. Omnes varietates hucuſque obſervatæ, & adhuc obſervandæ, à ſatione, mangonio, & ſub diverſo cœli aſpectu, & in diverſo ſolo ſatæ, formas ſive figuras, colores, ſapores, odores variare & mutare, à ſemine itidem, delectantur; natura in hiſce ſicut in plurimis aliis amplis, & longe patentibus generibus ſic ludente. Hic maximus clypeatus Pepo habet fructum grandem, admodum compreſſum, tamen clypei forma, laciniatum ſeu potius in margine tuberoſum bullatumve, prout videre eſt in cortice Pomi citrei. Sic facile erit lectori (ex eis quæ ſupra diximus in tertio capite hujus Sectionis primæ) genera ſex ſubalterna horariorum fructuum ſcandentium diſtinguere. Vide ſemina ipſa ſculpta in Tabula V. VI. VII. & VIII.

6. *Pepo* Virginianus clypeiformis, torulis & ſulcis à pediculo ad umbilicum productis, nobis. Hic Pepo Virginianus, caulibus, foliis, capreolis, & floribus luteis integris in fundo, quinquefariam in margine partitis, & ſemine rhomboïdeo cum cæteris ſui generis ſubalterni convenit, ſolâ fructus figura à maximo rotundo clypeato Gerardi diſtinguitur. Clypeatus enim Ger. fructum producit majorem, convexum ſeu rotundum exterius verſus umbilicum, at verſus pediculum concavum, & in orbita majore plurimas habet protuberantias prout conſpiciuntur in Pomo citreo, & vulgo apud Virginianos Simnels dicuntur fructus, ab exteriore forma fructus conformi cum pane placentula apud Anglos Simnell etiam dicto, ſicut & apud Italos ob eandem rationem *Berlingozzo* vulgo nuncupatur. Figura Cucurbitæ fungiformis Ger. ſeu capitatæ Tab. magis convenit cum pane Simnell, quam hic Virginianus, propter bullas anguloſas protuberantes conſpicuas in fungiformi Gerardi.

MELONES ADDENDI.

7. *Melo* moſchatelinus, rotundus, parvus ſeu Melo ſaccharinus dictus Johanni Bauhino. Melo ſaccharatus, Lobel. Icon. Ger. Hic caulibus, foliis (niſi quod coloris ſint magis ſaturate viridis) capreolis, floribus, convenit cum cæteris ſuæ familias: fructum fert rotundum, magnitudine Colocynthidi pene parem: guſtus admodum grati, ſaccharum omnino æmulantis, aut moſchum redolentis unde ei denominatio. An arte, an natura hic odor aut guſtus contingat, aliis diſcutiendum relinquimus. Carne eſt fulva, ſapore mellito aut ſaccharato, odore pergrato moſchum redolente, Hujus in gulæ deliciis crudos fructus ſuaviſſimos habet univerſa Italia, Hiſpania, Galloprovincia, Narbonenſis

Narbonenſis Gallia & Gallia Vaſconica: in illis regionibus Junio, Julio & Auguſto eſitantur cum delectamento, cum pane tutius; qui avide ſola pulpa veſcuntur, obnoxii redduntur choleræ morbo, dyſenteriæ, & id genus aliis fluxibus, præcipue in regionibus verſus Boream ſitis, ut in Gallia ſeptentrionali, Anglia, Belgio, ubi inſipidiores ſunt; proinde cum ſale & pauxillo pipere, nonnunquam loco utriuſque ſaccharo utuntur multi verſus plagas illas ſeptentrionales, prout trahit ſuus quemque guſtus & appetitus. Melones ægre apud ſeptentrionales prædictas gentes maturitatem adipiſcuntur propter nimium frigus vernale, & imbrium copiam æſtate, ſed præcipue ob caloris defectum inopiamve.

Addenda pag. 24. de viribus Cucurbitæ.

Cucurbitæ vires. Veteres Medici apud Plinium de Cucurbita ita ſenſerunt, ut eam aquam coagulatam dicerent. Galenus frigidæ & humidæ putat eſſe virtutis, idque ex eo probat, quod ipſa in cibo ſumpta ſtomachum relaxet, bibendi deſideria non excitet, cætera etiam in Cucurbita talia ut ejus poteſtatis exempla aperte demonſtrant: cruda & trita pulpa lenit omnem tumorem; in cibo ſumpta mollit ventrem; ſuccus Cucurbitarum, ut Galenus ait, ad compeſcendum auriculæ dolorem tepefactus infunditur; idem ſuccus & dolorem dentium mitigat, ſi diutius in ore teneatur, ſed & roſaceo mixtus, & unctione corpori admotus, febrium reſtinguit ardores; cinis aridæ corticis efficaciter combuſta poteſt ſanare; eundem cinerem (ut ab expertis dicitur) ulcera in veretro jam in putredinem verſa purgare, & ad cicatricem perducere aſſerimus: ſemini ſicco illa vis traditur, ut in pulverem contuſum & inſperſum impleat vulnera, quæ cavata fuere: quidam in vino bibendum illud dedere ut ſolutiones alvi fluentis inhiberent. Ex Simeonis Sethi ſententia, Cucurbita concoctu facilis, & boni eſt ſucci, & admodum nutrit; ſitem ſedat, urinam cit, ventremque movet. Calidis & ſiccis temperaturis prodeſt, inflammationes ventris & jecoris ſedat; pituitoſos autem & colicos affectus lædit; ſemen genitale minuit & Veneris appetentiam extinguit; ſanguis ex ea procreatur conſiſtentia tenuis; thoraci, pulmoni & veſicæ prodeſt. Magnam Cucurbitarum varietatem diverſitatemque à ſeminis natura dependere teſtatur Columella elegantiſſimis ſuis verſibus, quos hic ſubjicimus.

—— Prægnanſque Cucurbita ſerpit,
Unaque nec eſt illis facies, nam ſi tibi cordi
Longior eſt, gracili capitis quæ vertice pendet
Et tenui collo, ſemen lege, ſive globoſi
Corporis, atque utero nimium quæ vaſta tumeſcit,
Ventre leges medio, ſobolem dabit illa capacem
Lariciæ picis aut Actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam,
Tum pueris eadem fluviis innare docebit.

Docet itaque in his ſuis carminibus quâ ratione ex eodem ſeminio longa & rotunda Cucurbita fieri poſſit. Quod autem in carmine jam recitato, hâc ipſa de re omiſit, in proſa non multum poſt addit: aquoſis autem locis primo quoque tempore, non tamen ante calendas Martii ſemen ponendum eſt, ut maturari poſſit æquinoctio confecto. Idque de media parte Cucurbitæ ſemen inverſo cacumine ponito, ut fiat incrementi vaſtioris, nam ſunt ad uſum vaſa ſatis idonea. At ſi eſculentas menſæ parabis, recto cacumine de collo Cucurbitæ ſumptum ſemen ſerendum erit, quo prolixior & tenuior fructus ejus naſcatur. Quanquam Cucurbitæ formâ inter ſe diſſimiles habeantur, non tamen viribus & natura ſibiinvicem repugnant. Siquidem (ut Columella tradit, & Plinius l. 19. c. 5. refert) forma varia in Cucurbitis arte & mangonio fieri facile poſſit. Diligenter cuſtodiendum eſt, ne eò mulieres accedant: namque earum contactu facile elangueſcunt incrementa virentium, tantoque magis, ſi iis fluant menſes, tunc enim ſolo oculorum intuitu tenellos enecant fœtus. Amant Cucurbitæ mirum in modum aquas: nam ſi prope in patens vaſculum aqua ſubjiciatur, à quinque vel ſex digitorum intervallo, ante poſterum diem adrepentes cognoſcentur deſcendiſſe. Tanta eſt Cucurbitarum, Peponum, Melonum & Cucumerum inter ſe cognatio, ut antiqui Græci & Latini, nedum recentiores ſcriptores minus accurate, nomenclaturas diſcreverint. Hippocrati, uti Theophraſto, videtur quamlibet varietatem aut differentiam

F

tiam genericam horum fructuum σικυώνη vox ſignificare, οἰζεῖν namque bullire eſt, unde σίκυς, quæ vas, ollam & pyxidem ſignificat & ſanguiſugum vitreum aut cornu inſtrumentum, indeque forte Latinis Cucurbita, tametſi Varroni à curvando dicta putetur Cucurbita; quare quo facilius decernantur & percipiantur ab invicem, quæ hodie in uſum medicum & culinarium venerunt, genera cuncta σίκυας vel Cucumeres appellant. Cucurbita quæ Zuccha vel Zucca Italis dicitur depravatis elementis, à σικύα aut σικία utroque enim modo ſcribunt nonnulli Græci; nam συκύα (unde enim ficus derivatur) generaliſſima fuit appellatio Cucurbitarum, Melonum, Peponum & Cucumerum. Quare cucumerinæ familiæ maximæ vocari poſſunt Cucurbitæ, & commodiore etymo à curvando deduci, quaſi curbando ut loquuntur Vaſcones & Pyrenæi, unde Cucurbita. Nos partim propter foliorum, fructuum, ſed præcipue ſeminum varietatem, ſex conſtituimus genera diſtincta horariorum, aut ſi mavultis Cucumerariorum fructuum, à formâ ſeminum ſatis diſtinctorum, Cucurbitam, Peponem, Colocynthidem, Anguriam, Melonem & Cucumerem. De modo ſerendi ex veteribus, atque etiam neotericis quædam de loco, tempore, ſatione, cultu & mangonio, commemorata ſunt. Quare hæc omnia hic duntaxat in medium adferemus quæ apud Dodonæum legimus. Cucurbitæ in hortis ſeruntur ac coluntur, & ſub Autumni finem ad maturitatem perveniunt; in calidis tamen regionibus citius. Præcoces maxime ſic redduntur, cùm Cucurbitæ, tum Cucumeres, Pepones & Melones; in Cophinos aut fictilia aut vaſcula quælibet, terra cribrata, ſtercore conſummato admixto, injicienda, liquidior facta: & anticipato conſueto tempore, Vere videlicet inchoante, ſemina implantanda, & cum ſol & calor acceſſerint, plantulæ tenues ſunt tranſplantandæ, *viz.* quum quaterna folia adeptæ fuerint & frigora & glacies nocturnæ tranſierint. Cucurbita ſeu Zuccha pro nota generica & eſſentiali à fine ultimo (uti ſupra à nobis dictum) ſeminum ſcilicet forma, cognoſcitur à Pepone, cui magis eſt conformis, quod ſemina producat oblonga, duabus auriculis prædita, ergo male paſſim authores Cucurbitæ nomen Peponibus adaptant, qui ſemina producunt tumida in medio, Rhomboidea, cum fimbria membranacea, undique ſemen cingente. Cucurbita amara ſeu Colocynthis convenit in omnibus cum Pepone, foliis, floribus & ſeminibus, ſeu ſeminis forma & figura; ſola amaritudine pulpæ interioris ſeminumque cognoſcitur à Pepone, unde non inepte Pepo amarus dicitur.

Addenda pag. 27. de viribus Peponis.

Pepones lati eduntur non modo elixi ſed & in pingui aliquo frixi. Deſcendunt vero per alvum haud ſegniter: alimentum adferunt quale aliorum Peponum pulpæ. Pepones compreſſi, rotundi, Melonis effigie, in taleolas ſciſſi frixique in ſartagine & farina aſperſi, ſuaves admodum eduntur in Gallia, Belgio, & tutius alibi apud Meridionales.

Hallucinatio Veſlingii.
Addenda penultimæ lineæ pag. 35.

Pepo Ægyptius reticulatus, nobis. Cucumis Ægyptius reticulatus ſeu Luffa Arabum, Veſling. in Proſp. Alpin. de Plant. Ægyp. Quamvis Veſlingius Cucumeris nomen huic plantæ aſſignaverit, nos ex primo intuitu ſeminis hujus plantæ ad nos tranſmiſſi, deteximus eandem ad Peponum claſſem reduci debere à conformitate ſeminum, in medio tumidorum cum circulo membranaceo ejuſdem ſemen cingente; idcirco cum recedat à Cucumerum claſſe, qui ſemina oblonga, minora, ſine limbo exterius ambiente ſemen producunt, huic denegabitur Cucumeris nomen, & appellabitur à nobis Pepo Ægyptius reticulatus. Hujus datur duplex varietas. Eſt vel ſemine albo, vel nigro. Conſulat Lector Tabulam App. ad Sectionem noſtram primam hujus Hiſtoriæ.

Addenda pag. 28. de viribus Colocynthidis.

Fernelius Colocynthidem calidam ſiccamque dixit ordine 3io, amariſſimam, lentam pituitam, craſſos & glutinoſos humores, pariterque bilem utramque (quod vix aliis conceſſum eſt) detrahere, & aquam citrinam idque maxime ex articulis, & diſtantiſſimis & reconditiſſimis partibus; conferre morbis inveteratis, contumacibus, quos neque Agaricus, neque Turpetum ſolvent, vehementer autem ventriculum, viſcera, corpuſque conturbare, venas aperire, & ſanguinem elicere, potentius quam Aloe aut aliud quodvis Pharmacum; inteſtina corrodere, gravibus tortionibus eadem excruciare. Quocirca exquiſitiſſime tritam dilui oleo amygdalarum dulcium, additaque Tragacantha aut Maſtiche concinnari in trochiſcos, vel coqui in jure pingui, aut alio quovis liquore leniente. Nec puerorum, nec ſenum

num, nec prægnantium (fœtus enim vel ſuppoſita Colocynthis enecat) ſed ætate adhuc florentium & robuſtorum medicamentum eſſe, vixque niſi aliorum permixtione tutum dari à ſcrup. un. ad drach.ſemiſ. Quod ſi omnino Colocynthide uti velis, accipere te jubet Tragus Germanicam noſtram Pyro ſimilem, utpote non tam ſtrenuam & immitem. Pilam ergo ſeu fructum Colocynthidis bene excavato, fungoſamque ejus unà cum ſeminibus medullam, cyatho vini quatuor aut quinque horis maceratam, per linteolum exprime, expreſſumque ſuccum noctu cum cubitum ire velis bibe: quod ſi feceris, videbis luce appetente, pituitam, craſſos ac viſcoſos humores, nec non bilem, citra noxam leviter exigi. Idem medicamentum colicis prodeſt, & ad putridas ventriculi febres facit. Meſuæus Arabs inter alia huc reducenda vim Colocynthidis potiſſimum catharticam nobis ſic deſcriptam reliquit. Immatura Colocynthis flatus torminoſos & moleſtiſſimos excitat, immodice purgat, ut etiam ſanguinem educat, & ſæpe mortem adferat. Peſſima autem ac venenoſa eſt, quam produxit unicam tota planta, quæ planta ſi loco aliquo ſit unica, multo pernicioſiorem fructum parit, præſertim ſi locus ille eſt uliginoſus vel pulverulentus, vel Thermis propinquus, vel ſerpentibus abundet. Calida eſt & ſicca uti dictum ſupra ordine tertio, igneâ ſubſtantia & terrea per uſtionem tenuata & eximie amara conſtat. Pituitam & alios humores craſſos & glutinoſos magis ex profundis partibus & diſtantibus ut cerebro, nervis, muſculis, juncturis, pulmone, thorace, quam ex venis atractos (ut Dioſcorides cenſet) purgat. Purgat etiam bilem flavam, ut volunt alii. Quapropter morbis ſequentibus mire ſubvenit, cephalalgiæ antiquæ, dolori totius cranii, hemicraniæ contumaci, epilepſiæ, apoplexiæ, vertigini, aquoſæ fluxioni in oculum, podagræ frigidæ, iſchiadi maxime, ac reliquis nervorum juncturarumque affectibus, Aſthmati item, ac tuſſi antiquæ, diſpnœæ ex thoracis repleti anguſtia, ac præterea ſumme omninm prodeſt colico dolori, tam à pituita, quam à flatibus, etiam & hydropi. Omnia autem hæc, ſive ore ſumpta, ſive clyſtere inteſtinis immiſſa, præſtat: utero autem impoſita fœtum necat. Eadem cum aceto forti affricta, alphos, lepram, pſoram, elephantiam ſanat. Oleum denique ſuper cineres calidos incoctum cortici pulpa inanito capillos illitu nigrat, eoſque ne cadant firmat, canitiem tardat. Idem auri inſtillatum, ejus calorem ac tinnitum ſanat: incîdit enim, attenuat, tergit, digerit. Scribit Dodonæus ejuſdem ſemen ad mortuorum corporum conſervationem ac condituram utile eſſe, præſertim eidem Myrrha & Aloe mixtis.

Addenda poſt vires Anguriæ pag. 29.

Anguriæ ſemen urinam cit, ſed minus quam Peponum ſemina, quoniam celerius in ventriculo corrumpuntur. Meliora in his ſunt, quæ ſemen habent exiguum, calidos autem & ſiccos ſtomachos juvant; ſi in ardenti febre cum aceto porrigantur, valde proſunt. Proprium vero horum eſt nauſeas ventriculi, calore excitatas, ſedare. Horum interiora eſſe oportet, nam quæ foris ſunt, mali ſucci exiſtunt, & difficulter admodum concoquuntur, & fere venenata ſunt. Habent vero & alias proprietates, ut animo deficientes propter excedentem calorem reficiant. Si autem pituitam in ventriculo nanciſcantur, nauſeas faciunt, & colicos effectus & hypochondriacas paſſiones. Hæc jam Simeon Sethi. Anguriæ fructus, inquit Matthiolus, frigidus eſt & humidus ordine ſecundo, ſiti arcendæ aptiſſimus: quo fit ut Itali ardente Syrio, ejus pulpa internâ ſe refocillent. Confert adurentibus febribus & linguæ ariditati quam maxime. Acutos humores vincit, & iis auxiliatur, præſertim febrientibus, qui humorum malignitate potius quam abundantia ſcatent, ſiquidem Anguria (ut Serapioni placet) alvum in principio non fortiter citat; ideoque non illis convenit, qui tenuis & imbicillis ſunt temperamenti, macri, aut exangues: etenim eis alterantibus magis opus eſt, quam ducentibus humores, verum quamvis id effici poſſit acidis medicamentis, inſipida tamen, quæ nonnullam dulcedinem habent, ut Auguria, hiſce in caſibus longe magis conveniunt. Impoſſibile enim eſt, quin acida, & quæ cum aceto parantur medicamenta, incîdent & attenuent, quod imbicillia corpora macra, & exanguia haudquaquam ſuſtinere queunt, quia hujuſmodi acidæ potiones maciem augent, & ventriculum lædunt. Atqui etiam ubi quiſpiam acida aſtringentia propinaverit, impoſſibile quidem videtur ut obſtructiones non augeantur, ſi ea in jecinore & ejus meatibus extiterint. Etenim acida & aſtringentia medicamenta exſiccant & nihil prorſus humectant. Porro quæ inſipida, & quæ craſſæ ſunt ſubſtantiæ, quibus aliqua, ut in Anguria, dulcedo inſit, ſuo quidem temperamento humectant, ac ſimul refrigerant, generantque in ipſo jecinore ſanguinem aquoſum, qui flavæ bilis fervorem & malitiam coercet, tam in jecinore, quam in venis. Cæterum, ut Dodonæus con-

concludit, Anguriæ caro, quæ cortici ſubeſt, cruda, ſed frequentius cocta comeditur: alimentum autem confert exiguum, idque frigidum ac humidum; ſanguinem ingenerat aquoſum, qui internarum partium inflammationes mitigat, & bilis acrimoniam & fervorem contemperat: cruda in ore commanſa, linguæ in febribus aſperitatem lenit, & ſitim ſedat. Semen facultate, Cucumerum ſimile eſt.

Addenda pag. 30. *de viribus Melonum.*

Melonum lac, præſtantiſſimum in febribus ardentibus remedium. Seminum autem medullam aqua fontana aut aliquo alio liquore congruo prius contuſam, per cribrum ſetaceum emulgent anguſtiſſimum,aut pannum ad inſtitutum accomodatum. Seminis Melopeponum & Peponum cremor crebro febricitantibus utiliter ex hordeacea Ptiſana, teſte Matthiolo, propinatur; non ſolum enim refrigerat, ſitimque extinguit, ſed etiam obſtructiones tum hepatis tum vaſorum expedit, & urinam provocat. Datur tuſſientibus, tabidis, & maraſmo affectis; atque etiam contra urinæ ardores valde prodeſt, additis paſtillis ex Halicacabi aut Glycyrrhizæ ſucco, Mannæ, Gummi Arabici, aut Tragacanthæ momento; ſed & magis confert ſeminis Papaverini cremor, accedat Baccarumque Halicacabi & Malvæ decoctum.

Addenda poſt lineam VI. *pag.* 36.

Cucumis Ægyptiis *Chate* dictus, nobis. Cucumis Ægyptius rotundifolius, C. B. P. *Chate* Ægyptiis Cucumerum genus, Alpin. Fructuum hujus uſum corporibus in cibo, ipſis tum crudis tum coctis comeſtis, ſalubrem eſſe apud omnes incolas inter Ægyptios creditur. Sunt enim concoctu faciliores. Medici aliqui ibi, nonnullis febricitantibus crudos etiam hujus fructus mandendos concedunt, præſertimque peſte affectis, quibus Cucumeres hoſce crudos eſitatos ſumme conducere, omnibus (qua ratione neſcit Proſp. Alpinus author) perſuaſum ſit: coctos in ardentibus febribus utiles eſſe ratione confirmatur, quandoquidem refrigerent & humectent.In renum & veſicæ calidis morbis cum lacte coctos Cucumeres hoſce multis diebus non ſine multa utilitate in cibo uſurpare, aut lac etiam ipſorum ſeminum pro iiſdem malis per os ſæpe ſumere ſolent. Ad oculorum vero & aliarum partium calidas inflammationes pulpa contuſa Cucumerum lacti mixta utuntur, & ad ſedandos podagricos dolores, à cauſa calida concitatos ſuccum lacte oleoque roſaceo miſtum, partes leniendo, adhibent. Stillatitiam aquam ad jecoris caliditatem corrigendam, & ad ſedandos renes, tum inflammatos, tum à calculis vexatos, multis diebus ægris bibere conſulunt, quibus ipſam ſatis iis conferre experientia compertum eſt.

Finis Sectionis primæ Partis ſecundæ.

PLANTA-

BACCIFERÆ EDULES & NON EDULES SCANDENTES.

1. *Aſparagus foliis acutis,* C.B.P. *Corruda prior, Clus. hiſt.*



2. *Aſparagus aculeatus alter tribus, aut quatuor ſpinis ad eundem exortum,* C.B.P. *Corruda altera, Clus. hiſt.*



3. *Aſparagus aculeatus ſpinis horridus,* C.B.P. *Corruda 3. Clus. hiſt.*



4. *Aſparagus Domeſticus, Eyſt.*



5. *Brionia alba, Dod. Vitis alba, Matth.*



6. *Brionia nigra, Ger. Vitis nigra, Matth.*



7. *Recentiorum planta alſines majoris facie baccis Solani, Ad. lob. Cacubalus plinii, Hiſt. Lugd.*



8. *Clematis pentaphylla flore roſeo clavato, nobis. Marocuia* II. *Geor. Marcgr.*



9. *Clematis trifolia, s. flos paſsionis fl. viridi, nobis. Marocuia* III. *Geo. Marc.*





Auſpiciis Illuſtriſs. Principis Ruperti Dei gratiâ Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, & Cum=briæ, totius Angliæ Vice=admiralli, & Caſtri Rega=lis Vindſor Conſtabularij, & gubernatoris, &c.

1. Clematis paſsionalis pentaphyllos flore campanulato, nobis, paſsionalis flore campanulato, Munting·

2. Clematis paſsionalis triphyllos fl·roseo, nobis· Paſsiflora trifolia fl·roseo, Munting·

3. Clematis paſsionalis triphyllos fl·luteo, nobis·Paſsiflora trifolia flore luteo, Munting·







4. Clematis Marocuia pyriformis altera, Georg·Marcgr·

5. Clematis Marocuia Guacu s·pyriformis, Georg·Marcgr·

6. Clematis paſsionalis folio bifido, nobis· ferrum equinum volubile, Munting·





7. Chriſtophoriana Americana, Park·ejusque flores & baccæ corymbatim in ſpicam congeſtæ·Aconitum baccis niveis & rubris, Corn·

8. Chriſtophoriana vulgaris, Park·

9. Angelica Baccifera, Munting·Panaces Κάςπυμον, s·Racemosa Canadensis, Cornut·



Auſpiciis Illuſtriſsimi Principis Iacobi Ducis Monumetensis, & Baccleuchensis·Comitis de Doncaster & Dalkeith·Regni Scotiæ magni Camerarii, Univerſitatis Cantabrigiensis Cancellarii, Dño·Nro Carolo secundo Equitum Magiſtri, & nobiliſsimi Ordinis Periscelidis Equitis





SCANDENTES CAMPANULATÆ LACTESCENTES

Convolvuli.

. Convolvulus Creticus rectus s. Dorycnium quorundam, Ponæ.



2. Convolvulus marinus noſter rotundifolius, nobis. Braſsica marina, Matth. & Convolvulus marinus folio cordato aut ſinuato, nobis.



3



4. Convolvulus Indicus Orientalis, Inhame Seu Battatas Siſarum Peruvianum s. Battata Hiſpanorum, Ger.



. Convolvulus Syriacus & Scammonia Syriaca, nobis. Scammonia Syriaca, C.B.P.



6. Convolvulus maj. albus vulgaris, nobis. Smilax lævis maj. Dod. Ger.



7. Convolvulus purpureus folio subrotundo, C.B.P. Indicus fl. violaceo, Eyſt.



. Convolvulus Cœruleus hederaceus seu trifolius, Park. Parad.



9. Convolvulus vulgaris minor arvensis, C.B.P. Smilax lævis minor, Dod.



10. Convolvulus argenteus Althææ folio, C.B.P. Peregrinus pulcher folio Betonicæ, I.B.





Auspiciis Illuſtriſsimi Principis Iohannis Ducis Lauderiæ, Marchionis Marciæ, Comitis Guilfordiæ, Lauderiæ, Vicecomitis Maitland, Baronis Petersham, Thurlestone, Muſclebrough & Bolton. &c. Nobiliſsimi ordinis Periſcelidis Equitis.

SCANDENTES CAMPANULATÆ LACTESCENTES & non LACTESCENTES.

Convolvuli.



1. Convolvulus Scammoniæ foliis æmulus, nob.



2. Convolvulus minor argenteus repens, Rupellensis, nobis.



3. Convolvulus linariæ fol. C.B.P. minimus Spicæ folio, Lob. Icon.



4. Convolvulus peregrinus cæruleus fol. oblongo, C.B.P. & Prod. flor. cyaneo perameno & fol. oblongo, nobis.



5. Convolvulus Ægyptiacus quinquefolius, I.B.



6. Convolvulus Africanus minor, Park.



7. Convolvulus pennatus Exoticus, Col. Quamoclit, Cam. I.B.



8. Naſturtium Indicum maj. C.P.P.



9. Halicacabum peregrinum & cor Indicum, I.B. Pisum vesicarium fructu nigro albâ maculâ notato, C.B.P.



Auspiciis Nobiliſſ. & honoratiſſ. D. Iacobi Compton Comitis Northamptoniæ, & Baronis de Compton.

Guil. Sonmans delin.

Fred. Hend. Vanhove ſculp.


Sect. 1. Tab. 5.

Scandentes Pomiferæ.

1. Cucurbita lagenaria fl: albo fol: molli, C.B.P. 2. Cucurbita latior, Dod. Maj: seſsilis fl: albo, C.B.P. 3. Cucurbita oblonga fl: albo fol: molli, C.B.P.







4. Pepo Indicus compreſsus, maxi=mus, Lob. 5. Pepo compreſsus minor, C.B.P. rotũndus minor, Dod. 6. Pepo oblongus, C.B.P. major oblongus, Dod.







7. Pepo Melopepo verrucosus. 8. Pepo Clypeatus minor, C.B.P. Indicus fungiformis, Ger. 9. Pepo Pomiformis.







10. Pepo Pyriformis.



Auspiciis Excellentiſsimi, Nobiliſsimi, & Honoratiſsimi D. Arthuri Capell Comitis de Eſsex, & Baronis de Capell, in Hibernia D.D. Carol. 2. proregis.

Scandentes Pomiferæ.

1. Colocynthis, Matth. Ger.



2. Anguria, Matth.



3. Melo Hiſpanicus, I.B.



4. Melo, Matth. Ger.



5. Melones Abdelavi Ægypti, I.B.



6. Cucumis vulgaris, Dod. Ger.



7. Cucumis anguin⁹. Tab. Ger.



8. Cucumis aſininus, Ger. Eyſt.



9. Cucumis puniceus, Cord. hiſt. Balsamina mas, Ger. Park.





Auspiciis Nobiliſsimi, ac Honoratiſsimi D. Georgii Savile Vicecomitis de Hallifaxe & Baronis de Eland.

Pepo Ægyptius reticulatus, (a semine rhomboïde) nobis. Cucumis Ægyptiacus reticulatus sive Luffa Arabum Vesling, in Alpin. de plantis, Ægypti.



Eadem Luffa Arabum cum flore & fructus cortice aperto, nobis.



Cucumis Ægyptius rotundifolius C.B.P. Chate Ægyptiis Cucumeris genus prosp. Alpini, de Plantis Ægypti.



Convolvulus ſiculus annuus flore cæruleo minimo, capsulâ ad basin binis foliolis obongis cinctâ, nobis.



Convolvulus Africanus minimus, Park.



Convolvulus quiuquefolius floris margine plano, non sinuato, nobis.



Convolvulus major Italicus sinuato vel potius auriculato folio, nobis. Convolvulus Herba lactifera ſoldanellæ maritimæ congener, Imperat.



Convolvulus ramosus minor, Helxine cisampelos ramosa Ponæ, Italice.



Convolvulus perennis heteroclitus floribus herbaceis, Capsulis foliaceis strobili inſtar, nobis. Lupulus mas & Femina



Idem seu Lupulus silvestris minor ſine fructu, nobis. Lupulus femina, Cam. Ep. & Hort.





Burghers ſculp.

Auspiciis Illustrissimi Principis Caroli fitz-Roy, Ducis Southamtoniæ, Comtis Chisestriæ, Baronis de Neubury, nobiliſimi ordinis periscelidis Equitis &c.


Cucurbita fungiformis, Ger. Pepo Indicus minor clypeatus, Tab.
Cucurbitæ parvum genus pugni magnitudine cortice rubro maculis aſperso & semine rubro, I.B. Chabr.
Pepo minor angulosus, I.B. Chabr. Pepo Indicus minor, 4tus Tab.
Pepo ſeu Melo Pepo latus cleypeiformis abſq capreolis, nobis. Melo Pepo clypeatus, Tab.
Melo moschatelinus rotundns parvus ſeu Melo ſaccharinus dictus, I.B. Chabr. Melo ſaccharatus, Tab. Ger.
Pepo maximus clypeatus, Ger.
Pepo minor clypeiformis Virginianus torulis & ſulcis a pediculo ad umbilicum ductis, nobis.
Melo moſchatus compreſsus major ſulcatus, nobis.
Melo moſchatus oblongus major ſulcatus, nobis.
Melo Heſpanicus, Tab. Ger. Melo longus, I.B. Chabr.
Burghers ſculp.
Auspiciis Nobilissimi viri Caroli Domini Herbert, filii natu maximi Honoratissimi D. Henrici Marchionis & Comitis Vigorniæ, Baronis Herbert de Ragland &c. Consilii Limitum Cambrobritanniæ Præsidis &c Majestati a Secretioribus Consiliis, Nobilissimi ordinis Periſcelidis Equitis.

PLANTARUM

Hiſtoriæ Univerſalis Oxonienſis.

PARTIS II. SECTIO II.

DE LEGUMINIBUS.

LEgumina *dicta putat Varro à legendo, quoniam ea non ſecantur, ſed vellendo leguntur. Græci* ὄσπρεια *vocant, at Theophraſtus* χέδροπα.

Abſolutâ doctrina ſcandentium pomiferarum Herbarum, jam in hac Sectione ſecunda aggrediamur Legumina, ſequendo ductum naturæ, quia plurima eorum ſcandunt, eorumque etiam fructus inſerviunt culinæ: in hiſce conveniunt cum ſcandentibus pomiferis, ideo hic ſubſtituimus Legumina. Atque ut melius innoteſcat quid ſit Legumen in genere ſeu Herba papilionacea, ſiliquoſa, bivalvis, de qua agitur in hac Sectione ſecunda, aſſignanda venit ejus nota univerſalis & toti generi Herbarum papilionacearum, ſiliquoſarum, bivalvium, eſſentialis. Legumen omne habet florem papilionis volantis formam aliquatenus referentem, tribus partibus conſtantem, quarum major ſurſum erecta, vexillum nobis dicetur, binæ aliæ ſunto labiales ſeu laterales, amplectentes arcte roſtrum parvum ſurſum tendens, quod eſt rudimentum ſiliquæ futuræ: flori nunc majori, nunc minori, colorem varianti, ſuccedit ſiliqua (diverſæ magnitudinis) bivalvis, duplici membrana ſeu pellicula conſtans, molli & carneâ exterius, dura & coriaceâ interius: binæ hæ valvulæ, ſi comprimatur ſiliqua, imò maturo ſemine, ſponte aperiuntur, & ſemina fructumve edulem diverſorum colorum fundunt. Atque paucis hiſce perſtrinximus, quid ſit Herba papilionacea, ſiliquoſa, bivalvis, ſive Legumen.

Legumina ſive Papilionaceæ Siliquoſæ Bivalves Scandentes Capreolis.

CAPUT I.

Piſum; Lathyrus ſive Cicercula; Ochrus; Lens; Vicia ſive Aphaca, Arachus ſive Cracca.

§ 1. PISUM.

PIſum *Græcis* ὁ πίσος *&* τὸ πίσον *vocatur quod à* πτίσσω *derivatum videtur, quod decorticare ſignificat: plerique etiam* λέκυθον *dici putant, ſed improprie: nam ex farinâ Leguminum pulmentarium* λέκυθον *dici à Græcis, Galenus de cibis boni & mali ſucci teſtatur. Piſum vero à Piſa loco, in quo olim copioſiſſime naſcebatur, nominatum dicunt. Hujus Dioſcorides non meminit, niſi forte cum Phaſeolis comprehenderit: at Hippocrates, Theophraſtus, Galenus, Ægineta. Nam Theophraſtus 8. Hiſt. 3. Leguminum alia folium habent rotundum, ut Faba; alia oblongum ut Piſum, & hoc caulem humi procumbentem habet: & 8. Hiſt. 5. ſemina ſiliquis incluſa, non intercepta, ſed quaſi invicem contingentia conſiſtunt: & 3. Cauſ. 27. vermes in ipſo generantur, ob alimenti cœlique intemperiem cum plus minuſve alimenti præbetur, aut aër immodice humidus,*

dus ſiccuſve eſt, vel etiam cum non tempeſtivè humeſcit. Plinius l. 18. *c.* 7. *&* 12. *Piſi obiter meminit.*

Genera duo ſunt: eſt majus & minus: majoris ſemina reſiccata angulofa ſunt, inæquales angulos habentia, colore alias candido, alias ſordido. Minus ſimiliter duplex, aliud quod in hortis ſeritur: quod ſi pedamentis ſuſtentetur, majus eſt; alias exiguum fructum eumque ſerius reddit, & illud eſt quod in agris ſeritur: flores habet utplurimum candidos, aliquando tamen ex purpura obſcuros: fructus colore luteo (unde ὦχρος Græcis à luteo ochræ colore, quem ipſius fructus medulla interior refert, dicitur) ſubinde virente.

TABULA I.

Piſum
- *Album*
  - 1. *Majus, Dod. Ger. Majus quadratum,* C. B. P. ☿
  - 2. *Umbellatum,* C. B. P. *Ger. Proliferum, Tab. Comoſum proliferum,* I. B. ☿
  - 3. *Ramulare hilo nigro, nobis. Ramulare, Lugd.* ☿
  - 4. *Leptolobum, Cam. Sine cortice aut membranâ interiore, nobis.* ☿
  - *Fructu majore albo, ovato, nobis. Et fructu minore viridi vel ſubcæruleo, nobis.* ☿
- *Rubrum*
  - *Maximum ſubfuſcum anguloſum & ſubfuſcum majus, nobis.* ☿
  - *Majus variegatum ex gilvo & punctis nigris, & minus variegatum, aliaque annua flore rubello.* ☿
  - 5. *Spontaneum, perenne, repens, humile, nobis. Spontaneum, maritimum, Anglicum, Park.* ⊙
  - 6. *Spontaneum nanum inter triticum, nobis. Piſum ſilveſtre, Ger. Piſum vulgare parvum arvenſe,* I. B. ☿

Explicatio Tabulæ primæ, Sectionis ſecundæ.

Piſum adeo notum eſt lippis & tonſoribus, pueris & ſenibus, ut longa ſerie verborum, aut prolixa in ejus eſſentialibus aſſignandis notis uti oratione, non eſt operæpretium. Piſum breviter habet biuncialem, triuncialem, nunc longiorem ſiliquam, minimi digiti craſſitudine propendentem, cylindriacæ formæ, prona parte concavam; ſemina quaſi ſeſe contingentia, aliorum multorum Leguminum more, nunc rotunda, nunc anguloſa, aliquando ovata ſeu oblonga; colore alba, luteopallida, viridia, fuſca ſeu ſordida, imo aliquando ſubnigricantia & variegata: foliis lobatis, lævibus, congenerum omnium Leguminum foliis majoribus, & caule majore fiſtuloſioreque donatur Piſum; eſtque à florum colore album, rubrum aut ochroleucum. Atque hæc in genere dixiſſe de Piſo ſufficiat.

1. *Piſum* majus flore albo, nobis. Majus, Dod. Ger. Piſum majus quadratum, C.B.P. Hoc Piſum majus Dodonæi caules habet longos, fiſtuloſos, fragiles, ex candore vireſcentes, ramoſos, humi ſparſos, niſi prope appoſitis adminiculis ſuſtineatur. Folium frequens ad ſingula genicula amplum, modo longum, modo obtuſum, cingens caulem ad nodos, ut videatur perforari à caule in centro ejuſdem, inter caulem & ipſius folii meditullium protruditur cauliculus plures lobos, binos, ternos habens ex adverſo ſitos, cujus extremum claudit capreolus intortus; ex eodem meditullio oritur pediculus ſemipalmaris, ſuſtinens flores plures, albos, papilionaceos (id eſt ſinguli flores ſunt adinſtar papilionis volantis, quorum pars ſuperior dicitur vexillum, & partes binæ labiales ſeu laterales cingunt roſtrum ſiliquæ futuræ bivalvis &c. uti dictum ſuprà in doctrina de eſſentiali nota Leguminum) quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, bivalves, longæ, teretes cylindri figurâ; in harum ſingularium parte concavâ continentur grana, nunc plura, nunc pauciora, recentia rotunda, reſiccata anguloſa. Piſum genus λέκυθον appellant, ſed parum proprie ut ſupra dictum; Lecythus ſiquidem non peculiare aliquod Legumen, nec ejuſdem genus; ſed pulmentarium eſt ex Leguminum farinis. Fructus hujus rotundi ſunt, albi, aut cinerei, imo ſubflavi conſpiciuntur ſæpius.

2. *Piſum* umbellatum, C.B.P. & Ger. Piſum hoc umbellatum ſeu comoſum vix alia ratione bene diſtinguitur à cæteris, quam quod plures flores, & conſequenter plures ſiliquæ, unius cauliculi ſummo innitantur. Dicitur umbelliferum quibuſdam, eo præcipue nomine

quod

quod flores & conſequenter fructûs involucra ſeu ſiliquas gerat in ſummitate caulium ſimul congeſtas, Umbellarum quodammodo more, unde ei nomen umbellati ſeu umbelliferi Piſi vel comoſi: cum cæteræ omnes Piſi varietates, flores, & ſiliquas, ex ſingulis geniculorum alis protrudant.

3. *Piſum* ramulare hilo nigro, nobis. Ramulare, Hiſt. Lugd. Hoc omnium eſt maximum, atque ſeſe altius attollit, ſi adhibeantur baculi aut perticæ, quibus ſcandere poſſit: flores profert magnos, albos, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, craſſæ & tumidæ, cylindriacæ, in quibus producuntur Piſa maxima, quorum unumquodque (pro notâ ſpecifica) hilo nigro afficitur, atque ſic facile à cæteris omnibus ſuæ ſortis cognoſcitur à primo fructus intuitu: flore eſt albo, aliquando purpureo & vario, partim albo & partim ex purpura obſcuro: fructu eſt albo, rotundo, ruffo, aliquando rubro, variegato, ſine hilo nigro. Eſtque hoc hortenſe ſeu vulgatius majus, quod communiter venditur in officinis ſpermatopolarum, colore albo, viridi, cujus flos eſt perpetuo albus nunquam ruber: at cujuſcunque Piſi flos eſt ruber, fructus eſt aut fuſcus, ſubniger, aut variegatus aut dilute ruber. Hæc eſt regula generalis inter omnia Legumina notanda.

4. *Piſum* pulchrum, folio anguloſo, I. B. Hujus viticuli, quàm vulgaris ſativi, multo ſunt tenuiores & delicatiores: ad foliorum ortum bina ſunt foliola lata, Aphaces Dodonæi foliorum quodammodo æmula, ſed obtuſiora, imâ utrinque parte anguloſa & ſerrata, in pediculis vero foliorum, qui in capreolos deſinunt, bina folia è regione oppoſita ſunt hinc inde, ad binarium vel ternarium numerum, Piſi majoris ſeu ramularis præcedentis foliis minora: flores ſingulares papilionacei pediculis ſuis hærent, multo quam in vulgari minores, quibus ſuccedunt ſiliquæ bivalves pariter minores.

Piſa leptoloba ſive ſine cortice duriore, Cam. Ex Vilda oppido Lituaniæ allata, teſte Lobelio, ſola hac ratione à cæteris diſtinguitur, quod ſiliquæ cortice ſeu membranâ coriacea interiore careant. Datur & aliud Piſum cujus ſiliqua plana, lata, curva eſt, & quaſi ſegmentum circuli refert; quod primo intuitu à curvitate ſiliquæ ante omnia dignoſcitur: fructu etiam donatur albo.

5. *Piſum* ſpontaneum perenne, repens, humile, nobis. Spontaneum maritimum Britannicum, Park. Hujus caulis eſt triangularis & ſcatens geniculis, & humi ſemper procumbit; cauliculorum ramis apponuntur folia rotunda, nervoſa, quaterna, quina, ex oppoſito ſita: atque in ſummis ramulis per terram ſtratis, flores proveniunt octo, decem, ſimul juncti, dilute rubri, pallide cærulei in medio, quando omnino ſunt aperti: ſiliquæ denſe pariter à ſummis ramulis pendentes, ſingulæ continent plurima ſemina, Piſi minoris magnitudine, cum ſemicirculo albo cingente ſingula grana ad dimidium fere, quæ matura obſcuri ſunt coloris: radix profunde ſe terræ inſerit ad ſpithamam unam aut alteram, ibidemque late ſe diffundit inter ſilices & lapillos ad oram maritimam Angliæ: fructus eſt amarus, ficut & tota planta. Totaliter ſupra terram perit, ſingulis recurrentibus vernis tempeſtatibus, fibras multas, albas Convolvuli minoris inſtar emittit, beneficio quarum ſeſe mirum in modum multiplicat: ex ſemine copioſe procreatur hæc Piſi perennis ſpecies in agris cultis ſeu hortis, ſi feratur, quemadmodum cæteræ ſuæ ſortis; etiamſi ſemina projecta inter ſilices & lapillos ad oram maritimam Angliæ non feliciter proveniant, ob defectum terræ; deinde avide ab avibus illic loca illa frequentantibus devorantur.

Piſi perennis datur alia ſpecies, à Cluſio in Hiſtoria deſcripta, ſolo florum colore albo, multiſque in unam ſpicam congeſtis itidem, & pari ratione, multis ſiliquis ſpicæ in modum pendentibus. Provenit in Pannonia interamni, intra Dravum & Savum flumina, in jugis arci Greben vicinis, inter ſaxa naſcens, & in aliis locis Viennæ Auſtriacæ vicinioribus ab eodem Car. Cluſio inveniebatur. Florebat illic Junio; ſemen matureſcebat Julio & Auguſto.

6. *Piſum* ſpontaneum nanum inter triticum, nobis. Piſum vulgare, parvum, arvenſe, I. B. Hujus Piſi parva ſunt grana, nec Viciæ multo majora, in quibus tamen puncta quædam ex cinericeo purpurea conſpiciuntur, ut in Vicia vulgari, & ideo grana ſeu ſemina non facile à Viciæ ſeminibus diſtinguuntur. Herba vero ipſa & caules, folia ſiliquæque, multum à Vicia vulgari differunt, ex primo intuitu Piſum ab omnibus partibus ſuis (præter ſemen) ſeſe detegit. Idem contingit Viciæ purpureæ, ſemine albo, Piſi minoris inſtar. Nam quivis Botanicus ſatis oculatus ægre poterit à fructu diſtinguere Viciæ hujus purpureæ ſemen album, & pene rotundum, à Piſo ipſo minore ſativo; ſed cum creſcentem, & florentem, ac ſiliquas proferentem aliquis obſervaverit, facile concludet, eſſe Viciam purpuream fructu albo; Piſi minoris inſtar. Idem dicendum de Piſo hoc no-

viſſimo, ſpontaneo, ſilveſtri, annuo, fructu Viciæ: caules enim, folia, & ſiliquæ produnt ipſum eſſe ſpeciem Piſi ſilveſtris. Provenit inter triticum, aliaſque fruges, cum in Gallia, tum in Anglia, Belgio, & etiam alibi locorum. Eſt & alia perennis Piſi ſpecies Cluſio in Hiſt. ſolo florum multorum colore albo, in ſpicam congeſtorum, & pari ratione multarum ſiliquarum ſpicæ in modum itidem pendentium diſcrepans. Provenit in Pannonia interamni, ultra Dravum flumen, in jugis montium arci Greben vicinis, inter ſaxa naſcens. In aliis locis Viennæ Auſtriacæ vicinioribus, ab eodem clariſſimo Carolo Cluſio inveniebatur. Floret Junio, atque ejuſdem ſemen maturum eſt Julio & Auguſto.

LOCUS & TEMPUS.

Omnes hæ Piſi ſativi ſpecies coluntur in hortis & agris. At Piſum perenne, repens, humile, provenit ſponte & copioſe in ora maritima Suffolciæ, inter Aldeburgum & Orfordiam, anno 1555. *à villicis illic degentibus detectum. Vigebat in macro, ſterili, ſabuloſo & lapidoſo agro, ubi nihil herbarum, imo nec graminis cernere licuit. Ingruente tunc temporis annonæ caritate, ob defectum melioris nutrimenti, indigenæ ſive accolæ illius Plagæ maritimæ, ſaltem tenuioris conditionis, ad eas incitas redacti, ut quod cuique in promptu vitæ ſuſtinendæ aptum ſeſe obtulerit, comederent: multi in eam penuriam & inopiam inciderunt, ut glandibus etiam veſci cogerentur, hoc pabulo in ſumma neceſſitate reperto lætabunde victitarunt. Nec eſt dubitandum quin hæc Piſi maritimi ſpecies perennis à multis retro ſeculis ibidem creverit, etiamſi meliore obſonio accolæ illic aliis annis refecti, hujus non meminere. Provenit etiam in plurimis aliis locis Angliæ ſponte, ad litus maritimum Suſſexiæ non procul ab oppido* Haſtings *dicto. Vide Geſnerum lib. de Aquatilibus* 4. *pag.* 256. *qui ex verbis illic allatis, ſatis luculenter hiſtoriam refert ex Domini Caii epiſtolis, qui Cantabrigiæ Collegium Medicinæ ſtudioſis fundavit & ditavit. Eſt & aliud maritimum Britannicum, quod exhibet Parkinſonus, item & tertium in Deſcriptionibus, aſſerens omnia perennia; ſed fallitur, nec debet multiplicare entia ſine neceſſitate, quemadmodum alibi. In multis generibus multas adinvenit ſpecies diverſas compilator Tabernemontanus, quæ neutiquam clare cernenti Botanico, unquam apparuere diſtinctæ ſpecies; ſed forte varietates à ſolo & cœlo, quæ confuſionem potius pariunt animo legentium, quam dilucidam doctrinam.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Piſum *teſte Hippocrate minus Fabis inflat, per alvum autem magis recedit. Et Galenus Piſa cum Fabis tota ſubſtantia quandam habere ſimilitudinem inquit, eo denique modo cum Fabis ſumuntur. His duabus tamen rebus ab iis diſcrepant, tum quod non æque ut Fabæ ſunt flatulenta, tum etiam quod detergendi facultatem non habeant, ideoque ſegnius quam illæ per alvum ſecedunt. Et ut ait ſchola Salernitana,*

Sunt inflativa cum pellibus, atque nociva,
Pellibus ablatis, ſunt bona Piſa ſatis.

Turnerus Medicus Anglus tandem omnibus, quotquot ventriculum aut lienem habent flatibus obnoxium, nimium Piſorum uſum quacunque ratione præparatorum eſſe fugiendum ſuadet, niſi addatur Aniſum, Cuminum, aut Mentha, aut aliud aliquid ἄφυσον. *Coqui igitur pulverem Menthæ, Satureiæ aliarumve calidarum herbarum pulti Piſorum addunt.*

NOMINA. PISUM FLORE ALBO.

1. Piſum *majus quadratum, C. B. P. Piſum majus, Ger. Dod. Anguloſum ſeu hortorum Plinii, Ad. Lob. Quadratum Plinii, Lob. Icon. Tab. Piſum magnum peregrinum, Eyſt. Piſa majora alba, I. B.*
2. Piſum *umbellatum, C. B. P. & Ger. Proliferum, Tab. Umbellatum ſeu roſeum, Park. Parad.*
3. Piſum *ramulare hilo nigro, nobis. Ramulare, Lugd. Hiſt. Majus, Matth. Fuch. Piſum vulgatius majus, Ad. & Icon. Lob. Minus, Dod. Ger. Vulgare, Park. Parad.*

4. Piſum

4. Piſum *pulchrum folio anguloſo*, *I. B.*

Piſum *leptolobum*, *Cam. Leptolobum ſeu ſine cortice aut membranâ duriore*, *nobis. Hoc & alia*, *quæ non egent figura*, *tantum deſcribuntur*, *quia facile à notâ aliqua certâ*, *ipſis peculiari*, *& ſpecifice conveniente*, *à reliquis figuratis diſcernuntur.*

Piſum *ſiliquâ curvâ*, *planâ ſeu depreſſâ*, *nobis.*

Piſum *fructu majore albo*, *ovato*, *nobis. Piſum fructu minore viridi*, *vel minore ſubcæruleo*, *nobis.*

PISUM FLORE RUBRO.

Piſum *maximum*, *ſubfuſcum*, *anguloſum*, *& minus ſubfuſcum.*

Piſum *majus variegatum ex gilvo & punctis nigris*, *& minus variegatum*, *& ſi quæ aliæ ſpecies aut varietates annuæ Piſorum*, *flore rubello donatorum*, *ſuis nominibus adaptatis quam facillime poterint nominari à detegentibus & obſervantibus differentiam.*

5. Piſum *ſpontaneum*, *perenne*, *humile*, *repens*, *nobis. Silveſtre perenne*, *Ger. C. B. P. Spontaneum maritimum Anglicum*, *& aliud maritimum Britannicum*, *Park. (qui duas apponit figuras*, *diverſimode pictas*, *pro una & eadem plantâ*, *ſed fruſtra*, *monente Johanne Raio*, *cum una tantum reperiatur ſpecies perennis Piſi diſtincta hic in Angliâ) Piſum ſilveſtre*, *Ad. Lob. Cluſ. Hiſt. Ger. Tab. qui inutiliter itidem duas appingit figuras ſub nomine majoris & minoris*, *à quo mutuatus eſt Parkinſonus. Piſum ſilveſtre*, *Pannonicum*, *Cam. Silveſtre*, *I. B.*

6. Piſum *ſpontaneum nanum inter triticum*, *nobis. Silveſtre* 1. *Park. Piſum vulgare parvum arvenſe*, *I. B.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI.
Aliorumque Authorum.

Pag. 343. col. 1. pl. Piſum veſicarium fructu nigro, alba macula notato, C. B. P. Piſum cordatum & cor Indum, Lob. Eyſt. &c. Secundum doctrinam noſtram ex libro naturæ hauſtam, hæc plantula male pro ſpecie Piſi hic collocatur inter Piſa, quorum nota eſſentialis huic neutiquam convenit. Nos brevibus, argumentando à definitione ad definitum, concludemus male hic inſeri hanc plantam. Primo omnia Piſa proprie dicta florem habent papilionaceum, atque eidem ſuccedentem ſiliquam bivalvem, continentem in prona parte ſeriem ſeminum &c. At hæc plantula nullatenus cum Leguminibus, multo minus cum Piſis convenit, nec flore, nec ſiliqua, nec ſemine; ergo eſt à Piſis averruncanda, atque alio mandanda, ut docuimus in Prælud. Botanicorum pag. 343. Eſt enim Heteroclita & ſui generis planta, nec vult aſſociari aliis, à fine ultimo, id eſt modo florendi & fructificandi, multo minus Piſis. Vide explicationem Tab. 4. Sectionis primæ, verſus finem: illic dilucide explicatur, & ibidem eandem collocavimus propter ſcandendi facultatem capreolis, neſcientes quo melius & aptius referre, appellando Halicacabum peregrinum veſicarium, fructu nigro macula alba notato, propter veſicam tribus loculamentis diſtinctis ſeparatam, & in ſingulis loculamentis unicum granum nigrum, alba macula cordiformi inſignitum. Sic appellavimus cum aliis nomenclatoribus, etiamſi neutiquam conveniat Halicacabo Solano, ut poſtea notabimus. Si minus apte illic inter ſcandentes, ad finem Convolvulorum, collocatur hæc planta, aptius quilibet eandem collocet per me non ſtabit: ſed regula infallibili à Piſis eſt amandanda & ſeparanda, non obſtante authoritate tot doctorum virorum, multoties errantium, & hic, & alibi in nominibus adaptandis, neglecto fine ultimo, & obſervata ſolummodo nota generali, ut ſcandere capreolis, quod convenit multis aliis præter Legumina.

Pag. 343. col. 2. pl. 1. 11. 111. Piſum Indicum majus, minus coccineum & virulentum Chinenſe, C. B. P. Abrus, Latinis & Alpino. Non ſunt hæc Legumina Piſa dicenda, quia non donantur capreolis; ſecundo, folia habent Viciæ, multis foliolis alatis conjugatim coſtæ mediæ adhærentibus donata; tertio, ſcandunt beneficio caulium, non capreolorum; quibus (ut ſupra dictum) deſtituuntur: ergo cum Phaſeolis ſuis Leguminibus congeneribus, non cum Piſis, mea ſententia, ſuffragante mihi ratione, diſponi debuere à Caſparo Bauhino, cum ſolæ hæ Abri ſpecies inter omnia Legumina conveniunt Phaſeolis, ſi conſiderentur quoad ſcandendi caulibus facultatem. Eſt & alia ſpecies Leguminis ſcandens etiam caulibus, Aſtragalus Americanus, ſpicatus, ſcandens, radice tuberoſa, nobis. Apios Americana, Corn. Terræ glandes Virginianæ, Park. At neutiquam hic diſponi debet cum Abri ſpeciebus non obſtante foliorum diſpoſitione ſimili, & ſcandendi facultate caulibus etiam; ſed à fine ultimo, cum poſt florem emarcidum producat ſiliquam gemellam, duplicemve ſeminum ſeriem, cum ſuis conſimilibus locavimus, inter Aſtragalos ſiliqua gemella affectos. Vide hujus Sectionis Cap. 9.

Pag. 337. de Leguminibus capreolis donatis. Faba; Smilax hortenſis, ſive Dolichus, ſive Phaſeolus, & Arachidna: hæc tria Leguminum genera intermedia, male inter capreolis donata collocantur à Caſparo Bauhino (Piſum ſcilicet, Lathyrum ſive Cicerculam, Ochrum ſive Erviliam, Lentes, Viciam & Aphacam, Arachum ſive Craccam) cum nec Faba, nec Phaſeolus, ſive Smilax hortenſis, ſive Dolichus, nec Arachidna iiſdem polleant. Ex libro naturæ nos edocti, ea ad ſua ſubalterna genera, ad quæ pertinent, reduximus, ut cernere licet infra in doctrina noſtra Leguminum.

LEGU-

LEGUMINA

Sive Siliquoſæ, Papilionaceæ, Bivalves, Scandentes capreolis.

§. 2. LATHYRUS ſive CICERCULA

LEgumen, *quod Græci* λάθυρον *appellant, à Columella & Palladio Cicercula dicitur; de quo Theophraſtus* 8. *Hiſt. Plutarchus in Probl. Romanis ſcribit Pythagoricos averſatos eſſe Fabas* καὶ τὸν λάθυρον καὶ τὸν ἐρέβινθον ὡς παρωνύμους τοῦ ἐρέβους καὶ τῆς λήθης, *ad etymon alludens. Verum* λαθυρὶς *herba ab hac diverſa eſt, de qua inter Tithymalos.*

Duplex eſt, nam vel ſeritur vel ſponte provenit: & in ſilveſtri, differentia magna eſt, in foliorum latitudine & anguſtia; florum colore, rubro, purpuraſcente, albo, flaveſcente; ſiliquarum longitudine, brevitate, hirſutie & lævitate.

TABULA II.

- *Lathyrus*
  - *Latifolius*
    - *Perennis*
      - *Radice*
        - *Tuberoſâ*
          - 1. *Apios, Fuch. Terræ glandes, Dod.* ⊙
        - *Fibroſâ*
          - 2. *Luteus ſilveſtris dumetorum, nobis.* ⊙
          - *Purpureus*
            - 3. *Clymenum, Matth. Narbonenſis latiore folio, Eyſt.* ⊙
            - 4. *Alter major Narbonenſis anguſtiore folio, I. B.* ⊙
            - 5. *Minimus* ἀμφίκαρπος, *ſeu ſiliquas ſupra & infra terram producens, nobis.* ⊙
    - *Annuus*
      - *Sativus*
        - 6. *Flore purpureo, ſemine anguloſo, nobis. Cicercula flore albo vel purpureo, Park.* ☿
      - *Arvenſis*
        - 7. *Eyſt. Dod. ſiliquis Piſi minoris, nobis.* ☿
        - 8. *Siliquis hirſutis, nobis. Lathyrus ſiliqua hirſutâ I. B.* ☿
        - 9. *Bœticus flore luteo, Park.* ☿
        - 10. *Luteus foliis Convolvuli minoris, nobis. Aphace, Dod. ut.* ☿

TABULA III.

      - *Peregrinus*
        - 1. *Tingitanus ſiliquis Orobi, nobis.* ☿
        - 2. *Bœticus elegans ſiliquis Orobi, Park. Viciaoides &c. ſiliquis Orobi, nobis.* ☿
        - 3. *Ægyptiacus, Cam. Cicercula Ægyptiaca, Cluſ. Hiſt.* ☿
  - *Anguſtifolius*
    - *Leptomacrolobus*
      - *Semine*
        - 4. *Rotundo, flore rubello, nobis.*
        - 5. *Anguloſo, flore cæruleo, nobis.*
    - 6. *Brachyplatolobus anguſtiſſimo folio, floribus rubris, nobis.*
    - 7. *Silveſtris minor*, C. B. P. *Catanance, Dod. Gall. Lugd. Hiſt.*
  - 8. *Folio integro, producente bina capreolos emittentia, nobis. Ochrus ſilveſtris ſive Ervilia, Ad. Lob.*
- *Lens*
  - 9. *Minor, I. B.*
  - 10. *Major, I. B.*

Lathyrus

Explicatio Tabulæ ſecundæ, Sectionis ſecundæ.

Lathyrus convenit cum cæteris Leguminibus ſcandentibus capreolis, florum figura papilionaceâ & ſiliquis bivalvibus: ſed à cæteris ſcandentibus capreoli ſdiffert in hiſce, quòd folia binatim producat cingentia caulem latiore baſi, atque deſinunt utplurimum in acutum mucronem, quæ pariter angulum conſtituunt acútum, ſive ſint latiora, ſive anguſtiora, longa, brevia, glabra ſive hirta: caules ramoſque producit anguloſos, id eſt alâ membranaceâ cinguntur hinc inde & caules & rami; quæ membranacea ala extenditur ab ortu ſingulorum foliorum ad ſubſequens inferius geniculum. Hoc eſt Symbolum, ſeu nota ſubalterna generica, qua cognoſcitur & diſtinguitur omnis Lathyrus à reliquis Leguminibus ſcandentibus capreolis.

LATHYRI LATIFOLII PERENNES.

1. *Lathyrus* arvenſis, radice tuberoſâ, repente, nobis. Terræ glandes, Dod. Ad. Lob. Apios, Fuch. Trag. Terræ glandes ſeu Lathyrus hic arvenſis, radice tuberoſa, repente, donatæ, infirmis ſeu exilibus cauliculis exeunt: folia tenuia & parvula, oblongis & tenuibus adnaſcuntur pediculis: flores in ſummis caulibus Piſo omnino ſimiles, ſed minores utplurimum, & ex purpura rubent; odoris non ingrati Roſarum pallidarum, quorum ſingulis ſiliquæ parvulæ, oblongæ, compreſſæ, ſimul plurimæ congeſtæ ſuccedunt, in quarum ſingulis ſemina quaterna aut quina, rotunda, compreſſa, videre licet: radices craſſæ, oblongæ; glandibus corporis humani formâ quodammodo ſimiles, ſed multo majores, foris nigræ, intus albicantes; ſapore fere Caſtaneæ, à quibus inferius longæ tenueſque fibræ dependent; exeunt & ab eiſdem aliæ fibræ juxta caulis exortum, quibus oblique ſerpentibus aliæ adhuc adnaſcuntur glandulæ, radicibus ita ſe multiplicante ſtirpe hac leguminoſâ arvenſi.

Lathyrus Bœticus flore luteo, Park. Hic 2dus in Tab. ænea ſculptus, ſit 9nus ordine, quia eſt planta annua. Vide infra in explicatione 9næ.

2. *Lathyrus* ſilveſtris & dumetorum, flore luteo, nobis. Luteus ſilveſtris dumetorum, I. B. Cauliculi hujus ſunt tenues, imbecilles & anguloſi ſeu ala membranacea hinc inde obſiti, qui capreolis ſuis vicinis ſtirpibus ſeſe implicant: folia parva oblonga, mucronata, binatim etiam aliorum more ex oppoſito cohærent cauliculis, cana lanugine obducta, pediculo capreolum emittente: floſculi minores papilionacei & lutei: radix tenuis longe lateque ſerpit ac repit, at nullas glandes extuberantes à radicibus profert, ut ſuperior, qui eſt radice tuberoſa & repente. Durabilis tamen in multos annos, ſeſe rependo radicibus propagat uberius, quam ſeminibus.

3. *Lathyrus* latifolius, C. B. P. Clymenum, Matth. Hæc Lathyri ſpecies folia ſua bina longiſſima & lata ſatis itidem habet, alas membranaceas valde conſpicuas, caules hinc inde cingentes, atque cæteris hujus claſſis omnibus partes majores paſſim protrudit: flores producit plurimos ſimul junctos ſatis amplos, Piſi magnitudine æmulos, duplici rubore, ſaturatiore interius & dilutiore exteriùs conſtantes: odorem emittunt ſatis gratum: floribus ſingulis deciduis ſuccedunt ſiliquæ omnium longiſſimæ, quarum ſingulæ continent novena, dena, ſemina rotunda, nigra, aut potius ſubfuſca. Radice conſtat nodoſâ, nigrâ, ſerpente, & profunde ſatis in terram deſcendente. Male à Lobelio λαθυρὶς dicitur, Lathyris enim de Cataputia minore officinarum dicitur.

4. *Lathyrus* anguſtifolius alter, I. B. Lathyrus ſilveſtris major, C. B. P. Hic tertio latifoliio in omnibus accedit, præter exiguitatem ſuarum partium omnium; eſt enim planta in ſilvis cæduis unà cum latifolio in meridionalibus proveniens; radicibus ſuis longe repentibus pariter in multos annos durans, ſicut & latifolius. Uno verbo folia ſunt multo anguſtiora: flores minores etiam, & dilutius ſuperioris rubentes: ſemina minora, minoribus & brevioribus ſiliquis incluſa: in cæteris omnibus cum majore convenit.

5. *Lathyrus* ἀμφίκαρπος ſeu ſupra infraque terram ſiliquas gerens, nobis. Hæc parvula Lathyri ſpecies cauliculos pedales, per terram ſtratos gerit, ad quorum ſingula genicula producuntur bina foliola anguſta, mucronata, atque ex alis inter cauliculos & folia protruduntur capreoli curti, & petioli breves itidem, ſuſtinentes flores dilute rubicundos, papilionaceos, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ unciales, duplici membranacea alâ in prona parte cinctæ, quemadmodum obſervare licet in Lathyro ſativo, & Ægyptiaco, inque ſingulis continentur bina aut ad ſummum terna ſemina, rotunda; radice conſtat ſatis numeroſâ,

meroſâ, fibrillis juncta; atque inſuper ſiliquas intra terram gerit continentes in ſe ſemina, ſeminibus ſiliquarum floribus ſuccedentium ſupra terram paria, Arachidnæ Theophraſti inſtar. Hujus ſemina communicata habuimus ex civitate Aſiæ Chalepo dicta, à Domino *Roberto Huntington* Collegij Mertonenſis Socio digniſſimo, cum multis aliis rarioribus Aſiæ plantis, de quibus omnibus, loco & tempore dicemus in ſingulis ſectionibus infra exhibendis. Vide figuram in appendice ad Legumina. Provenit in Aſia, Syriaque ſponte: floret apud nos Auguſto & Septembri; Octobri maturantur ſemina in ſiliquis, cum ſupra, tum infra terram. De viribus non conſtat: nec alia adhuc ei indita ſunt nomina præter ſuperius à nobis aſſignatum.

LATHYRI LATIFOLII ANNUI.

6. *Lathyrus* ſativus minor ſemine anguloſo, nobis. Sativus flore fructuque albo vel purpureo, C. B. P. Lathyrus hic ſativus flores edit papilionaceos, albos, rubros; albis floribus ſuccedunt alba ſemina bina, terna, anguloſa: rubris autem floribus ejuſdem ſuccedunt etiam ſemina rubra, anguloſa, bina, terna, contenta in ſiliquis curtis bivalvibus, ſemiuncialibus, in quarum prona parte eſt duplex ala membranacea hinc inde ducta; atque hiſce notis quam facillime à cæteris omnibus ſuæ tribus (præter Lathyrum Ægyptiacum tertium in ſequenti Tab. & amphicarpum 5. in hac Tabula deſcriptum, cujus icon exhibetur in App. ad Legumina) diſtinguitur. Radice conſtat gracili, fibroſa, pereunte poſt fructum ad maturitatem perductum.

7. *Lathyrus* arvenſis ſiliquis Piſi minoris, nobis. Hæc parvula & annua Lathyri ſpecies convenit cum antedictis & ſequentibus Lathyris in omnibus partibus generaliter eſſentialibus, atque facile cognoſcitur ſola ſiliqua minore, curta, cylindracea, adinſtar Piſi minoris.

8. *Lathyrus* arvenſis, annuus, luteus, ſiliquis hirſutis, nobis. Hic itidem convenit in partibus generaliter Lathyris aſſignatis, at pediculi ſuſtinentes flores luteopallidos ſeu potius ochroleucos ſunt longi, ſeſquipedales aliquando, vulgo palmares, ſecundum ſolum cui innaſcitur: ſiliquæ ſunt longæ, aſperæ ſeu potius hirſutæ; ſemina itidem ibidem contenta ſunt rotunda, ruffa, vel nigricantia, ſuperficie criſpa, aſpera hirtave.

9. *Lathyrus* Bœticus flore luteo, Park. Hic caules profert ternos, quaternos, ulnam excedentes, binis alis membranaceis hinc inde cinctos; more omnium aliorum Lathyrorum, quin & bina foliola brevia, latiuſcula, angulum acutum conſtituentia mediantibus cauliculis; inter caulem & alia foliola protruduntur capreoli, quibus proxima quæque aſtantia adminicula apprehendit: flores fert luteos, venis purpureis diſtinctos, quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ longæ, plurimæ ſimul junctæ, in quibus continentur ſemina rotunda, aſpera, quina, ſena, nunc plura, nunc pauciora.

10. *Lathyrus* luteus, annuus, foliis Convolvuli minoris, nobis. Aphaca, Lob. Lathyrus hic aſſurgit caulibus tenuibus, anguloſis & quadratis, geniculatis, Lente multo altioribus; folia ei ſunt parva, tenuia, latiuſcula ad baſin, & auriculata, quæ caule perforari videntur, atque in acutum mucronem deſinunt; è ſingulis geniculis bina ſubinvicem opponuntur, & ex horum ortu verſus pediculum tenues viticulæ, & graciles pediculi ſimul oriuntur, flores gerentes ſingulares papilionaceos, parvos, luteos, quos ſiliquæ ſequuntur ſingulares, parvæ, latæ, Lentis multo longiores, in quibus ſingulis ſemina quatuor quinave lata, nigra, dura, rotunda, latent, Lentis ſemine pariter minora: radicibus innititur parvis fibroſis. Vicia lutea foliis Convolvuli minoris dicitur Caſp. Bauhino, ſed perperam, etiamſi nos itidem inadvertenter ejus iconem inter Vicias collocavimus in Tab. 4. loco quinto, hoc nunc retractamus, quia non habet conditiones requiſitas ad Viciam conſtituendam, id eſt plurima folia uni rachi ſeu nervo medio conjugatim ſeu lobatim adherentia, veluti vulgo omnes Viciæ ſpecies poſſident. Sed cum bina folia ex oppoſito cauli adnata, angulum acutum conſtituentia gerat, atque caulem quadratum alis quatuor parùm eminentibus donatum, revocavimus huc (ad congenera ſua Legumina) Lathyrorum claſſem. Vide iconem loco quinto in Tab. 3. inter Vicias, ſed remitte huc nobiſcum ex libro naturæ edoctus.

LOCUS & TEMPUS.

1. Lathyrus *arvenſis radice tuberoſâ repente, nobis. Terræ Glandes, Dod. Ad. Lob. Hic provenit in agris frumentaceis, tum unà cum ipſis frugibus, tum circa margines agrorum: in rubetis & ſenticetis reperiuntur terræ Glandes affatim in Germania ſuperiore, Bohemiæ Belgiæque plurimis locis etiam ſponte. In Gallia paſſim itidem à nobis repertæ terræ Glandes, ſed nuſquam abundantius quam inter fruges circa Blæſas ſatas, quarum flores ſuaviſſimum eructabant odorem, Roſarum pallidarum in agris illic cultarum æmulum. Seri poteſt hic Lathyrus radice tuberoſâ, etiam ſemine, ſed multo magis multiplicatur & citius perficitur radice; una enim glans ſeu tuber nodoſum in terram ſi demittatur, in plures brevi ſeſe propagat: floret Junio & Julio, atque cum frugibus demetitur, & menſe Septembri aut Octobri poſt meſſem collectam agris aratro denuo evolutis apparent, & colliguntur radicum glandes copioſo numero, ab indiginis etiam coctæ eſitantur. Per totam hyemem agri qui hiſce glandibus referti ſunt, à porcis ſuibuſve quam facillime deteguntur, atque eædem ab ipſis effoſſæ roſtris, avide devorantur, quibus cito impinguantur.*

2. Lathyrus *luteus ſilveſtris dumetorum, I. B. Hic etiam ſecus agrorum & ſilvarum margines, & in aliis locis paſſim ſponte provenit: floret per totam fere æſtatem, atque verſus finem Julii & initium Auguſti perficiuntur ſiliquæ oblongæ, parvulæ, compreſſæ, ternæ, quaternæ, ex communi petiolo pendentes; ſemina quina, ſena, rotunda circulariter, at compreſſa quodammodo reperiuntur.*

3. Lathyrus *latifolius, C. B. P. Clymenum, Matth. Sponte hic provenit in locis gramineis ſiccioribus Pannoniæ; etiam Auſtriæ & Stiriæ pratis naſcitur: floret per totam æſtatem & verſus finem ejuſdem ſemina ſua perficit: frequentius in Auſtriâ reperitur, teſte Carolo Cluſio.*

4. Lathyrus *major ſilveſtris, C. B. P. Alter major Narbonenſis anguſtiore folio, nobis. Anguſtifolius, I. B. Floret in agro Francofurtenſi; etiam in ſilvis Burgundiacis mihi ſæpe obvius fuit & hic, & latifolius ſuprà nominatus Clymenum Mattheoli. In Gallia Narbonenſi teſte Lobelio & Johanne Bauhino; flores utriuſque per totam æſtatem fere conſpicuos, ad topiarias & perticales ſcenas ſeu attegias ornandas aptos conſpicere licet, unde abuſive dicuntur Piſa ſempiterna apud Anglos hortulanos, à diuturno florendi tempore: ſemina utriuſque maturantur exeunte æſtate.*

5. Lathyrus ἀμφίκαρπος, *ſeu ſupra infraque terram ſiliquas gerens, nobis. Ex ſemine Halepâ ad nos miſſo floruit ſub finem Junii, & ſemina cum ſupra tum intra terram maturavit Novembri.*

6. Lathyrus *ſativus minor ſemine anguloſo, nobis. Sativus flore fructuque albo vel purpureo, C. B. P. Hic colitur in hortis & arvis Italiæ, Galliæ, & alibi etiam locorum: ubi ſponte proveniat, hucuſque ab authoribus ignoratur: floret ineunte Maio, & ſiliquas perficit æſtate.*

7. Lathyrus *arvenſis ſiliquis Piſi minoris, nobis. Provenit in arvis Frumento, Hordeo, aut Avena ſatis, ubi floret ineunte æſtate, eâdem exeunte ſemina ſua rotunda minora perficit. Reperitur & fructu albo & variegato.*

8. Lathyrus *arvenſis annuus luteus ſiliquis hirſutis, nobis. Lathyrus ſiliqua hirſuta, I. B. In agris Charmont, nec non verſus agros Chaſtenoy circa agrorum illic limites à Johanne Bauhino repertus, eundem etiam Audincourt verſus florentem Junio, & ſemine maturo onuſtum Auguſto obſervavit idem Ioh. Bauhinus. Itidem circa Lugdunum & Baſileam invenit Caſp. Bauhinus. Nos inter ſata circa Blæſas, & intra ſepta Regiæ Chambort in ſatis pariter, frequenter reperimus. Lathyrus purpureo flore, ſiliquis hirſutis, nobis. Hic facile diſtinguitur, à primo intuitu floris ſui purpurei ab arvenſi luteo ſiliquis hirſutis.*

9. Lathyrus *Bœticus flore luteo, Park. (debuit hic collocari ordine nonus ſequendo durationem inter annuos, etiamſi ſecundo loco ſculpitur in Tab. ænea) In Bœtica atque alibi locorum in agris frumentaceis Hiſpaniarum provenit: floret illic ineunte æſtate, & paulo poſt menſem ſemina ſua perficit.*

10. Lathyrus *luteus foliis Convolvuli minoris, nobis. Aphace, Dod. ut. (in agris frumentariis læto pinguique ſolo, unà cum Tritico, Secali, atque aliis frugibus exit: floret Maio, atque ejus ſemen per totam æſtatem maturatur.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Lathyrus *arvenſis radice tuberoſa repente, nobis. Terræ glandes, Dod. Coctæ ac in cibo aſſumptæ, difficilius quam Rapæ aut Paſtinacæ radices concoquuntur, alimenti tamen non minus quam Paſtinacæ radices ſubminiſtrant, minus quam illæ inflant, tardius deſcendunt, ventrem quoque aſtringunt: crudæ etiam eſitatæ difficilius concoquuntur, & ægrius deſcendunt: ſunt mediocriter calidæ & magis ſiccæ cum non exigua aſtrictione, inde non ſolum ventris fluxiones, ſed & ſanguinis fluores, præſertim ex utero aut per veſicam, reprimunt.*

6. Lathyrus *minor ſativus ſemine anguloſo, nobis. Sativus flore fructuque albo vel purpureo, C. B. P. Deſiccat exceſſu ſecundo, calefacit verò primo; idem capitis gravitatem facit, ventrem turbat, ſanguinemque per urinam ducit, ſi comedatur ejus fructus: coctus tamen bobus appoſitus eoſdem ſaginat: farina ejus bonam facit alvum, urinam cit, corporis colorem commendat. Frequentior ejus uſus in eſu, aut potu, ſanguinem cum torminibus per alvum & veſicam ducit: ulcera cum melle purgat: lentigines & aſpredinem cutis in facie, ejuſdemque maculas, & reliquum totum corpus mundum reddit. Nomas gangrenaſque cohibet, & mammarum duritiem emollit; fera ulcera, carbunculos favoſque rumpit. In vino macerata ſemina, canum, hominum, viperarumque morſus illita ſanant. Cum aceto autem difficultates urinæ, tormina & teneſmos lenit. Prodeſt etiam iis, qui cibo non nutriuntur, nucis magnitudine frixa & cum melle ſumpta. Decoctum ejus, fovendo, perniones & in corpore pruritus ſanat ex Galeno. Lathyrus ſativus quatenus eſt amaritudinis particeps, eatenus incidit, extergit, atque ab obſtructionibus liberat. Ad hominum cibos prorſus damnatur hujus ſemen, eſt enim inſuaviſſimum & pravi ſucci. Lathyri ſativi ſive Ervi ſemine, inſtar Lupini præparato, cum melle utimur, ut medicamento craſſos pulmonis thoraciſque humores expurgante. Candidum ſemen minus medicamentoſum rubro. In medicina & cibis (teſte Trago) non aliter quam Cicer arietinum uſurpatur; urinam ciet efficacius Cicere arietino, in cibo gratius, in cæteris omnibus Ciceri arietino reſpondet. Lathyri ſativi ſemen quoad ſubſtantiam accedit Phaſeolis ſeu Ervíliæ; indigenæ Aſiæ eodem modo iis utebantur, quo in Alexandria aliiſque circumjacentibus locis; quin & eadem pro pultibus ſicut Lentes uſurpabant, ſed conſiſtentiæ ſunt ſpiſſioris, & ideo plus nutriunt quam Lentes. Cæteræ Lathyri ſpecies non pro cibo aut medicina uſurpantur.*

NOMINA.

1. Lathyrus *arvenſis radice tuberoſa repente, nobis. Arvenſis tuberoſus repens, C. B. P. Lathyrus arvenſis, Park. Apios, Fuch. Lugd. Hiſt. Pſeudoapios, Matth. Terræ glandes, Dod. Ad. Lob. Ger. Glandes terreſtres, Cluſ. Hiſt. Chamæbalanos leguminoſa, I. B. Arachidna, Colum.*

Lathyrus *Bæticus flore luteo, Park. Sculpitur ſecundus in Tab. ænea, ſed collocatur in Tab. cognationis, & in explicatione paſſim nonus ordine propter durationem.*

2. Lathyrus *ſilveſtris dumetorum flore luteo, nobis. Lathyrus ſilveſtris luteus, foliis Viciæ (perperam & inepte ſic dicitur à Caſp Bauhino, cum omnibus Lathyri conditionibus polleat, non vero Viciæ) C. B. P. Silveſtris floribus luteis, Thal. Legumen terræ glandibus ſimile, flore luteo, Dod. deſc. Luteus ſilveſtris dumetorum, I. B. Silveſtris flore luteo, Ger.*

3. Lathyrus *latifolius, C. B. P. Clymenum, Matth. Lathyrus ſilveſtris latifolius, Cam. Narbonenſis latiore folio, Ad. Lob. Eyſt. Silveſtris major ſive purpureus, Thal. Major perennis, Park. (qui falſo appoſuit figuram Lathyri ſilveſtris floribus luteis.) Major latifolius, Ger. Major ſpecioſior flore purpureo, I. B.*

4. Lathyrus *major ſilveſtris, C. B. P. Anguſtifolius alter ſeu major Narbonenſis anguſtifolius, I. B.*

5 Lathyrus *perennis radice fibroſâ purpureus* ἀμφίκαρπος, *ſeu ſupra infraque terram ſiliquas gerens, nobis.*

6 Lathyrus *minor ſativus ſemine anguloſo, nobis. Sativus flore fructuque albo vel purpureo, C. B. P. Silveſtris flore albo & purpureo, Cam. Anguſtifolius flore albo vel rubro, Ger. Lathyrus ſemine anguloſo, I. B. Lathyrus ſive Cicercula, Aracus ſive Cicera, Dod. (qui duas exhibet figuras, quem ſequuti ſunt reliqui authores poſt ipſum ſcribentes) & Aracus alter ſeu Lathyrus minor, Dod. Ervum album ſativum, Fuch. Lathyrus ſativus anguſtifolius, Lugd. Cicercula flore albo vel purpureo, Park.*

7. Lathy-

7. Lathyrus *arvenſis ſiliquis Piſi minoris*, *nobis.*
8. Lathyrus *arvenſis*, *ſiliquis hirſutis*, *nobis. Lathyrus ſiliqua hirſutâ*, *I. B.*
9. Lathyrus *Bœticus flore luteo*, *Park. Inadvertenter hic ſecundus in Tab. ſculpta locatur: cum ſit planta annua, nono loco diſpoſuimus in Tab. cognationis & in explicatione. Quilibet poterit hunc lapſum obſervare & ſimul corrigere nobiſcum.*
10. Lathyrus *luteus foliis Convolvuli minoris*, *nobis. Aphace Dod. ut. Vicia lutea foliis Convolvuli minoris*, *C. B. P. (male à Caſp. Bauhino adaptatur ei nomen Viciæ, ut ſupra innuimus) Aphaca*, *Ad. Lob. Cam. Park. Aphace Dod*[ei] *Pitine Theophraſti*, *Anguil. Cam. Orobanche Leguminum*, *Lugd. Elatine tertia*, *Tab. Aphace Dioſcoridis*, *Galeni*, *Plinii non Theophraſti*, *Dod. ut. Vicia quæ Pitine Anguil. lata ſiliqua*, *flore luteo*, *I. B.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 343. col. 1. pl. 1. Lathyrus ſativus flore fructuque albo, & pag. 344. col. 1. pl. 11. Lathyrus ſativus flore purpureo, ſunt varietates tantum diverſæ ejuſdem ſpeciei, variantes quoad florum, conſequenter fructuum colorem. Ergo male à Caſparo Bauhino, Dodonæo, & Camerario pro duabus diſtinctis ſpeciebus habentur: nec enim multiplicari debent entia ſine neceſſitate.

L E G U M I N A

Sive Siliquoſæ Papilionaceæ Bivalves,

Scandentes capreolis.

§. 2. LATHYRUS ſive CICERCULA.

Explicatio Tabulæ tertiæ, *Sectionis ſecundæ.*

LATHYRI LATIFOLII ANNUI.

1. *Lathyrus* Tingitanus ſiliquis Orobi, flore amplo ruberrimo, nobis. Hic Lathyrus annuus cauliculos profert quatuor cubitos altos, duplici membranâ cinctos, adinſtar latifolii, ſeu Clymeni Mattheoli: flores autem profert binos papilionaceos maximos, ſaturate & eleganter rubros, palmaribus petiolis innitentes, quorum ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ longæ, propendentes, tumidæ ubi apparent ſemina, & in interſtitiis ſeminum depreſſæ, ſeu ſiliquis inter grana & grana junctis, adinſtar Orobi ſativi; unde nos eum Orobi ſiliquis deſignavimus: ſemina ſunt Piſi minoris magnitudine.

2. *Lathyrus* Viciaoides floris vexillo Phœniceo, foliis labialibus ſubalbeſcentibus, ſiliquis Orobi, nobis. Lathyrus Bœticus ſiliquis Orobi, Park. Hic ad tricubitalem aſcendit altitudinem, atque à principalibus caulibus coſtas emittit ſpithamam & ſeſquiſpithamam excedentes, quæ duplici alâ membranaceâ, hinc unâ illinc alterâ cinguntur; quod eſt ſymbolum ſeu nota generica, Lathyro ab initio doctrinæ Lathyrorum aſſignata; ſingulis coſtis, ex geniculis caulium ortis, terna ſæpe, nunc quaterna folia oblonga in medio latiora, atque in exortu & fine in mucronem acutum deſinentia adnaſcuntur; quæ conjugatim ſic poſita, Viciæ modo, coſtis ſuis ex geniculis ortis adhærent: Lathyrus à nota eſſentiali toti generi convenienti, ſcilicet ala membranacea hinc inde cingente caulem; & Viciaoides, à forma foliorum Viciæ more diſpoſitorum, dictus, apte deminabitur à nobis Lathyrus Viciaoides, deſumendo denominationem à nota eſſentiali, alis ſcilicet membranaceis, quæ ſemper & omni Lathyro conveniunt; junctis floribus & ſiliquis propendentibus conformis eſt Lathyris, non Viciis, quæ in his utplurimum ſunt erectæ, niſi in minore Vicia Cracca dicta, atque Viciaoides conſtituit ſpeciem diſtinctam à reliquis prædictis omnibus; ſiliquæ Orobi inſtar

additæ, facile diſtinguunt hunc ſpecificum Lathyrum à cæteris ſuæ ſortis. Inſuper vexillum floris Phœniceum eſt, labialia autem petala ſubalbeſcunt, perlarum inſtar.

Lathyrus viciaoides, vexillo rubro, labialibus petalis roſtrum ambientibus cæruleis, ſiliqua plana, nobis. A colore floris, & ſiliquis non Orobi, ſeu inter grana & grana conjunctis, ſed planis adinſtar ſiliquarum Clymeni Mattheoli. Hic facile diſtinguitur à ſecundo Lathyro viciaoide, ſine longiore ſerie verborum.

3. *Lathyrus* Ægyptiacus ſive Aracus Hiſpanicus, Cam. Lathyrus anguſtifolius (ſed perperam, eſt enim latifolius) ſemine maculoſo, C.B.P. Cicercula Ægyptiaca, Cluſ. Hiſt. Hic Lathyrus peregrinus Ægyptiacus, neque foliis, neque caulibus membranaceis reliquiſque partibus à cæteris differt; cauliculi tamen ejus valde ſunt infirmi, & niſi ſuſtineantur aliorum more, humi procumbunt: geniculis caulium conceſſa ſunt bina foliola breviora anguloſa, è quorum ſinu, inter folia prædicta & caulem, prodeunt oblongo petiolo innixa bina alia folia longiora & lata, angulum acutum conſtituentia, qui petiolus ſeu coſta media deſinit in capreolum nonnunquam bifidum intortum, quo ſeſe vicinis herbis & virgultis implicat: flos hujus etiam Lathyri ſativi flori non diſſimilis, niſi quod hujus flos interne elegans ſit cæruleus, foris ex cinericeo purpuraſcens, cui defluenti ſubnaſcuntur ſiliquæ ex longis tenuibus pediculis pendentes, alatæ, id eſt ſupernè pinnatæ ſeu duplici membrana cinctæ, ut cernere eſt in vulgari ſativo, & Lathyro ἀμφικάρπῳ ſupra explicatis: in ſingulis ſiliquis bina, raro plura continentur ſemina, domeſtici ſeu vulgaris ſativi granorum magnitudine, pariter inæqualia, frequentibus nigris maculis inſignita: radix huic eſt tenuis, gracilis, ſingulis annis quoque periens. Nota Aracum à Galeno lib. de Alim. facultatibus ἀρακόν appellari, & poſteriorem nominis ſylabam per κ in Ariſtophanis Holcadibus notatam inveniri, ad differentiam videlicet alterius Arachi Ἀράχȣ per χ qui Cærealium frugum vitium eſt. Latini Arachum ſeu Craccam nominant.

LATHYRI ANGUSTIFOLII ANNUI.

4. *Lathyrus* anguſtifolius leptomacrolobus, ſemine rotundo, flore rubello, nobis. Hæc prima Lathyri ſpecies anguſtifolii folia gerit anguſta, longa & quaſi graminea: cauleſque pedales & ſeſquipedales habet procumbentes, ex quorum ſinibus oriuntur pediculi triunciales, ſuſtinentes flores minores papilionaceos, eleganter rubellos, obſoleti veluti coloris, nunc ſingulos, nunc binos; quorum ſingulis ſuccedit ſiliqua tenuis, rotunda, longa, triuncialis ſequentis ſiliquâ cum longior, tum craſſior; in ſingulis continentur ſemina novena, dena, rotunda, parvula Viciæ ſilveſtris more: radice conſtat tenui, gracili, annuatim pereunte.

5. *Lathyrus* anguſtifolius leptomacrolobus, ſemine anguloſo, flore cæruleo, nobis. Hic Lathyrus folia edit anguſtiora præcedentis, graminea pariter, ſed omnino tenuiora; florem fert parvum, papilionaceum, cæruleum, præcedentis minorem; cui ſuccedit ſiliqua anguloſa brevior & tenuior præcedentis, continens ſeptena, octona, minuta pariter, anguloſa & quaſi triquetra ſemina.

6 *Lathyrus* anguſtifolius brachyplatolobus, flore rubello, nobis. Seu potius brachyplatolobus anguſtiſſimo folio, flore minore eleganter rubello, nobis. Lathyrus folio anguſtiſſimo tenuiori, I. B. Hic palmaris, aliquando in pinguiore ſolo cubitalis Lathyrus, radice eſt tenui fibroſa: caules ex radice oriuntur crebri, per quos folia tenuiſſima, longa Caryophylli holoſtei vel graminis holoſtei minoris more proveniunt: flores parvi papilionacei, eleganter rubri, pro plantæ tamen proportione ſatis magni: ſiliquæ ſunt unciales, craſſæ, latæ, longiſſimis petiolis pendentes; in quarum ſingulis ſemina bina, aliquando terna latent, Orobi magnitudine, rotunda, aſpera, fuſcis maculis obſita, hilo pariter fuſcis lineis picto.

7. *Lathyrus* ſilveſtris minor, C. B. P. Catanance, Dod. Gall. Catanance hæc Leguminoſa dicta, Lathyrorum claſſi omnino congener eſt, conſtans tenuibus ramoſis caulibus, quibus nullæ aptatæ ſunt membranæ alatæ; folia habet graminea longa, anguſta, acuta; flores papilionaceos, longioribus petiolis ex foliorum ſinibus ortis inſidentes, palmum nonnunquam longis: ſiliquæ tres uncias ſunt longæ: plus minuſve, anguſtæ; plurima grana minuta, rotunda, nigricantia, in ſingulis decem aut duodecim continentur, nunc plura, nunc pauciora: radice innititur inutili, poſt ſemen maturum fatiſcente, & totaliter pereunte. Sitne κατανάγκη ſive amatoria, aut amatoria non bulboſa unguimilvia Dioſcoridis:

quæ

quæ quaſi neceſſitate inconcuſſa & fatali adigeret ad amandum, Catanancen vocarunt, tanquam amoris illicium neceſſarium. Plinius ejuſque coævi cordati viri conſultò figuras harum tacuerunt, nec Dioſcorides vires ſed hiſtoriam duntaxat alienam citat. De hiſce nec nos, nec quivis ſanæ mentis Philoſophus, ſoliciti multum eſſe debemus. Leguminis perfecti ſpeciem eſſe ex libro naturæ obſervamus, ut ejuſdem deſcriptio ſuprà allata hoc evidenter innuit: proinde ſemina ejus earundem eſſe virium cum cæteris ſuæ claſſis Leguminum ſeminibus certò ſcimus. Deliramenta Plinii, aliorumque cum veterum, tum neotericorum, cordatis ſaltem bene ſentientibus hujus ſeculi hominibus neglectui habere conſuleremus: res ipſas cognoſcant perfecte (ſi fieri poterit) earumque vires, ſine admiſſione tot figmentorum antiquorum, fabulis potius quam rectæ rationi aut experientiæ innitentium; hujus culpæ ſæpe ſæpius reus eſt ipſe Plinius qui ex relatione aliorum, aut antiquorum ſcriptis multa futilia & inutilia poſteris protrudit. Ipſius deſudationibus atque laboribus indefatigatis multum debet poſteritas. Quicquid ex ſe ſcripſit, bene admodum, ſed multa perperam libris ſuis reperiuntur inſerta, ex ſententia & relatione aliorum, veluti agricolarum, colonorum ruſticorum, aucupum, piſcatorum, venatorum, imo Botanicorum reique naturalis Hiſtoriæ ſcriptorum, ad manus poſterorum opera ſua tranſmittentium.

LOCUS & TEMPUS.

1. Lathyrus *Tingitanus ſiliquis Orobi, flore amplo ruberrimo, nobis. Hujus ſemina communicata habuimus ex Mauritania Tingitana, primo ab Alexandro Balam, Botanices amantiſſimo & oppidi Tingidis Syndico per aliquot annos ante obitum. Deinde nuperrime ejuſdem ſemina recentia fuerunt advecta in Angliam, ab amico noſtro* Roberto Spotſwood *ibidem chirurgo & apothecario. Floret media æſtate, & verſus ejuſdem finem maturantur ſemina.*
2. Lathyrus *viciaoides, floris vexillo phœniceo, foliolis labialibus ſubalbeſcentibus, ſiliquis Orobi, nobis. Hic provenit in Bœtica aliiſque Hiſpaniæ locis. Floret & ſemina perficit eodem cum priore tempore. Lathyrus viciaoides floribus labialibus cæruleis, ſiliquis Orobi & planis, nobis. Provenit circa Tingidem. Florem & ſemina producit æſtate.*
3. Lathyrus *Ægyptiacus ſeu Aracus Hiſpanicus, Cam. Locus ubi provenit ſatis manifeſte apparet in titulo aſſignato; floret & perficit ſemen æſtate, quemadmodum reliquæ omnes prædictæ Lathyri ſpecies.*
4. Lathyrus *anguſtifolius leptomacrolobus (id eſt ſiliqua tenui, longa) ſemine rotundo, flore rubello, nobis. Provenit inter ſegetes copioſe circa Blæſas; floret Julio & maturantur ſemina Auguſto.*
5. Lathyrus *anguſtifolius leptomacrolobus, ſemine anguloſo, flore cæruleo, nobis. Floret hic promiſcue cum præcedente menſe Julio inter ſegetes affatim eundo Blæſis ad villam Domini de la Noue, ad ſiniſtram ambulacri ulmorum quadruplici ſerie conſiti à Regina Catherina de Medicis, & ducentis rectà in ſilvam Blæſenſem.*
6. Lathyrus *anguſtifolius brachyplatolobus (id eſt ſiliqua brevi, lata) anguſtiſſimo folio, flore eleganter rubro, nobis. Qua itur Monſpelio Frontignianum hic reperitur in locis ſiccis & ſilveſtribus florens menſe Aprili, & ineunte æſtate ſemina ſua perficit. Semina ibidem collecta à Domino de Fray medico Turonenſi & Botanico diligentiſſimo communicata, cum plurimis aliis ſeminibus circa Monſpeliam collectis, habuimus.*
7. Lathyrus *ſilveſtris minor, C.B.P. Catanance, Dod. Gall. Hæc Catanance Leguminoſa paſſim provenit inter ſata arva, & ad ſilvarum margines ſeſe ex ſemine deciduo ſingulis annis de novo propagat; in Gallia paſſim floret ſub exitum veris, & ſemen ſuum æſtate perficit.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

De viribus & qualitatibus omnium horum Lathyrorum præter prædictos (quorum ex authoribus vires aſſignavimus) nihil dicendum relinquitur, niſi quod hominum uſui non inſerviant, ſed pecori ſaginando, cujus uſu in cibo nutriuntur & impingueſcunt homines.

NOMINA.

1. Lathyrus *Tingitanus, flore ruberrimo amplo, nobis.*
2. Lathyrus *Viciaoides floris vexillo phœniceo, foliolis labialibus ſubalbeſcentibus, ſiliquis Orobi, nobis. Lathyrus Bœticus elegans, ſiliquis Orobi, Park. Alter foliis labialibus cæruleis, ſiliquis Orobi & ſiliquis planis, nobis.*

3. Lathy-

3. Lathyrus *Ægyptiacus ſeu Aracus Hiſpanicus*, *Cam.* *Lathyrus Ægyptiacus*, *Ger. Cicercula Ægyptiaca*, *Cluſ. Hiſt.* *Cicercula Bœtica ſeu Ægyptiaca Cluſii*, *Park.*
4. Lathyrus *anguſtifolius* λεπτομακρόλοβος, *ſemine rotundo, flore rubello*, *nobis.*
5. Lathyrus *anguſtifolius* λεπτομακρόλοβος, *ſemine anguloſo, flore cæruleo*, *nobis.*
6. Lathyrus *anguſtiſſimo folio* βραχυπλατόλοβος, *flore eleganter rubro*, *nobis.* *Lathyrus folio tenuiore*, *floribus rubris*, *I. B.*
7. Lathyrus *ſilveſtris minor*, *C. B. P.* *Catanance*, *Dod. Gall. Hiſt. Lugd.* *Catanance Leguminoſa quorundam*, *I. B.* *Ervum ſilveſtre Dodoi herbariorum Ad. Lob.* *Ervum ſilveſtre*, *Ger.*

§ 3. OCHRUS ſive ERVILIA.

Quæ Theophraſto 4. cauſarum plant. 2. Ὦχρος *à luteo Ochræ colore quem medulla refert nominatur*, *& Gaza Cicera reddit. Plinio l. 18. c. 7. & aliis Latinis Ervilia dicitur. Duplex eſt*, *ſativa quæ Piſum eſt minus*, *& ſilveſtris de quâ nunc.*

8. *Ochrus* ſive Ervilia, Dod. Lathyrus folio integro, producente bina foliola, capreolos emittentia, nobis. Ochrus ſilveſtris ſive Ervilia, Ad. Lob. Hæc planta leguminoſa perfecta eſt Lathyri ſpecies (etiamſi ſeparatim ſub Ochro aut Ervilia tractetur ab authoribus) ab omnibus notis ſuis eſſentialibus, nam caules producit anguloſos ſeu membranaceâ alâ cinctos (quæ eſt præcipua nota generica, quâ Lathyri à reliquis Leguminibus ſcandentibus capreolis diſcernuntur) tricubitales, quibus non bina (intercedente caule) amplexicaulia naſcuntur folia, ſed ſimplex folium ex uno latere caulis procedens, & emittens bina alia minora quæ in capreolos abeunt, & terminantur: flores, qui pediculis ex foliorum ſinu prodeuntibus innituntur, ſunt ſingulares luteopallidi ſeu ὠχρόλευκοι: ſiliquæ ſunt erectæ & ſurſum verſus tendunt propter brevitatem petiolorum, uncias duas longæ, ſemiunciam latæ, ſecundum umbilicum ſemina in concava ſiliquæ parte nutrientes, longitudinaliter pinnatæ, ſeu duplici alâ membranaceâ (more Lathyri ſativi ſemine anguloſo, Ægyptiaci & Lathyri ἀμφικάρπου ſupra explicatorum) donatæ, in quibus continentur ſemina quina, nunc plura, nunc pauciora, mellinâ ſeu óbſcurâ quadam flavedine prædita, non exacte rotunda, ſed ex mutuo compreſſu utrinque ſeſſilia, lineâ quadam albicante media longitudine prædita; magnitudine Piſi vulgaris albi, cum quo & magna ſimilitudo, eique idem quoque eſt ſapor.

LOCUS & TEMPUS.

Ex Creta ſub nomine Papulles Creticæ ab Honorio Belli miſſum ejus ſemen; floret ineunte æſtate cum cæteris Leguminibus, *& per totam æſtivalem tempeſtatem ipſorum etiam more maturantur ejuſdem ſemina.*

NOMINA.

Lathyrus *ſive Ochrus folio uno integro*, *producente bina foliola*, *capreolos emittentia*, *nobis. Ochrus folio integro capreolos emittente*, *C. B. P.* *Lathyri ſpecies ſeu Ervilia Dodonæi*, *I. B.* *Ervilia ſilveſtris*, *Dod. ut.* *Ochrus ſive Ervilia*, *Ad. Lob.* *Ochrus ſive Ervilia flore & fructu albo*, *Park.* *Cicer Ervinum quorundam*, *Hiſt. Lugd.* *Aracus*, *Matth.*

§ 4. LENS.

Lens & Lenticula φακὸς *Dioſcoridi l. 2. c. 129. Theoph. &* φακὴ *dicitur etſi aliquibus* φακὸς *Lentem crudam:* φακὴ *vero Lentem*, *& Lentem coctam*, *& ipſum ex Lente pulpamentum ſignificet. Dicitur autem etymologico quaſi* φακακὴ *ut ſit* ἢ τὰ φάη κακοῦσα: *oculorum enim aciem hebitare Dioſcorides aſſerit. Aliis* φακὸς *ab utre qui fuit* ἄσκος, *metatheſi & mutatione unius elementi. Latinis Lens quaſi lenis dicta: nâm ut Plinius l. 18. c. 12. eâ veſcentibus æquanimitatem fieri apud authores ſe inveniſſe ſcribit.*

Genera: duplex eſt, *arvenſis & paluſtris: hic de arvenſi tantum*, *cujus plura genera Theoph. l.* 6. *Plinio*

6. Plinio l. c. Duo ſunt Lentis genera in Ægypto, alterum rotundius nigriuſque, alterum ſuâ figurâ; unde vario uſu tranſlatum ſit in Lenticulas nomen. Recentioribus colore & magnitudine differunt: ſunt enim albi majores & gratiores; ex luteo pallidi, cinerei, ruſſi minores & deteriores: ſic flores ex albis candidi, cinereis purpuraſcentes.

9. *Lens* tenuibus exit cauliculis, rectis, duriuſculis; foliolis pluribus, rachi ſeu coſtæ mediæ e regione adhærentibus Viciæ modo, ſed minoribus atque anguſtioribus: flores papilionacei exigui ſunt, colore albi aut purpuraſcentes: ſiliquæ multæ, parvæ, compreſſæ, in medio tumidæ: ſemina rotunda, compreſſa, bina, terna, in ſingulis ſiliquis, in medio utrinque etiam tumida: caules vix ſuperant pedalem aut ſeſquipedalem altitudinem: radicibus firmatur parvis. Dicitur Lens & Lenticula φακὸς & φακῆ Græcis. Poſt ſemina ad maturitatem perducta perit, quemadmodum Ochrus ſive Ervilia. Eſt major & minor, ſola magnitudine partium diſcrepantes, præcipue florum, ſiliquarum, & ſeminum; ut videre licet in ſiliquis & ſeminibus in icone ultima Tab. tertiæ Sect. ſecundæ ſculptis.

LOCUS & TEMPUS.

In hortis & agris ſeritur: floret Junio: ſemen perficitur Julio & Auguſto.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Tenent Lentes, ut ait Galenus, medium caliditatis & frigiditatis, deſiccant tamen ſecundo ordine; corticem habent aſtringentem, & ipſorum ſeminum medulla veluti caro craſſi eſt ſucci, ac ſicut terrei, auſteram exiguam habens qualitatem, cujus cortex multæ auſteritatis eſt particeps, ſuccus porro in ipſis eſt aſtringenti contrarius: quocirca ſi quis in aqua ipſas concoxerit & deinde aquam ſumpſerit, potus is alvum dejicit: at ex bicoctis Lentibus puls apparata facultatem ſucco contrariam habet, ut quæ ventris fluxus ſiccet, ſtomachum, inteſtina, & totum denique ventrem corroborat: quamobrem cœliacis & dyſentericis cibus eſt commodus. Lens vero decorticata, ut illam aſtringendi vehementiam & ea quæ ipſam ſequuntur amittit, ita magis nutrit quam quæ cortice ſpoliata non eſt: ſuccum craſſum pravumque gignit; tarde enim commeat, non tamen alvi fluxus deſiccat, ut ea cui cortex non eſt ademptus. Jure igitur qui largius hoc edulio utuntur, elephantiaſin & cancros incurrunt: ſiquidem craſſa ſiccaque cibaria ſucco melancholico generando ſunt idonea. Eandem ob cauſam viſum integrum & inculpatum hebetat, ipſum immoderate exſiccans: craſſum enim & tardiſſimum in circulatione ſanguinem reddit, igitur ad menſtruas purgationes non eſt accommoda, at muliebri profluvio eſt utiliſſima, ut ait Galenus de Alimentorum facultatibus. Somnia tumultuoſa (ut ſcribit Dioſcorides) excitat, capiti, pulmonibus, & nervis inutilis. Contra ſubverſiones ſtomachi triginta grana Lentis decorticata devorari proderit: decocta cum polentâ & illita podagras lenit, ſinus cum melle glutinat; cruſtas rumpit; ulcera purgat; decocta in aceto duritias & ſtrumas diſcutit; cum cotoneo Malo aut Meliloto medetur inflammationibus oculorum, & ſedis etiam (addito Roſarum ſucco) puſtulis; item & herpetibus ac eryſipelatoſis conducit adjectâ maris aquâ; contra mammas vero, quibus lac in grumos coit, & quæ lactis nimiam redundantiam non ferunt, cocta in aqua marina & impoſita auxiliatur Lens. Oblatus pultibus ex Lentibus coctis Eſau fratri ſuo Jacob primogenituram vendidit, quæ neutiquam tanti fuere, ſed eo penuriæ præ fame redactus libere diſpoſuit Jacobo primogenituram, ut legere eſt Gen. c. 25. verſu ultimo, Ιακὼβ δὲ ἔδωκε τῷ Ησαῦ ἄρτον καὶ ἕψημα φακοῦ καὶ ἔφαγε καὶ ἔπιε καὶ ἀναστὰς ᾤχετο καὶ ἐφαύλισεν Ησαυ τὰ πρωτοτόκια. *Jacob dedit Eſau panem & decoctum Lentis, & comedit & bibit & ſurgens abiit, & parvi fecit Eſau primogenita ſua.*

NOMINA.

Lens *vulgaris minor, nobis. Vulgaris, C. B. P. Lens vulgaris ſive agreſtis & Lenticulæ primum genus, Trag. Lens minor, Dod. Lob. Icon & Obſ. Cam. Ep. Ger. Minor I. B.*

Lens *major, C. B. P. Ger. Cam. Ep. Lens, Matth. Lob. Major, I. B. Lens ſativa, Lenticulæ alterum genus, Trag.*

LEGU-

LEGUMINA

Sive Siliquoſæ Papilionaceæ Bivalves,

Scandentes capreolis.

§. 5. VICIA & APHACA.

Galenus 2. Alim. ſcribit ab Aſianis Βικίον *dici Legumen, eoque ſolo nomine id vocari: Atticis vero* Σάθρακον *aut* Κύαμον. *Latinis Vicia nominatur à vinciendo, ut Varroni placet; quod item capreolos habeat ut Vitis, quibus ſurſum verſus ſcandit, ad ſcapum Lupini, aliumve calamum, cui ut adhæreat, eum vincire ſolet. Et hæc duplex eſt, ſativa & ſilveſtris.*

APHACA.

Legumen Dioſcorides l. 20. c. 178. ἀφάκην *nominat, quæ in arvis naſcitur, Lente altior, ſiliquis Lentium majoribus, in quibus ſemina terna, quaternave, nigra, Lente minora. Theophraſto Aphaca duplex; altera olus eſt, de qua inter Intubacea: altera Legumen, quod cum Lente & Piſo in Leguminum genere 8. Hiſt. 5. poſuit, & Plinius l. 24. c. 5. Theophraſtum ſoquutus eſt: Galenus cum Vicia conjunxit.*

TABULA IV.

- *Vicia*
  - *Perennis*
    - 1. *Multiflora cærulea ſpicata ſepium, nobis. Multiflora, C. B. P.* ⊙
    - *Multiflora cærulea ſpicata major, floribus albis, lineis cæruleis notatis, nobis.* ⊙
    - 2. *Maxima dumetorum, C. B. P.* — *Semine*
      - *Fuſco, nobis.* ⊙
      - *Nigro, nobis.* ⊙
    - *Hirſuta ſeu incana ſilveſtris, flore albo, nobis. Vicia ſilveſtris, flore albo, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - *Annua*
    - *Maxima* — 3. *Narbonenſis fructu rotundo atro,* — *Foliis*
      - *Serratis* ☿
      - *Integris* ☿
    - *Major*
      - *Lutea*
        - *Siliquis hirſutis*
          - *Propendentibus*
            - 4. *Craſſioribus, nobis.* ☿
            - 5. *Tenuioribus, nobis.* ☿
          - 6. *Erectis, nobis.* ☿
        - 7. *Foliis Convolvuli minoris, nobis.* ☿
      - 8. *Alba maritima, flore albo, longo, nobis.* ☿
      - *Purpurea*
        - *Sativa, Semine*
          - 9. *Variegato ſiliquis propendentibus, nobis.* ☿
          - 10. *Albo Piſi minoris inſtar, folio cordato, nobis.* ☿
          - 11. *Nigro & vario, folio acutiore, nobis.* ☿
          - *Minore ſubviridi Chalepo miſſo, nobis.* ☿
        - *Silveſtris, Siliquâ*
          - *Nigrâ, nobis.* ☿
          - 12. *Subfuſcâ folio rotundiore acuto, C. B. P.* ☿
    - *Minor*
      - *Purpurocærulea ſpicata procumbens, nobis.* ☿
      - *Purpurea ſeu rubra, verna vel præcox* — *Semine Parvo*
        - 13. *Nigro rotundo, nobis.* ☿
        - 14. *Cubico, nobis.* ☿
    - *Minima* — *Segetum, ſiliquis*
      - 15. *Pluribus hirſutis, flore albo, nobis.* ☿
      - 16. *Paucis glabris, flore dilute cæruleo, nobis.* ☿

Explicatio

Explicatio Tabulæ quartæ, Sectionis ſecundæ.

Finitâ explicatione Lathyrorum in ſecunda Tab. & inſuper Lathyrorum Ochri & Lentis in tertia Tab. contentorum, æquum jam nobis viſum eſt explicare Viciarum doctrinam, quarum Icones repræſentantur in hac quarta Tab. & in Appendice Leguminum, additis quarundam deſcriptionibus, quæ non ſunt ſculptæ. Et ut clarius appareat doctrina Viciarum, dicemus & in medium adferemus differentiam Viciæ à cæteris Leguminibus, capreolis etiam ſcandentibus. Vicia habet ſena, ſeptena, nunc plura, nunc pauciora folia alata, ſeu conjugatim poſita, uni coſtæ ſeu nervo medio adhærentia, & eo ipſo nomine à Piſis & Lathyris (ex quorum numero eſt etiam Ochrus ut ſupra innuimus) facile cognoſcitur: junge quod Vicia major tam ſativa quam ſilveſtris ſiliquas habeat utplurimum ſurſum tendentes, quibus notis primo intuitu dignoſcitur à Piſis & Lathyris ſiliquis propendentibus, & paucioribus foliis ſeu lobis donatis. Eſt Vicia aut perennis aut annua, utraque foliis conſtat latioribus, aut anguſtioribus, hirſutis utplurimum: flore eſt rubro, albo, & luteo-pallido: eſt & ſemine nigro, fuſco, variegato ſeu maculato, albo, rotundo quaſi, plano, & tumido: Viciæ omnes quæ flores producunt rubros, ſemina habent nigra ſeu ſubnigricantia, fuſca, ſtriata, aut maculis obſcuris variegata, exceptâ unicâ à nobis obſervata ſpecie, quæ flores edit rubros; ſemina tamen pulchre alba, Piſi minoris æmula, floribus eiſdem rubris ſuccedentia.

1. *Vicia* perennis multiflora ſpicata cærulea ſepiaria, nobis. Vicia multiflora, C. B. P. Arachus, Tab. Viciæ hæc ſpecies perennis provenit in ſepibus, dumetis, & ſenticetis, atque donatur caulibus tenuibus, longis, hirſutis: foliis lobatim ſeu conjugatim multis, uni rachi adhærentibus, hirſutis itidem, atque nervo medio in capreolum deſinente Arachi in modum: flores in ſpicis longis multi ſunt cærulei & purpuro-cærulei, ex ſummis ramis propendentes, quibus fatiſcentibus ſuccedunt ſiliquæ parvæ, latiuſculæ, fuſcæ: ſemina in his latent parva itidem, imò vulgaris ſilveſtris minora: radix durabilis in multos annos, longe lateque repens, atque ex eâdem ſingulis annis primo vere regerminat.

Datur & alia hujus major ſpecies quæ altius conſcendit; folia habet prioris latiora, hirſuta pariter: flores ſubalbidos, lineis ſeu ſtriis potius cæruleis notatos: provenit ſponte etiam in dumetis & ſepibus comitatûs *Oxonienſis*, unde in Hortum Botanicum publicum Univerſitatis hæc ſpecies delata fuit à *Jacobo Bobert*, Hortulani filio.

2. *Vicia* perennis maxima dumetorum, flore obſcure rubente, nobis. Cracca major, Tab. Oſmunda Latinorum, Trag. Vicia hæc ſecunda in dumetis etiam naſcens, eſt radice itidem repente, ex quâ ineunte vere protruduntur caules bicubitales & tricubitales; caulium ramulis adhærent folia ſeptena, octona, latiora, hinc inde rachi ſeu foliorum nervo medio è regione adnata: ex cujus extremo exit capreolus, beneficio cujus vicina quæq; ſcandit & amplectitur: folia inquam coſtæ mediæ ramulorum viticuloſorum adhærentia ſunt multo latiora verſus coſtam, & terminantur in mucronem obtuſum; ex finibus coſtæ foliorum & ipſius caulis oritur pediculus palmaris, ſuſtinens plures floſculos obſoleti rubri coloris, majores, aliquando dilutius, aliquando ſaturatius tinctos, nonnunquam etiam ferrugineos: quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ compreſſæ, nigræ maturitatem ſaltem adeptæ, ſuntque majores ſiliquis præcedentis, quæque exſiccatæ ſponte aperiuntur & ſemina ſua effundunt, quibus in locis neglectis & ſilvis cæduis ſeſe propagat: eſt ſemine fuſco aut nigro. Eſt & alia Vicia ſilveſtris perennis hirſuta incana, quæ ſilveſtris flore albo dicitur Carolo Cluſio. Hæc differt tantum à priore, quod folia habeat minora magiſque incana, & quaſi lanugine obducta: flores edit albos, vexillo tamen ſuperiore venis obſcuris obducto: ſiliquæ parum aut nihil à vulgaris ſiliquis differunt.

3. *Vicia* Narbonenſis maxima, fructu rotundo atro, foliis ſerratis & integris, nobis. Vicia Romana, Cam. Faba ſilveſtris, Matth. Bona ſilveſtris, Dod. Hæc Vicia caule eſt angulari, inani quoque, multis geniculis interſepto, ubi ſua ſponte viget, ut fertur, breviori & erecto; in hortis autem noſtris longiore, ac niſi adminiculis fulciatur caduco, neque ullum eſt folium quod imparitatem faciat; coſta folii ſive ῥαχὶς in capreolos abit; quibus proxima quæque prope aſſiſtentia apprehendit ac complectitur: folia magna, Bonæ Dodonæi ſimilia: flos cæterarum Viciarum formâ, colore è Phœniceo nigricans: ſiliquæ omnino veluti aliarum Viciarum nigræ, ſed multo majores & craſſiores, interiore parte albæ, molleſque

floccos continentes; in quibus plurima ſemina rotunda, nigra, Erviliæ ſeminibus paulo majora, parvum umbilicum candidum habentia. Dum autem manduntur, fœtorem veluti quendam ingratum excitant. Quandoquidem capreolis donetur, & ſiliquam majorem, omnino Viciæ ſiliquarum formâ, ſeminaque rotunda habeat, potiore jure ſuæ ſortis ſimilibus aſſociatur, Viciis ſcilicet, ex noſtra ſententia, non autem Fabis (ut vult Caſparus Bauhinus aliique authores) quæ non ſcandunt capreolis, nec enim ſiliquas nec ſemina conformia habent Viciarum Claſſi, ut clare ipſam plantam examinantibus apparet. Eſt duplex, vel foliis integris, vel ſerratis; folium integrum non ſerratum, & plantam ipſam integram foliis ſerratis onuſtam ſculpi curavimus; quum rara ſit planta, nec uſum ullum apud nos habeat; ſed tantum in paucorum Botanicorum hortis, quos varietas & ſtudium herbarum delectant, reperiatur. Utramque hujus varietatem cernere licet hac hora, qua hæc committo chartis, cum multis aliis rarioribus Leguminibus, in horto publico Botanico Univerſitatis, ex Aſia & Africa ad nos tranſmiſſis.

4. *Vicia* flore luteo-pallido, ſiliquis hirſutis craſſis brevibus erectis, nobis. Pulchrum hoc genus Viciæ folia gerit Viciæ multifloræ modo, conjugationes foliorum ut in illâ plurimæ apparent, ad decem aut duodecim ſupputantur folia anguſta, & in acumen deſinentia, in quibus magni viſuntur pili: flores ſunt parvi, ſingulares & luteopallidi ſeu ochroleuci: ſiliquæ quoque ſingulatim proveniunt primo valde hirſutæ & tactu aſperæ, erectæ, craſſæ, unciam unam cum ſemiſſe longæ, dimidiam fere latæ; in ſingulis grana terna, quaternave obſervavimus. Datur & alia ejuſdem ſpecies cujus ſiliquæ ſunt etiam ſingulares, hirſutæ, erectæ, prioris multo minores; forma ſiliquarum Piſi minoris. Datur etiam & tertia neutiquam à cæteris diſcrepans, niſi quod ſiliquas ſuas ſingulares habeat propendentes, hirſutas, ſiliquarum Piſi minoris forma itidem. Primæ ſiliquis erectis, hirſutis, Iconem exhibuimus, in Tab. 4. Sect. ſecundæ, loco quarto, & aliarum duarum in Appendice ad Legumina Tabulæ 19^næ loco ſecundo & quinto: ex ipſis plantis Icones delineandas & ſculpendas curavimus.

* 5. *Vicia* lutea foliis Convolvuli minoris, C. B. P. Aphace, Dod. Hîc inadvertenter in hac Tabula locatur à nobis inter Vicias, ſequendo Bauhinum & alios authores, ſed cum attentius inſpexeramus, obſervavimus ipſam conditiones poſſidere Lathyri, non Viciæ; quippe quod bina folia caulem ambientia gerat, quæ perforari quaſi videntur à caule quadrato, & angulum acutum cæterorum Lathyrorum more conſtituunt, non autem plurima folia conjugatim rachi ſeu coſtæ mediæ adhærentia habet, veluti omnes Viciæ ſpecies; ergo ex libro naturæ diſponi debuerat inter conformes Lathyri ſpecies, ſicut nos fecimus ſupra in Tabulis cognationis & affinitatis, item & in explicatione Tabulæ ſecundæ ad finem ejuſdem.

Vicia maritima flore albo longo, nobis. Hujus Viciæ caules ſunt pedales & ſeſquipedales, ex geniculis hinc inde (alternatim aliarum Viciarum ritu) proveniunt coſtæ mediæ, protrudentes capreolos aliquot verſus finem; atque coſtis ſingulis folia obtuſa quaſi cordata, è regione ſena adnaſcuntur: inter caulem & coſtam exiliunt flores albi papilionacei, longi, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ unciales ſubrotundæ, continentes ſemina quina, nunc plura, nunc pauciora. Vide figuram in Appendice Tab. 19. loco. 4.

6. *Vicia* major vulgaris ſativa, nobis. Sativa vulgaris ſemine nigro, C.B.P. Sativa vulgaris, I.B. Vicia hæc ubique terrarum coli ſolita, caulibus conſtat bicubitalibus, aliquando humilioribus, aliquando procerioribus, anguloſis, ſtriatis, cavis, hirſutis; foliorum conjugationes ſenæ, ſeptenæ, nunc pauciores, nunc plures coſtæ mediæ longæ adhærent, in tortiles claviculas deſinenti, quibus proxima arripit adminicula: folia uncialia paulo minora majorave (ſecundum ſolum in quo ſeritur) anguſta, ad extremum lata, hirſuta, eademque rachi ex adverſo apponuntur; ex uniuſcujuſque coſtæ ſinu, ſeu ala, flores enaſcuntur bini, purpurei, papilionacei, aliquando plures; ſinguloſq; excipiunt ſiliquæ bivalves, ſingulæ quadrantales & nonnunquam longiores, tumidæ & eminentes (ſaltem conſpicuæ ubi apparent grana) ſemina claudentes Piſis arvenſibus pene paria, compreſſa, paululum fuſca aut variegata, perraro nigra, nonnunquam alba. Mirifico foliorum luſu provenit Vicia, ut pene cuiquam imponat, veluti Proteus aliquis, ut eadem non eadem putari poſſit; ex his enim alia ſunt fere rotunda, alia cordata verſus extremum, alia anguſta & longa: flos unicus ſed aliquando plures, multa purpura ſeu rubro colore picti, brevi pediculo hærentes; & conſequenter ſiliquæ ſunt erectæ, quia petiolo curto donantur; eæque quoque ſunt majores vel minores; tunicæ quoque involventes ſemina ſunt magis minuſve depreſſæ, aut magis tumidæ (præcipue ubi ſemina apparent ipſa) quæ colore ſunt fuſcæ, aut nigræ exſiccatæ: ſeminibus copioſe (uſque ad octonarium

um aliquando denarium numerum) fuſcis, variegatis, aut virore pallentibus, etiam nigris onuſtæ; denique albis, quaſi rotundis, parvi Piſi arvenſis æmulis, & à flore rubro productis. Eſt & alia hujus varietas, flore rubro, ſemine minore ſubviridi, Halepa ad nos miſſo.

Vicia major folio cordato, flore rubro, fructu albo Piſi minoris inſtar, nobis. Hæc à foliis cordatis, floribus rubris, & ſemini albo, Piſi minoris arvenſis ſemine ſimili, facile ab aliis omnibus Viciæ ſpeciebus diſtinguitur. Vide in Appendice Tab. 19. iconem tertio loco ibidem ſculptam.

Vicia minor flore rubro, fructu vario, ſiliquis propendentibus, nobis. Ex hac denominatione facile à cæteris ſuæ ſortis cognoſcitur. Vide in Appendice. Tab. 19. iconem primo loco ibidem ſculptam.

7. *Vicia* ſilveſtris ſemine nigro & variegato, folio acutiore, nobis. Vulgaris acutiore folio, ſemine parvo, nigro, C. B. P. Aphaca vera, Lugd. Hæc Vicia à ſativa vulgari, & ſilveſtri vulgari majore media inter ſativam & hanc, differt potiſſimum ſemine, quod admodum parvum, rotundum & copioſum (aliquando ad octona exemiſſe me memini) latet in ſiliquis anguſtioribus, longioribus, magiſque teretibus, & rarioribus, ſiliquis Viciæ ſepium minus hirſutis, quæ ſiccæ nigreſcunt, nigraque in ſe continent ſemina aut variegata aliquando.

Vicia ſepium folio rotundiore acuto, C.B.P. Vicia, Dod. Cluſ. Hiſt. Hæc ſponte provenit inter ſata paſſim, ſæpe etiam in ſepibus & dumetis; differt à ſativa vulgari, quod ſiliquas producat minores, breviores, & rotundiores; quin & ſemina ibidem contenta ſunt rotunda, nigra vel maculata; ergo craſſitie & rotunditate ſiliquarum, & colore fuſco ſeu ſubnigro earundem, facile diſcernitur hæc media à ſativæ ſiliquis longioribus, compreſſioribus, magiſque tumidis (ubi apparent ſemina) & ſemina compreſſa continentibus. Silveſtris autem ſeu vulgaris ſepium, folio acutiore, ſemine parvo nigro, C. B. P. ab utraque raritate ſiliquarum ſingulatim diſpoſitarum, minus hirſutarum, quæque etiam ſiccæ nigreſcunt, à ſemine etiam minore nigro, quam facillime diſtinguitur. Datur & alia Vicia multiflora ſpicata cærulea annua minor procumbens, quæ vix pedalem aut ſeſquipedalem ſuperat altitudinem, ſola tenuitate partium, & duratione à Vicia multiflora ſpicata cærulea vulgari perenni differens.

8, *Vicia* pratenſis verna ſeu præcox Solonienſis, ſemine cubico ſeu hexaedron referente, nobis. Hæc Vicia minima ſub exitum hyemis in pratis neglectis & minime herbidis, contra Regiam Chambort in agro Solonienſi intra ſepta ejuſdem nominis ſitam viget. Florem fert exiguum, rubentem, papilionaceum, ex ſingulis geniculis ortum, atque ſingulis floribus ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ curtæ, tenues, pollicares; in quarum ſingulis continentur ſemina anguloſa, minuta, terna, quaterna, hexaedrum referentia, atque præcocitate & tenuitate partium, denique ſeminibus cubicis, à cæteris prædictis omnibus, facili aut nullo negotio diſtinguitur.

ARACHUS ſive CRACCA.

FRumentorum quoque vitium eſt quod Græci Αραχον *(Theophraſtus* 8. *Hiſt.* 10. *rem ſcabram & duram dicit, quæ in Lente naſcitur) nominant. Ruellius Craccam appellari refert. Differt ab Aphaca & Vicia potiſſimum ſemine; nam Craccæ ſemina exquiſite rotunda, nigra ſunt; & ut Galenus inquit, Ervo minora. Aphaces vero & Viciæ ſemina non rotunda, ſed aliquando latiora, veluti Lentium, teſte Galeno* 1. *de Alim. facul.*

Arachus ſive Cracca eſt Viciæ minor ſpecies in ſegetibus proveniens, eaſque ſtrangulans, & nutrimento depravans, & ligans non minus multiplicitate radicum ſuccum nutritivum è terra extrahentium, quam crebris ſuis capreolis ipſos culmos arcte amplexans, ut Aphaca Dodonæi quæ eſt Lathyri ſpecies uti ſupra dictum: diſtinguitur à prædictis omnibus Viciæ ſpeciebus tenuitate partium.

9. *Vicia* minor ſegetum cum ſiliquis pluribus hirſutis, C. B. P. Vicia parva ſeu Cracca minor, cum multis ſiliquis hirſutis, I. B. Arachus ſeu Cracca minima, Ad. Lob. Arachus, Lugd. Ex radice tenui, exili & inutili, quadrati, tenues, & infirmi exeunt cauliculi, importuna alarum ubertate luxuriantes: folia Lentis foliis quaſi paria, hirſuta, pinnata cæterarum omnium Viciarum more, ſibi mutuo reſpondentia, medio nervo annexa, aliquando ſepte-

na, octona paria, conjugatim poſita: nervus medius in tortiles capreolos varie partitos faceſſit. Segetem infeſto complexu arripit & ſtrangulat hæc parvula Vicia, excreſcens interdum ad tres cubitos: ex foliornm alis, hinc inde enatis pediculis, floſculi inſidunt racematim ac veluti in capitulum congeſti quinque, ſex, nunc plures, nunc pauciores, eòdem ſpectantes, pûſilli, papilionacei, albi; quos ſiliquæ excipiunt totidem ſemiunciales, hirſutæ (quemadmodum ſunt folia) quarum ſingulis bina ternave inſunt grana ſive ſemina, Viciæ ſepium folio acutiore ſeminibus minora, rotundiora, & magis maculata.

10. *Vicia* minor ſegetum cum ſiliquis paucis glabris, nobis. Viciæ ſive Craccæ minima ſpecies cum ſiliquis glabris, I. B. Eſt & hæc præcedente tenerior, foliis ſimiliter conjugatim poſitis, paucioribus tamen &glabris: pediculo tenuiſſimo, longo, ex foliorum alis nato flos innaſcitur unicus aliquando, utplurimum bini, ſuave purpuraſcentes vel dilute cærulei aut violacei, raro tres; quos ſingulos ſequitur ſiliqua parva, glabra, præcedentis Craccæ magnitudine par, ſed paulo longior ac tenuior.

LOCUS & TEMPUS.

1. *Naſcitur circa margines agrorum, & in pratis ſilveſtribus circa foſſas; fluminum, rivulorum ac torrentium ripas amat, & frequenter in ſepibus ſenticoſis reperitur: flores cæruleos adeo denſe in ſpicam quaſi congeſtos habet in cimis caulium Galegæ ritu, ut Galega Germanica aut Galega ſilveſtris quibuſdam dicatur. Floret Maio & Junio, atque Julio & Auguſto maturatur ſemen. Viget in dumetis & ſepibus. Altera major folio latiore, floribus ſubalbidis lineis cæruleis notatis ibidem, ut ſupra dictum.*

2. Vicia *maxima dumetorum paſſim provenit inter ſentes & dumeta in Germania utraque, ubi appellatur Divi Chriſtophori herba. Floret æſtate, & verſus ejuſdem finem ſemina perficit ſua.*

Vicia *ſilveſtris incana Cluſii flore albo, reperta fuit in Hungariæ quibuſdam locis: florebat Maio menſe atque menſe ſequente ſemen perficiebat.*

3. Vicia *Narbonenſis maxima, fructu rotundo atro, foliis integris & ſerratis, nobis. Vicia Romana, Cam. Faba ſilveſtris, Matth. Vulgatior Vicia foliis integris in Narbonenſis Galliæ & Aquitaniæ pleriſque locis ſponte ſua exit. Apud ſeptentrionales rarum eſt hoc Legumen, nec alibi quam in hortis ſatum provenit. Vicia foliis ſerratis in Apulia & montibus Euganeis & circa Patavium. Utraque floret æſtate, & verſus ejuſdem finem, & Autumni initium maturantur utriuſque ſemina.*

4. Vicia *flore luteo pallido, ſiliquis hirſutis craſſis brevibus erectis, nobis. Ad margines agrorum & in agris frumentariis circa Monſpelium reperta: floret Junio: Julio & Auguſto ſemina ad maturitatem perducit.*

5. Vicia *lutea foliis Convolvuli minoris, C. B. P. Aphace, Dod. ut. Lathyrus luteis foliis Convolvuli minoris & aptius, nobis. Provenit paſſim in agris frumentariis, læto pinguique ſolo unà cum Tritico, Secali, & aliis frugibus. Floret Maio; ſemen Junio & Julio maturum eſt. Vide inter Lathyros, ubi magis idoneè collocatur.*

Vicia *maritima flore albo longo, nobis. A nomine indicantur ipſius natales.*

6. Vicia *major vulgaris ſativa, nobis. Sativa vulgaris, I. B. Seritur in agris paſſim Boum paſcendorum gratia, quin & ſeminibus hyeme nutriuntur volatilia domeſtica, gallinæ, columbi, &c. Floret æſtate ineunte, & mediâ matureſcit ſemen ipſius.*

7. Vicia *ſilveſtris ſemine nigro & variegato, folio acutiore, C. B. P. & nobis. Aphaca vera, Lugd. Vicia ſepium folio rotundiore acuto, C. B. P. Vicia, Dod. Cluſ. Hiſt. Hæ ſponte proveniunt inter ſata, nonnunqnam inter ſepes & dumeta; ad agrorum margines illa frequenter conſpicitur. Utraque floret æſtate, eodemque tempore maturum eſt earum ſemen.*

8. Vicia *pratenſis verna ſeu præcox, Solonienſis, ſemine cubico, nobis. In agro Solonienſi in pratis minime herbidis floret exeunte hyeme, & maturantur ſemina Aprili menſe.*

9. Vicia *minor ſegetum cum ſiliquis plurimis hirſutis, C. B. P. Arachus ſeu Cracca minima, Ad. Lob. In omnibus arvis ſatis, & aliquando dumetis provenit.*

10. Vicia *minor ſegetum cum ſiliquis paucis glabris, nobis. Provenit inter frumenta, aliaſque ſegetes promiſcue cum priore: floret utraque Junio, & maturantur ſemina Julio & Auguſto cum frugibus ipſis, præcipue Avenâ.*

TEMPERA-

TEMPERAMENTUM & VIRES.

5\. Vicia *lutea foliis Convolvuli minoris*, *C. B. P. Aphace*, *Dod. ut. Lathyrus luteis foliis Convolvuli minoris*; *nobis. Et aptius à nota generica ſic denominatur, ut ſupra apparet in doctrina Lathyrorum. Semina hujus aſtringendi vim habent, quapropter ſtomachi & alvi fluxiones toſta & decocta Lentis modo ſiſtunt. Hanc aſtringendi facultatem Aphacem habere certo experimento cognovit Dodonæus, ut apparet ex Pemptadibus ſuis.*

6\. Vicia *major vulgaris ſativa*, *nobis. Vicia vulgaris ſativa, Park. I. B. Eſt Vicia non modo inſuavis, ſed & concoctu difficilis, alvumque inhibet. Perſpicuum ergo eſt, cum naturâ ſit hujuſmodi alimentum, quod ex ipſa diſtribuitur vix habet quicquam boni ſucci, ſed craſſum eſt & ad ſuccum melancholicum gignendum idoneum: monet Galenus Viciæ fructum, potiſſimum cum viret, eſſe noxium; nec ſunt qui comedunt Viciæ aut Ciceris fructum, niſi per famem.*

NOMINA.

1\. Vicia *perennis multiflora ſpicata cærulea*, *ſepiaria*, *nobis. Vicia multiflora*, *C. B. P. Vicia ſilveſtris ſecunda*, *Cluſ. Hiſt. Deſc. Vicia multiflora ſeu ſpicata*, *Park. Arachus*, *Tab. Galega altera vel ſilveſtris aut Germanica*, *Dod. Deſc. Altera major, folio latiore*, *floribus ſubalbidis lineis cæruleis notatis*, *circa Oxonium reperta.*

2\. Vicia *maxima dumetorum*, *flore obſcure rubente*, *nobis. Maxima dumetorum*, *C. B. P. Ger. Vicia ſepium perennis*, *I. B. Vicia ſilveſtris altera vel 5. Aphace Dioſcoridis*, *Oſmunda*, *Trag. Cracca major*, *Tab.*

Vicia *ſilveſtris perennis hirſuta ſeu incana*, *flore albo*, *nobis. Silveſtris flore albo*, *Cluſ. Hiſt. & Pan.*

3\. Vicia *Narbonenſis maxima fructu rotundo atro*, *foliis ſerratis & integris*, *nobis. Arachus*, *Fuch. Vulgo Vicia Romana*, *Cam.* (*cui & Piſa nigra.*) *Faba ſilveſtris*, *Matth. Ad. Lob. Lugd. Tab. Faba Græcorum*, *Lob. Icon. Bona ſilveſtris*, *Dod. Faba ſilveſtris Græcorum ſeu Faba veterum*, *Park. Faba ſilveſtris*, *Ger. Arachus Fabaceus*, *& Faba Kairina cui ſemina minora*, *& Arachus Fabaceus ſerratus*, *ſemine majore*, *I. B. Phaſeolus ſilveſtris*, *Hiſt. Lugd.*

4\. Vicia *flore luteo pallido ſeu ochroleuco*, *ſiliquis hirſutis craſſis brevibus erectis*, *nobis. Vicia ſilveſtris flore luteo*, *I. B. & ſilveſtris lutea cum galea fuſca eidem. Prioris eſt tantum varietas ex noſtra ſententia. Datur & alia ſpecies hujus*, *ſiliquis hirſutis erectis minoribus*; *item & tertia ſiliquis minoribus propendentibus: harum duarum poſteriorum Icones delineandas in horto* Edwardi Morgan *pone cœnobium Veſtmonaſterienſe curavimus*, *& poſtea ſculpendas*, *uti apparent*, *in Tab. 19. Vide plantam 2 & 5 illic.*

5\. Vicia *lutea foliis Convolvuli minoris*, *C. B. P. Aphaca*, *Dod. ut. Lathyrus luteus foliis Convolvuli minoris & magis appoſite*, *nobis. Vide figuram 5. hic in Tab. 4. & Deſcriptionem inter Lathyros ex cujus numero eſt. Ibidem nomina diverſorum authorum adferuntur.*

Vicia *maritima flore albo longo*, *nobis.*

6\. Vicia *major vulgaris ſativa*, *nobis. Vulgaris ſativa*, *Park. I. B. Vicia*, *Dod. Ger.*

7\. Vicia *ſilveſtris*, *ſemine rotundo nigro & variegato*, *nobis. Vicia minor vel 3. Trag. Craccæ 1. genus*, *Dod. Arachus & Cracca major*, *Ad. Lob. Park. Vicia ſilveſtris ſeu Cracca major*, *Ger.*

Vicia *vulgaris ſilveſtris frugum*, *ſemine parvo & nigro*, *I. B.*

8\. Vicia *minor pratenſis verna ſeu præcox*, *ſemine cubico*, *nobis.*

9\. Vicia *minor ſegetum cum ſiliquis pluribus hirſutis*, *C. B. P. Vicia ſilveſtris ſeu Cracca minima*, *Ger. Vicia parva ſeu Cracca minor cum multis ſiliquis hirſutis*, *I. B. Arachus ſive Cracca minima*, *Ad. Lob. Arachus*, *Lugd. Arachus minor Luſitanicus*, *Park. Cracca minor*, *Tab. Craccæ alterum genus*, *Dod.*

10\. Vicia *minor ſegetum cum ſiliquis paucis glabris*, *nobis. Vicia ſegetum ſingularibus ſiliquis glabris*, *C. B. P. Viciæ ſeu Craccæ minimæ ſpecies cum ſiliquis glabris*, *I. B.*

Nota nos varias Viciarum ſpecies in Tab. cognationis & affinitatis addidiſſe, *quæ non continentur in Tab. 4. æneâ ſculptæ*, *quarum quaſdam tantum deſcripſimus*, *quaſdam & deſcripſimus & earum etiam Icones adhibuimus in Tab. 19. App. ad Legumina. Nota inſuper nos duas Vicias luteas*, *ſiliquis propendentibus*, *ſcilicet craſſioribus & tenuioribus adhibuiſſe*, *cum debeant eſſe duæ ſiliquis erectis*, *& unica ſiliquâ hirſutâ propendente: corrige lapſum & conſule Tab. 4^am^ Iconem & Tab. 19. Iconem 2. & 5^tam^.*

HALLU-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Vicia lutea foliis Convolvuli minoris cum ſit perfecta Lathyri ſpecies, à binis foliolis triangularibus cingentibus caulem quadratum, quatuor levibus alis inſignitum, aptius omnino quadrat Lathyris, minime Viciis, quarum nota præcipua eſt habere plurima foliola alata, ex oppoſito & conjugatim ſita; ergo male inter Vicias locatur à Caſparo Bauhino & aliis authoribus.

LEGUMINA

Sive Siliquoſæ Papilionaceæ Bivalves Trifoliatæ Scandentes caulibus.

CAPUT II.

Smilax Hortenſis, Dolichus ſive Phaſiolus, Phaſeolus aut Phaſelus & Abrus.

§ 1. PHASEOLUS.

Σμίλαξ κηπαῖα *foliis eſt Hederæ, ſed mollioribus cauliculis, clavicularum inſtar, propinquis fruticibus ſeſe implicans, ut operi topiario inſerviat, cujus fructus* λόβια *(quaſi ſiliquas dicas) ſemina continent reniformia ſeu renibus ſimilia, non æquali colore, ſed ex parte ruffeſcentia, &c. Dioſcoridi l. 2. c. 176. Hæc ab Hippocrate, Diocle, Theophraſto & pleriſque aliis* δολιχὸς *vocatur: à nonnullis à ſiliquarum magnitudine* λόβος *&* λοβίον*: ab aliis* φασίολος *(à* φασήλε *ut aliqui volunt differens) Galeno 1. Alim. ſcribente. Dolichus Theophraſto 8. Hiſt. 3. & Ætius Smilacem hortenſem Dolichos eſſe & Phaſeoli genus, & ab omnibus Lobos nominari, aperte docet.* Φασίολος *apud Dioſcoridem l. 2. c. 130. ſed ſine ullis notis habetur. Sunt tamen qui Smilacem hortenſem à Phaſiolis ſolum ſiliquis & ſemine differre cenſeant, quæ in Smilace majora ſunt, ut voluit Mattheolus, qui pro Phaſiolo & pro Smilace hortenſi eandem pingere videtur, niſi quod pictura una recta, altera inflexa eſt: At Anguillara Phaſiolum & Phaſelum diſtinguit: Author Hiſt. Lugdun. aſſerit Galeno vocem Phaſeolum quatuor ſyllabis prolatam, à Phaſelo tribus ſyllabis prolato diverſam eſſe, & de hoc cum Erviliis ſimul tractaſſe. Plinius lib. 18. cap. 7. Faſeolis folia venoſa tribuit.*

Duplicem facimus, vulgarem alium, alium peregrinum; vulgarem, alium majorem, fructu longiore & renis formam melius referente, qui communiter candidus: alium minorem ſiliquâ anguſtiore: diſtant etiam craſſitie & tenuitate. Hic variat floris & ſeminis colore: flores plerumque candidi, pallidi, flaveſcentes, purpuraſcentes ſive amethyſtini, & ut Cordus in ſua hiſtoria cenſuit, floris colorem fructus ſequuntur. Verum in ſemine fructuve major eſt coloris varietas; ſunt nivei, flavi, ex flavo obſoleti, purpurei, rubri, latericei ferè coloris, amethyſtini, violacei, atroviolacei, nigri, initio purpurei, deinde atri: vel albi, venis nigris & lituris diſtincti: item carnei & cinerei, ſimilibus venis inſignes: item albi purpuraſcentes, orbibus albis variegati, vel ſpadicei, nigris maculis aſperſis: nonnulli incani, atro colore, vel ab unâ parte, vel utrinque notati.

Planta quæ Σμίλαξ κηπαῖα à Dioſcoride dicitur, quod ſmilacis modo conſcendat in propinqua & vicina adminicula, eaque prehendat; Smilax hortenſis folia habet cordiformia, molliora, terna, & ternis diſtinctis petiolis, binis curtis è regione oppoſitis, tertio medio longiore, omnibus à communi pediculo ortis innitentia: caules tenues, longiſſimos, vicinis fruticibus, aut quibuſlibet adminiculis appoſitis adhærentes & ſeſe circumvolventes à dextra ad ſiniſtram obtinet; qui eouſque adoleſcunt, ut ad altitudinem ſex cubitorum & multo amplius aſcendant, & ſcenas topiarias contexant: ſiliquæ vaginarum cultelli inſtar longitudine ſex unciarum, latitudine ſemiunciam referunt, toroſæ nunc, nunc compreſſæ,

ſæ, pro fructus tumiditate aut depreſſione; continentes ſemina aut depreſſa (humani renis formâ aut figurâ) aut tumida, craſſa, nunc longiora, nunc breviora, diverſorum (uti ſupra dictum) colorum. Hiſce omnibus notis quaſi Phaſeolorum genus delineatum expreſſit Dioſcorides, ut nulla prorſus repugnet nota. Id genus Galenus perſpicue eſſe declarat, atque etiam Theophraſti authoritate confirmat his verbis; Dolichorum nomen â Diocle ſcriptum eſt unà cum aliorum ſeminum nos mortales alentium nominibus. Scriptum etiam eſt in libris Hippocratis, de ratione victûs. Exiſtimo ipſum ſic appellare ſemen plantæ hortenſis, quam nunc vulgo bifariam nominant quidam λόβυς, id eſt ſiliquas; alii φασίλυς: hos Dolichos eſſe hortenſes quis conjicere poſſit, vel ex iis quæ Theophraſtus ſcripſit his verbis, καὶ τὰ μὲν ἐστιν ὀρθόκαυλα καθάπερ πισός, καὶ κριθὴ, καὶ ὅλως τὰ σιτώδη καὶ θερινά. τὰ δὲ πλαγιόκαυλα πάλιν οἷον ἐρέβινθος, ὄροβος, φακός. τὰ δὲ ἐπιγειόκαυλα, καθάπερ ὦχρος, πισός, λαθυρὸς, ὁ δὲ δολιχός. ἐὰν παρακαταπήξῃ τις, ξύλα μακρὰ ἀναβαίνει καὶ γίνεται καρπιμός· εἰ δὲ μὴ, φαῦλος καὶ ἐρυσιβώδης. id eſt, aliis quidem caulis eſt rectus ut Piſo & Hordeo & omnibus frumentaceis, atque æſtivis: aliis vero in latus potius inclinat, ut Ciceri, Ervo, Lenti: aliis humi procumbens, ut Ochro, Piſo, Cicerculæ ſive Lathyro. Dolichus vero ſi ligna longa affixeris, in ea conſcendit & fructum feret: alioqui rubiginis vitio corrumpitur, &c.

TABULA V.

- *Phaſeolus trifoliatus*
  - *Annuus*
    - *Maximus* — 1. *Braſilianus, flore puniceo, fructu renali maximo nigro.* ☿
    - *Major* — *Flore*
      - 2. *Albo & fructu albo tumidiore.* ☿
      - *Puniceo, Fructu*
        - *Nigro ſplendente tumido.* ☿
        - 3. *Anagyridis fructui ſimili.* ☿
        - 4. *Coloſſino nigris maculis conſperſo.* ☿
    - *Medius, Siliqua*
      - 5. *Hirſuta Park. Coubage Indice.*
      - *Glabra, Fructu*
        - 6. *Compreſſo renali*
          - *Albo*
            - *Majore.* ☿
            - *Minore.* ☿
          - *Nigro*
            - *Majore.* ☿
            - *Minore.* ☿
        - 7. *Tumido quaſi ovato ſine hilo conſpicuo*
          - *Nigro.* ☿
          - *Albo ſeu niveo.* ☿
          - *Aureo.* ☿
          - *Amethyſtino.* ☿
          - *Coloſſino nigris maculis notato.* ☿
          - *Lateritei coloris.* ☿
          - *Fuliginei coloris.* ☿
          - *Punicei coloris.* ☿
          - *Albo, venis diſtincto.* ☿
          - *Carneo & cinericeo, venis ſeu lituris diſtincto.* ☿
    - *Minor* — 8. *Siliquis propendentibus, fructu minore albo, maculâ nigrâ inſignito*
      - *Tumidiore.* ☿
      - *Compreſſiore.* ☿
    - *Minimus* — *Leptomacrolobus ſiliqua erecta, fructu*
      - 9. *Minore laterICei coloris.*
      - 10. *Viridi ovato, nobis.* ☿
  - 11. *Perennis ſiliqua longa lata, nobis. Lablab. Ægyptiorum, Alpin.* ☉
- *Phaſeolus alatus, ſive Abrus*
  - 12. *Minor fructu coccineo, macula nigrâ notato, nobis.* ☿
  - 13. *Major fructu toto coccineo, fuſco & variegato.* ☿
  - 14. *Virulentus Chinenſis.* ☿

Explicatio

Explicatio Tabulæ quintæ, Sectionis ſecundæ.

Finita doctrinâ Leguminum ſcandentium capreolis in priore capite, ſeu membro primo hujus Sectionis,atq; notis eſſentialibus & genericis, ſubalternis, unicuique generi ſubalternato ibidem contento aſſignatis, ut poſt paragraphos apparent ; jam requirit ordo,ut de Leguminibus ſcandentibus caulibus, non capreolis, agamus in hoc capite ſecundo. Primò more noſtro ſolito dicemus quid ſit Phaſeolus, Dolichus ſive Smilax hortenſis, quæ ſunt ſynonyma eidem Legumini congruentia. Legumina hæc ſeu ſiliquoſæ papilionaceæ plantæ, trifoliatæ, ſcandentes ſolo beneficio caulium (idque inſtinctu quodam à naturâ ipſis datum & conceſſum) ſmilacis inſtar ſeſe intorquendo & circumgyrando perticas, baculos, ſenticoſa aut lignea quælibet adminicula appoſita, à dextra ad ſiniſtram gyros ſeu lineas ſpirales factitando, ad ſummum baculi aut perticæ cacumen pertingunt. Folia producunt terna cordiformia, aut ut volunt alii Hederæ ſimilia, tribus petiolis innitentia : omnes hi tres petioli terna ſuſtinentes folia, terminantur in pediculi foliorum extremitatem, quorum inferiores bini ſunt breviores & ex oppoſito ſiti ; tertius autem ſuperior longior eſt, ſuſtinens folium impar : flores producit Dolichus ſeu Phaſeolus Papilionaceos Piſi formâ, albos, rubros, luteopallidos, coccineos ſeu Phœniceo colore, aliquando ſaturate, aliquando dilute ſeu leviter tinctos : ſiliquæ producuntur, poſt deciduos flores, pendentes utplurimum (perpaucis minoribus exceptis) bivalves, longiſſimæ omnium Leguminum, vaginæ cultelli inſtar, quarum umbilico ſeu parti ſiliquæ concavæ adhæret ſeries longa ſeminum, multorum colorum (uti dictum ſuperius) quæ etiam ſunt reniformia, compreſſa, majora ; vel tumida minora, cujuſcunque ſint coloris. Quoad poſitionem ſiliquarum, quæ dependet à longitudine aut brevitate petiolorum florum ; ſunt vel ſiliquis propendentibus, vel erectis : hi ſunt petiolis brevibus & vix conſpicuis extra calicem florum antecedenter, & conſequenter ſiliquarum præditi ; illi ſunt longi biunciales & triunciales. Atque hæc in genere de Phaſeolis caulibus ſcandentibus dixiſſe non abs re fore putavimus.

1. P*Haſeolus* major ſive Smilax hortenſis, C. B. P. Dolichus ſive Phaſeolus, Dod. Dolichus hic ſive Phaſeolus major caules profert tenues, longos, ramoſos, ſcandentes, & aſcendentes à dextra ad ſiniſtram, & in perticis ac vicinis fruticibus ſeſe circumvolventes : folia cordiformia, terna ternis ſuis petiolis propriis, ab extremo pediculi ortis, innituntur : flores ex omnibus alis erumpunt numeroſi, candidi, luteopallidi, aut rubentes, ſed vulgatiùs albidi : ſiliquæ deorſum pendent ex longis pediculis ſex uncias longæ, ſemiunciam latæ, in medio tumidæ, & aliquatenus arcuatæ, extremâ & inferiore parte ſiliquarum in unguiculum definente, in quarum ſingulis ſemina ſeptena, octona ; nunc pauciora, quina, ſena, continentur ſemina, albâ utplurimum, compreſſa, reniformia : radices ſubſunt multæ, longæ ac duræ. Duplex eſt, hortenſis ac peregrinus ; cum hic, tum ille duplex, major & minor : omnes topiarias & perticales ſcenas ſcandunt & adumbrant, & ſiliquas à longis petiolis pendentes gerunt. Dantur & medii & minores ejuſdem generis, & inſuper minimi Phaſeoli, quorum ſiliquæ non propendunt, ſed ſurſum verſus eriguntur, & eo ipſo nomine curtis omnino petiolis donantur : de hiſce poſtremo loco dicemus, ſed impræſentiarum agemus de peregrinis, qui ſunt Æthiopici vel nigri ; Guinienſes ; Indici ; Americani vel Braſiliani. Vide Caſparum Bauhinum à pag. 339. uſque ad paginam 342. in Pinace ſuo, & Johannem Bauhinum à Pagina 253. ad paginam 278.

2. *Lobus* Phaſeoli Braſiliani. Siliqua hæc ſeu Lobus, cujus Iconem in Tab. hac quinta damus, magnitudine reliquos multum ſuperat, atque ſemina inibi contenta cæterorum omnium multo majora producit in ſuo gremio, & eo præcipue nomine Phaſeolus maximus Braſilianus dicitur. Multo major eſt varietas in Phaſeolis peregrinis, eorumque fructuum variis coloribus, qui magnitudine, formâ ſeu figura, in infinitum quaſi ludunt. Ut quilibet cum Pſalmiſta exclamare poterit, quam pulchra ſimul & miranda ſunt creatoris opera. Ex Africa atque America aliiſque regionibus Indiæ utriuſque, Orientalis & Occidentalis, procul ab hoc noſtro orbe remotis, variæ ſpecies adferuntur. Multo enim major (inquam) eſt Phaſeolorum peregrinorum varietas, quam in iis qui in Europa naſcuntur : ſunt enim majores, minores, mira diverſaque colorum varietate, cum florum, tum fructuum præcipue, inter ſe diſcrepantes.

3. Phaſeolus

3. *Phaſeolus* peregrinus Anagyridis fructui ſimilis, colore rubeſcente, C. B. P. Peregrinus 3. Cluſ. Hiſt. Hic peregrinus oblonga ſarmenta habet, ex ſingulari caule ſtatim ſecundum radicem ipſam prodeuntia, & in multos ramos diviſa, lenta, oblique ſe contorquentia & humi procumbentia, niſi perticis aut aliis pedamentis ſuſtineantur, quibus ſeſe circumvolvunt reliquorum Phaſeolorum modo; purpuraſcunt eadem juxta alas, quibus adnaſcuntur terna folia, minus ampla prioris, & dilutiore colore virentia, longo etiam pediculo inhærentia: flores in longiuſculis proveniunt petiolis, plerumque bini, magni, papilionacei, foris ex candido palleſcentes, interiore vero parte, ex purpura cærulei: his ſuccedunt totidem prælongi lobi teretes, etiamque aliquando compreſſi, ſed tumidi ſatis ubi fructus apparent, in quibus fructus obſervatur reliquorum Phaſeolorum fructu minor; Anagyridis majoris fructui omnino ſimilis, ſubrubeſcentis coloris: floribus ſuccedunt vaginæ latæ ſeu lobi bivalves, primi lobis ſeu ſiliquis majores & longiores.

4. *Phaſeolus* Indicus, flore coccineo ſeu puniceo, nobis. Faſeolus puniceo flore, Corn. Hic Indicus parum differt à vulgari in partibus communibus: folia enim ex longo pediculo prodeunt terna ſemper, quorum bina è regione curtis pediculis innituntur, tertium longiori pediculo inſiſtit, omnia terna folia ex latiore baſe in mucronem acutum deſinunt, coloris ſunt magis obſcure virentis, interdum expanſa, at in ſe de nocte aut ſub ſeram noctem contracta: numeroſi cauliculi teneri & viticuloſi, adeoque invalidi, oriuntur ab exigua & fibroſa radice: flos figurâ ſimilis vulgaris flori, at colore longe eſt diverſus: vulgaris enim candidus eſt, hic vero eleganter puniceus, aut coccineus, diu durans reſpectu vulgarium ſeu hortenſium, quem ob præſtantiam florum non dedignantur nobiliores matronæ noſtrates fertis & coronis ſuis inſerere ſeu intertexere: ſiliquæ ſunt longæ, craſſæ, craſſo & fungoſo cortice ſeu membrana exteriore, dum ſunt adhuc virides, donatæ: ſemina ſunt oblonga, tumidiora, nigra, aut ex nigro & coloſſino colore variegata.

5. *Phaſeolus* Zurratenſis ſiliquâ hirſutâ pungente, nobis. Apud Indos illic degentes in Zurrat Couhage dicitur. Ex India Orientali habemus ſiliquas hujus Phaſeoli ad nos delatas, atque hoc anno ſeminibus exinde exemptis, & terræ commiſſis pullulavit planta ipſa, in hortulo Botanico Domini *Caroli Hatton*. Folia produxit obſcure admodum virentia, minora multo vulgaris Phaſeoli foliis, ternatim petiolis ſuis diſtinctis inſidentia, more aliorum. Altitudinem non obſervavimus, an ad perfectionem pervenerit obſervare non licuit, quia poſtquam palmarem acquiſiverit altitudinem, deceſſimus *LONDINO OXONIUM.* Siliquas habet hirſutas, ſeu pilis ſcatentes, & cutem leviter pungentes veluti urtica, minores, breviores vulgaris Phaſeoli ſiliquis: ſemina fuſca punctata, Fabæ equinæ magnitudine: hilum habet album in ſeminis parte laterali (ut Faba ipſa nigrum in ſuperiore parte) non vero in umbilico, quemadmodum omnes Phaſeoli poſſident, & quaſi ſinum in medio impreſſum habent: atque ex hiſce notis facile cognoſcitur à cæteris omnibus ſuæ familiâs. Ex primo intuitu ſiliquæ hirſutæ & ſeminis, Fabæ equinæ ſimilis, cognitu à cæteris ſuæ tribus facillimus erit hic Phaſeolus Zurratenſis.

6. *Phaſeolus* peregrinus fructu tumidiore minore niveo & verſicolore, nobis. Peregrinus 2. Cluſ. Hiſt. Forma & naſcendi modo à vulgari non differt hæc Phaſeoli ſpecies, ſarmenta enim habet valde ramoſa, quæ more aliorum vicinas perticas amplectendo, ſeſe caulibus à dextra ad ſiniſtram circumvolvunt, eaſdemque ſcandunt: petioli longi ex foliorum (quæ ſemper terna ſunt) ſinu oriuntur, in quibus bini, terni, quaterni, conſpiciuntur flores, vulgaris Phaſeoli majoris floribus forma reſpondentes; primò dum recentes aperti, candidi ſunt, deinde vero palleſcentes; quos excipiunt oblongæ & propendentes (ut in vulgari Phaſeolo majore) ſiliquæ tenuiores, quina, ſena, ſemina candidiſſima, tumida & quaſi ovata, continentes, ſine ullo hilo aut umbilico depreſſo apparente, ut in fructu renali vulgari: ſed ſunt quaſi ex ebore tornata, minora & tumidiora multo vulgaris renali fructu.

Phaſeolus minor fructu albo, umbilico macula nigra notato, vel fructu renali parvo albo, umbilico circa hilum macula nigra inſignito, nobis. Hujus duas obſervavimus ſpecies, majorem & minorem habitâ ratione fructuum renalium; utrumque fructum, majorem duplo minorem excedentem, & minorem ad me miſit *Robertus Spotſwood* apothecarius & Tingidis oppidi Chirurgus à ſereniſſimo D. Domino noſtro Carolo 2. diplomate conſtitutus, qui rei Botanicæ amantiſſimus eſt, à quo ſingulis annis rariorum circa Tingidem naſcentium plantarum ſemina communicata habemus.

7. *Phaſeolus* minimus fructu rubro, ſiliquis longiſſimis erectis, nobis. Diximus ſuperius de Phaſeolis majoribus, qui ſiliquas ſuas propendentes formant, petioliſque longioribus conſequen-

ter donantur; jam hic ad calcem adferemus in medium Phaſeolos minimos (unum aut alterum) quorum ſiliquæ tenues, parvæ, & longæ, petiolis curtis innituntur & per conſequens ſunt erectæ, non autem propendentes, hortenſium & peregrinorum more. Hic igitur Phaſeolus minimus ſiliquas fert longas, tenues, palmares & ſeſquipalmares, continentes in ſe ſemina dena, duodena, reniformia, rubra, minima, eadem magnitudine cum Phaſeolo minore Italico, fructu albo minore, umbilico macula nigra notato.

8. *Phaſeolus* minimus fructu viridi exiguo ovato, ſiliquis longis rotundis erectis, nobis. Hæc Phaſeoli minimi ſpecies caule conſtat pedali aut ſeſquipedali; folia edit etiam terna ſubviridia, minora tenuiora, ſingulis diſtinctis petiolis innitentia, majorum Phaſeolorum more: petiolis curtis junguntur flores parvi, papilionacei, ex luteo virides: fatiſcentibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ tenues, rotundæ, tres uncias longæ, recentes adhuc virides, intumeſcentes ubi apparent ſemina; in quibus ſingulis continentur ſemina ovata viridia, dena, duodena, nunc plura, nunc pauciora, Piſi minoris magnitudine, ſed ſunt figura ovata ſeu longa & viridia. Hiſce paucis ſativis in Italia, Gallia & hic & alibi locorum per plures annos cultis, nec non peregrinis quibuſdam è longinquis regionibus ad nos allatis, explicatis; adjiciemus Lablab Ægyptiorum Proſperi Alpini. Eſt enim Lablab Ægyptiorum arbor ſarmentoſa, quæ creſcit ad Vitis magnitudinem, ſarmentiſque ſuis Vitis modo omnino extenditur, ac expanditur foliis; figura autem foliorum eſt itidem Phaſeolo vulgari ſimilis, nempe Legumen trifoliatum: flores pariter fert papilionaceos, à quibus oriuntur ſiliquæ bivalves, ſublongæ, & inſtar fabarum, ſed multo latiores & compreſſiores cernuntur. Hæc arbor vivit annos 100 & amplius, difficile creditu iis, qui nunquam Ægyptum viderunt; non tamen inficias eundum eſt, quin ſint pleræque plantæ reſtibili & viva radice per aliquot annos durantes, quæ, pereuntibus ſingulis annis earum ſarmentis uſque ad radicem, ſequenti anno repullulant & revireſcunt. Mulieres illic utuntur decocto hujus Phaſeoli Ægyptiaci cum Croco, ad excitandos menſes. Ægyptii ipſi Phaſeolos illos in cibo frequenter uſurpant, & noſtratibus non minus ſuaves guſtui apparent. Præterea utile eſt decoctum ad tuſſim & diſpnœam corrigendam, urinam ſuppreſſam movendam. De cæteris Phaſeolis diffuſe ſatis & ad longum agit Johannes Bauhinus, à pag. 253. ad pag. 278. quem ibidem conſule; etiam de Piſis exoticis ex Guinea, India utraque, Braſilia, & territorio Mexicano allatis vide eundem.

LOCUS & TEMPUS.

Florent omnes hi Phaſeoli æſtate, quidam citius, quidam tardius: ſemina perficiunt autumno. Sativi aut hortenſes noſtrates (teſte Columella & Palladio) in Italia proveniunt. Exotici ex India utraque Orientali & Occidentali à paucis abhinc annis ad nos Europeos delati, & in paucorum Botanicorum hortis ſati, quos varietas pulchra & multiplex ſeminum horum, eorumque ſtudium delectat, coluntur; quin & ipſa ſemina annoſa, variis coloribus picta, & diverſiformia, viſu & obſervatu perdigna, ut in armorariis ſeminalibus ſeu muſæis rerum naturalium ſtudioſorum conſerventur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Smilacis hortenſis ſiliquæ lobi dicuntur (ut ſupra dictum,) quoniam præ aliis, præcipue ex omni ſiliquarum genere quæ indumento tectæ ſunt bivalvi, ſoli Phaſeoli recentes & virides teneriores que unà cum ſiliquis ſeu integumentis utplurimum ubique ineunte æſtate comeduntur. Coquuntur enim ſiliquæ cum ſeminibus unà intus latentibus, ut ex Dioſcoride relatum ante, & veluti Aſparagus oleris modo editur Phaſeoli fructus: ciet urinam & gravia ſomnia facit. Nutriunt Phaſeoli non minus quam Piſa, ſimiliterque flatus expertes ſunt, verum jucunditate & alvi dejectione illis cedunt teſte Ætio. Simeon Sethi apud Fuchium & Mauritani in primo ordine calidos & humidos eſſe Phaſeolos ſtatuunt. Galenus etiam de Alim. Facul. humidiores natura aſſerit. Pergit Simeon Sethi, qui magis rubri ſunt calidiores. Manifeſta quoque in iis humiditas, quod cito putreſcant. Humores generant craſſos & pituitoſos, medium locum habent (ut ait Galenus) inter ea quæ facile & difficulter concoquuntur, celeriter & tarde tranſeunt. Ante alios cibos ſumpti ventrem proritant. Albi igitur Phaſeoli craſſioris & difficilioris concoctionis ac humidiores ſunt quam rubri. Proprietate quadam turbulentâ ſomnia faciunt, ſed ad bonam habitudinem corporis conducunt & urinas movent. Horum decoctum menſes movet; ſiliquæ

liquæ ſeu cornicula dum recentia viridia & teneriora ſunt) ſi cum ſinapi & Carui ſemine edantur, aut ſi elixentur cum Pipere, in acetariis etiam eduntur. Adduntur etiam in fucis, quibus mulieres faciem concinnant.

NOMINA.

Phaſeolus, *Phaſiolus, Phaſelus (Et gravis Atriplicis conſurgit longa Phaſelus) Faſeolus, Dolichus & Smilax hortenſis, I. B.* λόβος *&* λόβιον *quibuſdam dicitur, id eſt ſiliqua; quia præ cæteris omnibus ſiliquis Phaſeoli ſiliquæ virides & adhuc juniores & teneræ elixæ, oleo aut butyro aceto & ſale admiſtis, commode ſatis eduntur.*

LEGUMINA

Sive Siliquoſæ Papilionaceæ Bivalves Alatæ

Scandentes Caulibus.

§. 2. PHASEOLUS RUBER ABRUS Vocatus.

1. EST Phaſeolus hic alatus fruticoſus & volubilis planta (ſive Cicer fructu rubro macula nigra notato, nobis.) etiam Phaſeoli trifoliati Lablab Ægyptiorum modo, ſcandens caulibus, perticas, baculos, ridiculas, aut quælibet alia adminicula adſtantia circumvolventibus; foliis Derelſide vel Tamarindi, Viciæ aut Arachi potius plane ſimilibus, binatim ſeu conjugatim coſtæ mediæ ſeu ῥάχι è regione adhærentibus ad numerum incertum 14. 16. aliquando duodeviginti, obtuſis, ſine impari extremum claudente, quæ etiam moventur ad ſolem non ſecus quam Tamarindi aliarumque plantarum, folia conjugatim poſita habentium; occidente quippe ſole clauduntur hujuſmodi arborum, fruticum, ſubfruticum, Leguminumque folia, ex oppoſito conjugatim ſita, & omnino per totam noctem clauſa manent, quouſque ſol denuo oriatur; tempore matutino, ſole apparente rurſum aperiuntur & extenduntur: flores autem papilionaceos hæc herba fruticoſa, Phaſeolis pares gerit; ſiliquas etiam propendentes, curtas, craſſas, graciliori brevique petiolo innixas habet, rugoſas, ſpadicei foris coloris, unciam aut paulo amplius longas, ſemiunciam latas, illaſque aliquando planas, mucrone inſtar hamuli curvo, interna parte albas, in quibus continentur ſemina quaterna, quina, duriſſima, ovalis formæ, prorſus rubra ſeu nitentia inſtar corallii expoliti cum probe matura ſunt, ſumma parte qua ſiliquæ inhæſerant ſemina omnino atra ebeni nigerrimi colore & præ lævore ſplendentia. Coralliorum unionibus quas circa collum geſtare ſolent puellæ in omnibus plane accedunt, & quaſi Pæoniæ ſeminum ſunt æmula; & collis monilis inſtar non ſolum penduntur, ſed armillarum loco in brachiis mulierum geſtantur ad ornamentum; corallinos globulos nativi coloris elegantiâ non ſolum provocant, ſed & vincunt. Sæpe hujus Leguminis ſemina prædicta duriſſima terræ commiſſa à nobis fuere, ſed nunquam naſcebantur; imo (quod magis mirum) poſt triennium eadem è terra eruta, incorrupta reperta, ac ſi pridie duntaxat ſata fuiſſent. Semel tamen contigit ut ex ſeminibus magis recentibus ex India allatis, ac aqua bene per binos dies naturales prius maceratis, & poſtea terræ in fictili commiſſis atque fictili eadem in pulvino ex ſtercore equino adhuc bene calente depoſitâ, nata ſit una aut altera planta, cura & vigilantia *Georgii London* hortulani Reverendiſſimi in Chriſto Patris *Henrici Compton* Epiſcopi *Londinenſis*, patroni noſtri colendiſſimi. Protrudebat ſemen terræ prædicto modo præparatæ commiſſum, initio bina foliola, ſemine bifariam ſe dividente, & folia ſupra terram formante (ut in aliis Leguminibus accidere ſolet) inter iſta bina folia naſcebantur coſtæ ſuſtinentes foliorum conjugatim ſeu binatim poſitorum alas, quæ ex multis foliolis contrario ſitu ſemper naſcentibus conſtabant; denis, duodenis, aut pluri-

bus, nullo impari extremum claudente. Folia (ut ſupra dictum) mirum in modum ad ſolem convertuntur; nam folia pinnata ſeu alata longæ coſtæ adhærent, & contrariis curtis & vix conſpicuis petiolis. Semper numero ſunt paria, parte averſa unum contra aliud arctiſſime circa ſolis occaſum clauduntur, ut mucrones obtuſi foliorum terram ſpectent; coſtæ itidem longæ, quibus folia hærent, noctu verſus terram inclinantur ita ut caulem fere tangant; & ſic tota nocte permanent: at cum ſol oritur panduntur, & pediculi ſeu coſtæ in ſuo ſitu ad angulos fere rectos cum caule convertuntur: circa meridiem paulatim folia cœlum ſpectare incipiunt, & ipſo meridie, parte ſuperiore, unum contra aliud invicem clauduntur ita arcte ut unum aliud tangat, mucroneſque cœlum ſpectent, contrario prorſus modo quo noctu permanent; poſtea apparente jam ſole panduntur. Hæc foliorum ad ſolem converſio ſpectatoribus & rem ipſam examinantibus mirabilis & obſervatione diligenti digniſſima, videtur, in hoc Legumine præſertim; ſicut in aliis etiam plurimis alatis, tam arboribus, fruticibus, ſuffruticibus & plantis Leguminoſis, quæ propria inclinatione à natura ipſis data & conceſſa, mutationes prædictas, accedente & recedente ſole ſine tactu ſubeunt; quemadmodum herba ſenſitiva cujus folia & aliquando pediculi ſimul cum foliis tactu ex inſtante, ſeſe aut comprimunt aut demittunt, & brevi procedente tempore, ſplendente aut lucente ſole, paulatim priſtinum recuperant ſitum ſtatumve; atque difficulter alia poterit reddi ratio, quam quod ipſis à natura ſic datum fuit. Hujus Abri plurimæ aliæ ſunt ſpecies.

1. Eſt minor hic (de quo nunc diximus) coccineus, nigra macula notatus.

2. Eſt & major compreſſus Abrus coccineus totus; Piſum Indicum majus ſeu Abrus major dicitur; variat colore, nigro, ſubfuſco, variegato, umbilico eminente, &c.

3. *Piſum* virulentum Chinenſe, ſeu Fabarum genus quod Abrus Latinis, Saga Javanis quibus pro ſolis ponderibus utuntur, Linſcot. par. 4. Indiæ orient. cap. 8. item part. 3. cap. 29. & Part. 2. Indiæ oriental. cap. 4.

LOCUS & TEMPUS.

Ex India Orientali deferuntur ſemina cùm majoris Abri tum minoris, cæterorumque hujus farinæ. Item ex Arabia felici & univerſa Inſula Madagaſcar, & ex China; ſed apud nos ſata vix germinant: folia ſolummodo ſine caulibus & fructu, maxima adhibita induſtria (ut ſupra meminimus) apud ſeptentrionales producunt.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Quidam teſte Camerario perhibent Abri ſemina utiliter adhiberi dentitionibus, febribus & ſpaſmis puerorum; Abri ſemina Phaſeolorum guſtum habent, quorum uſus eſt in cibo, iiſque Ægyptij in jure elixis veſci conſueverunt; ſunt vero cæteris Leguminibus duriora nec dentibus franguntur. Stomacho maxime infeſta ſunt, flatuſque excitant multos, & hypochondriacis valde noxia obſervantur; ægerrime in ſtomacho concoquuntur, & pravum ſuccum etiam generant.

NOMINA.

Phaſeolus *Indicus minor ſemine coccineo, nigrâ maculâ notato, nobis. Phaſeolus ruber Abrus vocatus, Alpin. de plan. Ægypt. Phaſeolus ex Jeme Hon. Belli Ep. 4. ad Cluſ. Phaſeolus ex Jemen qui Abrus dicitur eidem. Phaſeolus Indicus, vulgo (ſed falſo) Pæonia Indica, nomine Ginge & Abrus mittitur, Cam. Piſum Indicum minus coccineum, C. B. P. Piſum coccineum Americum, Lob. Americanum, Lugd. Piſa rubra ex novo orbe, Geſ. Hort. Aracus Indicus ſive Africanus, & ſiliqua Araci Indici rubri, Park. Vide Johan. Bauhinum à pag. 265. ad pag. 270. de cæteris, in quibus variantis naturæ ars in hiſce mire ludit. Res ipſa viſu digna & elegans. Vicia Africana Cluſ. exot. l. 4. c. 15. Fabarum genus quod Ægyptiis Abrus Part. 2. Ind. Or. cap. 4. Cicer coccineum nigra maculâ notatum, nobis. Abrus Ægyptiis, Cor. 2. Indiæ Orientalis. Vide plantam 7. Tab. 19. ubi figuratur.*

HALLUCI-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

PHASEOLUS hic alatus Indicus minor, ſemine coccineo macula nigra notato, nobis. Abrus Latinis dictus, & major totus coccineus, item & virulentus Chinenſis, male ab authoribus nominantur Piſa, Araci aut Viciæ; cum prædicta hæc Legumina capreolis donentur, illa autem iiſdem careant: deinde quam inepte Pæoniæ nomine inſigniantur aliis clare videntibus Botanicis diſcutiendum relinquimus. Nos hic prædicti Abri ſpecies cum Phaſeolis, quippe caulibus ſcandentibus non capreolis, locavimus. Vide diffuſius in Hallucinationibus Caſpari Bauhini ſuprà ad finem capitis Piſorum. A ſimilitudine foliorum alatorum binatim & conjugatim ex adverſo ſitorum, nullo impari extremum claudente, & ſiliquis propendentibus, melius hæ Abri Ægyptiaci ſpecies conveniunt cum Cicere: ſed quum ſcandant caulibus, quod Ciceribus denegatur, magis appoſite cum Phaſeolis Leguminibus trifoliatis, caulibus ſcandentibus, collocantur hic ex noſtra ſententia in hoc capite quinto, quam inter Cicera capite ſequente ſexto Sectionis ſecundæ.

LEGUMINA

Sive Siliquoſæ Papilionaceæ Bivalves non Scandentes, Siliquis propendentibus donatæ.

Orobus Sativus ſive Ervum; Cicer; Orobus Siliquis Propendentibus; Sophera; Sesban; Securidaca

Et Stella Leguminoſa.

CAPUT III.

---

§ I. OROBUS SATIVUS ſive ERVUM.

Ὄροβ☉ Græcis, Ervum Latinis: Græcorum vocem quidam deducunt παρὰ τὸ ἐρέπτεσθαι ὑπὸ τῶν βοῶν, *quod boves eo veſcantur & ſaginentur. Dioſcoridi lib.* 2.*c.*131.*frutex eſt exiguus, tenuis, folio anguſto, in ſiliquis parva gerens ſemina: & Theopbraſto* 9. *Hiſt. c.* 22.*fructu rotundo modo Piperis. Plinius l.* 18. *c.* 15. *Ervum vocat & cum Vicia conjunxit.*

Genera duo, ſativum & ſilveſtre: illud duum generum, candidum & ruffum; Galenus tertium addit, nempe pallidum, inter priora medium: eſt & quartum Creticum, quod ſemine minore eſt.

TABULA

TABULA VI.

Orobus annuus ſemine anguloſo
- 1. *Minore albo, ſiliquâ inter granum & granum junctâ, nobis. Orobus receptus herbariorum, Lob. Ger.* ☿
- 2. *Majore nigro obtuſo, ſiliqua inter granum & granum junctâ, nobis. Cicer Orobæum, Lob. Park.* ☿

Cicer ſativum ſeu arietinum
- 3. *Unico eminente angulo in ſemine*
  - *Albo, nobis.* ☿
  - *Rubro, nobis.* ☿
  - *Nigro, nobis.* ☿
- 4. *Pluribus eminentibus angulis in ſemine*
  - *Majore*
    - *Albo, nobis.* ☿
    - *Rubro, nobis.* ☿
  - *Minore nigro, nobis.* ☿

Orobus perennis ſilvaticus ſiliquis propendentibus
- 5. *Latifolius parvo flore purpureo, nobis. Orobus Venetus, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 6. *Viciæ foliis, nobis. Aſtragaloides altera herbariorum, Lob. Icon.* ⊙
- 7. *Radice tuberoſa, nobis. Aſtragalus ſilvaticus, ſive Aſtragoloides, I.B.* ⊙

8. *Sophera Lentiſci foliis, Hon. Belli Ep. 4. ad Cluſ. Sophera Alpin. Hoxocoquomaclit, Cluſ. Cur. poſt.* ☿
9. *Seſban Alpini de Pl. Ægypt. & Hon. Belli Ep. 4. ad Cluſ.* ☿
10. *Securidaca vera, Cluſ. Hiſt. Securidaca plurimis floſculis luteis in capitulum congeſtis, ſiliquis inter granum & granum junctis, ſemine quadrato, nobis.* ☿
11. *Stella Leguminoſa, Arturo Cortuſi. Ornithopodio affinis hirſuta planta Leguminoſa, ſiliquis ſtellatim diſpoſitis, nobis.* ☿

Explicatio Tabulæ ſextæ, Sectionis ſecundæ.

Omnes hæ ſiliquoſæ plantæ in hac ſexta Tabula contentæ conveniunt cum prædictis in capite ſecundo & Tabula 5. explicatis, quod ſiliquas habeant propendentes, & hac ratione ducti eaſdem in hoc capite tertio collocavimus. Nota generica conveniens ipſis eſt hæc. Omnes ſiliquas proferunt pendentes; ſecundò plurima folia habent uni coſtæ mediæ conjugatim adhærentia, & hoc nomine diſtinguuntur à Phaſeolis ſuprà in capite ſecundo explicatis, trifoliatis ſeu tribus foliis donatis.

1. O*Robus* ſativus ſive Ervum ſemine anguloſo, ſiliquis inter grana & grana junctis, nobis. Orobus annuus receptus herbariorum, Lob. Ger. Hic Orobus caulem habet duriuſculum, non quidem erectum, nec tamen procumbentem ſed in latus vergentem, πλαγιόκαυλος Theophraſto dicitur: folia Lentis ſimilitudine, parva, anguſta, plura uni coſtæ mediæ ſeu ῥάχει adnata, & ſibi invicem conjugatim è regione appoſita: flores exigui, candidi, papilionacei: quos parvæ, unciales, toroſæ ſiliquæ, ubi apparent ſemina protuberantes, ſequuntur, in quarum ſingulis terna quaternaque ſemina anguloſa minora, guſtui non inſuavia, latent: radicibus firmatur tenuibus.

Orobus Creticus ſemine minore, C. B. P. Creticus, Matth. Lugd. Hic Orobo prædicto annuo ſimilis, ſed minutiore conſtat ſemine, ſiliquiſque gracilioribus, inter granum & granum etiam conjunctis valvis ſeu tunicis; ſi Anguillaræ credimus, in Abruſſo vulgaris. Retinet nomen antiquum corruptum; ex Ervo Iervo dicitur: in glareoſis ibidem affatim occurrit. Mattheolus ejuſque ſequaces ſemine minore eſſe aſſerunt. Quicunque hunc & priorem eundem conſtituerit, illi dabo manus.

2. *Orobus* Creticus ſemine majore obtuſo triangulo, nobis. Et C. B. P. Cicer Orobæum Theophraſti, Lugd. Ad. Lob. Primo Orobo ſimilis eſt, præſertim ſiliqua: dulciſſimum & Ervo ſimillimum dicitur ejus ſemen. Juxta cauliculorum nodos ramuli quidam prodeunt, ſuſtinentes plures ſiliquas, rotundas, ſemiunciales, inter grana & grana junctas, ſeu exiguis tuberculis ubi apparent grana conſpicuas, terna raro plura ſemina obtuſa, triangula, clauden-

tes,

tes, Orobi vulgaris recepti herbariorum ſeminibus duplo majora, colore albido pallentia ſeu ſubfulva; non ingrati ſaporis, quæ ab Orobo vulgari non ſolum magnitudine ſed & nigredine differunt.

LOCUS & TEMPUS.

1. Orobus *annuus receptus herbariorum*, *Lob. Naſcitur hic in Hiſpaniæ & Italiæ plurimis locis; in Germania & Gallia Belgiaque non niſi in hortis à paucis ſeritur: floret Junio & Julio, ſemen ſuum perficit Auguſto.*
2. Orobus *ſemine majore obtuſo triangulari*, *C.B.P. Cicer Orobæum Theophraſti. Hic Orobus in Galliæ Narbonenſis & Gallo-provinciæ pleriſque ſatis arvis per meſſes flavet. Floret & ſemina ſua perficit eodem cum primo tempore. Reperitur & in Creta inſula, unde ei Orobi Cretici nomen inditum.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Orobus *primus ſeu Ervum guſtu eſt inſuaviſſimum ac pravi ſucci, & ideo ab eo quidem homines abſtinent. Boves vero in aqua dulcoratum paſcuntur. Semen redditur anguloſum ubi ſiccum; ſiliquæ torulis ubi aparent ſemina ſcatent. Qualitas evidenter ingrata eis ineſt; in magna tamen fame, quemadmodum Hippocrates quoque ſcripſit, neceſſitate coacti ad ipſum nonnunquam accedunt. Porro quatenus amaritudinis eſt particeps, eatenus excidit & extergit, atque obſtructiones expedit.*

NOMINA.

1. Orobus *ſativus ſive Ervum ſemine anguloſo ſiliquis inter grana & grana junctis*, *nobis. Orobus receptus herbariorum*, *Lob. Ger. Orobus ſiliquis articulatis*, *C. B. P.* (*perperam à Caſp. Bauhino adhibetur articulatis, cum ſiliquæ hujus nullatenus ſint articulatæ; articulatæ enim ſiliquæ exſiccatæ, per interſtitia rumpuntur, & in ſingulis interſtitiis ſingula continentur ſemina ſecundum doctrinam noſtram ex libro naturæ hauſtam & depromptam*) *Orobus ſive Ervum*, *Matth. Geſn. Hort. Lugd. Ervum ſive Mochus*, *Tab. Ervum verum*, *Cam. Mochus ſive Cicer Sativum*, *Dod.*
2. Orobus *Creticus ſemine majore obtuſo triangulo*, *nobis. Orobus ſemine obtuſo triangulo*, *C. B. P. Cicer Orobæum Theophraſti*, *Ad. Lob. Lugd.*

§. 2. CICER.

Ciceris, *quod* ἐρέβινθος *Græcis, genera duo Dioſcoridi l. 2. c. 126. ſativum & ſilveſtre; ſativi genus alterum* κριὸς (*arietinum reddunt, quia* κριὸς *arietem ſignificat*) *appellatur Theophraſto 8. Hiſt. 5. Cicer & magnitudine & ſapore, & colore, & formâ pleraſque differentias oſtendit* οἷον κριὸν ὀροβιαῖον καὶ ἀνὰ μέσον· ἐπὶ πᾶσι δὲ τὰ λευκὰ γλυκότερα *hoc eſt veluti arietinum, Orobæum ſive Ervinum, & inter hæc medium: præter hæc omnia ſunt alba dulciſſima. Galen. 6. Simpl. duplex, Arietinum & Orobæum. Plinio l. 18. c. 12. eſt Arietinum, quod album eſt & nigrum* (*in Arietino candidum eſſe Dalechampius in Plinium negat;*) *eſt columbinum, quod & venereum dicitur, & candidum eſt, eſt & dulciſſimum, quod Ervo ſimillimum eſt. At Mattheolo eſt columbinum, quod candidum: eſt venereum, quod rubrum: eſt Arietinum, quod nigrum & cæteris majus eſt. Anguillaræ tres ſunt ſpecies, albi, ruſſi, arietini; albi duplices ſunt, arietini & ervini: arietini capiti arietino ſimiles; ervini leves, Ervi ſemini ſimiles, ex Galeno 9. de compoſ. medic. ſecundum loca. Rubei ſimiliter duplices, arietini & ervini. Nigri ſimplices ſunt, ſolo colore ab aliis differentes.*

3. *Cicer* ſativum, C. B. P. Arietinum, Dod. ut. Cicer hoc arietinum caules profert tenues, lignoſos quaſi, ramoſos, hirſutos, in latus declinantes; folia ex pluribus foliolis binatim & conjugatim uni coſtæ ſeu ῥάχει è regione adnatis conſtant, quorum ſingularia parva ſunt, ac latiuſcula, hirſuta, in ambitu crenata: flores parvi ſunt, papilionacei, candidi, aut ex purpurâ rubeſcentes, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, bivalves, parvæ breveſque, hirſutæ itidem, utriculorum modo, ac veluti flatu diſtentæ, in quibus duo aut ad ſummum tria clauduntur ſemina anguloſa ſeu turbinata, unico angulo acuto prædita, Arietini capitis omnino

no æmulâ; colore aut candida, aut ſubrubentia, & nigra, quæ ſunt cæteris omnino angulofiora (ut videre eſt in iconibus ſeminum alborum & rubrorum) quæ neutiquam differunt magnitudine, nec figurâ, ſed colore tantum: flores itidem ſunt aut albi, aut rubri; nigra etiam flores proferunt rubros, ſeminaque minora & angulofiora, ſeu pluribus eminentiis tuberculiſve conſtantia. Obſervavimus in horto Botanico Academico Oxonienſi Cicer ſemine etiam angulofiore rubro,multo majore nigro vulgo dicto.Cicer arietinum album & rubrum ſemen angulo unico protuberans obſervatur habere; cornu arietini germinationis principium haud obſcurum etiam oſtendit, unde arietini Ciceris appellatio huic Legumini indita: radice nititur gracili, candida & tenui; Theophraſtus autem ait, radicem inter Legumina altiſſimam Cicer agit: quam inepte & inconſiderate ſeſe hic exprimit ipſe Theophraſtus, judicent, qui ſemeſtrem hanc plantulam coluerunt.

LOCUS & TEMPUS.

In Italia, Hiſpania, Gallia paſſim in agris ſeritur. Perutilis eique familiaris eſt ſalſilago. Natura enim ejus (ut tradit Theophraſtus) eſt cum ſalſilagine naſci, ideoque ſolum cui committitur urit; ut non niſi madefactum pridie, Plinio authore, ſeri debeat. Hæc præmonitio inſerviat, ut omnia Legumina per diem naturalem madeſiant ante ſationem, ut citius germinent. Florent æſtate Cicera, verſus ejuſdem finem ſemina ſua maturant.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Galenus *de Alim. facultatibus ſcribit,Cicer eſſe edulium non minus flatulentum Fabâ; valentius tamen nutrit quam illa, ad venerem autem excitat, crediturque ſemen ejuſdem generationem quoque augere, unde quidam equis admiſſariis ipſum exhibent: ineſt Ciceribus facultas abſtergendi major, quam Fabis, adeo ut quidam calculos in renibus reſtantes comminuere aſſerant. Ea autem ſunt nigra, quæ reliquis (uti dictum) albis & rubris ſunt minora, magiſque angulofa; quin & figura ab albis & rubris majoribus differunt; nam ſemina nigra pluribus angulis ſeu tuberculis eminentibus ſcatent, alba autem & rubra majora, ſemper unicâ tantum protuberante eminentiâ afficiuntur. Obſervavimus ſemina rubra majora angulofiora adinſtar nigri minoris angulofioris, quippe eandem figuram cum ipſo poſſidebant & caput arietinum melius referebant, tota ſuâ ſubſtantiâ quoad figuram nigro minori accedebant, niſi quod magnitudine ipſum multum ſuperabant. Satius eſt ſuccum nigrorum aut rubrorum majorum horum, neutiquam differentium à nigris minoribus figurâ, in aqua coctorum bibere. Dioſcorides inquit arietinum utrumque id eſt nigrum & rubrum prædictum angulofius urinas ciere, dato cum Roremarino hydropicis, aut regio morbo laborantibus eorum decocto; lædunt autem eadem exulceratam veſicam & renes: Legumina omnia frixa deponunt amaritudinem, verum difficilius concoquuntur & ventrem magis ſiſtunt, craſſioriſve ſucci alimentum corpori exhibent. Cicer ſativum (ut placet Dioſcoridi) alvo commodum eſt; urinam ciet; flatus gignit; bonum colorem inducit; menſes & fœtus educit; lac gignit; cataplaſmatis modo cum Ervo maxime coctum imponitur, & ad teſtium inflammationes valet. Madefactum per noctem in aqua, & aquâ potâ lumbricos ejicit, ſed oportet ut qui utatur per ſex horas jejunet. Farina Cicerum aceto ſubacta ſcabioſis inuncta prodeſt. Jus itidem eorum ictericis confert.*

NOMINA.

Cicer *ſativum ſeu arietinum unico eminente angulo in ſemine albo rubro & nigro, nobis. Cicer caulibus, foliis denticulatis, & ſiliquis hirſutis ononidis (quæ Natrix Plinio dicitur) modo donatur, vulgo Cicer album & rubrum aut nigrum nuncupatur. Cicer domeſticum, Matth. Arietinum Dod. ut. I. B. (Ciceres albi & nigri dicuntur à doctiſſimo Camerario, Caſp. Bauhino aliiſque qua ratione aut regulâ in maſculino genere uſi ſint, mihi non ſatis conſtat.) Cicer ſativum, C. B. P. Ger. Hiſt. Lugd. Ad. Lob. Cicer, Matth. Tab. Cicer ſativum ſeu arietinum album & rubrum, Park.*

Cicer *ſativum ſeu arietinum pluribus eminentibus angulis in ſemine majore albo & rubro, & minore nigro, nobis. Cicer nigrum, Fuch.*

HALLU-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 347. col. 1. pl. 1. *Cicer ſilveſtre majus foliis oblongis hiſpidis, C.B.P. Silveſtre, 1. Dod. Lugd. Cicer ſativum producit ſiliquas ſingulares, propendentes, curtas, craſſas, hirſutas, utriculorum modo veluti flatu diſtentas; in quarum ſingulis duo vel tria continentur ſemina anguloſa, eminentia ſingulari (ut in albo & rubro majore) velpluribus (ut in nigro, & rubro majore anguloſo) donata, arietini capitis omnino æmula. Hæc eſt teſſera ſeu nota generica Ciceri proprie dicto aſſignata; ergo Cicer majus ſilveſtre foliis oblongis hiſpidis C. B. P. ſeu ſilveſtre 1. Dod. Lugd. non debet cum Cicere proprie dicto locari, cum Cicer 1. Dod. Lugd. ſit Legumen ſiliqua rotunda gemella, veſicam referente, ſeu duplicem ſeriem ſeminum continente, præditum; ideo debet Aſtragalis ſiliqua gemella donatis aſſociari (ſicut nos, ex libro naturæ edocti fecimus in doctrina infra tradita cap. 5. & Tab. 9.) & à Cicerum numero revocari & expungi. Quilibet, intuendo librum naturæ, poterit nobiſcum concludere hanc plantam ab authoribus male nominari Cicer, propter rationem ſupra hic à nobis allatam; & per conſequens pejus hoc in loco inter Cicera à Caſparo Bauhino aliiſque authoribus diſponi: ſed inter ſuas conſimiles plantas, Tab. 9ⁿᵃ diſpoſitas, & ſiliqua gemella affectas, deſcribi & locari debet.*

Pag. 347. col. 2. pl. III. Ciceri ſilveſtri minori affinis, C.B.P. Glaux Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. Anthyllis altera Lenti ſimilis, Dod. Legumen eſſe ex deſcriptione Cluſii colligimus; ſed ſiliquarum non meminit Cluſius, nec Johannes Raius in catalogo plantarum Angliæ, ubi nomina nuda tantum citat, atque ejus natales nobis exhibet. Conjicio tantum, Ciceris non eſſe ſpeciem. Viderit ipſe ad quam claſſem Leguminum ſit reducenda, à fine ultimo. Hoc nobis fuiſſet facillimum, ſi ſiliquas ad manus unquam habuiſſemus; aut idem Johannes Raius nobis communicaſſet, aut rite deſcripſiſſet; aut alii authores ſequentes deſcriptionem Cluſii melius poſitionem ſiliquarum obſervaſſent.

Pag. 347. col. 2. pl. IV. & V. Cicer montanum lanuginoſum erectum, & Cicer montanum ἀκαυλον*; neutrum horum ex deſcriptione Caſp. Bauhini in Prod. poteſt haberi Cicer proprie loquendo.*

Pag. 347. col. 2. pl. VI. Cicer ſilveſtre latifolium triphyllon, C.B.P. Silveſ. Dod. Cicer Silveſ. alterum, Lugd. Nota primo quod Caſp. Bauhinus confundat Cicer ſilveſtre alterum Lugd. (quod eſt Ononis fruteſcens verna purpurea nobis, & ſiliquis & ſemine ſeſe demonſtrat eſſe Ononidem, ut poſtea in doctrina Ononidum infra inter trifolia oſtendemus) cum Cicere triphyllo latifolio Gerardi, quod eſt diſtinctum Legumen à Cicere ſilveſtri altero Hiſt. Lugd. ratione ſtructuræ foliorum, ſiliquarum & ſeminum. Utraque quidem hæc planta Leguminoſa, eſt Ononis, quia triphylla: nam Ononis eſt genus trifolii ut infra patebit latius. At neutra harum plantarum dici poteſt Cicer argumentando à nota generica Ciceris. Omne Cicer habet folia alata, plurima uni coſtæ mediæ adhærentia, conjugatim poſita, & ſemen etiam anguloſum, ſeu eminentia protuberante inſignitum: ergo utraque debet poni inter ſuæ ſortis plantas triphyllas, ſcilicet Ononidum claſſem, ut clare poſtea declarabitur.

---

§3. OROBUS SILVATICUS
Siliquis Propendentibus.

O*Robus* ſilvaticus dicitur quod in ſilvis proveniat. Omnes hi Orobi ſilvatici radice ſunt perenni & diu durante; folia habent alata, coſtis conjugatim adnaſcentia, uno extremum utplurimum claudente: coſtæ foliis è regione ſic onuſtæ, alternatim è cauliculis prodeunt, eo intervallo quo diſtinguuntur genicula ipſa; & dicuntur omnes hæ plantæ πλαγιάκαυλαι ex Theophraſto, id eſt quarum folia ad latus hinc inde tendunt.

5. *Orobus* ſilvaticus latifolius ſiliquis propendentibus, parvo flore purpureo, nobis. Orobus Venetus, Cluſ. Hiſt. Multos ex eadem radice hic Orobus fundit ramos pedales, anguloſos, ex ſingulis caulium geniculis productos, modò in hanc modò in alteram partem inflexos, humique utplurimum diffuſos: folia in ſingulis coſtis ſena, binatim & conjugatim eaſdem è regione cingentia, nullo tamen extremo folio imparem numerum faciente, & à cæteris ſuæ ſortis in hoc omnino differt; Pannonici 1. Cluſii foliis pene ſunt ſimilia, ſed dilutius virentia; ergo facili negotio, foliis dilutius virentibus, & præcipue ſiliquis propendentibus hic Orobus Venetus ab Orobo Pannonico, 1. Cluſ. (quippe ſiliquis erectis donato) diſtinguitur. Eâ ratione nos ducti, Orobum Pannonicum 1. Cluſ. ſicut & Orobum Pannonicum 3. Cluſii, cæteroſque Orobos ſiliquis erectis donatos remiſimus ad Tab. ſeptimam & 8. earumque explicationem infrà exhibendam. Flores ſunt papilionacei, parvi, coloris purpurei; plures oblongis petiolis, ex alarum cavis finibus ortis, prodeuntes innaſcuntur, numeroſi in comam quaſi inflexi: lobi ſeu ſiliquæ ſunt oblongæ, mucronatæ, Viciæ ſiliquarum pene æ-

Lowdham

mulæ,

mulæ, rotundiores tamen, ſeu magis teretes & propendentes, maturitate ruffeſcentes: ſemen continent Orobacæum, oblongiuſculum, albicantis quaſi coloris: radix dura, lignoſa, multis fibris in diverſa diſtractis & late tendentibus donata. Vivax eſt hic Orobus & ſingulis annis frequentiores caules profert.

6. *Orobus* ſilvaticus Viciæ foliis, ſiliquis propendentibus, floribus purpuraſcentibus, nobis. Silvaticus Viciæ foliis, C. B. P. Pannonicus, 2. Cluſ. Hiſt. Hic Orobus tenuioribus, firmis tamen caulibus conſtat, cubitalibus, anguloſis, & in multos ramos diviſis: folia alata ſunt Viciæ inſtar, ſena, octona, interdum dena, conjugatim uni coſtæ mediæ adhærentia, Lenticulæ foliis haud majora, tenella, viridia, guſtu amaricante, & calidiuſculo: flores ex ſuperioribus alis numeroſi, longioribus petiolis dependentes, ſuperiorum Leguminum floribus papilionaceis ſimiles, purpuraſcentis coloris, qui vetuſtate in cæruleum commutantur: lobi ſunt longi, nigri, continentes oblongiora ſemina, ſubfuſca, quæ maturitate ſicca ſimiliter deſiliunt, ſiliquarum tunicis in ſeſe contorquentibus aliorum Leguminum minorum more: radix, ut ſuperioris, dura, lignoſa ſub exortum caulium, deorſum verſus fibroſa. Vivax & perennis eſt planta; ſingulis annis ineunte vere plures caules protrudit.

7. *Orobus* ſilvaticus noſtras, ſiliquis propendentibus, tuberoſa radice, nobis. Lathyrus arvenſis radice tuberoſa, Park. App. Aſtragalus ſilvaticus ſive Aſtragaloides, I. B. Perperam dicitur Aſtragalus Johanni Bauhino, cum non habeat ſiliquam gemellam, ſeu duplicem ſeriem ſeminum in unâ & eâdem ſiliquâ ſuccedente uni flori papilionaceo. Vide figuram in Tab. 19. App. hujus Sectionis: non eſt Lathyrus ut vult Parkinſonus quia deſtituitur capreolis.

LOCUS & TEMPUS.

5. Orobus *Venetus ſeu ſilvaticus latifolius ſiliquis propendentibus, parvo flore purpureo, nobis. Hujus ſemen primò miſſum Venetiis ad Carolum Cluſium, ſed ubi ſponte naſcatur, non meminit. Floret menſe Maio cum pleriſque aliis; Junio, Julioque maturantur ejuſdem ſemina.*

6. Orobus *ſilvaticus Viciæ foliis, ſiliquis propendentibus, floribus purpuraſcentibus, nobis. Copioſe naſcitur in omnibus illis montanis ſilvis quadam catenâ productis à Danubio ad Alpes; variis item Pannoniæ locis. Nos frequentem ſatis hunc Orobum invenimus ſponte creſcentem primo lapide à Blæſenſium capite in Silva cædua, dicta* le coſte de Chail. *Floret Martio exeunte & ineunte Aprili: ſemen perficit Junio. De viribus horum Leguminum ſilveſtrium prædictorum non conſtat apud authores.*

7. Orobus *ſilvaticus noſtras perennis ſiliquis propendentibus, radice tuberoſa, nobis. Lathyrus arvenſis tuberoſa radice, Park. App. Aſtragalus ſilvaticus ſeu aſtragaloides, I. B. Provenit in dumetis & ſilvis inter vepres in Germania, Gallia, & Anglia. Floret Aprili, & Julio ſiliquas maturat: à foliis latis conjugatim poſitis, uno impari extremum claudente, à Lathyri ſpeciebus capreolis donatis; deinde à reliquis Orobi ſilvatici ſpeciebus, radice tuberoſa quam facillime diſtinguitur. Male à Caſparo Bauhino reliquiſque authoribus pro Aſtragalo habetur, cum non polleat ſiliquis gemellis, duplicem ſeriem ſeminum in ſe continentibus, ſed ſiliquas habet bivalves, unicam ſeriem ſeminum includentes, eaſdemque propendentes, melius igitur adjungitur Orobis.*

§ 4. SOPHERA.

8. Sophera, Securidaca Ægyptiaca, Park. Sophera Lentiſci foliis, Hon. Belli, Epiſt. 4. ad Cluſ. Sophera dicta Galegæ affinis ſeu proxima, C.B.P. Proſp. Alpin. de Plan. Ægypti. Planta hæc exotica ex primo intuitu ſeſe manifeſtat eſſe ſpeciem Leguminis à foliis alatis conjugatim ſeu binatim è regione coſtæ mediæ adhærentibus, & à ſiliquis etiam Leguminoſis, bivalvibus, ſuccedentibus floribus papilionaceis: ſed utrum habeat ad extremum coſtæ mediæ folium impar, aliorum hujus ſortis Leguminum more, ſaltem non ſcandentium; & ſiliquas erectas ut vult Carolus Cluſius, aliorum, qui florentem & ſemina producentem hanc plantam obſervaverint, eſto judicium: quod ſi ita ſit, primò vitio vertendum Proſpero Alpino, deinde pictori ejuſdem, qui admodum negligenter Iconem nobis exhibuit; ut ut ſit, nos exhibuimus figuram Alpini cum ſiliquis propendentibus, prout apparuit in Icone, & per conſequens locavimus ipſam Sopheram Alpini inter conſortes, id eſt Legumina non ſcandentia, ſiliquis propendentibus donata. Si re vera Cluſius detexit alteram cum ſiliquis erectis, inter ſuas etiam conſortes papilionaceas leguminoſaſve diſponemus, quando ad manus habu-

habuerimus, ſcilicet Legumina ſiliquis erectis prædita. Si Proſp. Alpinus Sopheram ſuam vere delineatam obtulerit, quod neutiquam dubitamus, nos non erravimus à noſtro ſcopo.

NOMINA.

8. Sophera *Lentiſci foliis, Hon. Belli Epiſtola 4. ad Cluſ. Sophera, Alpin. Hoxocoquomaclit, Cam. Hort. Cluſ. Cur. Poſt. Galegæ affinis Sophera dicta, C. B. P.*

§. 5. *SESBAN.*

9. *Sesban* Ægyptiacum ſeu Securidaca Ægyptiaca articulata, Park. Seſban, Alpin. & Hon. Belli Ep. 4. ad Cluſ. Galega Ægyptiaca ſiliquis articulatis, C. B. P. (Obiter monendus eſt lector hanc exoticam plantam inadvertenter à Caſp. Bauhino, & negligentiùs à Parkinſono deſignari ſiliquis articulatis; ſiquidem non ſatis intelligebant quid ſit ſiliqua articulata proprie loquendo, ſecundum doctrinam veram ex libro naturæ depromptam: ſiliqua enim articulata in multos articulos ſuis interſtitiis diſtinctos dividitur tranſverſim, & in ſingulis interſtitiis (exſiccata ſiliquâ & rupta) ſingula continentur ſemina: vide Tab. 10. & 11. de ſiliquis articulatis, & cap. 6. hujus Sectionis.) Fruticoſa hæc herba eſt Myrti magnitudine, foliis Securidacæ, ſed longioribus & anguſtioribus; ramos habet herbaceos tantum, & teneros: flores fert croceos, Anagyridis perquam ſimiles, multos racematim ab uno ramulo pendentes, à quibus ſiliquæ longæ producuntur, Fœnugræco quaſi proximæ, in quibus ſemina ſunt etiam Fœnugræci ſeminibus non parum ſimilia.

LOCUS & TEMPUS.

Locus ſatis apparet in titulo. Floret verſus finem æſtatis; ac autumno ſemen ſuum apud meridionales perficit, nunquam autem apud nos ſeptentrionales. Nos ex ſatione ſeminis ipſius, ineunte vere ex Africa communicati produximus plantam, quæ nobis flores ſolummodo protruſit, & ſtatim poſt ob ſævitiam frigoris exeunte Autumno periit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

His ſubfruticibus herbaceis utuntur Ægyptii ad ſepes texendas pro agrorum diſtinctione. Semina hujus hos in medicina uſus habere aiunt, humidum ſtomachum ſiccare, & roborare; ipſorum quoque uſum tum in decocto, tum in pulvere, affectant; ad cohibendum quemcunque alvi fluxum, atque non minus ad menſtruorum immoderata profluvia ſiſtenda, ex ipſis inſignem utilitatem experiuntur, & ut uno verbo dicam ſicut ait Alpinus, in omnibus vacuationibus reprimendis illorum ſeminum uſum habent frequentiſſimum.

NOMINA.

Seſban *Alpin. de Plant. Ægypti, & Hon. Belli Ep. 4. ad Cluſ. Sesban Indicum, Cam. Hort. Sesban ſeu Securidaca Ægyptiaca articulata, Park. Galega Ægyptiaca ſiliquis articulatis (ſed perperam) C. B. P.*

§. 6. HEDYSARUM ſive SECURIDACA.

HΔύσαρον & πελεκῖνον *Græci vocant, quam Latini Securidacam (vel ut Turnebus legendum cenſet, Securiclatam) à ſeminis figura;* πέλεκυς *enim ſecurim ſignificat: ſic enim Dioſcorides, lib. 3. c. 146. Hedyſarum, quod unguentarii Pelicinum, ſemen ruffum in ſiliquis corniculorum modo aduncis, quòd ſecurim ancipitem æmulatur, unde nomen accepit. Apud Theophraſtum 8. Hiſt. 10. Gaza Securinam (ſecuri ſimilem) reddidit: & Plinius l. 18. c. 17. Securidaca, quam Græci à ſimilitudine Pelecinum vocant.*

Genera: Dioſcorides unius meminit; at recentioribus aliquot differentiæ ſunt. Sed quam negli-

 genter

genter pro Securidacæ ſpeciebus recenſentur, conſiderent lectores, & conſulant Hallucinationes Caſpari Bauhini, aliorumque authorum, infra à nobis ſcriptas & obſervatas.

10. *Securidaca* vera plurimis floſculis luteis corymbi modo diſpoſitis, ſiliquis latis, compreſſis, inter granum & granum junctis, ſeminibus quadratis, nobis. Securidaca lutea major, C. B. P. Vera, Cluſ. Hiſt. Securidaca hæc vera & legitima caules producit à radice multos, cubitales & ſeſquicubitales rotundos: folia oblonga ex multis foliolis (Lentis rotundioribus, ut Arachi, Viciæ, & ſimilium) congeſta & binatim coſtæ mediæ ſeu ῥάχει adhærentia, ex oppoſito ſita: flores gerit eleganter luteos in corymbis diſpoſitos: ſiliquas deinde corymbatim pediculi ſummo annexas habet, quarum ſingulæ ſunt compreſſæ, ſuturis chirothecarum duplici ſuturâ more Anglicano conſutarum ſimiles, nonnihil recurvæ, quæque etiam in interſtitiis ſeminum deprimuntur, ubi apparent ſemina intumeſcunt; ſemina conſpiciuntur exterius conſpicuè quadrata, quæ recenter ſiliquis exempta lutea apparent, tandem evadunt ruffa & amara, compreſſa, oblonga, quadrata, quatuor angulis etiam donata, in medio convexa, ſecuris Romanæ effigie, unde ei nomen Securidacæ: flores brevi petiolo hærent; & conſequenter ſiliquæ, palmo longiores, nonnihil ſulcatæ, roſtro acuto & recurvo, brevi aut nullo petiolo quaſi hærentes: ſemen eſt apud nos perexiguum (& ut ait Cæſalpinus) omnium amariſſimum, & ſi vel minimum ejus deguſtetur, ingens amaritudo ſentietur. Curto autem (uti dictum) innituntur ſiliquæ pediculo, & ideo aut ſurſum ſpectant ſiliquæ, aut ſaltem angulum obliquum cum pediculo ipſas ſuſtinente conſtituunt. Nullius inſuper plantæ ſemen aptius veterem ſecurim Romanam (Caroli Cluſii judicio) refert quam hujus, quæ ab omnibus Hedyſarum (ἡδύσαρον & πελεκῖνος) legitimum cenſetur, & Securidaca vera. ἡδύσαρον, ab ἡδὺς ſuavis, & σάρον ſcopæ, id eſt ſerta; ſcopæ & coronæ ſuaves, quibus ſuaviter olentibus delectantur matronæ nobiles, quales ſunt etiam hujus Hedyſari legitimi flores. Hoc tamen in loco forte à Græcis per antiphraſin ſic dicitur, cum hujus ſemen ſit amariſſimum.

LOCUS & TEMPUS.

Naſcitur in Hiſpaniæ aliquot locis, inter ſegetes; floret æſtate, & eâdem exeunte ſiliquas fert, in quibus continentur ſemina quadrata, lutea, matura.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Hedyſari meminit etiam Galenus Simpl. Medicam. 6. inquiens, Hedyſari aut Pelicini ſemen colore ruffum eſt, utrinque anceps adinſtar ſecuris Romanæ, gratum ſtomacho; viſcerum obſtructiones purgat. Idem præſtant totius herbæ ramuli, ſed minus efficaciter.

NOMINA.

10. Securidaca *vera & Hedyſarum legitimum, Cluſ. Hiſt. Securidaca plurimis floſculis luteis, in capitulum congeſtis; ſiliquis compreſſis, & inter granum & granum junctis; ſeminibus quadratis, nobis. Lutea major, C. B. P. Major, Matth. Ad. Lob. Hedyſarum majus, Lugd. Cam. Ger. Hedyſarum, 1. Dod. Hedyſarum majus ſeu Securidaca major vera, Park. Securidaca flore luteo, ſiliqua lata, oblonga, I. B. Securidaca Hedyſarum pelicinum, eidem: Pelicinus Tab. Geſn. Hort.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI.
Aliorumque Authorum.

PAg. 349. col. 1. pl. II. Securidaca lutea minor corniculis reflexis, C. B. P. & pl. III. Securidaca ſiliquis planis utrinque dentatis, C. B. P. Hæc duo Legumina, cum ſint Aſtragali ſpecies ſiliqua gemella donatæ, ut cernere eſt in doctrina Tab. 9ⁿᵃ, male à Caſparo Bauhino reliquiſque authoribus pro Hedyſari aut Securidacæ recenſentur ſpeciebus, cum Aſtragali omnino poſſideant ſymbolum ſeu notam eſſentialem.

Pag. itidem 340. col. 1. pl. IV. Securidaca dumetorum major flore vario, ſiliquis articulatis, C. B. P. & col. 2. pl. V. Securidaca dumetorum minor pallide cærulea, C. B. P. cum ſint plantæ præditæ ſiliquis articulatis, debent ad Polygalam ſeu Coluteam referri, inter ſuæ ſortis ſimiles, Tab. 10. contentas. Vide explicationem Tab. 10. infra in hac Sectione.

§. 6. STELLA

§. 7. STELLA LEGUMINOSA.

11. STella Leguminoſa, Lob. Lugd. Tab. I. B. Ger. Park. Ornithopodio affinis hirſuta planta Leguminoſa, ſiliquis ſtellatim diſpoſitis, nobis. Stella Leguminoſa Arthuri Cortuſi, cui debetur rariſſima hæc planta Leguminoſa, quæ foliis exit Scorpioidis Leguminoſæ Lobelii, & floſculis Lampſanæ: ſemen hujus eſt exile, puſillum in corniculis tantillum faſciatis, uni pediculo congeſtim adaptatis, & radiatim ſtellæ in modum congeſtis; guſtu Leguminoſo & glutinoſo. Stella Leguminoſa Arturo Cortuſi dicitur. Hæc plantula mihi videtur heteroclita, ſeu ſui generis, etiamſi nunquam ad manum habuerim, ſed ex deſcriptione authorum ex Arturo Cortuſo tranſcribentium. Flores non habet papilionaceos, ſed Lampſanæ: qualeſnam ſint ſiliquæ, bivalveſne, quales poſſident papilionaceæ; an bivalves cum ſepto membranaceo pellucido dirimente duplicem ſeriem ſeminum, quales habent tetrapetalæ ſiliquoſæ omnes (de quibus acturi ſumus in Sectione tertia) me latet, propter imperfectam Cortuſi, aliorumque ejus ſequacium ex ipſo tranſcribentium, delineationem ſeu deſcriptionem; nec conjecturam quilibet facere poterit ex Cortuſi ipſius deſcriptione, multo minus figurâ ſuâ imperfecte exhibitâ, quæ à cæteris poſteris ſuis, etiam cæcutientibus cum ipſo, manca & imperfecta eſt, ſicut & deſcriptio derivata ad nos. Si haberemus plantam florentem & ſiliquas producentem, determinatu nobis minime difficile judicaremus, utri horum generum ſubalternorum prædictorum claſſi aſſociari deberet. Cum florem habeat Lampſanæ cichoraciæ inſtar (ut ſupra dictum) neutiquam papilionaceis convenit. Sit heteroclita, examinanda poſteris, ad quorum manus pervenerit: impræſentiarum hoc addendum eſſe haud abs re putamus, neotericos omnes Cortuſum hoc in loco alioſque veteres anteceſſores in multis aliis ſequutos, cum ipſis erraſſe; fine ultimo neglecto, id eſt, florum, ſeminum, & capſularum ſeminalium ſtructurâ, diligenti & ſedula inſpectione non obſervatâ, parum aut nihil luminis reipublicæ literariæ Botanicæ, attuliſſe; aut ſaltem multa confuſe & obſcure in ſcriptis ſuis poſteris tradidiſſe aſſerimus. Sine hac noſtra methodo genuina, vera, & infallibili, à natura data, neutiquam plantas ad genera ſua ſuprema, multo minus ſubalterna ſeu intermedia, aut ſpecies infimas, reduci unquam potuiſſe concludimus.

NOMINA.

Stella *Leguminoſa Arthuri Cortuſi, I. B. Stella Leguminoſa, Ad. Lob. Lugd. Ger. Park. Ornithopodio affinis planta hirſuta Scorpioides, C. B. P. Ornithopodio affinis planta hirſuta Scorpioides, fructu ſtellato, nobis. Vicia ſeſamacea Apula Colum. ſed perperam pro ſynonyma planta Stellæ Leguminoſæ adhibetur hic à Caſp. Bauhino.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

ORnithopodio affinis planta hirſuta ſcorpioides C. B. P. Ornithopodio affinis planta hirſuta Scorpioides fructu ſtellato, nobis. Vicia ſeſamacea Apula Columnæ non eſt eadem, proinde nec ſynonyma priori ſtellæ Leguminoſæ, quæ non eſt Leguminis ſpecies à flore Lampſanæ. Vicia ſeſamacea Apula Columnæ, eſt Legumen ſiliqua gemella donatum, unde nos collocavimus inter Aſtragalos ſiliqua gemella donatos, ut cernere licet infra in explicatione Tab. 9na ergo cum ſint toto cælo diverſæ plantæ, non debuere pro ſynonymis à Caſparo Bauhino adhiberi. Stellam Leguminoſam prædictorum authorum Legumen eſſe negamus, inſtructi ex libro naturæ. Sit ergo heteroclita ſeu ſui generis planta, examinanda poſteris: videant & rite examinent, quæ dicimus hic & alibi, oculati Botanici, & procul dubio cum ex intuitu Iconum harum duarum plantarum, tum ex diverſis earum deſcriptionibus, culpandum doctiſſimum Caſparum Bauhinum audacter mecum affirmabunt.

LEGUMINA

LEGUMINA

Non Scandentia, Siliquis Erectis.

Faba; Lupinus; Glycyrrhiza; Galega; Orobus Silvaticus Siliquis Erectis.

CAPUT IV.

---

§. I. FABA.

FAba Græcis κύαμος à feracitate dicta: vel παρὰ τὸ κύειν αἷμα, ut Euſtachius vult: quemadmodum κυαμὼν locus Fabis conſitus, ſeu Fabetum apud Theophraſtum 4. Hiſt. 10. Fabulum Gellio & Feſto dicitur.

Duplex Dioſcoridi l. 2. c. 127. & 128. altera κύαμος ἑλληνικός, altera αἰγύπτιος: illa Græca, quæ eadem cum vulgari videtur, & ad differentiam Ægyptiacæ Græca dicta: hæc Ægyptia nominata. At Theophraſtus 7. Hiſt. 3. de communi Faba egit, quemadmodum de Græca 4. Hiſt. 2. & Ægyptia 4. ejuſdem 10. Plinius Fabæ communis deſcriptionem ſparſim l. 18. c. 7. exhibuit; eam ſeri ait, folia habere multiplicia, rotunda, (ut & magna Leguminum pars) ſolam ex Leguminibus unicaulem eſſe (inter Legumina ſola potiſſimum erecto caule conſtat Theophraſt. 8. Hiſt. 3.) [hoc falſum: nam Lupinus, Galega, Glycyrrhiza, & Orobi ſilvatici ſpecies quædam, aliæque plurimæ, inter Legumina erecto conſtant caule] *Quadraginta diebus florere & alternis lateribus ſiliquari: at lib. 18. c. 12. naſci tamen & ſua ſponte plerisque in locis, ſicut ſeptentrionalis Oceani Inſulis, quas ob id Fabarias (idem Plinius lib. 2. cap. 13.) appellari: item in Mauritania paſſim ſilveſtrem eſſe. Meminit & Ægyptiæ, ſpinoſo caule, folio amplo, capite Papaveris ſimili, colore roſeo, &c.*

Acturi hoc in capite quarto de Leguminibus non Scandentibus & ſiliquis erectis donatis, obſervando connexionem & cohærentiam horum cum Leguminibus non ſcandentibus etiam, ſed ſiliquis propendentibus in ſuperiore capite tertio, quæque majorem affinitatem habent cum Leguminibus trifoliatis ſcandentibus caulibus, non capreolis, ſiliquis utplurimum etiam propendentibus donatis, & capite 2. explicatis; jam requirit ordo naturæ ut aggrediamur Legumina non ſcandentia ſiliquis erectis, & primo de Faba ſermo nobis erit in paragrapho primo hujus quarti capitis; *Quia maximus honos inter Legumina Fabæ habitus, quippe ex ea tentatus etiam ſit panis, cujus farina lomentum appellatur, ut Plin. l. 18. c. 12. loquitur; ita hodie quidam ejus farinam miſcent Secali, & panem conficiunt ſolidum ac multi nutrimenti: ſic & Phriſii hodie magna ex parte Fabarum farinâ, Hordei aut Avenæ farinæ admixta, panes faciunt.*

Peractâ explicatione Leguminum ſeu plantarum ſiliquoſarum, papilionacearum, non ſcandentium, ſiliquis etiam propendentibus affectarum in cap. præcedente; adferamus nunc in medium doctrinam ſiliquoſarum papilionacearum non ſcandentium, ſiliquis ſurrectis ſeu ſurſum verſus ſpectantibus, & ideo petiolis curtis inſiſtentibus donatarum. Genera omnia intermedia Leguminum in hac Tab. 7. contentorum habent pro notâ genericâ, quod primò nec ſcandant capreolis, quia iiſdem privantur; nec caulibus, quia ſic ipſis à natura fuit datum; ſed & caules erectos & ſiliquas erectas ſeu ſurſum tendentes gerunt. Legumina autem in præcedenti Tab. 6. contenta, ſiliquas propendentes obtinuere, nec ſcandere alterutri prædicto modo, ſcilicet vel capreolis vel caulibus, à natura conceſſum eſt.

TABULA

TABULA VII.

- *Faba*
  - 1. *Compreſſa*
    - *Major, ſeu hortenſis recentiorum*
      - *Alba* ☿
      - *Rubra* ☿
    - *Minor*
      - *Alba* ☿
      - *Rubra* ☿
  - 2. *Rotunda oblonga, ſeu cylindracea*
    - *Major alba* ☿
    - *Minor ſeu equina*
      - *Alba* ☿
      - *Nigra* ☿
    - *Minima pluribus, quinis, ſenis ſiliquis ex uno pediculo ortis, ſeu Hattoniana, nobis.* ☿
- *Lupinus*
  - 3. *Albus* — *Sativus flore & ſemine albo, nobis. Vulgaris, Eyſt. Sativus, Dod.* ☿
  - *Luteus*
    - 4. *Odoratus ſemine albo, lituris nigris variegato, nobis.* ☿
    - *Tingitanus major ſemine fuſco, lineis & punctis albis variegato, nobis.* ☿
  - *Cæruleus*
    - 5. *Major peregrinus villoſus, nobis. Indicus, Corn.* ☿
    - *Medius Gadenſis marinus hirſutus, ſemine tumido nigris lineis notato, nobis. Gadenſis marinus flore cæruleo, Park.* ☿
    - *Minor*
      - 6. *Perennis anguſtifolius repens Virginianus, nobis.* ⊙
      - *Annuus anguſtifolius, ſemine*
        - 7. *Colore vario obſcure notato, nobis. Silveſtris ſegetum, Ad. Lob.* ☿
        - *Minore punctis minùs variegato, ſeu Tingitanus, nobis.* ☿

8. *Glycyrrhiza vulgaris vera, ſeu radix dulcis, nobis. Radix dulcis, Trag. Geſn. Hort.*

9. *Galega ſeu Ruta capraria, Matth. Cam. Park. flore*
- *Cæruleo* ⊙
- *Cinereo* ⊙
- *Albo* ⊙

- *Orobus ſilvaticus ſiliquis erectis*
  - *Perennis*
    - 10. *Vernus flore purpureo, nobis. Pannon. 1. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 11. *Anguſtifolius radice Aſphodeli, nobis. Pannonicus, 3. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 12. *Alpinus latifolius, C. B. P. & Prod Deſc.*
  - 13. *Annuus flore pallido, nobis. Pannonicus 4. Cluſ. Hiſt.* ☿

Explicatio Tabulæ ſeptimæ, Sectionis ſecundæ.

Faba compreſſa major ſeu hortenſis major alba vel rubra, nobis. Faba major recentiorum Lob. Hortenſis Ger. à cæteris ſequentibus Leguminibus in hac Tabula 7. diſpoſitis facile dignoſcitur, quod caules ſeu ſcapos habeat rectos (hoc commune eſt cum cæteris in hac Tabula contentis) craſſos, ſtriatos, cavos ſeu fiſtuloſiores: ad quorum ſingula genicula naſcuntur coſtæ ſuſtinentes folia oblonga, ſpiſſa, inordinatim diſpoſita, & ſiliquas protrudat longas, triunciales, aliquando palmares, craſſas, toroſas, quarum integumenta viridia & fungoſa ſunt, intus mollia, in quibus latent ſemina omnium Leguminum maxima, quibuſdam iiſque paucis exoticis, Americanis, & Orientalibus exceptis Phaſeolis.

1. FAba major ſive Bœna major Dodonæi caule ſive ſcapo (verbum eſt peculiare, denotans caulem Fabæ) exit quadrangulari, ſtriato, glabro, inani, geniculis intercepto, longo & erecto. Qui quando denſe ſeritur ipſa Faba ſeſe ſuſtinet, quando vero ſeorſum, in terram collabitur; folia è geniculis promuntur oblonga, ex intervallis coſtis alternatim adhærentia

tia, quorum ſingularia ſubpinguia & craſſa ſatis ſunt, venoſa, glabra: flores in cimis caulium ſive ſcaporum ſpicatim proveniunt papilionacei, ut cæterorum Leguminum; forma tamen oblongi, colore candidi, lituris nigris conſpicui, aut ex purpura nigreſcentes; quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ longæ, craſſæ, toroſæ, intus quaſi tomentoſæ aut ſpongioſæ dum adhuc virides ſunt, plures ſimul junctæ, atque ex eodem geniculo curtis ſuis petiolis ortæ, inferiore parte tenuiores, ſuperiore craſſiores, atque interiùs ubi ſemina conduntur quodam veluti tomento candido, molli, aut lanoſo, conſtant, exterius hirſutæ ſunt adhuc virides, poſt maturitatem ſicciores factæ nigræ fiunt & duriuſculæ, ſicut & Geniſtæ, reliquorumque omnium pene Leguminum. Fabæ tamen ſiliquæ ſunt omnium ſuæ claſſis Leguminum (perpaucis exceptis, ut Phaſeolo Braſiliano aliiſque hujus generis ſubalterni quibuſdam exoticis) longiores & craſſiores; in quarum ſingulis continentur ſemina terna, quaterna, quina (raro plura) oblonga, lata, compreſſa, humani unguis pollicis latitudine & figurâ, ſæpenumero ſemidrachmæ pondo; colore utplurimum candida vel rubra, ſubinde ex rubicundo colore purpuraſcentia, quorum ſingula in ſuperiore ſua parte oblongum veluti umbilicum gerunt, quem tegit oblongum & dilute virens unguiculi veluti ſegmen dum viret adhuc ſemen, at maturum & exſiccatum nigreſcit & hilum nigrum dicitur; putamen ſeu ſeminis potius membrana exterior, denſa & ſpiſſa eſt, ſeminis autem caro ſeu pars interior reſiccata, dura, ſolida eſt, & in duas partes facile finditur (quemadmodum in reliquis omnibus Leguminum ſeminibus evenit) & ab uno latere germinationis principium evidenter conſpicuum habet, præcipue cum aqua diu maceratum fuerit, atq; germen ſuum & radicem ſimul & ſemel protrudit, hanc deorſum, illud autem ſurſum, ex quo formantur primo bina foliola, deinde reliqua; caulis ſcilicet & quæ ſequuntur caulem, flores primariò, & ſiliquæ continentes ſemina, quorum beneficio ſpecies conſervantur in omnibus vegetabilibus non minus quam in Fabis: atque hic eſt finis ultimus perfectionis generare ſibi ſimile: radices longæ ſunt ac ex multis fibris formantur. Eſt & alia Faba compreſſa minor majore, cujus fructus eſt aut albus aut ruber.

2. *Faba* minor ſeu equina, C.B.P. Bona ſeu Phaſeolus minor, Dod. Faba minor, Lugd. Hæc minor Faba foliis, floribus, ſiliquis, & ſemine, majori ſimilis eſt, ſingulas tamen partes prædictas minores, folia autem plura multoq; crebriora habet; ex ſcaporum alis ſurſum verſus flores plurimi ejuſdem coloris cum Fabæ majoris floribus emergunt; curtis & vix conſpicuis pediculis innituntur, quini, ſeni, ſimul congeſti, quibus totidem ſuccedunt ſiliquæ rotundiores, & minores majoris Fabæ; fructus quoque multo minor eſt, non vero latus, nec compreſſus, ſed teretis quodammodo figuræ, ac quaſi in rotunditate oblongus ſeu cylindraceus; colore alias ſubalbicans vel ſubflavus, alias niger; pariterque umbilicum in ſuperiore parte habet, ac ibidem hilum nigrum; cortex ſeu putamen ejuſdem exterius duriuſculum eſt, interior vera ejus medulla ſeu caro minùs dura ſed rarior & laxior. Fœcundum admodum eſt hoc Legumen, quod & majorem Bonam non ſolum multitudine foliorum, ſed & florum ſiliquarumque numero ſuperat. Eſt & media Bona inter majorem & minorem equinam hanc, quæ majore quidem eſt minor, minore equinâ major, cui forma omnino accedit. Eſt & alia adhuc quarta inter mediam & equinam minorem, quæ plures ſiliquas ſimul congeſtas ad ſingula genicula producit in ſummis ſcaporum; hujus ſemen nobis communicavit vir generoſus & Botanices peritiſſimus Dominus *Carolus Hatton*: unde habuerit, nobis non conſtat; ſed cum aliis plantarum rariorum ſeminibus ex longinquis regionibus ad ſe tranſmiſſis delatum etiam fuit hujus fertilioris Fabæ minoris ſemen. Floruit anno elapſo in Horto Botanico publico Univerſitatis copioſeque ſemina ſua reddidit.

LOCUS & TEMPUS.

Prima & major Faba compreſſa ſeritur in hortis & agris: floret Maio & Junio particulatim & diu, fructus fert Junio ac Julio, Auguſtoque colliguntur; quo citius ſeritur citius etiam colligitur ejus fructus. Majoris datur alia ſpecies, neutiquam diſcrepans, niſi quod ſiliquas minores, & conſequenter fructum minorem compreſſum, album & rubrum, aliquando nigrum, gerat: ſeritur etiam in agris, eademque anni tempeſtate floret cum priore majore, cæteriſque minoribus ſupra citatis.

TEMPERA-

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Fabæ *ut memoria prodidit Galenus l. 7. Simpl. medium in exſiccando & refrigerando obtinent, & ad medium propinquiſſime accedunt. Caro fabæ paulùlum quid abſtergentis facultatis continet, ſicut ejuſdem cortex nonnihil etiam adſtringentis poſſidet. Idcirco medicorum nonnulli totam Fabam cum Oxycrato decoctam dyſentericis & cœliacis & vomentibus, quos* ἐμετίκους *vocant, exhibuerunt. Porrò ut edulium, flatulenta eſt & coctu difficilis Faba, exſcreationibus ex thorace & pulmonibus idonea; ut medicamentum, foris impoſita, ſine moleſtia deſiccat. In podagricis ſæpenumero utuntur medici ex aqua decocta; & deinde adipe ſuillo adhibito, ad nervorum cum contuſiones, tum vulnerationes farinam ejus cum oxymellite imponunt. Ad eos quos ex ictu phlegmone occupaverat, cum polenta teſtium & mammarum aptum eſt cataplaſma; nam hæ partes cum phlegmone tenentur moderate refrigerari amant, maxime cum mammæ ex lacte in ipſis concreto Phlegmonen patiantur; quin lac quoque ab eo cataplaſmate extinguitur. Gal. l. 1. de Alim. facult. inquit, inflat Fabarum cibus quocunque modo apparetur, nec per longam decoctionem id vitii poteſt amittere, quod Ptiſanæ minime negatum eſt; deponit enim per illam quicquid habet flatulenti. Etenim manifeſte Fabacea farina cutis ſordes detergere conſpicitur; quod intelligentes mangones & mulierculæ, in balneis quotidie hâc utuntur, veluti alii nitro ac aphronitro, & in univerſum iis quæ aſtringunt. Quod ſi viridis & immatura Faba, nondumque arefacta edatur, communem omnium fructuum, quos ante maturitatem ingerimus, rationem obtinens, corpori humidiorem alimoniam exhibebit, ac proinde majorem excrementorum vim, non tantum in viis inteſtinorum, ſed etiam per univerſum corporis habitum producet; merito igitur minus quoque nutriet, ſed promptius dejicietur. Plerique autem hominum, non crudas ſolum fabas comedentes, unà eas cum ſuilla carne decoquunt, veluti olera conſueverunt. Alii Fabas in flore ſentientes, cepas admiſcent, cum in ollis ex iis pulmentum ſtruunt. Fabæ recentes innoxiæ ſunt (teſte Trago) in cibo ergo iis utemur, ſiccas operariis relinquentes. Chirurgi collectiones & tumores locorum, fabacea farina in aceto & vappa decocta, ac calida impoſita oleoque admixto diſcutere & ſanare conſueverunt: eadem farina vino decocta ac calida impoſita omnibus tumoribus imprimis conducit, ſive ij in mammis mulierum, ſive in locis genitalibus, aut quibuſcunque aliis oriantur. De cæteris viribus & facultatibus Fabæ vide Johannem Bauhinum & Simeonem Pauli qui prolixè ſatis de viribus Fabæ ſcripſere.*

NOMINA.

1. Faba *compreſſa major, ſeu hortenſis recentiorum alba & rubra, nobis. Faba major recentiorum, Icon. Lob. Major hortenſis, Gerard. Major vulgaris, Adverſ. Lob. Vulgaris, Fuch. Sativa, Lugd. Caſt. Cam. Park. Faba leguminoſa ſeu Cyamos, J B. Phaſeolus ſativus, Dod. Gall. Bœna ſive Phaſeolus major, Dod. Quam inepte Phaſeolus Faba dicitur à Dodonæo in utraque ſua editione, cum latinâ, tum Gallicâ, ſequente Ericium Cordum, judicent æqui lectores, & paſſim in hiſce noſtris ſcriptis obſervent, nos ad certa & determinata genera intermedia Legumina reduxiſſe; adeo ut facile ſit obſervare authorum nomina diverſa perperam plantis & eiſdem minus appoſite adaptata, ſimul & ipſorum negligentiam in confundendis plantis diverſorum generum, conjungendo ſeparandas, & ſeparando conjungendas, non ſolum hic, ſed paſſim in complurimis aliis. Ratiocinando ex libro naturæ (quem penitus evolviſſe perpaucos ante me ſcribentes obſervo) Phaſeolus omnis (ut ſupra dictum) ſcandit caulibus, ſed Faba caules ſeu ſcapos (ut proprie magis loquar) profert rectos ſiliquaſque pariter rectas. Phaſeolus igitur cum ſit planta leguminoſa trifoliata ſcandens caulibus, non eſt dicenda Faba; nec ejuſdem nomen Fabis pro ſynonymo adjungi debet.*

2. Faba *rotunda oblonga ſeu cylindracea minor ſeu equina alba & nigra, nobis. Faba minor ſeu equina, C. B. P. Faba minor, Hiſt. Lugd. Ad. Lob. Faba minor ſilveſtris, Park. Faba ſilveſtris, Ger. Bœna ſive Phaſeolus minor, Dod. Ex hac apud Zelandos ejuſque fructus farina Panes Fabaceos veteranis dant, & hæc in equorum (hinc Bœna equina ipſis dicitur) jumentorumque pabulum ſeritur, ut inquit Dodonæus. At Sebuſiani ruſtici non alio pane veſcuntur, quam confecto ex paululo Tritici, Secali, & rotunda comminuta Faba. Dalechampius in Hiſt. Lugdunenſi ſit nobis hic teſtis.*

Faba *rotunda oblonga ſeu cylindracea media alba, nobis.*

Faba *rotunda oblonga ſeu cylindracea minima pluribus, quinis, ſenis, ſiliquis, uno pediculo exortis, ſeu Hattoniana, nobis. Fabæ hæ minores & media florent & ſemina perficiunt eodem tempore cum majore & minore, compreſſo ſemine.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

FAba ſilveſtris fructu rotundo atro, C.B.P. Silveſtris, Matth. Ad. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Cam. Faba ſilveſtris Græcorum, Lob. Icon. & Obſ. Bona ſilveſtris, Dod. Non eſt Faba, nec debet inter Fabas recenſeri, nec ibidem cum ipſis collocari, ut monuimus in Præludiorum Botanicorum pag. 413. Nulla Fabarum proprie dictarum donatur capreolis; atqui planta Vicia ſilveſtris Narbonenſis ſemine rotundo atro, jure nobis dicta (ut oſtendimus in doctrina Viciarum) capreolis afficitur, & omnino in aliis partibus Viciæ accedit, proinde rectius Vicia omnium maxima Narbonenſis &c. nobis dicitur, & inter Viciæ ſpecies ſupra explicatas locatur; quia ſiliquam & ſemina fert Viciæ, imo & folia alata eidem conformia, caules etiam procumbentes non erectos: neutiquam quoad ſuas partes Fabæ convenit; ergo Caſparo Bauhino cæteriſque authoribus quod Fabam appellaverint, non ſine ratione vitio vertendum judicamus. De Fabis exoticis in Caſpari Bauhini Pinace citatis, nihil hic dicimus, quia nedum ad manus pervenere; aliis ipſas obſervaturis & examinaturis (ſecundam hanc noſtram doctrinam ex libro naturæ petitam) determinandas relinquimus.

§. 2. LUPINUS.

LUpinus, Θέρμος *Dioſcoridi l. 2. c. 132. Theophraſto pluribus in locis, & Græcis cæteris. Lupinorum appellatio non aliunde ducta videtur, quam quod ſicut Lupus terram appetit, & in fame terra veſcitur; ita Lupinus tellurem, ut Plinius l. 18. c. 14. ait, adeo amat, ut quamvis fruticetoſo ſolo conjectum, inter folia vepreſque ad terram tamen radice perveniat: vel ita dictus videri poteſt, veluti Lupis expoſitus & relictus, ex eo quod (ut idem Plinius) impune jaceat, vel derilictus, ſi non protinus imbres ſequuti obruant, ab omnibus animalibus amaritudine ſuâ tutus.*

Genera duo Dioſcoridi, Galeno, & Plinio: ſativus & ſilveſtris.

Secundum genus ſubalternum ſiliquoſarum herbarum papilionacearum non ſcandentium, ſiliquis rectis donatarum, conſtituit Lupinus; qui in genere cognoſcitur à cæteris hujus ſuæ claſſis, quod folia ſeptem, novem, nunc plura, nunc pauciora (pro fæcunditate & ſterilitate terræ) cohærentia, in unum centrum, pediculi nempe ſummitatem ſuperiorem, tanquam tot radii, concurrant adinſtar ventilabri quo utuntur mulieres & matronæ nobiles ad calorem ſolis arcendum, atque faciem & collum pectuſque refrigerandum per æſtum ſolis æſtivalis: folium integrum ex radiis foliolisve ſic compoſitum, Viticis ſimile eſt, & prona parte viret, ſupina autem candidum & lanuginoſum; ac hujuſmodi diviſuræ ſeu radii ſub veſperam, circa ſolis occaſum, veluti flaccidi facti deorſum dependent: ſiliquas habet craſſas, latas depreſſaſque, hirſutas, ſurſum erectas, breviſſimis & vix conſpicuis petiolis innitentes; in quibus ſunt ſemina plana, compreſſa, imò in quibuſdam ſpeciebus minoribus ſubrotunda, variorum colorum, & variis punctulis notata. Olim pro numis exponebantur, ſed nunc nec hoc tamen ignorant, *quid diſtant æra Lupinis*: quidam & melius legunt quid diſtant Erva Lupinis (facta & inſtituta comparatione inter Legumina) quæ lectio magis congruit rationi. A loco duplex eſt, ſativus ſeu major, & ſilveſtris ſeu minor. Nos dividimus Lupinum à colore florum, qui triplex eſt, albus, luteus, & cæruleus; hic poſtremus eſt major, medius, & minor, à magnitudine & parvitate fructus.

3. *Lupinus* vulgaris ſeu ſativus albus caule aſſurgit ſingulari, recto, rotundo, interiùs cavo ſeu vacuo, exterius modice lanuginoſo, firmo, & qui abſque adminiculis rectus conſiſtit; ex quo, poſtquam primum marcidi facti ſunt flores, in caulium faſtigio eminentes apparent ſiliquæ quaternæ, ſurſum erectæ & verſus cœlum tendentes, atque in ſuperiore interſtitio ad geniculum ſuperius facto, ternæ, in tertio interſtitio geniculum conſtituente, binæ ſiliquæ, & ita deinceps nunc plures, nunc pauciores ſiliquæ floribus frequentioribus aut paucioribus ſuccedentes conſpiciuntur, ſecundum ſolum & cœlum; præſertim plures apparent flores, & conſequenter ſiliquæ plures itidem, ſemina in ſe continentes, ſi tempeſtive Lupinus

nus ſatus æſtatem calidam diuturnamque nactus fuerit: folia ſingula è longis pediculis, ex alis caulium ortis, provenientia, 7^{em} aut 9^{em} nunc pluribus nunc paucioribus radiis, aut foliolis in unum centrum (pediculi ſcilicet foliorum integrorum faſtigium) concurrentibus conſtant, & in parte averſa virent, in adverſa candida ſunt, aut lanuginoſa, ſub veſperam ſeu ſolis occaſum veluti flaccida deorſum nutant & cernuè pendent: flores inquam in ſummo caulium rectorum papilionacei, candidi, ſpicatim ſeu ſpicæ in modum digeſti ſunt; quibus ſuccedunt ſiliquæ latæ, compreſſæ, quodammodo duræ, ſubflavæ, foris tenuiter hirſutæ, granis ſeu ſeminibus protuberantibus, & valvulis ferme inter grana & grana junctis, *Bonæ mediæ* ſiliquis minores & compreſſiores; intus vero ſiliquæ ſunt glabræ, in quibus ſemina compreſſa, alba, quina, nunc pauciora, orbicularia quaſi latent; foris inquam ſunt ſemina alba, intùs lutea, ſapore (ſi maſticentur) amariſſima, quæ germinationis principium haud obſcurum eâ parte qua ſiliquæ adhærent, & concavitatem quandam veluti exiguum umbilicum, habent: radice hic Lupinus nititur ſingulari, tenui, paucis capillamentis fibratâ.

4. *Lupinus* flavo flore, Cluſ. Hiſt. Odoratus, Eyſt. Hic Lupinus inſignibus aliquot notis à vulgari & cæteris Lupinis diſtinguitur: primò flore luteo potiſſimum odorato, adeo ut decerptus pro Geniſtæ Hiſpanicæ flore fallat leviter intuentes: flores enim gerit multos, verticilli quaſi in modum diſpoſitos & ſpicatim ſimul, certo quodam interpoſito ſpatio inter geniculum & geniculum; verſus cimam caulium (quemadmodum in verticillatis videre eſt, de quibus acturi ſumus in Sectione octava) quandoque duo, tres, nonnunquam plures obſervantur quaſi verticilli, floribus luteis brevibus petiolis innitentibus onerati, odore gratiſſimi, ad Leucoï Keiri flores accedentes; deinde floribus fatiſcentibus, ſiliquas profert confertim, ſingulas hirſutas, compreſſas, ſuccedentes ſingulis floribus luteis odoratis recentibus, aut de novo expanſis, continentes quina ſenave ſemina compreſſa, in medio tumida, magnitudine ſilveſtris Lupini cærulei, aſt colore vario ſeu punctulis variis notata, Linariæ parvæ avis canoræ ovi inſtar, ex albo & fuſcis ſubnigriſve punctis maculata. Tota planta in cæteris ſuis partibus, reliquis Lupinis accedit. Folia digitata, ut ſativi albi, ſed multo minora, utrinque tamen hirſuta: caulis teres, brachiatus, hirſutus ſeu villoſus: radix ſimplex, recta.

Eſt alius Lupinus luteus Mauritaniæ Tingitanæ, ex ſemine ad nos miſſo à *Roberto Spotſwood* proveniens; cujus flores ſunt paulo majores, ſiliquæ & ſemina etiam majora, magiſque fuſca, lineis & punctis obſcure albicantibus notata; cætera Lupino luteo vulgari ſupra dicto par.

5. *Lupinus* peregrinus cæruleus major villoſus, *C. B. P.* Indicus, Corn. Planta hæc ex Indiis allata multo felicius adoleſcit, pulchro aſpectu, & ſpectabili florum jucunditate præ cæteris commendatur: caulem habet cubitalem & bicubitalem, aliquando ampliorem, multis ramulis brachiatum: folia circumquaque digeruntur, nunc in novem, nunc in plura aut pauciora foliola, cæteris latiora, & in orbem quaſi compacta, in unum itidem centrum pediculi extremum aliorum more concurrentia, & per medium ſingula plicata, longoque pediculo fulta, omnia ſimul juncta in ſuperiore pediculi parte unicum folium ex pluribus quaſi radiis conflatum conſtituunt, quod præ languidâ viriditate canet, & in ſummis caulibus eorumque cimis verticillatim hinc inde per intervalla caulem ambiunt flores cærulei coloris, coronæ inſtar, quos excipiunt ſiliquæ latæ, breves, hirſutæ, trium quatuorve ſeminum capaces. Caules, inquam, folia, & ſiliquæ, promiſſâ & candida lanugine muniuntur: ſemina majora ex rotunditate valde compreſſa, fuſca ſunt, nec lævem ſuperficiem habent, ſed pumicoſa aſperitate rudem. Sapor ſubamarus eſt, & cæteris conformis, ac proinde ad eadem hujus Lupini farina valet, ad quæ communis Lupini farina inſtituitur. Semina hujus, ſicut aliorum Lupinorum magis & à longo tempore cognitorum, uſurpantur. Quæ etiam committuntur terræ quotannis, verſus finem Februarii, aut initium Martij, in calidis regionibus citius; in ſeptentrionalibus, ſi non urgeat gelu aut rigidum præfrigore tempus, ineunte aut medio Martio commodiſſime ſeruntur bene macerata, & cito germinant, ac intra ſeptimeſtre aut octimeſtre ſpatium conformantur ſemina, & perficiuntur Septembri & Octobri, ex quibus ſingulis annis revocantur de novo, & ſatione vernali tempore renovantur. Eſt & alius cæruleus minor antecedente hoc, Gadenſis dictus, ſemine multo minore conſtans, fuſco, aſpero ſimiliter, ut prioris lineis nigris variegato, & hoc nomine, junctâ omnium partium compoſitione minore, facile diſcernitur à cæruleo majore peregrino ante dicto.

6. *Lupinus* cæruleus minor perennis Virginianus repens, nobis. Hic quoad caules, folia, flores, ſiliquas, ſeminaque convenit cum ſilveſtri cæruleo minore, de quo infra dicemus; ſed quod notatu dignum, à duratione, & rependi ſub terram facultate à cæruleo mi-

 nore

nore (cum quo prima facie maximam poſſidet affinitatem) cæteriſque ſuæ ſortis quam facillime diſcernitur.

7. *Lupinus* ſilveſtris anguſtifolius, flore cæruleo, nobis. Silveſtris ſegetum, Ad. Lob. Hic caules habet tenuiores & longiores quam ſunt lutei Lupini caules, & in plures ramos alatos diviſos; folia vero minora & tenuiora gerit: flores ex purpura cærulei aut ſubrubentes, Lupini lutei floribus etiam minores ſunt: fructus minor, rotundus, tumidus, ſicut & lutei fructus, colore etiam vario, ſed punctulis obſcurioribus fuſcis notatur.

Datur & alius Lupinus minor cæruleus Tingitanus, ſilveſtri altior; cujus folia ſunt anguſtiora & obſcurius virentia, ſemina pariter minora multoque paucioribus punctulis variegata.

LOCUS & TEMPUS.

3. Lupinus *vulgaris ſive ſativus albus, nobis. Park. Vulgaris, Eyſt. Colitur in hortis Hiſpaniæ, Italiæ, Galliæ, & alibi etiam gentium. Floret Maio, Junio; & Septembri menſe perficitur ejuſdem ſemen.*

4. Lupinus *flavo flore, Cluſ. Hiſt. Odoratus, Eyſt. In ſatis cultis, multiſque Hiſpaniæ locis ſponte provenit: floret æſtate, atque ſemina ineunte & exeunte autumno, citius aut tardius pro ſationis tempore, perficit: in quibuſdam regionibus ubi exigua aut nulla hyems, vivit per totum annum.*

5. Lupinus *peregrinus cæruleus major villoſus, C.B.P. Indicus, Corn. Hujus ſemen ex Americanis Plantationibus in Europam delatum produxit plantas, quæ alias multas cicuratas apud nos multiplicarunt: ex quibus communicata pluribus Æuropæ locis fuerunt ſemina: floret eodem cum aliis Lupinis tempore, & verſus autumni initium ſemina ſua perficit.*

6. Lupinus *cæruleus minor perennis Virginianus repens, nobis. Hujus ſemen ex Virginia huc in Angliam non multis abhinc annis delatum & ſatum produxit copioſe hunc perennem & repentem Lupinum cæruleum, qui eodem tempore florebat, & ſemina ſua maculata perficiebat cum cæteris antedictis.*

7. Lupinus *ſilveſtris anguſtifolius, flore cæruleo, nobis. Silveſtris ſegetum, Ad. Lob. Hic in arvis ſegetalibus Hiſpaniæ, Galliæ, ſponte provenit. Nos ſubinde invenimus inter ſata circa Blæſas provenientem ſponte in plurimis locis: floret eodem tempore cum cæteris, & verſus finem æſtatis, aut initium autumni, perficiuntur ejuſdem ſemina.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Lupini *ſemen maceratum calida aqua, hominibus in cibo eſt, puerorum ventribus circa umbilicum impoſitum pro remedio ſingulari eſt contra vermes. Lupini ſemen* πολύχρηστον *eſt, inquit Galenus l. 1. Alim. Elixum enim, deinde in aqua dulci maceratum tantiſper dum hàc omnem ſibi ingenitam exuerit amaritudinem inſuavitatemque, ita demum manditur cum garo & oxygaro vel etiam ſale mediocri conditum. Lupini ſeminis dura ac terreſtris eſt ſubſtantia, quocirca concoctu ipſa difficilia ſunt, ſuccumque craſſum gignunt, ex quo in venis non probe concocto & diſtributo ſuccus quem crudum vocant procreatur: interficit lumbricos tum illitus, tum addito melle linctus, tum ex poſca potus: quin & decoctum ejus, aut potius ſuccus in quo macerantur Lupini ſemina, lumbricos ejicere poteſt, etiam quoque foris identidem perfuſus vitiligines, pſoras, gangrænas, & ulcera maligna juvat.*

NOMINA.

3. Lupinus *albus ſativus flore & ſemine albo, nobis. Lupinus, Matth. Fuch. Tab. Vulgaris, Eyſt. Lupinus flore albo, Cluſ. Hiſt. Sativus, Dod. ut. Ad. Lob. Lugd. Ger. Sativus albus, Park. Vulgaris ſativus ſemine & flore albo, I. B.*

4. Lupinus *ſilveſtris flore luteo, C.B.P. Odoratus, Eyſt. Flore luteo, Lob. Lugd. Ger. Park. Luteus, Tab. Lupinus flavo flore, Cluſ. Hiſt. Lupinus luteo flore, ſemine compreſſo vario, I.B. Vide alterius Lupini lutei Tingitani ſemen ſculptum in Tabulæ 7. pl. 4.*

5. Lupinus *peregrinus cæruleus major villoſus, C. B. P. & Prod. Deſc. Indicus, Corn. Indicus medius cæruleus, Park. Exoticus hirſutiſſimus, I. B. Lupinus major, flore cæruleo, Ger. Vide ſemen Lupini minoris cærulei Gadenſis ſculptum in Tab. etiam 7. pl. 5. infra majoris cærulei*

rulei ſemen majus, ſuperius ſculptum.

6. Lupinus *cæruleus minor perennis Virginianus repens, nobis.*

7. Lupinus *ſilveſtris anguſtifolius flore cæruleo minore, Eyſt. & nobis. Silveſtris ſegetum, Ad. Lob. Silveſtris flore cæruleo, C. B P. Silveſtris, Matth. Dod. ut. Lugd. Hiſt. Lupinus flore cæruleo, Cluſ. Hiſt. Ger. Minor, Tab. Cæruleus, Park. Silveſtris flore purpureo, ſemine rotundo vario, I. B.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 348. col. 2. pl. v. Lupinus peregrinus pentaphyllus, C. B. P. Lupinus Arabicus ſive pentaphyllum peregrinum, Ponæ Italice. Hæc planta exotica male primo à Caſp. Bauhino nominatur Lupinus, cum Lupinus ſit planta ſiliquoſa papilionacea non ſcandens, ſiliquis erectis donata; ſed hæc planta, Lupinus ſive Pentaphyllum peregrinum Ponæ, non eſt papilionacea, nec à flore, nec ſiliquis, nec ſeminibus; ergo neutiquam diſponenda inter Legumina, multo minus inter Lupinos & pro genuino Lupino à Caſpero Bauhino accenſenda; atque hac ſola ratione hinc averruncandam & alibi locandam concludimus: nec eſt Quinquefolium folio Lupini, ut vult idem Caſp. Bauhinus: proprie loquendo Quinquefolium ſeu Pentaphyllum habet flores ex quinis petalis conflatum, atque ſingulis floribus ſic conſtructis ſuccedit capſula ex quinis foliolis conſtructa: ergo cum nec ſit Lupinus, nec Quinquefolium proprie dictum, male locatur pag. 348. col. 2. pl. v. pro Lupino pentaphyllo, & pag. 326. col. 2. pl. vII. Quinquefolium Lupini folio, C. B. P. Pentaphyllum* θερμόφυλλον *Thal. bis repetitur, pag. 348. pro Lupino, & pag. 326. pro Pentaphyllo Lupini folio, ergo manifeſtus eſt lapſus Caſp. Bauhini. Eſt enim hæc planta heteroclita & ſui generis, & debet adjungi plantæ Terraraira dictæ Georgio Marcgravio, & Trifolio Luſitanico flore purpureo ſiliqua longa, Park. in App. Atque ex hiſce tribus à floribus conformibus, & ſiliquis* πολυσπερμάτοις *poterit condi & componi novum genus ſubalternum commune tribus ſupra citatis ſpeciebus. Deinde Lupinus in genere, cum ſiliquis donetur erectis, male poſt Cicer immediate collocatur, & pejùs hæc planta prædicta Lupinus nominatur, uti jam dictum.*

Pag. 348. Fœnogræcum ejuſque ſpecies inter Lupinum genuinum & Hedyſarum male diſponitur à Caſp. Bauhino: cum enim ſit Trifolium leguminoſum, ſeu Legumen trifoliatum debet inter ſibi ſimiles plantas diſponi, Trifolia ſcilicet, non autem inter Lupinum & Hedyſarum, Legumina alata, ſeu πλαγιόκαυλα *id eſt quorum coſtæ ad latus cauli apponuntur, foliola e regione, atque coſtæ mediæ ſuſtinentes foliola alternatim caulibus (id eſt modo à dextra, modo à ſiniſtra caulis, juxta genicula) adhærent. Inſuper Lupinus proprie dictus, cum ſit ſiliquis rectis prœditus, debet immediate Fabæ ſubjungi & diſponi cum cæteris ſuæ ſortis Leguminibus, Glycyrrhiza, Galega & Orobo ſilvatico, ſiliquis rectis donatis.*

---

§. 3. GLYCYRRHIZA.

Γλυκύῤῥιζα *id eſt radix dulcis, à Latinis Glycyrrhiza & dulcis radix, & à ſeplaſiariis barbaro nomine Liquiritia appellatur. Dioſcoridi l. 3. c. 7. frutex eſt exiguus, ramis binum cubitorum, circa quos folia Lentiſci, denſa, pinguia, tactuque glutinoſa: flos eſt Hyacinthi; radices longæ, buxei coloris, ſatis dulces. Theophraſto 9. Hiſt. 13.* γλυκεῖα καὶ Σκυθικὴ ῥίζα, *dulcis & Scythica radix, quam aliqui* εὐθυγλυκεῖαν *vocitant.*

Glycyrrhiza pro notâ generica habeto, quod inter ſiliquoſas papilionaceas ſiliquis erectis affectas ſit omnium altiſſima Herba, radices producens profundas, luteas, & late per terram repentes, & admodum dulces; ſiliquas curtas, compreſſas, ſupervenientes floribus dilute cæruleis, ſeu violaceis.

8. *Glycyrrhiza* vera ſiliquoſa ſeu Germanica, C. B. P. Vulgaris, Dod. Cam. Ep. Glycyrrhiza vulgaris vera dulcis folia habet alata ſeu conjugatim coſtæ mediæ adhærentia, uno ad extremum longo & impari, multoque ſunt Glycyrrhizæ echinatæ ſic dictæ foliis virentiora, & majora, glutinoſa: cauliculi ſeu ſarmentoſi viticuli ſunt teneriores, anguloſi, qui rectà aſcendunt (in pingui & bene ſubacto ſolo) ad altitudinem quinque, ſex, nonnunquam ſeptem pedum: flores in cimis ſummis, in ſpicam quaſi digeruntur veluti Galegæ flores, aliorum Leguminum more papilionacei, exigui, dilute cærulei: quibus ſuccedunt ſiliquæ parvæ, breves reſpectu ipſius plantæ ſatis proceræ, bienciales, compreſſæ, neutiquam hirſutæ, ſed læves; in quibus ſunt ſemina parva, compreſſa. Nota Glycyrrhizam flores copioſe ſatis proferre, ſed perpaucas edere ſiliquas, eaſque vix bene maturantes ſemina: hoc contingit propter nimiam ei conceſſam facultatem rependi radicibus, hocque eſt familiare omnibus plantis nimia rependi aviditate præditis: radices ſunt primis annis tenues, & cum tempore

re fiunt longæ, ramoſæ aliquando inſtar ſarmentorum Vitis, foris ſubobſcuræ, aut nigricantes fuſcedine, intus buxei coloris, quæ late ſub terram per tranſverſum & obliquum repunt, ut vix omnes & totæ è terra erui queant, adeo ut uſui collectis provectioribus & majoribus radicibus, pleriſque etiam locis tenuiores relictæ ſequentibus annis regerminent: radix hujus magno cum quæſtu & fœnore ſerebatur hic in Anglia, ubi maximam copiam nunc vili pretio comparandam exponunt venalem, nullis radicibus Glycyrrhizæ in tota Europa provenientibus poſtponendam. Poteſt etiam jure vendicare Anglia Croci itidem ſtamina reliquis alibi natis neutiquam ſecunda, ſed omnibus anteferenda. Forte non hæſitanter idem proferendum de Lupuli ſtrobilis, qui neutiquam natis in Flandria aut Belgia ſunt inferiores, ſed mea opinione ſuperiores, & præſtantiores, in quibuſdam ſaltem Angliæ locis ſati & educati.

LOCUS & TEMPUS.

Glycyrrhiza *copioſe provenit in Germania, præſertim in agro Padenburgenſi, in Franconia frequens, & in Hiſpania. At optima totius terrarum orbis colitur in Anglia, ſicut & Crocus optimus: in Germania Anglia & Belgia aliiſque ſeptentrionalibus regionibus feliciter proveniunt cum Glycyrrhiza tum Crocus, multo minus feliciter in Hiſpania propter nimium æſtum, ideoque à complurimis temere ſterilis creditur: floret inquam ſub finem æſtatis, at raro ſemina ad perfectam maturitatem perducuntur, non tam ob defectum caloris quam à nimio rependi aut ſeſe propagandi radicibus ſub terram deſiderio; ſi quæ ſiliquæ producuntur, ut in Gallia aliquando & hic rarius in Anglia obſervavimus, ſemina macra & jejuna in iiſdem latere conſpiciuntur. Herba tantum eſt Glycyrrhiza totaliter hyeme ſupra terram periens, reſtibili & vivaci remanente per totam hyemem in terra radice, etiamſi verſus autumni finem fruteſcere videatur, & ad altitudinem ſuffruticis adinſtar Virgultæ aſcendere cernatur: marceſcunt & ejus folia, & caules penitus putreſcunt ingruente hyeme ſingulis annis, eſt tamen radice repente, reſtibili, vivaci & diuturnâ ſeu in multos annos durante. Nonnullis Galliæ Narbonenſis locis ſponte oritur, etiam prope Lateram oppidum illic: Julio & Auguſto floret, aliquando tardius, & Septembri ſiliquas, ſi quas habet, format, in quibus raro admodum ſemina perficiuntur propter rationem ante dictam in ejuſdem explicatione. Dicitur & Scythice aut radix Scythica à Scythiæ regione in qua gignitur ſponte.* ἄλιμος *citra aſpirationem &* ἄδιψος *poteſt proprie dici, quum exiguo guſtu dulci famem & ſitim præcipue ſedat.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Glycyrrhizæ *radix eſt dulcis, temperate calida & humida: cortex ejus amaritudinem quandam tamen habet, & calidioris eſt qualitatis particeps, ſed hunc abradere opportet eos quibus eſt uſui, humectat autem magis recens, & ſucco plena radix, quam arida. Utilis eſt ad raucedines tuſſeſque veteres ſedandas; difficilem reſpirationem, peripneumoniam, pleuritidem ſanguiniſque ac puris ſputationem, phthiſin, & omnes thoracis morbos exaſperatos lenit; inflammationes ſedat; acrimoniam & ſalſilaginem humorum mitigat contemperatque: crudiores humores concoquit, & ſputi exitum faciliorem promovet: ulcera expurgat in eclegmate vel alio quovis modo ſumpta, aut aliquamdiu manſa, ſuccove ſub lingua detento: decoctum ejus renibus aut veſicæ exulceratis confert, urinæ ſtillicidio medetur, in univerſum omnibus malis occurrit, ab acribus, ſalſis, & mordacibus humoribus excitatis. Blæſis præcipue, & alibi in multis officinis ex ſucco Liquiritiæ ſeu ſi mavis Glycyrrhizæ, aliiſque aromatis morbis prædictis contribuentibus additis, panes parvos ſeu confectiones efficiunt cylindriaca aliave qualibet figura, iiſque confectionibus ſuis diverſa nomina indunt, quæ tuſſi frigidæ & inveteratæ proſunt, aliiſque ſimilibus pulmonum thoraciſve affectibus.*

NOMINA.

Glycyrrhiza *vera ſiliquoſa vel Germanica, C. B. P. Glycyrrhiza, Fuch. Cam. Hort. Glycyrrhiza altera, Matth. Vulgaris, Dod. Cam. Ep. Ger. Glycyrrhiza non echinata, Lugd. (qui figuram vitioſam adhibet. Hæc ſiliquoſa planta Leguminoſa amandabitur ad ſibi ſimiles Tabula* 11. *hujus Sectionis exhibendas.) Vulgaris ſiliquoſa, Park. Radix Scythica, Glycyrrhiza vulgaris Germanica radice repente, I. B. Radix dulcis, Trag. Geſn. Hort. Radix Scythica, quibuſdam etiam Scythice. Liquiritia, Brunfel.*

HALLU-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

PAg. 352. *col.* 1. *pl.* 1. *Glycyrrhiza capite echinato, C.B.P. Dioſcoridis, Lob. Collocatur hæc pro genuina Glycyrrhiza à Caſp. Bauhino & ſic denominatur ab authoribus; ſed cum ejus radix primo non ſit dulcis ut Liquiritiæ, nos hujus plantæ modum florendi communem cum aliis Leguminibus papilionaceis obſervantes, & ſiliquas penitius examinantes alio remiſimus, ſeparando ipſam à Glycyrrhiza, propter rationem nunc adferandam. Glycyrrhiza vera & vulgaris producit poſt flores deciduos ſiliquas unciales & biunciales ſurrectas, planas, compreſſas, bivalves raro diſpoſitas; at Glycyrrhiza capite echinato ſiliquas innumeras profert echinatas in capitulum congeſtas, in quarum ſingulis unicum continetur ſemen. Hiſce rationibus ducti ex libro naturæ depromptis, alio ammandavimus, ad ſuas videlicet conſortes echinatis ſiliquarum valvulis prœditas plantas (Onobrycidum ſeu capitis gallinacei genus) Tab.* 11. *infra explicandas.*

Pag. 352. *col.* 2. *pl.* 111. *Glycyrrhiza ſilveſtris, floribus luteopalleſcentibus, C. B. P. Glaux vulgaris, Cluſ. Hiſt. Hæc etiam planta leguminoſa papilionacea & ſiliquoſa non eſt Glycyrrhiza, neque à ſapore, neque à ſiliquis, neque à ſeminibus. Glycyrrhiza proprie dicta, radice conſtat admodum dulci & ideo per excellentiam ſive* κατ᾽ ἐξοχὴν *radix dulcis dicitur; ſecundo ſiliquam habet ſurrectam, bivalvem, compreſſam, planam, inque ſingulis continentur ſemina terna, quaterna, quina, rotunda orbiculariter: at Glycyrrhiza ſilveſtris, floribus luteo-palleſcentibus, nec conſtat radice dulci, nec ſiliquas veræ Glycyrrhizæ, nec ſemina conformia gerit; conſtat enim ſiliquis multis in globulum ſeu capitulum compactis, quarum ſingulæ ſunt geminæ ſeu gemellæ, id eſt ſingulæ ſiliquæ ſingulis floribus ſuccedentes conflantur ex duplici ſiliqua juncta membrana duplicata verſus pronam partem ſiliquæ, diſterminante duplicem ſeriem ſeminum Seſamaceorum, ſeu ſeſamoidis oſſis modo ad articulos digitorum pedum firmandos à natura dati, ergo hæc Glycyrrhiza ſilveſtris floribus luteo palleſcentibus C. B. P. ſeu Glaux vulgaris Cluſ. Hiſt. male primo nominatur Glycyrrhiza, & pejus hic collocatur à Doctiſſimo Caſp. Bauhino. Debet relegari ad plantas ſuæ claſſis Aſtragalos, de quibus infra Tab.* 9. *dicemus.*

---

§. 4. GALEGA.

GAlega *cur dicatur ab herbariis ignoramus: à quibuſdam tamen Rutæ nomen inditum ab effectu & viribus, non vero odore cujus eſt expers; quidam Onobrychin, alii Glaucem, nonnulli Polemonium, alii Polygalam veterum eſſe judicant, quibus Dioſcoridis deſcriptiones contradicunt.*

Galega eſt ſiliquoſa, papilionacea, non ſcandens, alata ſeu πλαογικαύλη planta, protrudens multa folia e regione coſtæ mediæ adhærentia, impari longiore extremum coſtæ occupante: caules edit bicubitales, in quorum ſummis cimis floſculos plurimos papilionaceos ſive cæruleos, cinereos ſive albos, ſpicatim diſpoſitos gerit; quibus ſuccedunt ſiliquæ bivalves, tenues, rotundæ, longæ, omnium Leguminum hujus ſubalterni generis, ſiliquis erectis donatorum, multo minores & tenuiores, coacervatim & denſe caulium ſuperiorem partem ſtipantes. Hæc eſt nota generica Galegam à cæteris ſuæ ſortis hujus generis intermedii, in hac Tabula 7. contentis, diſtinguens.

9. *Galega* vulgaris, C. B. P. Cluſ. Pan. conſtat caulibus rotundis ac erectis, alternatim, id eſt nunc à dextra nunc à ſiniſtra; folia magna, ſatis lata ac longiora, è regione hærentia, amplectuntur coſtam mediam ſeu ῥάχιν, extremum coſtæ ſemper uno longiore impari claudente. Coſtæ alternatim, modo ex uno, modo ex altero latere, è geniculis caulium oriuntur: in caulium cimis ſeu ſuperioribus partibus exeunt ſpicatim numeroſi flores papilionacei, parvi, Arachi aut Viciæ æmuli, triplici colore inſigniti, cæruleo vulgariter, aliquando cinereo, & albido ſeu ſubcandicante; ſiliquæ ad eundem modum denſe & ſpicatim ſtipant caules, formâ oblongæ, tenues, rotundæ ſeu cylindraceæ, erectæ, ſpicam bipalmarem & tripalmarem, & aliquando longiorem efficientes: radix lignoſa, brevis, multas fibras demittit in terram, eſtque diuturna & multis annis radicibus vivax ac reſtibilis; etiamſi caules poſt ſemina ad maturitatem perducta pereant, hyeme rigida tranſacta tamen, vere novo, ut Glycyrrhiza, regerminant.

LOCUS

LOCUS & TEMPUS.

Galega *in Italia & Hiſpania paſſim in locis pinguibus & humectis, & prope aquarum rivos copioſe ſatis provenit; in Germania autem, Belgia, & Anglia, non niſi ſata in hortis: floret æſtate & ſemen ſuum copioſe perficit autumno: in Pannonia frequentiſſime, etiam in Italia circa Patavium, & in montibus Euganeis, etiam inter Patavium & Vincentiam, alibique paſſim reperitur per totam Italiam.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Galega, *ut Baptiſta Sardus ſcribit, aliique plurimi etiam ſcriptum reliquere, ad omnes peſtilentes morbos, contra ventris lumbricos, & venena aſſumpta, efficaciſſima eſt: remedio quoque eſt adverſus animalium venenatorum cum morſus tum ictus, ſucco epoto, & herba contuſa plagis impoſita. Pueris etiam convulſis ac comitiali morbo laborantibus, ſuccus ad dimidiam unciam ſumptus prodeſſe fertur. Cæſalpinus frequenter aſſerit in arvis frugiferis Hetruriæ vegetare, & ſucco ejus tumentes ob venenum boves ſanatos infuſo in os. Succus Galegæ datus à Bayro in cochleari liberabat pueros ab epilepſia, & vermes etiam expellebat, ipſa etiam herba bullita in patella cum oleo & ſemine Lini, ſuper umbilicum ligata idem præſtabat. Decoctum in aceto paratum cum Theriaca & Tormentillæ ac Cardui benedicti aqua (teſte Ingraſſia) plurimum valet in peſte & febribus malignis cum petechiis, horum omnium quoque teſtis eſt Dodonæus. Quibuſdam aquam diſtillatam in peſte exhibent, Cæſalpino authore. Contra venena aſſumpta eandem Galegam laudat Camerarius; vermes quoque necat & ſemine & ſucco.*

NOMINA.

Galega *vulgaris, C. B. P. Galega ſeu Ruta capraria, Park. Matth. Cam. Fœnum Græcum ſilveſtre, Tab. Dod. Galega, Ad. & Icon. Lob. Lugd. Ger. I. B. Galega vulgaris, Cluſ. Hiſt. Caprago vulgo, Cæſ. Galega flore albo cinereo & cæruleo, Eyſt.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI.

Aliorumque Authorum.

Galega eſt ſiliquoſa papilionacea ſiliquis tenuibus erectis, conferim naſcentibus donata; at Galegæ affinis Sophera, & Galegæ affinis Sesban (male addit Caſp. Bauhinus ſiliquas articulatas plantæ dictæ Sesban) utraque hæc planta ſiliquas habet propendentes, ergo non debent hæ plantæ dici Galegæ affines ex noſtra ſententia, Orobis magis accedunt ſiliquis propendentibus donatis, & in Tab. 6ta explicatis.

---

§. 5. OROBUS SILVATICUS PERENNIS SILIQUIS ERECTIS.

O*Robus* ſilvaticus perennis ſiliquis erectis habet pro notâ genericâ, quâ diſtinguitur in genere ab Orobo annuo ſub initio explicationis Tab. 6. exhibito & ſemine anguloſo donato, primo quod ſit planta perennis; ſecundo quod ſemina proferat plana & æqualia, at Orobus ſupra dictus annuus à duratione & ſemine anguloſo cognitu facilis, junctis etiam natalibus Orobi ſativi, quippe in hortis non in ſilvis ſponte proveniat, ſicut hic ſilvaticus: conveniunt etiam Orobi ſilvatici perennes ſiliquis propendentibus donati & in ſuperiore Tab. 6. explicati, cum Orobis ſilvaticis perennibus etiam ſiliquis erectis donatis, & in hac Tab. 7. exhibitis, in eo quod folia habeant majora, longiora aut latiora, & rara, binatim ſeu conjugatim coſtæ mediæ adhærentia, & hi & illi ſiliquas habent rotundas ſeu teretes, planas, continentes ſemina plana non anguloſa, ut Orobus receptus herbariorum qui eſt annuus & ſemeſtris aut ſeptimeſtris planta; at Orobi omnes ſilvatici (uno excepto quarto Pannonico Cluſii infra deſcripto) ſunt perennes ſeu vivaces, radicibus enim in multos annos

annos vivunt: folia, caules, flores, ſiliquas & ſemina ſingulis annis recurrentibus protrudunt ex eâdem radice, quemadmodum etiam Orobi ſilvatici perennes, ſiliquis propendentibus donati, & ſuperiore Tab. 6. explicati, à quibus præcipue differunt hi Orobi ſilvatici hic explicandi, ſiliquis erectis, curtiſque petiolis donati; & hac ratione nos ducti hos hic inter conſimiles ſiliquis erectis donatas plantas diſpoſuimus, eoſdem jungendo conformibus ſiliquis erectis donatis, & ſeparando ab Orobis ſilvaticis ſiliquis propendentibus in priore Tabula explicatis.

10. *Orobus* ſilvaticus perennis vernus ſiliquis erectis, flore purpureo, nobis. Orobus ſilveſtris purpureus vernus, C. B. P. Pannonicus, 1. Cluſ. Hiſt. Multos habet hic Orobus Pannonicus 1. Cluſii caules ab unâ radice prodeuntes, pedales & altiores, firmos, erectos & valde anguloſos; in quibus hinc inde modo à dextra, modo à ſiniſtra, ſparſa ſunt folia lata, oblonga, binatim è regione ſita, inque mucronem acutum deſinentia, & coſtæ mediæ terna folia utplurimum ex adverſo apponuntur: flores in ſummis pediculis ex alarum ſinu ortis ſpicæ inſtar naſcentes, Piſi aut Viciæ florum æmuli, coloris purpurei, elegantiſſimi, deinde uti evaneſcere incipiunt, cærulei evadunt: quibus tandem evaneſcentibus ſuccedunt lobi ſeu ſiliquæ bivalves, longæ, cylindriacæ, colore fuſcæ, in quibus ſemina exigua, rotunda aliquando, nonnunquam oblongiuſcula, eaque varia, latent; quæ matura, lobis ſeu ſiliquis apertis decidunt: radix dura, lignoſa, nigra, longa & vivax (ut in pleriſque hujus generis ſubalterni Leguminibus) per intervalla extuberans in medio, fibroſa tamen in lateribus, novellas radiculas ſingulis annis producens. Tota planta acrimoniæ cujuſdam eſt particeps.

11. *Orobus* ſilvaticus perennis ſiliquis erectis anguſtifolius, radice Aſphodeli, nobis. Orobus Pannonicus ſilveſtris anguſtifolius radice Aſphodeli, C. B. P. Pannonicus 3. Cluſ. Hiſt. Orobus hic Panonicus 3. Cluſii cauliculos promit rectos, pedales & ſeſquipedales, anguloſos, firmos, non indigentes capreolis: folia per intervalla uni coſtæ mediæ adhærentia, quaterna omnino, bina ſemper è regione ſibi invicem oppoſita, erecta, & anguſta, longa tres uncias: guſtu aliquantulum acido initio, deinde amariuſculo; flores naſcuntur in ſurculorum ſummis ſpicæ in modum congeſti, quini, ſeni, candidi coloris, Piſi aut Viciæ formâ: lobi ſeu ſiliquæ oblongæ, erectæ, nigricantes, ſuperioris ſiliquis fere pares, ſemine nigro, interdum etiam & maculoſo plenæ, quæ per maturitatem exſiccatæ (quum ſint bivalves) cum ſtrepitu dehiſcentes ſemen ſparſim, ut in pleriſque hujus generis Leguminibus fit, abjiciunt: radicibus nititur quinis aut ſenis, minimi digiti longitudine, craſſiuſculis & ſimul junctis, Aſphodeli aut Pæoniæ feminæ ritu oblongis tuberculis, pennæ anſerinæ majori fere ſimilibus, foris nigris, intus albis.

Orobus Alpinus latifolius, C. B. P. & Prod. Deſc. Ramis eſt hic cubitalibus & altioribus, anguloſis, viridibus: foliis in ſingulis coſtis octonis, binatim ex adverſo ſitis & ſibi invicem oppoſitis, uncias tres longis, duas latis, viridibus, nervoſis, cæteriſque Oroborum prædictorum foliis minùs acutis, è virgulis ex alarum cavis, palmaribus prodeuntibus ortis: flores unciales ferme Geniſtæ formâ pallide lutei (folio ſuperiore vexillo nobis dicto ruffeſcente) dependent, ſtilo ex eorum medio prominente: lobos ſeu ſiliquas & ſemina non vidit Caſp. Bauhinus, florentem tantum habuit ex Pyrenæis & Helveticis montibus ad ſe delatum.

Orobus ſiluaticus annuus ſiliquis erectis flore pallido, nobis. Silvaticus pallido flore, C. B. P. Pannonicus 4. Cluſ. Hiſt. Hic Orobus quartus Cluſii flore pallido, ſilvatico purpureo verno C. B. P. ſeu Pannonico 1. Cluſii valde accedit, ſed quatuor folia longa in acutum mucronem deſinentia & binatim poſita (quibus in extremo coſtæ quintum impar) viridia ſunt, per quæ venæ tranſverſim à medio nervo excurrunt, ſubacidi quidem initio guſtus, & poſtea amariuſculi: flores pediculis ex alarum ſinu ortis inſiſtunt quini ſenive antrorſum ſpectantes, Viciæ floribus omnino ſimiles, albo pallidove colore præditi, qui in binis petalis ſurſum reflexis palleſcunt, odoris expertes: lobi ſeu ſiliquæ ſunt quales in 10. hujus Tab. apparent, in quibus ſemen fuſcum continetur, majus ſeminibus reliquorum Oroborum prædictorum: radix minime vivax eſt, ſed more annuorum Leguminum prolato ſemine maturoque perire ſolet. Hoc multis aliis Leguminibus in hac ſecunda Sectione contentis accidit; aſt ſoli huic inter Orobos ſilvaticos tam ſiliquis propendentibus, quam erectis donatos, perire ſingulis annis poſt matura ſemina contingit. Vide App. Leguminum.

Orobus Tragacanthæ foliis, floribus in globum congeſtis, nobis. Onobrychis Tragacanthæ foliis floribus in globum congeſtis, C. B. P. Onobrychis, 5. Cluſ. Hiſt. Hic Orobus (non Onobrychis ut poſtea apparebit in doctrina Onobrychidum) folia habet mollia, incana lanugine pubeſcentia, Tragacanthæ legitimæ foliis ſimilia, eodemque modo uni coſtæ adhæ-

rentia quindecim & plura, interdum vicena, uno extremum coſtæ occupante: cauliculi tamen in hoc oblongiores ſunt, fuſco cortice tecti, lenti, fractu contumaces, humi ſuſi & plerumque nudi, qui extremâ parte frequentes ramulos foliis ſuis alatis, ex oppoſito ſitis, onuſtos proferunt, & in unciali villoſoque pediculo multos floſculos Tragacanthæ floribus proximos, candicantes, in caput ſeu globulum congeſtos gerunt; deinde membranaceas ſiliquas minores, Dorycnii vulgariter Hiſpanici nuncupati valvulis pares: ſemina Fœnogræci ſeminibus ſimilia continentes. A ſiliquis bivalvibus Dorycnii inſtar, convenit cum Orobo. Vide hallucinationes Caſp. Bauhini inter Onobrychides infra cap. 6. obſervatas. Semina hujus habuit Carol. Cluſius Londino ad ſe miſſa, quibus terræ commiſſis natæ ſunt plantæ, quæ feliciter & flores & ſemina protulerunt; florebat Julio, & verſus Auguſti finem ſemina perficiebat ſua.

Orobus montanus ſiliquis oblongis nigris Viciæ ſimilibus, C. B. P. Onobrychis, Cæſalp. Planta hæc Leguminoſa ſimilis eſt Galegæ, ſeu Capragini ſic dictæ Cæſalpino, ſed brevior: flore eſt rubente corallii modo: ſiliquas fert longas, nigras, ut Vicia. Alter eſt etiam anguſtifolius flore purpureo, uterque ſiliquis longis nigris bivalvibus donatur, ergo non inter Onobrychides ſed inter Orobos, congeneres plantas, cum quibus magnam ſimilitudinem habet, diſponendus. Orobus ergo eſto, & latioribus & anguſtioribus foliis præditus. Uterque caulem habet dodrantalem: florem puniceum: radicem parvam. In uliginoſis & incultis provenit etiam uterque. Plinius circa fontes eodem modo deſcribit. Floret deſinente vere, & ineunte æſtate ſemina perficit utraque hæc Orobi ſpecies.

LOCUS & TEMPUS.

10. Orobus *ſilvaticus perennis vernus ſiliquis erectis flore purpureo, nobis. Pannonicus* 1. *Cluſ. Hiſt. naſcitur copioſe in montana ſilva Leictenberg ſupra Maudenfort, ſimiliter in omnibus illis ſilvis quadam ſerie productis à Danubio ad Alpes. Variis item Pannoniæ locis; floret Aprili atque Maio; ſemen profert Julio menſe, & aliquando citius, aliquando tardius ſecundum clima in quo creſcit.*

11. Orobus *ſilveſtris anguſtifolius radice Aſphodeli, C. B. P. Silvaticus perennis anguſtifolius ſiliquis erectis, radice Aſphodeli, nobis. Provenit in pratis thermis Badenſibus Auſtriæ vicinis, etiam in montoſis ultra Danubium locis, ad ſilvarum illic cæduarum margines: floret eodem cum præcedente tempore, Aprili & Maio, ſemenque perficit ſuum Junio & Julio, citius aut tardius ſecundum hyemis durationem & tempeſtatis rigorem.*

Orobus *Alpinus latifolius, C. B. P. & Prod. Ex Pyrenæis & Helveticis montibus delatus, ubi crevit primo, deinde floribus pallide luteis in horto Caſp. Bauhini: floret eodem cum prædictis Orobi ſpeciebus, tempore verno ſcilicet; æſtate ſemina ſua perficit.*

Orobus *ſilvaticus annuus ſiliquis erectis, flore pallido, nobis. Silvaticus, C. B. P. Pannonicus* 4. *Cluſ. Hiſt. Hic provenit in ea parte Pannoniæ, quæ eſt inter Dravum & Savum flumina in Danubium illabentia, quæ ob eam cauſam interamnis Pannonia appellatur, inſuper in monte quodam arci Greben vicino, teſte Carolo Cluſio. Vide App. ad Legumina atque ibidem ejus figuram ſeu Iconem. Locus & tempus, duorum Oroborum ſequentium ſatis apparent in explicatione ſupra.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Horum omnium Oroborum virtutes ſeu vires non meminit Carolus Cluſius, nec ut ipſe fatetur quicquam de eorum uſu dedicit ex ruſticis illic indigenis ubi ſponte proveniebant. Dalechampius Galegæ ſuæ montanæ, quæ Orobum 4. Cluſii indigitat, eximias virtutes attribuit contra peſtem & cætera venenoſa, morbumque comitialem; contra lumbricos etiam, non minores aſſignantur vires quam Galegæ Ruta Capraria dictæ & ſupra explicatæ; penes experientes eſto fides. Cum ſunt Orobi hi Legumina perennia ſiliquis erectis donata, quemadmodum Galega; veroſimile eſt utrumque genus iiſdem pollere viribus.

NOMINA.

10. Orobus *ſilvaticus perennis vernus ſiliquis erectis, flore purpureo, nobis. Silveſtris purpureus vernus, C. B. P. Orobus Pannonicus* 1. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Pannonicus, Eyſt. Aſtragalus, Colum. Aſtragalus ſilveſtris vernus, Thal. Silvaticus vernus, Ger. Silvaticus purpureus major, Park. Galegæ nemorenſi vernæ ſimilis multiflora, flore purpureo & albo, I. B. Phaſeolus ſilvarum, Hiſt. Lugd.*

11. Orobus *ſilvaticus perennis anguſtifolius ſiliquis erectis, radice Aſphodeli, nobis. Silveſtris Anguſtifolius radice Aſphodeli, C. B. P. Orobus Pannonicus* 3. *Cluſ. Hiſt. Silvaticus anguſtifolius, Park. Orobus montanus anguſtifolius, Ger. Orobus quorundam radice bulboſâ (ſed inepte, tuberoſâ dici debuit) I. B.*

Orobus *Alpinus ſilvaticus perennis latifolius, nobis. Alpinus latifolius, C. B. P. & Prod. Manca & jejuna eſt hujus hiſtoria in Prodromo Caſp. Bauhini, nam ſiliquarum diſpoſitionem omiſit; ergo nos in incerto relinquimus: conjicimus tantum, donari ſiliquis erectis; talem & imperfecte deſcriptum lectori offero, qualis mihi offertur.*

Orobus *ſilvaticus annuus ſiliquis erectis flore pallido, nobis. Orobus ſilvaticus pallido flore, C. B. P. Pannonicus* 4. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Galega montana, Lugd. Hiſt. Arachus latifolius, Dod. Vide icones in Appendice ad Legumina.*

LEGUMINA

Sive

Siliquoſæ Papilionaceæ Bivalves ſiliquis Erectis donatæ.

Orobus; Arachydna; Glaux Hiſpanica; Hedyſarum Argenteum; Herba Viva, Senſibilis ſeu Mimoſa; Tribulus Terreſtris.

TABULA VIII.

Orobus Silvaticus perennis ſiliquis erectis
- *Tragacanthæ foliis, floribus in globum congeſtis, nobis. Onobrychis* 5. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
- *Nigris, Viciæ ſimilibus, nobis. Onobrychis, Cæſalp.*
- 1. *Bæticus lanuginoſus radice ampliſſima, nobis. Aſtragalus Bæticus, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 2. *Syriacus hirſutus magno flore, nobis. Aſtragalus Syriacus, Lob. Ger.* ⊙
- 3. *Alpinus Claviculatus magno flore, nobis. Anthyllis claviculata, Lugd. Hiſt.* ⊙
- *Alpinus Helveticus, nobis. Aſtragalus Alpinus &* 2. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
- *Villoſus floribus globoſis, C. B. P. Aſtragalus* 3. *Cluſ. Hiſt.* ⊙

Arachidna — *Foliis*
- 4. *Cordatis, nobis. Arachidna ſeu potius Aracoides Hon. Belli, I. B.* ⊙
- 5. *Acutis, nobis. Aſtragalus Dioſcoridis, I. B.* ⊙

6. *Glaux Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. Park.* ☿
7. *Hedyſarum argenteum Creticum, Proſp. Alpin. de exot.* ⊙
8. *Herba mimoſa, frutex ſenſibilis dicta* {*Major.* ☿ / *Minor.* ☿}
9. *Tribulus terreſtris Ciceris folio fructu aculeato, C. B. P. Tribulus terreſtris, Dod.* ☿

§. 5. OROBUS SILVATICUS PERENNIS SILIQUIS ERECTIS.

Explicatio Tabulæ octavæ, Sectionis ſecundæ.

1. O*Robus* ſilvaticus & Bæticus lanuginoſus radice ampliſſimâ, nobis. Aſtragalus Bæticus lanuginoſus, radice ampliſſima, C. B. P. Aſtragalus Bæticus, Cluſ. Hiſt. (quam inepte Carolus Cluſius & tranſcriptores ex ipſo hanc plantam Aſtragalum denominarunt, videant & conſulant Botanici doctrinam noſtram de Aſtragalo ejuſque nota generica in cap. 5. & explicatione Tab. 9^næ^ exhibitam) Cubitales & bicubitales etiamque altiores ſunt huic caules, minimi fere digiti (provectiori ſaltem) craſſitudinem æquantes, pentagoni & anguloſi, duri ſubfruticis inſtar, ſubrubentes & lanuginoſi: folia itidem lanuginoſa, ſæpe incana, & in longa coſta media e regione ſemper ſita, & binatim ſibi appoſita, veluti plurimis aliis Leguminibus hujus Sectionis contingit; guſtu ſunt primum aſtringente, deinde maſticando fervido: flores copioſi in cimis apparent Lupini aut Fabæ vulgaris quoad figuram & magnitudinem æmuli; ſecundum oblongos ramulos & virgas in ſuperiore parte, ex alarum ſinubus naſcuntur (inquam) flores omnino albi, ſerie quadam quaſi ſpicatim digeſti, qui antequam aperiantur & explicentur, ex luteo foris nigricantes ſunt: fructum ferre dicitur in lobis, Phaſeoli minoris Dodonæi ſimilibus, parem ſeu æqualem, qui guſtatus fauces, os, & linguam inflammatione torqueat: radix pro ſtirpis magnitudine ampliſſima, craſſitudinis palmaris, brachialis nonnunquam, longitudinis cubitalis, quæ deinde deorſum verſùs in binas vel ternas ramulatim furcas diviſa, foris nigra, rugoſa, intus candida, dura & lignoſa, ingrati ſaporis, quæque arefacta cornu duritie ſuperat.

2. *Orobus* Syriacus hirſutus, magno flore, nobis. Aſtragalus Syriacus, Lob. Ger. Park. I. B. Perelegans & multum rara eſt hæc planta leguminoſa quam ex Halepa Syriæ oppido primum habuit Lobelius, poſtea in urceis penſilibus D. Brancionis Italico ſemine natam vidit: folia, cauliculos, imo & radices implexu quodam mirabili tam ſupra quam intra terram proreptantes gerit: quin & florum denſo exortu ex pediculorum ſummitate in unum congeſtorum decore, effigie, elegantia, magnitudine, & rubore amœniſſimo ornatur; ſed cum bona venia Lobelii aliorumque Botanicorum ex ipſo tranſcribentium non debet aſſociari Aſtragalis generico nomine, propter foliorum lobatorum ῥάχι ſeu coſtæ mediæ adhærentium, cauliculorum, radicum, imo florum papilionaceorum omnimodam cum Aſtragalis conformitatem: hæc omnia plurimis aliis Leguminibus cum Aſtragalis ſunt communia. Nos hunc Orobum & cæteros ſequentes ab Aſtragalorum claſſe arcemus, propterea quod non poſſideant notam genericam, veram & genuinam, Aſtragalis convenientem. Vide Tab, 9^am^ ſequentem, ejuſque explicationem ibidem. Diffuſius deducemus Aſtragali cùm doctrinam in genere, tum uniuſcujuſque varietatem ſpecificam, ex autopſia deductam, ut clare & perſpicue innoteſcat ex inſpectione ipſius Tab. 9^næ^ ejuſque explicatione infra cap. quinto deducta. Planta hæc eſt rara quam vidit Carolus Cluſius in horto Johannis Richæi Pharmacopœi Regij, cui folia reperiebantur mollia & incana ſeu lanugine pubeſcentia, ut Tragacanthæ legitima folia, & eodem modo coſtæ mediæ adhærentia, quindena, interdum plura, vicena quina, uno impari extremum coſtæ occupante: cauliculi tamen in hac oblongiores ſunt fuſco colore tecti, lenti, fractu contumaces, humi fuſi, & plerumque nudi, qui extrema parte frequentes ramulos ſuos alatis foliis onuſtos proferunt, & in unciali villoſoque pediculo, multos floſculos papilionaceos in unum capitulum ſive globum congeſtos Tragacanthæ floribus proximos, candicantes gerit: deinde membranaceas ſiliquas Ervi ſiliquis minores & Dorycnii vulgo nuncupati, ſive Hiſpanici valvulis pares: ſemina Fœnogræci ſeminibus ſingulatim ſimilia continentes. A ſiliquis bivalvibus Ervi aut Dorycnii Hiſpanici omnino æmulis, non debet inter

inter Aſtragalos proprie nobis ſic dictos, & in explicatione Tab. 9[næ] à nobis exhibitos locari, multo minus Aſtragalus denominari, quoniam non donatur ſiliqua gemella, ſed bivalvi & unicam ſeu ſimplicem ſeriem ſeminum continente, ſicut videre eſt in omnibus Orobi ſpeciebus à nobis hic explicatis & ſiliquis erectis donatis. Appellabuntur impoſterum Orobi, & aptius mea ſententia, quia omnimodam habent conformitatem in ſiliquis cum Orobis, neutiquam cum Aſtragalis ſiliqua gemella affectis. Obſervo neotericos omnes, qui hiſtorias plantarum edidere, tranſmiſiſſe ad nos has & multas alias Orobi ſpecies ſub nomine Aſtragali aut Onobrychidis; ex nota generica illis à naturâ datâ neutiquam conveniunt nomina impoſita. Hæc eadem planta Dominico Chabræo in Sciagraphia & Iconibus plantarum dicitur Aſtragalus quidam montanus Onobrychis quibuſdam, atque ſic deſcribit: multa folia ab una eademque radice promit ad Lenticulæ aut Tragacanthæ folia plurimum accedentia: cauliculi inter foliorum alas oriuntur dodrantales, ſupini & exiles, quadam lanugine obducti, atque floſculis onuſti Viciæ ſilveſtris inſtar ex cæruleo purpuraſcentibus, quos excipiunt ſiliquæ puſillæ, geminis cellulis ſemine plenis conſtantes, radix longa & craſſiuſcula, quæ multas fibras & propagines agit, ramulos dodrantales, humi fuſos, in latera emittens. Hæc Chabræi deſcriptio innuit hanc plantam eſſe Aſtragali ſpeciem (propter ſiliquas gemellas, duplicem ſeriem ſeminum in ſe continentes, & flores ex cæruleo purpuraſcentes) diverſam ab Aſtragalo Syriaco Lobelii cæterorumque citatorum authorum, cujus ſiliquæ (uti dictum) ſunt bivalves; ergo duæ diſtinctæ deſcriptiones eidem Iconi à diverſis authoribus adhibentur, quarum prima denotat Orobum hunc noſtrum verum & genuinum, ab initio delineatum; altera Aſtragalum indigitat, forte Onobrychidem 4. Cluſii. Quàm parum ſibi conſtant authores prædicti cum in deſcriptionibus tum in nominibus promiſcue aſſignandis, examinet lector ex iis quæ dicimus & hic & alibi. Ipſas plantas (dummodo fiat copia eaſdem contemplandi) facillime poterit reducere ad genera intermedia ex noſtra doctrina, ſecundum notam genericam ſeu teſſeram eſſentialem unicuique generi à nobis aſſignatam, non promiſcue & confuſe, ſine regula infallibili à natura datâ, cuilibet generi indeterminato quodlibet nomen & ſæpe inepte ſatis adſcribendo, ut hucuſque ab authoribus factitatum paſſim obſervamus.

3. *Orobus* Alpinus claviculatus magno flore, nobis. Aſtragalus magno flore, C. B. P. Anthyllis claviculata, Lugd. Hæc etiam eſt Orobi vera & genuina ſpecies, ut patebit ex ipſius deſcriptione. Radicem enim edit nigram, lignoſam, dimidium pedem longam, ſuperne in multa veluti caulium principia diviſam, craſſiuſcula, laminulis corticoſa; ex quibus foliola multa exeunt, longa, humi ſtrata, Lenti ſimilia, utrinque ex adverſo ordine digeſta: flores in cacumine nudarum virgularum emicant oblongi, lutei: deinde ſiliquæ oblongæ, nigræ, bivalves, in quarum vertice tenuis villus oritur capreolo viticulæve ſimilis.

Orobus Alpinus Helveticus, nobis. Aſtragalus Alpinus & 2. Cluſ. Hiſt. Hic flore eſt Viciæ aut Ciceris ſimili, ex cæruleo purpuraſcente; lobi ſeu ſiliquæ Arachi ſiliquis fere pares: ergo cum ſit bivalvis tantum, non debet dici Aſtragalus ab authoribus, qui eſt ſiliquâ gemellâ duplicem ſeriem ſeminum in ſe continente.

Orobus villoſus floribus globoſis, C. B. P. Aſtragalus purpureus, Lugd. Aſtragalus, 3. Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Hæc plantula puſilla habet folia, Ciceris aut Lentis modo tota incana: cauliculos breves, duros, & in his floſculos Piſi florum æmulos, puſillos, purpureos, congeſtos in capitulum: radix tamen ſingularis nullam habet cum Aſtragalo affinitatem in ſiliquis, quæ non ſunt gemellæ ſed bivalves; ergo aptius locatur inter Orobos, & Orobus à nobis melius nuncupatur quam Aſtragalus.

Orobus ſilvaticus ſiliquis propendentibus radice tuberoſâ, nobis. Aſtragalus ſilvaticus, Thalii Cam. in Hort. Male ei Aſtragali adaptatur nomen à Caſp. Bauhino cæteriſque authoribus, cum Aſtragali non poſſideat notam genericam, ſiliquam ſcilicet gemellam. Eſt Orobus ſiliquis propendentibus uti ſupra innuimus in capite præcedenti. Vide ejuſdem figuram in Tab. 19. hujus Sectionis ſecundæ ejuſque plantam 6. loco ſculptam.

LOCUS & TEMPUS.

1. Orobus *ſilvaticus & Bæticus lanuginoſus radice ampliſſima, nobis. Aſtragalus Bæticus, Cluſ. Hiſt. In collibus quibuſdam ſupra Olyſipponem, quos Tagus fluvius alluit, inter vepres obſervabat Clariſſimus Carolus Cluſius, atque menſe Septembri eruebat; deinde ſub exitum Januarii inſequentis, in ſilvoſis locis non procul Hiſpali, dum Gades proficiſceretur, florentem inveniebat idem Cluſius.*

Cluſius. Nos florentem menſe Maio in Horto Botanico Regio Pariſienſi (nobis eundem monſtrante D. Veſpaſiano Robino profeſſore Botanico publico, præceptore noſtro digniſſimo, anno 1645*) ſed ſemina Junio ægrè & Julio perficientem obſervavimus, quamvis contra murum in horto exoticarum ſitus, & meridiei oppoſitus plantabatur.*

2. Orobus *Syriacus hirſutus magno flore, nobis. Aſtragalus Syriacus, Lob. Lugd. Ger. Park. Natales ſatis evidenter vel prolato nomine apparent: Floret æſtate & verſus ejuſdem finem maturantur ſemina in ſiliquis bivalvibus. Aſtragalus quidam montanus Onobrychis quibuſdam Chabræi, ſed male; eſt enim verus & genuinus Aſtragalus ultimo loco inter Aſtragalos à nobis deſcriptus, ſeu Onobrychis* 4. *Cluſ. Hiſt. Chabræus confundit hanc plantam cum Orobo Syriaco, applicando deſcriptionem Onobrychidis* 4. *Cluſii Orobo noſtro Syriaco.*

3. Orobus *Alpinus clavatus, magno flore, nobis. Aſtragalus Alpinus magno flore, C. B. P. Anthyllis claviculata, Hiſt. Lugd. In ſolo macro & ſabuletis Alpium apricis gignitur; floret vere, & ſemen ſuum perficit æſtate.*

Orobus *Alpinus Helveticus, nobis. Aſtragalus Alpinus* 2. *Cluſ. Hiſt. Hic in Helvetiorum Alpibus, atque etiam Pannonicis provenit, teſte Cluſio.*

Orobus *villoſus floribus globoſis, C. B. P. Aſtragalus purpureus, Lugd. Creſcebat hæc plantula ſecus vias in vinetorum & agrorum marginibus per totam Luſitaniam & Hiſpaniam; florebat Aprili, & ſemina edebat matura Maio.*

NOMINA.

1. Orobus *ſilvaticus & Bæticus lanuginoſus radice ampliſſimâ, nobis. Aſtragalus Bæticus lanuginoſus radice ampliſſima, C. B. P. Aſtragalus Bæticus, Cluſ. Hiſt. & Cur. Poſt. Luſitanicus Cluſii, Lob. Tab. Ger. Park. Hiſt. Lugd. Lanuginoſus Bæticus, I. B.*

2. Orobus *Syriacus hirſutus, nobis. Aſtragalus Syriacus, Lob. Lugd. Tab. Ger. Park. I. B. Aſtragalus Dioſcoridis vulgo Chriſtiana radix Rauwolf. & Lugd. Cujus folliculi Coluteæ modo flatu diſtenti, ſemen continent. Eſt diverſa Leguminis ſpecies ab Orobo Syriaco, ergo non ei Synonyma.*

3. Orobus *Alpinus claviculatus magno flore, nobis. Aſtragalus magno flore, C. B. P. Park. Aſtragalus Alpinus magno flore, C. B. P. Anthyllis claviculata, Lugd.*

Orobus *Alpinus Helveticus, nobis. Aſtragalus Alpinus Helveticus, C. B. P. Alpinus &* 2. *Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Polygala Camer. Ep. qui falſam appoſuit figuram: Polygala Camerarii repræſentat Aſtragalum perennem Monſpelienſem flore cæruleo, ſeu Monſpeſſulanum, I. B. Vide infra* 3. *Aſtragalum.*

Orobus *villoſus floribus globoſis, nobis. Aſtragalus villoſus floribus globoſis, C. B. P. Aſtragalus purpureus, Lugd. Aſtragalus* 3. *Cluſ. Hiſt. & Hiſp.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

PAg. 351. Aſtragalus ejuſque variæ ſpecies ſit denominatæ à Caſparo Bauhino cæteriſque authoribus, Aſtragali nomine inepte & negligenter dicuntur, quia Aſtragalus proprie dictus habet ſiliquam gemellam ſeu binas cellulas, in quibus hinc inde continetur ſeries ſeminum: atqui hæ omnes plantæ conſtant ſiliquis bivalvibus unicam ſeriem ſeminum in ſe continentibus, ergo non ſunt Aſtragali ſed Orobi proprie loquendo.

Pag. 351. col. 2. pl. v. *Aſtragalus Monſpelienſium, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. male à Caſparo Bauhino pro ſynonymo adhibetur cum Aſtragalo villoſo flore globoſo; quia Aſtragalus villoſus flore globoſo eſt Orobi ſpecies, à ſiliqua continente ſimplicem ſeriem ſeu ordinem ſeminum; at Aſtragalus Monſpeliacus ſiliquam producit, duplicem ſeriem ſeminum continentem; deinde Caſparus Bauhinus ſui eſt oblitus, bis enim collocavit Aſtragalum Monſpelienſem, ſemel hic pag. 351. & pag. 349. col. 1. pl. 11. aſſociando eundum cum Securidacâ lutea minore corniculis reflexis, ubi legitur Aſtragalus Monſpeliacus Cluſ. Hiſt.*

---

§. 6. ARACHYDNA.

QUædam, ut ſcribit Theophraſtus 1. *Hiſt.* 11. *ex radicibus differentias præter prædictas ſortiuntur* (ὅιον τῆς ἀραχύδνης καὶ τοῦ ὁμοίου τῷ ἀράκῳ) *hoc eſt ſeu Arachydnæ radix, ejuſque quod ſimile eſt Araco: ambæ namque fructum non minorem ſuperno afferunt, &c. Neutrum aut folium,*

aut

aut folio ſimile quicquam gignit, utrumque potius velut ἀμφίκαρπον *eſt, hoc eſt infra ſupraque terram fructum edit. Plinio l. 21. c. 15. Arachydna & Arachos (potius Aracoides) &c. Vox hæc* Ἀραχύδνη *compoſita videtur:* ἄραχος *enim Cicerculæ ſpecies eſt, quam hæc foliis & fructu refert;* ὕδνον *vero tuber ſignificat, cujuſmodi ſimilitudinem quandam radices habent.*

Arachydna eſt planta leguminoſa alata, id eſt, cujus ſingulis coſtis mediis plurima hinc inde ex oppoſito folia binatim ſeu conjugatim adnaſcuntur, cordata aut acuta, uno extremum claudente, hoc commune ipſi eſt cum plurimis aliis hujus Sectionis; ſed præcipua differentia ſpecifica conſiſtit in modo productionis ſiliquarum; nam ſiliquas tam ſupra quam infra terram gignit, quod aliis hujus ſortis denegatur, niſi Lathyro cuidam minori (qui minor ἀμφίκαρπος à nobis dicitur in cap. 1. hujus Sectionis) & trifolio tricocco reticulato, Gaſtonio fructum pariter ſupra infraque terram in ſiliquis ſuis producente: de poſtremo dicemus inter Trifolia arvenſia infra in hac Sectione.

Arachydna, Viciæ ſimilis planta, ſupra infraque terram fructum edens, nobis. Arachydna Cretica Belli (quo nomine totam plantam tranſmiſit) Arachydna Cretica ſeu potius Aracoides Hon. Belli, I. B. Planta hæc omnino nova eſt, cujus ſemen ex Cretæ Inſulæ oppido Cydonia, primo ab Honorio Belli tranſmiſſum in Italiam, & ſatum pullulavit; neque ante Honorium Bellum quiſquis Botanicus earum plantarum aliquod genus deſcripſerit, quæ amphicarpæ à Theophraſto dicuntur, licet Cæſalpinus Dentariæ ſpeciem (quæ bulboſa authoribus dicitur, ſed perperam; ſoboliſera potius & aptius nobis denominatur) Arachydnam faciat, quæ cum Theophraſti Arachydna meo quidem judicio nil commune habet; quum Dentaria ſit tetrapetala ſiliquoſa, flores & ſiliquas producens conſequenter, & aliquando ſobolem loco ſiliquarum: hoc etiam contingit Lilio rubro bulbifero atque Allii quamplurimis ſpeciebus, producere ſcilicet ſimul & ſemel flores & fructum & ſobolem pariter, id eſt, loco florum & capſularum producunt bulbillos in ſummis caulium alis. Planta autem hæc utrinque (id eſt ſupra & infra terram) fructum fert & ideo merito Arachydna ſeu potius Aracoides J. Bauhino dicitur. Et licet Theopſtraſtus l. 1. c. 11. Arachydnam aut id quod Araco ſimile eſt, foliis carere affirmet, textum tamen corruptum merito quis dubitare poterit. Nam cum Theophraſtus ſtirpem Araco ſimilem deſcribat, neceſſe eſt ſimilitudinem harum eſſe aut floris, aut fructus, aut foliorum. Aracus vero duplex ab authoribus habetur ut ſupra innuimus in doctrina Arachi, unus Lathyro ſimilis, qui per κ ſcribitur & Lathyrus dicitur, alter per χ & inter Lentes naſcitur. Teſte Galeno 1. de Alim. facultatibus, c. 27. ſilveſtre quoddam ſemen rotundum ac durum, Ervoq; exilius datur quod & Theophraſtus, l. 8. c. 8. affirmat, aſſerens quod Aracus in Lente oriatur, & ſit res ſcabra. Cum autem planta hæc noſtra caule & foliis è regione ſitis Lenti ſit ſimilis, ſemenque durum, & Araci ſeminibus non diſſimile ferat, Orobo Lathyroque minor, & fructum ſub terra, circa radices & in caulibus gerat; merito Arachydna aut Aracoides dicenda videtur. Ergo non obſtante authoritate Doctiſſimi & emunctæ naris Philoſophi, ſimul & Botanices peritiſſimi Cæſalpini, qui dum Dentariam ſoboliferam conſtituere vult Arachydnam, cadit cauſa, & doctrinam Theophraſti aperte eludit: quare pari jure non poſſumus nos conſtituere bulboſas plurimas plantas, ut Lilium rubrum & Allii varias ſpecies (quippe ſoboliferas) pro Arachydna Theophraſti, imo & multas alias? ſed quamnam haberent cognationem aut affinitatem cum Arachydna Theophraſti, nec ego, nec quivis oculatus Botanicus percipere poterit. Ea autem Theophraſti verba, quod folia non ferat Arachydna, ad Arachydnam Ægyptiam potius referenda videntur, quam ad Aracoidem noſtram, quæ ita deſcribitur. Herba eſt dodrantalis, foliis Leguminis, Lentis, vel Viciæ minoribus, brevioribus & cordatis, ſeu cordis formam referentibus, paululum aculeatis, binatim ſeu conjugatim ῥάχι adhærentibus; viticulis tenuibus conſtat, quorum extremis flores hærent papilionacei purpurei, Viciæ inſtar, quoad formam. Circa radices etiam ſub terra ſiliquas fert parvas, Lentis ſiliquis ſimiles, in quarum ſingulis modo unum, modo bina ſemina rotunda, nigra, alterius vero non nigrum eſt ſemen ſed Orobo ſimile. At quos fructus in caulibus proferat, hactenus non potuit obſervare Johannes Bauhinus; plurimis negotiis impeditus, eam tempeſtatem anni qua floruit & fructum tulit non obſervavit. A ruſticis ἀγριοφάκι (id eſt agreſtis Lens) vocatur in Creta. Inter ſegetes & Legumina invenitur & negligitur, ideo vobis inquit Honorius Bellus tantum fructum mitto, mitto etiam Orobi, Arachi & Lathyri ſemina, ut horum Leguminum in hac Inſula naſcentium differentiam commode obſervare poſſitis. Hæc Honorius Bellus. Johannes Bauhinus obſervavit ſemen nigrum, Viciæ ſativæ ſimile eſſe, dentibus

tibus durum attritu, ſapore Piſorum, medulla alba: cui album ſimile forma, ſapore & duritie. Ejus figuram ex planta ſiccata quam miſit Honorius Bellus parandam curavimus inquit Dalechampius. Sata enim non provenit. Iconem etiam Cluſii, quamvis falſa videretur, delineandam curavit Johannes Bauhinus. Cluſius eandem propoſuit Exot. l. 4. c. 16. quam ita deſcribit; nullos habet capreolos &c. Omnes & Honorius Bellus & Carolus Cluſius confuſe admodum ſcribunt de hac planta, cujus ſemen ſi haberemus recens collectum ex quo plantam integram ſiliquis & ſupra & infra terram onuſtam, producere poſſit, Lathyri minoris amphicarpi noſtri inſtar, tolleret omnem ſuſpicionem. Iconem utramque in hac Tabula exhibitam ab authoribus, ex Honorio Bello & Cluſio & Dalechampio exſculptam, per incuriam & ſupinam negligentiam ex duabus plantis compoſitam, pro diverſis ſpeciebus diſponendam conjicimus: ut ut ſit priorem & poſteriorem figuram Orobum melius repræſentare, & amphicarpum dici, & cum Arachydna Theophraſti melius convenire autumamus. Locus indicatur ſatis manifeſte in titulo: floret æſtate; & autumno perficiuntur ſemina in ſiliquis tam infra, quam ſupra terram: de viribus nil apud authores conſtat.

NOMINA.

Arachydna *ſeu potius Aracoides, Hon. Belli I. B. Arachydna Cretica, an potius Aracoides Theophraſti, Ponæ. Arachydna planta amphicarpa, an Aracoides Theophraſti, I. B. Aſtragalus Dioſcoridis quibuſdam Chabræi in Sciographia Pag.* 153. *an Araco* ὅμοιον *Theophraſti, Cluſ. Exot. l.* 4. *cap.* 16. *Viciæ ſimilis planta ſupra infraque terram fructum edens C. B. P. variat ſemen in ſiliquis ad radicem, in aliis nigerrimum, in aliis Orobo ſimile, in aliis variegatum. Arachydnæ icon Cluſii I. B. ſemina Viciæ ſativæ ſeminibus ſimilia, (ex Cretæ Cydonia ab Honorio Bello miſſa ad Cluſium) ſiliquas habet erectas & ideo nos Arachydnam hic inter Legumina* πλαγιόκαυλα *ſiliquis erectis donata collocavimus.*

§. 7. GLAUX HISPANICA.

Glaux Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. Lob. Lugd. Tab. Glaux Dioſcoridis, Ger. Hæc leguminoſa planta puſilla ternis quaternis aſſurgit cauliculis, dodrantem altis, gracilibus, incana lanugine pubeſcentibus: foliis ſerie & diſpoſitione quadam ſecundum longitudinem coſtæ utrinque adhærentibus in Viciæ aut Aſtragali modum, mollioribus tamen, ſuperne virentibus, inferne incana lanugine obſitis, guſtu nonnihil amaro: flores extremo cauliculorum faſtigio innaſcuntur conferti capituli more aut ſpicæ brevioris & obtuſæ, Glycyrchizæ echinatæ floribus forma & colore perquam ſimiles, ſuntque purpurei: radix candicans & exilis, quæ an vivax ſit aſſerere nequeo. Glaux Hiſpanica dicitur, quia nuſquam alibi quam ad ripas fluminis Thormi Salmanticam alluentis, paulo infra eam urbem à Doctiſſimo Carolo Cluſio obſervabatur nomine vulgari carens: Glaucem Hiſpanicam appellavit idem, quia nullam inter plantas quæ Glaucis nomine à recentioribus deſcribuntur, magis ad amuſſim Dioſcoridis deſcriptioni reſpondentem invenit Cluſius. Floret Junio; & ſub exitum Julii aut initium Auguſti ſemen ſuum perficit. Locus determinatur in hac explicatione ſupra. Virium aut facultatum non meminit Cluſius, nec alii ex ipſo tranſcribentes authores.

NOMINA.

Glaux *Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. Park. I. B. Glaux Cluſii, Lob. Lugd. Tab. Glaux Dioſcoridis, Ger. Anthyllis altera Lenti ſimilis, Dod. Ciceri ſilveſtri minori affinis ſi non idem, an Glaux Anguillaræ, C. B. P. Quia ſiliquæ non deſcribuntur à Carolo Cluſio cæteriſque authoribus ex ipſo tranſcribentibus, an ſit ſiliquis propendentibus ut ſunt Ciceris, an erectis, quod nos valde ſuſpicamur à brevitate petiolorum florum, & ideo nullatenus Ciceri affinem concludimus, ut ſupra inter Hallucinationes Caſp. Bauhini de Cicere aſſeruimus.*

§. 8. HEDYSARUM ARGENTEUM.

Hedyſarum argenteum Creticum Proſp. Alp. Exot. Inter varia Hedyſari ſecuridacæve genera unum Creticum argenteum eſt maxime herbariis commendatum, argenteis floribus ornatum

natum, elegantiſſimoque florum candore hæc planta conſpicue cernitur: quæ eſt fruticoſa,& folia habet complura Ciceris ſimilia,atq; flores argenteos Trifoliorum floribus proximos,multos in cauliculorum cacumine ſimul congeſtos, parum olentes, guſtu ſubdulci amareſcente; à floribus ſingulis ſingula cornicula proveniunt, in quibus ſunt ſemina parva rotunda. Procul dubio hæc planta Hedyſarum maxime æmulatur à Dioſcoride deſcriptum, hiſce profecto verbis inquiente, Hedyſarum (quod unguentarii Pelicinum, id eſt Securidacam vocant) frutex eſt foliis Ciceris, ſemen ruffum in ſiliquis fert corniculorum modo aduncis, quod ancipitem ſecurim æmulatur unde nomen accepit, amarum guſtu, ſtomacho utile in potu. Additur in antidota. Naſcitur in ſegetibus & Hordeis. Galenus addit, amarum & ſubacerbum apparet, quamobrem potum gratum eſt ſtomacho, & viſcerum obſtructiones expurgat. Planta hæc eſt perpetua & ne vel hyeme ſe foliis ſpoliat, teſte Proſpero Alpino.

§. 9. Herba Viva ſeu Sentiens vel Mimoſa foliis alatis, cauli adnatis, ſine impari extremum coſtæ claudente.

Herba viva dicitur, eo quod ſi quis eam quavis re tangat, folia illico contrahat & ſub tenues ſuos ramulos recondat, ſi vero quis apprehendat, ſubito licet, adeo marcida conſpiciatur, ut flaccida & quaſi exſiccata exiſtimetur, attamen ſi quis manum retrahat illico nitorem & præſtinum vigorem recuperat: toties marceſcit aut revireſcit, quoties comprehenditur, vel manus, aut quodlibet tangens ipſam, ab ea retrahitur. Herba mimoſa nuncupatur, quoniam manu admotâ ſeneſcit & marceſcit, manu autem remotâ, priſtinum virorem & vigorem recipit, ſed non adeo celeriter recuperat, ut eundem perdidit poſt tactum: colore eſt Glycyrrhizæ, & omnibus notis cum alatis plantis Leguminoſis, foliis binatim ſeu conjugatim coſtæ mediæ adhærentibus præcipue cum Acacia & Fœnogræco convenit, quoad appoſitionem foliorum, ſine impari tamen extremum coſtæ claudente.

Herba mimoſa conſtat ſingulari radice, non craſſa quidem, ſed durâ & lignoſâ, rariſque fibris præditâ, à quâ terni aut quaterni cauliculi exibant breves, qui ſtatim in aliquot tenues virgas humi procumbentes & in ambitu ſeſe ſpargentes diffundebantur;ad ſingulos nodos frequentes,longas tenueſque coſtas agentes,quæque erant cubitalis longitudinis,interdum longiores, teretes, lentæ,quibuſdam ſpinulis latiuſcula baſi inſidentibus præditæ, quemadmodum in Rubi ramis videre licet, minoribus tamen, rarioribus, minuſq; firmis;eædemque rurſus in graciliores ramos dividebantur, frequentioribus ſpinulis obſitos, quorum nodis inter binas appendiculas alternis exoriebantur tenerrimi ramuli foliolis ſuis binatim & è regione obſiti, quæ numeroſâ ſerie quadam, pari utrinque numero coſtæ mediæ adnata erant, nullo impari aut ſingulari extremum coſtæ claudente,tenella admodum & virentia, valde ſimilia Acaciæ foliolis (quæ dum primo prodibant, tenui, incana lanugine pubeſcebant; ut ex ramulo ſuis parvis ramulis & foliolis onuſto obſervare quilibet intuendo ipſam plantam poterit: flores papilionaceos ferre (etiamſi nunquam apud nos florentem hucuſque conſpicere licuerit) neutiquam dubitamus: ſiliculas ſeu capitella in involucris plurimis, tenuibus, anguſtis, & ſpinoſis veluti, producit; inter quæ ſemina latent orbiculata, plana, nigra, aliquando ſubruffa, in medio tumentia, ut videre eſt in ſeminibus ſculptis. Siliquam itidem longam alterius hujus ſpeciei aſſculpendam curavimus. Vide plura de ſpeciebus plurimis diverſis Herbæ mimoſæ ſeu ſenſitivæ, nuperrime detectæ in App. ad Legumina, quò impræſentiarum lectorem relego.

LOCUS & TEMPUS.

Hanc plantam à Jacobo Gareto verſus extremum Octobris anno 1599. *accepit Carolus Cluſius miſſam ad prædictum Jacobum Garetum ab illuſtriſſimo viro, Comite tunc temporis Cumbriæ, ex Inſula Divi Johannis à portu diuite (dicto* Porte rico*) reduce.Herba ſentiola id eſt ſenſitiva ſeu ſenſiſica Luſitanis nominata. Linſcot. p.* 4. *Indiæ Orientalis c.* 17.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Folia *Herbæ mimoſæ inciſa & contuſa, odorem herbaceum emittunt, ſuccumque glutinoſum ſeu muſcilaginoſum, qui inter digitos agitatus & deinde in ore detentus ſine deglutitione ulla, ſaporem amarum relinquit & ingratum, quique palatum parum exſiccat: radix ſaporis eſt moderate grati abſque amaritudine, odoris fortiſſimi recens collecta ut Allium, non ſolum odoratum offendit, ſed & caput impetit, tantaque cum vi, ut ei adſtantem reſilire oporteat: adde quod noxia ſit tranſpirationi; maſticata relinquit in ore pro mediocri tempore maximam ſiccitatem. Puto inquit Guiliel. Piſo hanc plantam maximum damnum generi humano adferre cui omnino eſt exitialis, ſicut & reliquæ omnes plantæ mimoſæ quæ à Guilielmo Piſone & Georgio Marcgravio deſcribuntur. Parva hujus foliorum pulveriſatorum doſis ſufficit privare hominem vita, eandem aut in cibo aut potu porrigendo, & tamen hujus folia impune comeduntur à pecoribus. Plura dicemus de Herbæ mimoſæ ſpeciebus earumque viribus in App. ad Legumina.*

NOMINA.

Herba *mimoſa, viva ſeu ſentiens, &c. nobis. Herba mimoſa, Lugd. Eadem figura à Dalechampio in Hiſt. Lugdunenſi proponitur, quæ ab Acoſta ſub nomine Herbæ mollis ſeu herbæ delicatæ vulgo, C. B. P. (Cluſius diverſam figuram ab Acoſtæ figura propoſuit, herbam mimoſam nominans, & melius) Herba viva foliis Polypodii, C. B. P. Herba viva Guilland. Acoſtæ, Lugd. Cui & Herba amoris, Herba ſentiola, id eſt ſenſifica Luſitanis, Linſcot. Part. 4. Ind. Oriental. c. 17. an Æſchionomene Apollodori Scalig. Lugd.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI.

Aliorumque Authorum.

P*Ag. 359. Herba viva foliis Polypodii, C.B.P. & p. 360. Herba mimoſa foliis Fœnogræci ſilveſtris, C.B.P. Cum hæ plantæ ſint papilionaceæ ſiliquoſæ alatæ, ſeu* πλαγιόκαυλαι, *debent inter ſuæ ſortis plantas diſponi, Legumina ſcilicet, non autem inter Polypodium & Muſcum, quorum alterutri generi neutiquam accedit; à nota eſſentiali, ſpreta diſpoſitione foliorum alatorum Polypodij, debet hæc planta ad Legumina amandari, non autem huc tanquam proles notha & ſpuria inter plantas omnino nota generica à Herba mimoſa diſcrepantes.*

---

§. 10. TRIBULUS TERRESTRIS.

Τρίβολ*ος Tribulus Latinis dicitur, quod ſiliqua plantaque muricata ſit: & ut Theophraſtus 6. Hiſt. 5. Tribulo peculiare eſt, quod tegumentum fructus aculeatum gignit.*

Genera duo ſunt Dioſcoridi l. 4. c. 15. alterum terreſtre, alterum aquis familiare: terreſtris Theophraſto genera duo: unum folia Ciceris habet, nullis ſpinis aculeatum; alterum foliis eſt ſpinoſis. At Plinio, l. 22. c. 10. Tribuli unum genus in hortis, alterum in fluminibus, & l. 21. c. 16. Tribulo uni Ciceculæ folia, alteri aculeata tribuuntur.

1. *Tribulus* terreſtris Ciceris folio, ſeminum integumento aculeato, nobis. Tribulus terreſtris Ciceris folio fructu aculeato, C. B. P. Terreſtris, Cluſ. Hiſt. Matth. Dod. & Hiſt. Lob. Tribulus terreſtris herba eſt multis viticulis gracilibus, humi ſtratis, prælongis, cubitalibus plerumque prædita, quos frequentes nodi diſtinguunt; quibus adnaſcuntur alata ſeu conjugatim poſita folia ex adverſo, numeroſa, coſtæ mediæ adhærentia, Ciceris foliorum more, quibus primo intuitu valde ſimilia ſunt, ſubacri guſtu cum quadam aſtrictione: flores ex ſingulis alis longis petiolis innixi, flavi, Potentillæ floribus forma pares, ſed minores; ſingulis floribus evaneſcentibus ſuccedunt ſingulæ fructus capſulæ ſpinis plurimis ſtipatæ, quinquepartitò diviſæ ſeu quinque diſtinctis loculamentis ſeparatæ, in quibus ſingulis latent unum, bina ſæpius, nonnunquam terna ſemina: radix interdum minimi digiti craſſitudinem æquat.

LOCUS & TEMPUS.

Tribulus *terreſtris, Dod. Hunc ad arvorum ſemitas, in quibus Melopepones Salmanticæ ſeruntur, frequentiſſime reperiebat Car. Cluſius hortulanis & vinitoribus illic valde moleſtum & exoſum, quoniam fructu ejus (qui per maturitatem facile de planta decidit) firmis aculeis prædito, pedes illorum nudi graviter offenduntur. Nos copioſe in ſabuletis ad oram maritimam ſecundo ab urbe Rupellenſi lapide illum offendimus inter Phillyream anguſtifoliam & Smilacem aſperam; cauliculos ſuos ad binos aut ternos cubitos, humi ſtratos gerentes; in ſabuloſis illis aridis & fervide calidis Julio & Auguſto florentes, & menſe Septembri & Octobri ſemina perficientes. Cluſius itidem meminit ſe olim hunc Tribulum terreſtrem frequenter creſcentem obſervaſſe in agro Monſpeſſulano, inter Oliveta, ſub ipſis fere urbis mœnibus. Hiſpani apud ipſos Abrojos vocabant. Tribulum hunc terreſtrem eſſe* τρίβολον χερσαῖον *noluit audacter aſſerere Carolus Cluſius, ſed optime quadrare aſſerit alteri ex Tribulis Theophraſti deſcripto l. 6. Hiſt. plantarum,* πρώιος *videlicet, tametſi hic non ſit valde præcox locis in quibus ſponte naſcens obſervatur. Apud Hiſpanos in arvis frequens, frugibus infeſtus Tribulus terreſtris, inter terræ morbos potius (teſte Plinio) quam inter terræ peſtes numerandus: cauliculos ad quinos pedes humi ſtratos protrudens nonnunquam invenitur.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Salmanticenſes *ejus decoctum ad Pituitam craſſoſque humores incidendos & evacuandos felici ſucceſſu clyſteribus injici prædicabant: cum tamen Galenus terream & frigidam qualitatem Tribulo terreſtri tribuat, Dioſcoridem ſequutus: fructus ejus in vino maceratus & epotus (cum ſit tenuium partium) & impoſitus commorſis à vipera opitulatur: cum vino etiam auxiliatur contra venena: decoctum ejus reſperſum pulices necat.*

NOMINA.

Tribulus *terreſtris Ciceris folio, ſeminum integumento aculeato, nobis. Tribulus terreſtris Ciceris folio, fructu aculeato, C. B. P. Tribulus terreſtris, Matth. Cord. in Dioſc. Geſn. Hort. Lacun. Tur. Dod. Ad. Lob. Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Cæſalp. Lugd. Caſt. Cam. Park. I. B. Tribulus Theophraſti Anguill.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Tribulus terreſtris cum nec florem papilionaceum, nec ſiliquam, nec ſemen Leguminum more profert, ideo male diſponitur inter Ornithopodium & Onobrychidem perfecta Legumina: ſit planta heteroclita & ſui generis, a floribus pentapetalis flavis, Pentaphylli floris inſtar, & capſulis ſpinoſis, quinquepartitis, ſeu in quinque loculamenta diſtincta diviſis, inque ſingulis ſingula aut bina, aliquando terna ſemina continentibus. Propter diſpoſitionem foliorum alatorum è regione binatim ſeu conjugatim poſitorum, & rachi ſeu nervo medio adhærentium, Leguminum multorum hic in hac Sectione contentorum more, ipſis eundem adjunximus (neſcientes quo alio referre) donec aptior ei inveniatur locus.

LEGUMINA

SIVE

Siliquoſæ Papilionaceæ ſiliquis gemellis duplicem ſeminum ſeriem continentibus donatæ.

CAPUT V.

ASTRAGALUS; TRAGACANTHA.

§. 1. ASTRAGALUS.

Ἀστράγαλος *(latine etiam Aſtragalus) Dioſcoridi l. 4. c. 57. frutex parvus eſt, & foliis & ramis Ciceri ſimilis: flores purpurei parvi: radix rotunda Raphani modo grandis, &c. Plin. l. 26. c. 8. Aſtragalus folia habet longa inciſuris multis obliquis circa radicem; caules tres aut quatuor, foliorum plenos; florem Hyacinthi; radices villoſas, implicatas, rubras, præduras.*

TABULA IX.

Aſtragalus
- *Purpureus vel cæruleus*
  - *Perennis*
    1. *Spicatus Americanus ſcandens caulibus, radice tuberoſa donatus, nobis. Apios Americana, Corn. Terræ Glandes Americanæ ſeu Virginianæ, Park.* ⊙
    2. *Spicatus Pannonicus, nobis. Onobrychis,* 1. *Cluſ. Hiſt. Tab.* ⊙
    3. *Monſpelienſis, nobis. Aſtragalus Monſpelienſium, I. B. Chabr.* ⊙
    4. *Floribus Viciæ majoribus cæruleo-purpuraſcentibus, vel foliis Tragacanthæ, nobis. Onobrychis,* 4. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
    5. *Floribus Viciæ dilute violaceis aut cæruleis, nobis. Onobrychis,* 2. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 6. *Annuus* — *Peregrinus ſiliquis utrinque ſerræ ſimilibus, nobis. Securidaca peregrina, Hedyſarum peregrinum, Cluſ. Hiſt.* ☿
- *Luteus vel luteopallidus ſive ochroleucus*
  - *Perennis*
    7. *Spicatus floribus pallidis, nigris radiis notatis, nobis. Onobrychis ſpicata floribus pallidis, nigris radiis notatis, C. B. P. Onobrychis* 3. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
    8. *Procumbens vulgaris ſeu ſilveſtris, nobis. Glycyrrhiza ſilveſtris, Lugd. Glaux vulgaris, Lob. Icon. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    9. *Siliqua gemella rotunda, veſicam referente, nobis. Cicer ſilveſtre, Matth. Lugd. Cicer ſilveſtre,* 1. *Dod.* ⊙
  - *Annuus*
    10. *Monſpeliacus procumbens, nobis. Aſtragalus Monſpelienſium, Cluſ. Hiſt.* ☿
    11. *Bæticus maritimus ſeu Apulus rectus, nobis. Aſtragalus marinus Bæticus, Park. Vicia ſeſamacea Apula Colum.* ☿
    12. *Siliquis & foliis hirſutis, floribus parvis, nobis. Fœnograeco ſilveſtri Tragi in quibuſdam accedens Planta, I. B. Chabr.* ☿

Tragacantha ſeu Poterion
1. *Maſſilienſis foliis incanis perſeverantibus ſeu non deciduis, flore albo, nobis.* ⊙
2. *Granatenſis foliis incanis caducis ſeu deciduis, flore albo, nobis. Spina Hirci minor, Ger.* ⊙
3. *Humilior floribus luteis, nobis.* ⊙
4. *Granatenſi magnitudine par, floribus ſpecioſis purpureis, nobis.* ⊙
5. *Humilior ſpecioſior denſius ramificata, nobis.* ⊙
6. *Cretenſis ſeu Idenſis nigra, tota echinata, nobis.* ⊙
7. *Tota ſpinoſa Echinum referens unde Echinus herbaceus, nobis.* ⊙

Explicatio

Explicatio Tabulæ nonæ, Sectionis ſecundæ.

POſt deductionem Leguminum ſeu ſiliquoſarum papilionacearum bivalvium non Scandentium, tam ſiliquis propendentibus quam erectis præditarum; jam ſequuntur in hac Tabula 9na hujus capitis quinti Legumina, ſeu Siliquoſæ Papilionaceæ ſiliquis gemellis & duplicem ſeminum ſeriem ſeu ordinem concludentibus donatæ. Primo notam genericam ſubalternam, & omnibus in hac Tabula 9na contentis eſſentialem (more ſolito noſtro) aſſignabimus. Omnes ſiliquoſæ papilionaceæ, in hac Tabula memoratæ, habent folia alata, binatim ſeu conjugatim coſtæ mediæ adhærentia, uno extremum coſtæ claudente, quod huic generi ſubalterno cum multis aliis in hac Sectione explicatis & explicandis eſt commune; flores omnium etiam ſunt papilionacei, ſive ſint majores, ſive minores, cujuſcunque magnitudinis aut coloris, ficut & reliquorum omnium hujus claſſis intermediorum generum. At cum hoc ſolo diſcrimine intercedente, quod poſt flores deciduos ſuccedat ſingulis ſiliqua gemella, id eſt ſingulæ ſiliquæ ſunt duabus cellulis diſtinctæ, vel duplicem ſeminum ſeriem in ſe continent: quæ ſemina, Legumina cætera hujus tribûs ſeu claſſis cùm redolent, tum maſticatione ſapiunt, duplici membrana tenui, aut membranacea tunica duplicata diſterminante duplicem illum ordinem ſeminum: atque hæc in genere de Symbolo ſeu teſſera communi Aſtragalornm, in introitu dixiſſe æquum judicavimus. Obſervamus omnes Botanicos quotquot ſunt, qui hucuſque hiſtorias generales plantarum in lucem edidere, Aſtragali vocem plurimis plantis leguminoſis adaptaſſe, quemadmodum perſpicue & clare apparet in nominibus ſuis plantis aſſignandis in ſuperiore Tabula deſcriptis, quæ neutiquam dicendi fuiſſent Aſtragali, ſed Orobi, propter rationes illic redditas. Subit animum jam ſumma admiratio dum tot doctorum hominum ſcripta de re Botanica evolvo, & profundius penetro, perpaucos finem ultimum rite conſiderantes extitiſſe, id eſt, modum florendi, capſulas & ſemina producendi, qui in plantis omnibus eſt regula infallibilis; nam quæcunque plantæ ad eundem modum florent & capſulas ſeminales & ſemina conformia producunt, procul dubio eodem debent reduci, ibidemque collocari, naturâ non variante finem ultimum; nos hac ratione ducti, & ex libro naturæ variis & reiteratis obſervationibus, non ex libris ſcriptis inſtructi, ſæpe ſæpius meditando, complurimas plantas obſervavimus in vaſto vegetabilium oceano à fine ultimo congeneres, ab authoribus diffuſe ſparſas, atque diverſis titulis & variis denominationibus à nomenclatoribus, ſuis poſteris obtrudi, quare ob conformitatem ſiliquarum omnium plantarum in hoc capite diſpoſitarum, eaſdem huc revocavimus, & in unum caput conjecimus, non obſtante varia denominatione authorum, qui ſeparandas jungunt & jungendas ſeparant plantas. Hoc cuilibet clare cernenti, & res ipſas mecum conſideranti apparebit, in ſubalterni ſeu intermedii hujus generis Leguminum enodatione ſeu enucleatione. Breviter Aſtragalus eſt planta papilionacea alata ſeu folia ſua binatim ſeu conjugatim coſtæ mediæ adhærentia producens, & unum impar extremum coſtæ claudens (hoc commune huic cum multis & quaſi omnibus hujus Sectionis ſtirpibus:) flori papilionaceo deciduo ſuccedit ſiliqua gemella, duplicem ſeriem ſeminum in ſe continens, & duplici membrana tenui ſeu tunica membranacea duplicata prædita, ſeparante duplicem prædictum ordinem ſeminum.

ASTRAGULI PERENNES.

1. A*Stragalus* perennis ſpicatus Americanus ſcandens caulibus radice tuberoſa donatus, nobis. Apios Americana, Corn. Terræ glandes Americanæ ſive Virginianæ, Park. Hæc elegans Aſtragali ſpecies ex America ad nos delata, radicem habet diviſam in multas alias ſubrotundas & oblongas, in medio toroſas (Olivarum magnitudine) radiculas, & mediis fibris inter ſe cohærentes ad modum Terræ glandium noſtratium, à quibus veris initio ſurculos ſeu ſarmenta multa vitilia, non valida, Convolvuli modo pullulantia edit, quibus proximis quibuſcunque adminiculis appoſitis ſeſe circumvolvit, & illaqueat pedamentis aut perticis, quarum proceritatem ſummam (ſi ſit planta adulta) creſcendo aſſequitur: folia hinc inde naſcuntur è regione diſpoſita, nunc ſeptem, nunc novem, uno ad extremum coſtæ numerum imparem faciente; ſingula ſunt Aſclepiadum foliorum figurâ æmula, & breviore aut nullo quaſi petiolo fulciuntur: flores fert papilionaceos, coloris obſcure carnei, vel potius obſoleti ſeu fuliginei in ſpicam digeſtos, quibus ſuccedit ſpica brevis, conflata ex pluribus

bus ſiliquis gemellis in unum centrum caulis ſcilicet faſtigium coeuntibus,ſurſum ſpectantibus, atque unicuique ſiliquæ duplex eſt ſeries ſeminum, ſepto medio ex duplici membranula tenui compoſito, prædictam ſeriem ſeminum ſeparante: folia ineunte Autumno, Octobri aliquando menſe decidunt, cauliculique tabeſcunt, & poſtea tubercula Olivaria radices conſtituentia ſub terram adoleſcunt, & hyeme tota interquieſcunt & ſequente vere regerminant. Siliquas ex Virginia, aliquot abhinc annis ad nos delatas & ſpicæ in modum diſpoſitas pingendas & ſculpendas curavimus, quarum ſpicam integram & ſiliquam ſingularem apertam damus, in qua duplex ſeries ſeminum evidenter apparet. Hæc viſenda lectori offerimus in Tab. nona: ſiliquas cæterorum Aſtragalorum, pari ratione ducti exhibuimus, ad confirmandam doctrinam noſtram novam, ex libro naturæ depromptam, ut judicent æqui lectores Botanici, nos nomina diverſa authorum datâ operâ, & ex maturâ deliberatione mutaſſe, atque omnibus & ſingulis hiſce eâdem notâ generica affectis, idem ubique nomen genericum adaptaſſe, edoctos ex libro naturæ, (uti paſſim à nobis factitatum in claſſibus ſeu tribubus plantarum diſponendis,) non ex authorum confuſiſſimorum lectione. Vide Tab. æneam 9. Sect. 2.

2. *Aſtragalus* purpureus perennis ſpicatus Pannonicus, nobis. Onobrychis 1. Cluſ. Hiſt. Tab. Hæc Aſtragali ſecunda ſpecies cubitales plerumque edit caules multos, (ſi vetuſta ſit ipſa planta) rotundos, duros, humi procumbentes, in quibus frequentia ſunt folia Lenti ſimilia, anguſta, hirſuta, ſeu lanugine quadam obducta, dena, duodena, aliquando plura uni coſtæ ex adverſo hærentia, uno impari extremam coſtam occupante, guſtu amaro & ingrato: ex alarum cavis oriuntur ramuli ſimilibus foliis ſepti, ex iiſdem cavis alis dodrantales exeunt pediculi ſtriati, multos ferentes flores Trifolii florum æmulos, oblongiuſculos, eleganti purpurâ nitentes, inodoros, confertim, & veluti ſpicam trium interdum unciarum longitudinem æquantem efficientes, nonnunquam etiam longiorem, præſertim quando in ſemina abeunt iidem flores, quæ bifidis brevibus turgidiuſculis vaſculis ſeu folliculis continentur, duplice ordine conflatis, quibus inſunt ſemina exilia, dura, nigra; ſapore eodem ingrato forte cum aliis Leguminum ſeminibus: radix illi magna, longa, dura, in obliquas nonnullas fibras ſeſe ſpargens utplurimum, ad pediculorum ex cavis alis exortum. Planta eſt vivax ac perennis, de novo recentes fibras agens. Vide Tab. 9. Sect. 2.

3. *Aſtragalus* purpureus perennis Monſpelienſis, nobis. Aſtragalus Monſpeſſulanus, I. B. Hæc Aſtragali perennis ſpecies radice eſt lignoſa, dura, craſſitudine digitali & craſſiore, longitudine cubitali, dulci, intus alba; cujus cortex craſſus, ſubfuſcus, antequam è terra erumpit; radix dividitur in aliquot portiones ſive capita tres quatuorve digitos longa, ut niſi quis profunde fodiat multas eſſe plantas ſeparatas exiſtimet, ex quibus ſingulis prodeunt cauliculi ſimplices, concavi, rubentes, foliolis veſtiti brevibus, in mucronem acutum definentibus, piloſis, areſcentibus, crebris, ſic ut ad coſtam imam adnexa foliola viginti, & unum impar extremnm coſtæ claudens adnumerare quiſquam poterit;in virgularum extremitate flores multi, non multum floribus Polygalæ Geſneri diſſimiles, purpurei vel cærulei, interdum ſed raro albi, non in ſpicam digeſti, ſed conglomerati in ſummum apicem caulis, Trifolii florum æmuli, ſed majores, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ binas uncias longæ, incurvæ, rubentes & teretes, continentes ſemina minuta reniformia in duplici ſiliqua, duplici ordine diſpoſita: ut aperte apparent in ſiliquis ſculptis. Vide 9. Tab. Sect. 2.

4. *Aſtragalus* perennis floribus Viciæ majoribus cæruleopurpuraſcentibus vel foliis Tragacanthæ cæruleopurpuraſcentibus, nobis. Onobrychis foliis Viciæ majoribus vel foliis Tragacanthæ, C. B. P. Onobrychis, 4. Cluſ. Hiſt. Quartus hic Aſtragalus multa folia promit ab eâdem radice, Lenticulæ aut Tragacanthæ foliis proxima, uni ſimiliter coſtæ adhærentia, molliora tamen, & lanugine candicante pubeſcentia; lento primum guſtu, deinde amaritudinem relinquente, poſtremo linguam vellicante: naſcuntur inter foliorum & caulium alas cauliculi fere dodrantales, ſupini, exiles, quadam etiam lanugine obducti, aliquot floſculis onuſti Viciæ ſilveſtris aut Lenticulæ florum magnitudine, colore ex cæruleo purpuraſcente: quos excipiunt ſiliquæ puſillæ geminis cellulis conſtantes, in quibus ſingulis latet ſeminum ordo ſingularis (quod cum adhuc immaturum eſſet, probe non potuit obſervare Carolus Cluſius) ſicut in omnibus hujus Capitis Aſtragali ſpeciebus: radix craſſiuſcula, quæ multas ex ſe obliquas fibras agit; & propagines & ramulos dodrantales humi fuſos, in latera hinc inde emittit. Aſtragalus Monſpeliano candidior, Onobrychis quorundam Chabræi, videtur mihi eadem planta cum hoc Aſtragalo quarto. Vide App. ad Legumina.

5. *Aſtragalus* floribus Viciæ dilute violaceis aut cæruleis, nobis. Onobrychis floribus Viciæ dilute cæruleis, C. B. P. Onobrychis ſecunda Cluſ. Hiſt. Aſtragalus hic multos ex eâdem radice

dice promit cauliculos vimineos, pedales, nonnunquam longiores, humi fuſos, crebris nodis diſtinctos; & ex his coſtæ exeunt, alata folia duodecim, ſedecim, aut octodecim, aut plura ferentes, extremo ſemper numerum imparem faciente: prodeunt deinde ex alis tenues pediculi ſeu virgulæ, floſculos in ſpicam confertos gerentes, Piſi aut Viciæ florum formâ, ſed longe minores, colore dilute cæruleo, vel ex cæruleo purpuraſcente: hiſce ſuccedunt exiles ſiliquæ duplicatæ, aliorum more, continentes puſillum ſemen, renis formâ, nigrum: radix minimi digiti craſſitudinem fere æquat, dura, lignoſa, contorta, oblique ſe ſpargens, & alte ſub terram ſe condens, rariſque fibris donata, quæ ſumma parte in aliquot capita extuberat, è quibus ſingulis annis novos cauliculos fundit. Vide App. ad Legumina.

6. *Aſtragalus* purpureus annuus peregrinus, ſiliquis utrinque ſerræ ſimilibus, nobis. Securidaca peregrina, Hedyſarum peregrinum, Cluſ. Hiſt. Radix longiuſcula cum aliquot fibris cauliculos protrudit anguloſos, inque ramulos ſubdiviſos; ex ſingulis geniculis coſtæ oriuntur, ex quibus ſingulis proveniunt foliola multa, binatim & conjugatim ex oppoſito ſita, Viciæ cæterorumque Aſtragalorum modo, ſed nonnihil cordata; ultra 20 aliquando ſupputantur, quæ deſinunt in unicum foliolum extremum coſtæ claudens, atque hoc eſt commune omnibus hujus claſſis, utplurimum capreolis carentibus: ex ſuperioribus cauliculorum alis oriuntur pediculi longi, in quorum ſummis extremitatibus apparent floſculi hiantes, papilionacei, rubelli, pares Viciæ floribus, quæ Cracca dicitur minor: floribus pluribus ſic diſpoſitis, plures ſimul junctæ ſuccedunt ſiliquæ paululum recurvæ, ex uno communi pediculo dependentes, utrinque dentatæ ſerræ in modum, earundemque in medio, nervo lineave currente ſeparatæ ſuprà, infra tantum leviter notatæ, atque in harum ſingulis loculamentis hinc inde diſtributis, ſi in convexa parte aperiantur, ſemina gemino verſu apparent exigua, compreſſa, convexa tamen, Lentis colore, cujus ſeminibus ſunt multa minora, leviterque ſinuata. Vide Tab. 9^{næ} æneæ plantam 8^{am}.

7. *Aſtragalus* perennis ſpicatus floribus pallidis, nigris radiis notatis, nobis. Onobrychis ſpicata floribus pallidis, nigris radiis notatis, C. B. P. Onobrychis 3. Cluſ. Hiſt. Tab. Aſtragalus hic ſeptimus ſeſquicubitalibus aſſurgit ramis, rectis, firmis, duris, viridibus, in quibus folia Viciæ inſtar ſilveſtris ſunt, longa, anguſta, duodena aut quindena, totidem ex adverſo eidem coſtæ adhærentia, unum etiam impar extremæ coſtæ inſidet, omnia lanugine ſunt obducta; guſtu ingrato & amaro, nonnihil acri: ramuli extremis caulibus ex alarum ſinu prodeuntibus inſiſtunt palmares, & aliquando dodrantales, ſtriati, qui in ſpicas floſculorum, Trifolii flores æmulantium, oblongiuſculorum & pallidorum deſinebant, quibus impreſſi ſunt quidam radii nigricantes: hiſce ſuccedebant ſiliquæ mucronatæ, duabus cellulis conſtantes, in quibus latet ſemen Fœnogræco pene ſimile, ſed minus & nigrum: radix ei craſſa, dura, lignoſa, longa, aliquot fibris donata, candicans & perennis. Vide App. ad Legumina.

8. *Aſtragalus* luteus perennis procumbens vulgaris ſeu ſilveſtris, nobis. Glycyrrhiza ſilveſtris, Lugd. Glycyrrhiza ſilveſtris floribus luteopalleſcentibus, C. B. P. Glaux vulgaris, Lob. Cluſ. Hiſt. Craſſa radice nititur hæc Aſtragali nobis ſic nuncupati ſpecies, propter rationes à nobis ſupra allatas, non obſtante diverſorum authorum parùm aut nihil rationi innitentium diverſâ denominatione, & ipſorum nominandi formulis ſpretis, ſic appellavimus. Eſt enim hæc Aſtragali ſpecies planta leguminoſa, ramos vimineos per terram ſpargens, tres aut quatuor cubitos longos, atque in fertili ſolo interdum longiores, teretes, glabros, fractu contumaces: folia inſtar Glycyrrhizæ diſponuntur conjugationibus quatuor, quinque aut ſex, uno impari extremum claudente (quod tamen non eſt perpetuò) ſunt ea vero, ſi ſeorſim ſingula contempleris, Piſi ſilveſtris foliis ſimilia, ſuperne ex viridi glabra, inferne ex viridi flaveſcentia ac hirſuta, ſaporem eundem habet quem radicibus reliquorum Leguminum ineſſe obſervamus, non autem dulcem ut ſunt Glycyrrhizæ ſativæ, ſeu vulgaris Germanicæ radices: ex foliorum porro alis pediculus circiter palmaris & aliquando pedalis enaſcitur, qui leguminaceos crebros flores ex flavo palleſcentes, aut potius cum Cluſio loquendo ochroleucos ſuſtinet: ſiliquæ non minus floribus frequentes, incurvæ, craſſæ, geminæ, & duplici ſerie ſeminum in dorſo ſulcato præditæ ſunt; ſi pars prona duplici membranula, hinc unâ, illinc alterâ conflata aperiatur, illico apparet duplex ille ordo ſeu ſeries ſeminum, quæ diſterminantur beneficio duplicis membranæ tenuis, plicatæ, conſtituentis dorſum ſeu partem ſupinam ſulcatam, & claudentis ſemina, utplurimum reniformia, in hujus ſiliqua (ſicut & in cæterorum hujus claſſis ſiliquis;) Fœnugræci minora & lucida, in quorum ſingulis ſinus ſeu deliquium apparet ſicut inſculpitur æri, & ut cernere eſt in planta 4^{a} Tabulæ 9^{næ}.

9. *Aſtragalus* luteus perennis ſiliqua gemella rotunda, veſicam referente, nobis. Cicer ſilveſtre, Matth. Lugd. Silveſtre 1. Dod. Aſtragali hæc quinta ſpecies cauliculos complures promit ramoſos, humi decumbentes: circa quos folia ſena, octona, hinc inde coſtam mediam amplectuntur, uno impari extremum claudente (hoc inquam omnibus quaſi hujus Sectionis Leguminibus capreolis diſtitutis ſeu πλαγιακάυλαις ut Theophraſti voce utar eſt commune) ſed ambitu folia hujus non ſunt crenata, hirſuta tamen: flores in pediculis juxta alas è luteo pallеſcentes conglobatim prodeunt, atque ſingulis deciduis ſuccedunt ſiliquæ rotundæ, nonnihil hirſutæ, maturæ nigræ, veſicam parvulam flatu quaſi diſtentam æmulantes, duplici tenui membrana duplicem ſeriem ſeminum etiam ut in reliquis dirimente; in unaquaque ſerie ſeu loculamento laterali hinc inde continentur bina, terna, aliquando plura ſemina exigua, plana, ſplendentia, etiam reniformia; guſtu Phaſeoli, Piſi cæterorumque Leguminum: radix ſatis altè demittitur & ſerpendo ſeſe propagat fibriſque aliquot firmatur. Vide Tab. 9[næ] plantam 5[tam.]

ASTRAGALI ANNUI.

10. *Aſtragalus* luteus annuus Monſpeliacus procumbens, nobis. Aſtragalus Monſpelienſium, Cluſ. Hiſt. Hæc ſexta ſecundum Tabulam noſtram æneam Aſtragali ſpecies radice nititur candidâ, fibroſâ, ex qua emergunt caules ſtriati, cubitales aliquando in pingui ſolo, at in macro vix palmares, imo vix duas uncias longi: folia pinnata ſeu alata, aliorum hujus claſſis Leguminum more, Securidacæ majoris minora, ad extremam oram fiſſa, humi ſtrata: flores ſpicatim pediculi faſtigio ordine inſidunt ex luteo pallidi ſeu ochroleuci, loquendo cum Carolo Cluſio; quibus ſuccedunt ſiliquæ rotundæ valde incurvæ, imo parum abeſt, quin uterque ſiliquæ terminus ſeu finis, id eſt, pars inferior ex capſula orta, & pars ſuperior ſiliquam terminans coitu ſeu coalitu circulum efficiat; in ſingulis ſiliquis toroſioribus & quaſi rotundis & magis incurvis (uti dictum) eſt geminus ſeminum craſſorum, quadrangulorum, ruffōrum verſus, cum ſinu ſeu deliquio in eorum medio, gemina membranula tenui diſſeptus.

11. *Aſtragalus* luteus annuus Bœticus maritimus rectus, nobis. Aſtragalus marinus Bœticus, Park. Vicia ſeſamacea Apula, Colum. Hujus Aſtragali radix tenuis eſt, puſilla, flaveſcens, ex qua protruduntur caules rotundi, pedales & longiores in hortis, in macro ſolo vix palmares & ſeſquipalmares: foliis pinnatis ſeu alatis & conjugatim poſitis, piloſis, coſtæ mediæ alternatim è geniculis ortæ adhærentibus donantur; inter alas ex ſinubus caulium & coſtæ mediæ foliorum oriuntur pediculi breves admodum & vix conſpicui, in quorum faſtigio in capitulum congeſti apparent plurimi flores papilionacei, parvi, ex pallido albicantes ſeu ochroleuci, atque ſtatim illis fatiſcentibus ſuccedunt totidem ſiliquæ, quinæ, ſenæ, nunc plures, nunc pauciores, pro numero florum, gibboſæ, toroſæ, oblongæ, virides piloſæ, ſiccæ albeſcentes, erectæ, curvo tamen cacumine ſilveſtris Nigellæ ſiliquis ſimiles; fiſſuram aliorum Aſtragalorum in hoc capite contentorum more patiuntur, ſed majorem & profundiorem in dorſo, & in prona parte (ſi aperiatur ſiliqua) interſepiente duplici membrana tenui conſpicitur duplex ſeries ſeminum, quorum ſingula oſſa ſeſamacea optime exprimunt, ut videre eſt in planta 7[ma] Tab. 9[næ] ſuntque colore fulvo, & ſapore leguminoſo ſi maſticentur, cæteriſque hujus claſſis conformia, ſed majora, & ſiliquis reliquorum compoſitione reſpondentia. Vide Tab. 9[næ] pl. 7[mam]. Notandum eſt inſuper ſiliquas quinas, ſenas ſimul junctas, in Icone hac & Fabii Columnæ, brevibus aut nullis pediculis ſaltem conſpicuis inniti, & idcirco facile induceremur concludere hujus Aſtraguli duas eſſe ſpecies, quarum prior erit hæc jam delineata, altera nobis apparuit ſpecies in horto publico Oxonienſi, cujus pediculi ex alis inter caules & folia exeuntes fuerunt biunciales & triunciales, ſuſtinentes plurimos floſculos ochroleucos ſimul in pediculi faſtigium congeſtos; quibus marceſcentibus ſuccedebant totidem ſiliquæ gemellæ, craſſæ, glabræ, albæ exſiccatæ, & continentes in ſe ſemina triplo, imo quadruplo prioris Vicia Sæſamacea Columnæ dictæ ſeminibus majora; unde primo à longitudine pediculorum ſuſtinentium in ſumma parte plurimas ſiliquas, gemellas, glabras, craſſiores multo cæterorum ſuæ familias Aſtragalorum ſiliquis, & ſemine omnium etiam maximo onuſtas; concluderemus lubenter hanc noſtram ſpeciem diſtinctam ab Aſtragalo, Vicia ſeſamacea dicto Columnæ; hic quippe curtis florum, & conſequenter ſiliquarum pedunculis, imo vix conſpicuis donatur; deinde ab hirſutie cum foliorum, tum caulium & ſiliquarum, juncta ſimul parvitate partium ſiliquarum & ſeminum, (cum ſiliquæ majoris nobis obſervati fuerint glabræ multoque craſſiores, & quadruplo majora in ſe ſemina concluſerint,) nobis & procul dubio, aliis utramque

que hanc Aſtragali ſpeciem examinaturis anſam præbebit dubitandi.

12. *Aſtragalus* ſiliquis & foliis hirſutis floribus parvis, nobis. Fœnogræco ſilveſtri Tragi in quibuſdam accedens planta, I. B. Hic Aſtragalus palmari eſt altitudine, caulibus donatus teretibus, hirſutis, ſtriatis, craſſiuſculis: folia Tribuli terreſtris minoris Dalechampii paria, perquam hirſuta, conjugatim coſtæ duarum unciarum ex caulium geniculis ortæ adhærent: indidemque flores copioſi dimidiatum verticillum efficientes, parvi, palliduli, quorum unicuique ſuccedit ſiliqua hirſuta in acumen deſinens, in duas partes fiſſu facilis, quarum unaquæque ſuis undique membranis conveſtita ſeriem unicam continet ſeminum Fœnogræci minoris ſativi multo minorum: radix eſt duum unciarum, in ſterili ſolo ſimplex, gracilis. Hæc plantula in multis accedit (quoad folia) ſtellæ leguminoſæ, de qua ſuperius, ſub finem explicationis Tab. 6^{tæ} hujus Sectionis 2^{dæ} egimus. Vide Tab. 9^{næ} pl. 9^{nam.}

LOCUS & TEMPUS.

1. Aſtragalus *perennis ſpicatus Americanus ſcandens caulibus, radice tuberoſa donatus, nobis. Apios Americana, Corn. Hic ex Americæ locis, Virginia & Canada, ſemine delatus primò, & in Horto Regio Pariſienſi Botanico ſatus, floruit; & cultus à multis annis ſeſe rependo propagavit. Florentem menſe Julio in Horto Blæſenſi, & Pariſienſi poſtea itidem obſervavimus; ſiliquas autem ad maturitatem non perduxit, floribus decidentibus antequam ſiliquæ efformari inceperint. Temperamentum & Vires nos latent, niſi quod ſapor tuberum ſit dulcis, ut ait Jacobus Cornutus.*

2. Aſtragalus *purpureus perennis ſpicatus Pannonicus, nobis. Onobrychis* 1. *Cluſ. Hiſt. Onobrychis ſpicata flore purpureo, C. B. P. Aſtragalum hunc frequentem inveniebat Carolus Cluſius ad Danubii ripas & Poſonium apud Petronellam oppidum ad viarum margines, & frequentiſſime toto illo itinere ad Badenſes Thermas, multiſque aliis circa Viennam Auſtriæ locis, tam citra, quam ultra Dravum. Floret Julio & Auguſto, & brevi poſt ſemen ſuum perficit.*

3. Aſtragalus *purpureus perennis Monſpelienſis, nobis. Monſpeſſulanus, I. B. Provenit hic Aſtragalus ſecus viam in itinere Narbonam verſus prope* Gigant, *uno ab oppido Monſpelio miliari, quo loco cum floribus purpureis atque etiam albis obſervavit Johannes Bauhinus menſe Aprili: nos in via communi, quâ itur Pictavium quarto ab urbe lapide florentem menſe Maio reperimus; ſemina menſe Auguſto inter redeundum Pictavio Blæſas collegimus, in loco ſupradicto.*

4. Aſtragalus *floribus Viciæ majoribus cæruleopurpuraſcentibus vel foliis Tragacanthæ, nobis. Onobrychis floribus Viciæ majoribus cæruleopurpuraſcentibus vel folio Tragacanthæ, C. B. P. Onobrychis* 4. *Cluſ. Hiſt. Creſcit hic Aſtragalus quartus in ſummo Sneberg Jugo, atque in Etſcheri ſummis ſcopulis, in quibus duobus locis florentem, jam & ſiliquas formantem eruebat Cluſius Julio; ſiliquas autem perficiebat Septembri. Propter conformitatem in ſiliquis gemellis, omnes has duodecim ante delineatas & ſcriptas plantas ad Aſtragalorum claſſem reduximus, atque in hoc Caput.V. coegimus, & Icones tam in Tabula nona quam ad calcem Leguminum in App. Tab.* 20. *aliorumque adſculpendas curavimus, non obſtante authoritate diverſorum authorum diverſa eiſdem nomina ſub diverſis generibus imponentium. Quum à natura eâdem notâ genericâ afficiantur omnes, eôdem à nobis reducentur, ſcil. ad Aſtragalos, ſpretis & neglectis diverſis nominandi formulis authorum, qui (proh dolor) tanta multitudine nominum diverſorum, hominum memoriam obruunt: quin & partim ineptis & male adaptatis nominibus, partim methodo diverſâ & diverſimode confuſâ, involvunt omnia potius & obſcura reddunt, quam explicant aut illuſtrant.*

5. Aſtragalus *perennis floribus Viciæ dilute cæruleis, nobis. Onobrychis floribus Viciæ dilute cæruleis, C. B. P. Onobrychis* 2. *Cluſ. Hiſt. Rara eſt admodum hæc planta, quam reperit in publicâ via ſecundum orbitas Scewekel & Gotzeſtorf infra Viennam Auſtriacam, non procul Zuaim Moraviæ oppido, dum Pragam & deinde per Angliam proficiſceretur Cluſius. Floret Junio & Julio; & Auguſto finiente ſemen proferebat ſuum.*

6. Aſtragalus *purpureus annuus peregrinus, ſiliquis utrinque ſerræ ſimilibus, nobis. Securidaca peregrina, Hedyſarum peregrinum, Cluſ. Hiſt. Semina hujus Honorius Bellus miſit ad Jacobum Cortuſum, atque ipſam plantam obſervabat naſcentem in ſcopulis apud Sebenicum Illyriæ urbem. Semine ſæpe ſato provenit apud nos: æſtate floret, & ſemen ſuum eâdem exeunte, aut ineunte Autumno perficit.*

7. Aſtragalus *perennis floribus pallidis, nigris maculis notatis, nobis. Onobrychis ſpicatâ floribus pallidis, nigris radiis notatis, C. B. P. Hic Aſtragalus Cluſio conſpectus fuit ad Hamburgum*

urbem duobus ſupra Poſonium (vulgo Preſburg.) milliaribus & ad oppidum Fichmuntz ad Fiſcham flumen ſitum, paulo ſupra quam in Danubium ſe exonerat, publica in via unde ſingulares plantas, ſingulis illis locis duntaxat eruebat Cluſius florentes menſe Maio anni 1574; *atque biennio poſt Auguſto menſe ſemen ſed ægre admodum protulerunt, nimium propere videlicet caducis (magna ex parte) floribus antequam in ſiliquas formari poſſent, uti conjiciebat idem Carolus Cluſius, planta luxuriante præ nimiâ ſoli pinguedine & humiditate.*

8. Aſtragalus *luteus perennis procumbens vulgaris ſeu ſilveſtris, nobis. Glycyrrhiza ſilveſtris, Lugd. Glycyrrhiza ſilveſtris floribus luteopalleſcentibus, C. B. P. Reperitur & hic in Anglia & utrâque Germania, & Gallia, paſſim in locis ſilvoſis opacis & incultis. Floret Junio; & ſemen matureſcit Auguſto. Baſiliæ vidit Joh. Bauhinus extra portam lapideam inter ſpinas. Vulgariter inveniebatur à Cluſio in ſilvis, pratorum marginibus, in pratis umbroſis, atque etiam apertis.*

9. Aſtragalus *luteus annuus ſiliqua gemella rotunda veſicam referente, nobis. Cicer ſilveſtre, Matth. Lugd. Cicer ſilveſtre* 1. *Dod. Hic Aſtragalus* 9. *in herboſis & incultis prodit tractibus, non modo in Italia, Gallia, ſed & apud Bohemos: floret exeunte vere, & æſtivis menſibus ſemen ſuum perficit.*

10. Aſtragalus *luteus annuus Monſpeliacus procumbens, nobis. Aſtragalus Monſpelienſium, Cluſ. Hiſt. In Hiſpaniæ pleriſque locis & agris Monſpelienſibus ſponte provenit.*

11. *Aſtragalus luteus annuus Bæticus maritimus rectus, nobis. Vicia ſeſamacea Apula, Colum. Hic Aſtragalus viſus Cirinolæ, in Reguli vinea Acquamena dicta & ſterilibus agris Apuliæ, ut teſtatur Fabius Columna. Floret ineunte æſtate; & mediâ ſemen ſuum perficit.*

12. Aſtragalus *luteus annuus ſiliquis & foliis hirſutis floribus parvis, nobis. Fænogræco ſilveſtri Tragi in quibuſdam accedens planta, I. B. Hic puſillus Aſtragalus repertus circa Monſpelium, ad Epiſcopi Monſpelienſis caſtellum, lapide circiter primo ab urbe diſtans, in loco arido. Vix unam aut alteram plantulam obſervavit atque collegit Johannes Henricus Cherlerus Joh. Bauhini gener. Floret eâdem cum prædictis tempeſtate, atque exeunte æſtate ſemina matura colliguntur.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Facultatum *aut virium nulla fit mentio apud Authores, nec quicquam de viribus Aſtragalorum à ruſticis aut aliis quibuſlibet illic degentibus ubi variæ hæ Aſtragali ſpecies collectæ fuere intelligere potuit Cluſius, aliive aut hores qui eaſdem deſcripſere; & ideo pecori paſcendo aptos & idoneos hos omnes Aſtragalos ſolummodo concludimus, donec diligentiori trutina examinentur.*

NOMINA.

1. Aſtragalus *purpureus perennis ſpicatus Americanus ſcandens caulibus, radice tuberoſa donatus, nobis. Apios Americana, Corn. Terræ glandes Americanæ ſeu Virginianæ, Park.*

2. Aſtragalus *purpureus perennis ſpicatus Pannonicus, nobis. Onobrychis ſpicata flore purpureo, C. B. P. Ger. Park. I. B. Onobrychis,* 1. *Cluſ. Hiſt. Tab.*

3. Aſtragalus *purpureus perennis Monſpelienſis, nobis. Aſtragalus Monſpeſſulanus, I. B. & Chabræi in Sciagraphia & Icon.*

4. Aſtragalus *purpureus perennis floribus Viciæ majoribus cæruleo-purpuraſcentibus vel foliis Tragacanthæ, nobis. Onobrychis floribus Viciæ majoribus cæruleo-purpuraſcentibus vel folio Tragacanthæ, C. B. P. Onobrychis* 4. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Ger. Park.*

5. Aſtragalus *perennis floribus Viciæ dilute cæruleis, nobis. Onobrychis floribus Viciæ dilute cæruleis, C. B. P. Onobrychis* 2. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Ger. Aſtragalus quidam montanus vel Onobrychis aliis, I. B. Flores ſunt dilute cærulei vel ex cæruleo purpuraſcentes.*

6. Aſtragalus *purpureus annuus peregrinus ſiliquis utrinque ſerræ ſimilibus, nobis. Securidaca peregrina, Hedyſarum peregrinum, Cluſ. Hiſt. Securidaca peregrina Cluſii, Park. Securidaca ſiliquis planis utrinque dentatis, C. B. P. Securidaca ſiliquis planis dentatis, Ger. Scolopendria Leguminoſa, Cortuſi. Lunaria radiata Robini, I. B.*

7. Aſtragalus *perennis ſpicatus floribus pallidis, nigris radiis notatis, nobis. Onobrychis ſpicata floribus pallidis, nigris radiis notatis, C. B. P. Onobrychis* 3. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Ger.*

8. Aſtragalus *luteus perennis procumbens vulgaris ſeu ſilveſtris, nobis. Glycyrrhiza ſilveſtris floribus luteopalleſcentibus, C. B. P. Glycyrrhiza ſilveſtris, Lugd. Hiſt. Cam. Glaux vulgaris, Ad. Lob. Cluſ. Hiſt. Fænum græcum ſilveſtre, ſeu Glycyrrhiza ſilveſtris quibuſdam, I. B. Fænum græcum ſilveſtre* 1. *Dod. Polygalon, Cord. in Dioſc. & Hiſt. Thal. Hedyſarum Glycyrrhizatum, Ger.*

9. Aſtragalus *luteus perennis ſiliqua gemella rotunda veſicam referente, nobis. Cicer ſilveſtre, Matth. Lugd. Cam. Ger. Park. Silveſtre herbariorum, Ad. Lob. Cicer ſilveſtre 1. Dod. Lugd. Tab. Silveſtre foliis oblongis hiſpidis majus, C. B. P. Cicer ſilveſtre multifolium, I. B.*

10. Aſtragalus *luteus annuus Monſpelienſis procumbens, nobis. Aſtragalus Monſpelienſium, Cluſ. Hiſt. Hedyſarum minus, Park. Hedyſarum alterum, Dod. Lugd. Minus, Lugd. Securidaca minor lutea, Ger. Securidaca altera ſeu minor, I. B. Securidaca lutea minor corniculis reflexis, C. B. P. Securidaca minor, Matth. Ad. Lob. Cam.*

11. Aſtragalus *luteus annuus Bæticus maritimus rectus, nobis. Aſtragalus marinus Bæticus, Park. Vicia ſeſamacea Apula, Colum. Datur & alia hujus ſpecies floribus longis & conſequenter ſiliquis longis, palmaribus & ſeſquipalmaribus pediculis innitentibus in horto Botanico publico Univerſitatis, quæ mihi apparet perfectè diſtincta ſpecies à prædicto Aſtragalo, cujus & flores & ſiliquæ (ut apparent ex Iconibus Columnæ, & Parkinſoni) nullis penitus nituntur pediculis conſpicuis, ſed immediate arcte alis caulium & foliorum capſulis ſuis quaſi anectuntur, noſtra autem ſpecies ſiliquas gemellas Columnæ magnitudine longe ſuperat, nec eaſdem piloſas habet, cujus ſiliquæ magis accedunt ſiliquis Aſtragali marini Bætici Parkinſoni quoad glabritiem & craſſitudinem, differunt autem ab iis palmaribus pediculis ſuſtinentibus flores antecedenter & conſequenter plures ſiliquas. Cura eſto poſteris examinare quæ jam dico, qui ex autopſia Bætici & Apuli Aſtragali percipient eſſentialem differentiam niſi me animus longe fallat.*

12. Aſtragalus *luteus annuus ſiliquis & foliis hirſutis, floribus parvis, nobis. Fænogræco ſilveſtri Tragi in quibuſdam accedens planta, I. B.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

1. *ASTragalus purpureus perennis ſpicatus Americanus ſcandens caulibus, radice tuberoſa donatus, nobis. Apios Americana, Cornut. Terræ glandes Americanæ ſeu Virginianæ, Park. Varii variis modis authores plantis ſuis primo deſcriptis nomina impoſuere, ſine ulla conſideratione finis ultimi, id eſt, florum, capſularum ſeminalium, & ipſorum ſeminum, quibus perpetuantur ſtirpes cujuſcunque generis, aut ſpeciei, ſic à primo errante authore, cæteri omnes ejus ſequaces authores errare ſolent. Jacobus Cornutus qui de plantis Canadenſibus libellum ſcripſit & obſervando tuberoſas primi hujus Aſtragali radices conformes cum Terræ glandibus ſeu Apio leguminoſa vulgari noſtrate ſic nuncupavit ut videre eſt inter nomina. Conſimile ei Parkinſonus itidem cum prædicto Jacobo Cornuto indidit nomen, uterque vero erravit. Si primus ſiliquas gemellas duplicem ſeminum ſeriem in ſe continentes obſervaſſet, aut notam genericam Aſtragali cognoviſset, non hoc nomen huic plantæ leguminoſæ indidiſſet, nec alter eundem errorem ſeu lapſum commiſiſſet. Data & poſita nota generica uniuſcujuſque generis, tam longe patentis, quam intermedii ex libro naturæ obſervata, facillimum impoſterum erit cuivis Botanico mediocriter in re Herbaria verſato, plantas methodice diſponere, eaſque ad claſſes ſuas, quarum gerunt teſſeram aut notam genericam reducere; hac ratione nos edocti à primo intuitu hujus ſiliquæ gemellæ, duabus cellulis ſemina in ſe continentis, eundem cum cæteris, in hoc capite ipſi congeneribus Aſtragalis diſpoſuimus, nulla habita ratione denominationis prædictorum duorum authorum. Idem paſſim in hac noſtra doctrina præſtabimus, obſervando quantum penes non eſt ductum naturæ, & regulam ab ipſa præſcriptam non variante finem ultimum.*

2. *Aſtragalus purpureus perennis ſpicatus Pannonicus, nobis. Onobrychis ſpicata flore purpureo, C. B. P. Pag. 350. col. 2. pl. VIII. Ger. Park. I. B. Onobrychis 1. Cluſ. Hiſt. Tab. Hæc planta eſt ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum in ſe continente donata, ergo jure eſt Aſtragalus, nec Onobrychis dici meretur primo à Carolo Cluſio, nec à cæteris authoribus ipſum ſequentibus, propter rationes in cap. de Onobrychide aſſignandas.*

4. *Aſtragalus perennis floribus Viciæ majoribus cæruleopurpuraſcentibus vel Tragacanthæ foliis, nobis. Onobrychis 4. Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Onobrychis floribus Viciæ majoribus cæruleopurpuraſcentibas, vel folio Tragacanthæ, C. B. P. Pag. 151. col. 1. pl. XI. Eſt Aſtragalus à ſiliqua gemella duplicem ſeminum ſeriem continente, ergo male primo à Carolo Cluſio, deinde à cæteris authoribus ipſum ſequentibus, Onobrychis appellatur.*

5. *Aſtragalus perennis floribus Viciæ dilute cæruleis, nobis. Onobrychis 2. Cluſ. Hiſt. Tab. Ger. Onobrychis floribus Viciæ dilute cæruleis, C. B. P. Pag. 351. col. 1. pl. X. Eſt Aſtragalus à ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum continente, ergo male primo à Carolo Cluſio, deinde à cæteris authoribus ipſum ſequentibus, Onobrychis appellatur.*

6. *Aſtragalus purpureus annuus peregrinus ſiliquis utrinque ſerræ ſimilibus, nobis. Securidaca peregrina & Hedyſarum peregrinum, Cluſ. Hiſt. Eſt Aſtragalus à ſiliqua gemella utrinque ſerræ ſimili, duplicem ſeriem ſeminum continente: ergo eſt congeneribus Leguminibus Aſtragalis conjungendus hic Aſtragalus, non vero Hedyſaro vel Securidacæ propter rationes ſupra allatas, in cap. 3. Tab. 6. ejuſque explicatione.*

7. *Aſtragalus luteus perennis ſpicatus floribus pallidis, nigris radiis notatis, nobis. Onobrychis 3. Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Ger. Onobrychis ſpicata floribus pallidis, nigris radiis notatis, C. B. P. Pag. 350. col. 2. pl. IX. Eſt Aſtragalus à ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum continente, ergo male primo à Carolo Cluſio, deinde ab authoribus ejus ſequacibus nominatur Onobrychis.*

8. *Aſtragalus luteus perennis procumbens vulgaris, nobis. Glycyrrhiza ſilveſtris, Lugd. Hiſt. Cam. Glycyrrhiza ſilveſtris floribus luteopalleſcentibus, C. B. P. Pag. 352. col. 2. pl. III. Eſt Aſtragalus à ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum continente, ergo non eſt Glycyrrhiza. Primo Glycyrrhiza eſt ſiliqua bivalvi prædita unicam ſeriem ſeminum continente, ſecundo*

cundo admodum dulci conſtat Glycyrrhiza radice, tertio eſt Herba ſubfruticoſa, erecta, alta, quibus omnibus deſtituitur Glaux vulgaris Cluſii: at Aſtragali ei convenit nota ſubalterna generica, conſtituens Aſtragalum; ergo male Glycyrrhizæ aſſociatur. Porro nominatur Fœnum græcum, Dodonæo: Polygalon Cordo in Dioſcoridem: Hedyſarum Glycyrrhizatum Gerardo; ſed nulla harum denominationum generice convenit huic, præter Aſtragali nomen à nobis aſſignatum. Vide doctrinam noſtram ſupra de Hedyſaro, & infra de Polygalo & Fœnugræco, quæ ſunt plantæ generice omnino ab hoc noſtro Aſtragalo diſcrepantes.

9. *Aſtragalus luteus perennis ſiliqua gemella rotunda veſicam referente, nobis. Cicer ſilveſtre, Matth. Lugd. Cam. Ger. Park. Cicer ſilveſtre 1. Dod. Lugd. Hiſt. Tab. Eſt ſiliqua gemella rotunda veſicam referente, duplicem ſeriem ſeminum continente; ergo non eſt Cicer ut ſupra comprobavimus cap. 3. in explicatione Ciceris, ſed perfectus eſt Aſtragalus à notis ſuis eſſentialibus.*

10. *Aſtragalus luteus annuus Monſpelienſis procumbens, nobis. Securidaca minor, Matth. Ad. Lob. Cam. Hedyſarum alterum, Dod. Lugd. Eſt ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum continente; ergo non eſt Securidaca ſeu Hedyſarum. Conſule cap. 3. hujus Sectionis & explicationem Hedyſari ſeu Securidacæ.*

11. *Aſtragalus luteus annuus Bæticus maritimus rectus, nobis. Vicia ſeſamacea Apula, Colum. Eſt ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum continente; ergo eſt Aſtragalus. Omnis Viciæ ſiliqua eſt bivalvis, continens unicam ſeriem ſeminum, aliorum Leguminum vulgarium more; ergo male denominatur Vicia à doctiſſimo Fabio Columna, cujus non poſſum ſatis mirari ſupinam negligentiam & incuriam, dum Viciæ plantæ leguminoſæ, tritæ & ſatis notæ, capreolis donatæ, & ſiliqua ſingulari bivalvi affectæ, hanc ſuam plantam Apulam aſſociat.*

12. *Aſtragalus luteus annuus ſiliquis & foliis hirſutis, floribus parvis, nobis. Fœnugræco ſilveſtri Tragi in quibuſdam accedens planta, I. B. Chabr. Examinetur ſiliqua hujus, num ſit gemella.*

Hæc omnia Legumina ſupra allata in hoc capite, quum ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum in ſe continente donentur, Aſtragali nobis ſunto: cumq; ſub eodem vexillo militent, idcirco eadem ad idem novum genus conſtituendum elegimus, atq; ex longe petitis & diverſis locis ſeu capitibus (ut obſervare licet ex Pinacis Caſp. Bauhini, aliorumque authorum, variis denominationibus) in unum hoc caput collegimus, à ſiliquis gemellis duplicem ſeriem ſeminum continentibus; junctâ forma ſeminum oſſicula ſeſamacea ſeu ſeſamoïdea articulis digitorum pedum ſubſtrata referentium, Legumina ſeſamacea ſeu ſeſamoidea aut Aſtragaloidea ſiliqua gemella, aut melius & brevius Aſtragalos nominavimus, addita nota generica, viz. ſiliqua gemella, duabus cellulis diſtinctâ, ſemina in ſe continente, ſeu ſiliqua triangulari, utplurimum curva, inflexa falcis inſtar, duplici membranacea tunica tenui, duplicem dirimente ordinem ſeu ſeriem ſeminum. Nec hucuſque norim in tota familia Leguminum folliculaceorum, hac Sectione contentorum, plura, præter prædicta; ſi quis alia hujus farinæ detexerit, quam facillime poterint eadem prædictis addi, ex primo intuitu ſiliquarum gemellarum, adjecta ſpecifica, qua diſtinguantur à prædictis, nota.

---

§. 2. TRAGACANTHA ſeu POTERIUM.

Tραγάκανθα *quam Gaza Hirciſpinam vertit, & Tragacantha de herba & ejus lacryma dicitur. Dioſcoridi l. 3. c. 23. radice eſt lata & lignoſa ac ſupra terram eminente: à qua ſurculi humiles, robuſti, latiſſimè fuſi; & in ipſis foliola numeroſa, tenuia, inter quæ aculei ſeſe proferunt, quos ipſa occulunt, candidi, firmi rectique. Theophraſto 9. Hiſt. 1. lacrymam gignit: & 9. Hiſt. 15. large in Arcadia naſcitur, nec deterior Cretica exiſtimatur, ſed etiam viſu pulchrior. Plin. l. 13. c. 21. Creta gignit & Tragacantham, Spinæ albæ radici multum prælatam apud Medos, aut in Achaia naſcenti. Sed de lacryma alibi agitur infra.*

Ποτήριον *ſecundum aliquos dictum, quia potrix herba paludoſum riguumque ſolum amat:* & νευρὰς, *quod nervis amica ſit. Dioſcorides l. 3. c. 17. Poterium Iones Neurada vocant, frutex grandis eſt, ramulis longis, mollibus, lori modo lentis ac flexilibus, tenuibus, Tragacanthæ proximis: foliis vero parvis & rotundis: totus autem frutex tenui lanoſa lanugine obducitur, eſtque ſpinis horridus: flores ſunt parvi & candidi: radices binûm ternûmve cubitorum, firmæ & nervoſæ, quæ proximè terram reciſæ lacrymam fundunt gummi ſimilem. Plinio l. 27. c. 12. Poterion aut Phrynion aut Neurada, quæ eodem fere modo deſcripſit, niſi quod florem dicat longum herbacei coloris: at l. 25. c. 10. ei flores parvos tribuit.*

Nota generica Tragacanthæ Aſtragalis affinis quoad ſiliquas eſto hæc. Tragacantha eſt ſubfrutex leguminoſus, flores edens papilionaceos, Piſi aliorumque Leguminum more, quibus ſingulis, ſive coloris albi, ſive lutei aut luteopallidi, purpureive, ſuccedit ſiliqua gemella duplicem ſeriem ſeminum continens: deinde quod eſt multis aliis Leguminibus commune, ſingulæ foliorum coſtæ mediæ multis foliolis albicantibus, ſeu incana lanugine obductis, & è regione oppoſitis ornantur, nullo impari extremum claudente; ſed loco folii imparis, coſta deſinit in ſpinam longam, quæ verſus mucronem in aculeum acutiſſimum & pungentem deſinit.

1. T*Ragacantha* Maſſilienſis foliis incanis perſeverantibus ſeu non deciduis, flore albo, nobis. Tragacantha Maſſilienſis, I. B. Tragacantha ſive Hirciſpina, Cluſ. in coral. ad Dodonæum Gall. Suffrutex hic eſt virgis mediocriter craſſis donatus, extremum verſus magis craſſeſcentibus, iiſque albidis ſive lanuginoſis, ex quibus ſquamatim prodeunt coſtæ longæ, rigidæ, candidæ, quadrantales & infeſtæ, quibus ſingulis hinc inde conjugatim ſeu binatim & ex oppoſito adnaſcuntur multa foliola, incanâ itidem lanugine obducta, atque hujuſmodi coſtæ mediæ gerunt pungentiſſimum aculeum; & ex foliorum & caulium alis novi oriuntur petioli ſuſtinentes numeroſum gregem papilionaceorum florum alborum, floribus Geniſtæ ſimilium, quoad figuram & formam: quibus ſuccedunt ſiliquæ craſſæ ſatis, ſed curtæ, duplici loculamento diſtinctæ, & ſeparatæ tenui & duplicatâ membranâ. Huic Adverſaria Lob. tradunt radicem longam, lignoſam albam, craſſitie digiti unius, prolixis flexibus ſubter humum ſubmerſam. Vide Tab. 9^{næ} pl. 10^{am}.

2. *Tragacantha* Granatenſis foliis incanis caducis ſive deciduis, flore albo, nobis. Tragacantha altera, Cluſ. Hiſt. Spina hirci minor, Ger. Tragacanthæ priori circa Maſſiliam provenienti ſimillima eſt hæc planta incana, ſpinoſa, & fruticoſa admodum, multos pedales habens cauliculos, flexibiles, late ſeſe diffundentes & candicantes, & dum adhuc tenelli ſunt lanuginoſos, multis longis coſtis caneſcentibus, ad extremum in ſpinas longas deſinentibus; quibus coſtis binatim & conjugatim foliola incana Lentis aut prioris Tragacanthæ æmula, exigua, candida, & etiam lanuginoſa, dulcis ſaporis hærent: foliis iiſdem hyeme decidentibus, coſtæ ſeu nervi illi medii quibus foliola prædicta nitebantur, in rigidas & acutas (inquam) ſpinas evadunt, ut eo tempore planta tota ſine foliis conſpiciatur, contra quam in Tragacantha priore, quæ hyeme etiam folia retinet, nec eadem abjicit, donec nova recurrente anno acquiſiverit: tum demum deciduis foliis vetuſtis, nervi illi medii in ſpinas abeunt: loco folliculorum ſiliquas curtas proferebat, folliculis bombycinis ſimiles, duplici cellula diſtinctas, hinc inde perpauca ſemina in ſe continentes: flores papilionaceos albos, non magnos, protrudebat, ex relatione incolarum circa *Guadix* & *la Venta el peral* in Granatenſi regno, in collibus ex arido & inutili ſolo coacervatis. Florentem non vidit Carol. Cluſius, ſed eodem cum prædicta Tragacantha tempore florere veriſimile eſt. Vide App. ad Legumina, ubi ſequentium harum Tragacantharum 6. exhibentur Icones.

3. *Tragacantha* humilior floribus luteis, C. B. P. & nobis. Tragacanthæ alterum genus Rauwolfii, Lugd. Hiſt. App. pag. 32. Digreſſis à monte Libano inter deſcendendum tria nobis occurrerunt Tragacanthæ genera, quorum primum fuit cujus meminit doctiſſimus Car. Cluſius, & veræ videtur ſimillimum alterum, illâ humilius, formâ tamen, aſpectu, & habitu haud diſſimile, niſi quod flores flaveſcant, ex rotundis & ſubflavis tanquam vaſculis exeuntes, & per tenues ſurculos utrinq; impari exortu ſint diſpoſiti.

4. *Granatenſi* magnitudine par floribus ſpecioſis purpureis, nobis. Eſt altitudine & ſtatura ſimile ſecundo, ramos habet denſos, oblongos, colore fuſco, in quorum vertice capitula multa ſubalbida viſuntur, qualia ſunt Poterii, cum floribus purpureis & ſpecioſis.

5. *Tragacantha* humilior ſpinoſior denſius ramificata, nobis. Tragacantha altera ſeu Poterium denſius ramificatum, Proſp. Alp. de Exot. Altera hæc Poterii planta ramis nigris in latum diffunditur, eoſque & breves habet & longe plures, & ſpiſſos, ita ut in planta nihil vacui appareat; à ramorum cimis proveniunt ſpicæ horridæ, & veluti ſpinis crebris, denſis tota planta eſt undique ſtipata, ut tota ipſis planta tegatur, & nulli rami extra folia & ſpinas conſpiciantur; cimæ etiam omnes lanugine ſpiſſa infarctæ, latiores apparent. Hic frutex parvus, incanus totus, per terram ſparſus, terram ipſam attingit, & vix è terra ſeſe erigit; ipſiuſque rami ſubter ſpinas obruti nigreſcunt & ſubtiliores ſunt.

6. *Tragacantha* Cretenſis aut Idenſis nigra, tota echinata, nobis. Tragacantha altera, Proſp. Alpin. de Exot. Hæc planta elegans ex Creta inſula pro Tragacantha altera ad Proſperum

rum Alpinum miſſa; radice nitebatur longâ, craſſâ, lignoſâ, colore nigrâ, à qua quatuor aut plures exeunt caules nigri, rotundi, duri, lignoſi, qui in complures ramulos dividuntur nigros, breves, ſubtiles, totos ſpinis albis armatos, ſed in ſummitatibus habent ſpinas quaſdam germinum inſtar, multis foliolis parvis, tenuibus, ex unâ tantum parte præditas, in quibus ſurculorum ſummitatibus flores parvi, prioris Tragacanthæ itidem proximæ. Tota hæc planta eſt veluti ſimilis Echino: radix inſipida eſt, ſed aliquantulum quaſi odorata. Petrus Bellonius Cœnomanus in ſuarum itinerariarum obſervationum lib. 6. in Ida monte duo Tragacanthæ genera inveniſſe & obſervaſſe ait, quorum hoc eſt unum.

7. *Tragacantha* tota ſpinoſa & Echinum referens unde Echinus herbaceus dicta, nobis. Tragacantha altera humilior & ſpinoſior Echinus dicta, Proſp. Alpin. de Exot. Hæc eſt planta parva Echini terreſtris magnitudine, & figura tota orbiculari terræ inhærens, vix palmarem altitudinem ſupra terram eminens, atque radicem uſque ad ſurculorum medietatem terræ affixam habens; in parte interna qua terræ adhæret, apparent ramuli breves, ſubtiles, nigri, multi denſe ſimul ſtipati à multis parvis tenuibus ſimul conjunctis terra occultatis proficiſcentes, deſinentes in ſpinas parvas, breves, acutas, tenues, albicantes, in extremo ſtellatim compoſitas, nudas & ſpoliatas foliis, unde ſuperficies partis extimæ non plana ſed ad rotunditatem inclinans, cernitur tota ſpinis denſiſſime ſtipatis & undique horridis armata, quæ ſpinæ ex germinibus ramulorum, qui innumeri ſunt, in orbem ſtellarum modo deſinentes, totam ſuperficiem complent ex germinibus; numeroſi floſculi papilionacei, ac veluti Hyacinthi floribus fere figura ſimiles, ſed longe tamen minores quibus thecæ parvæ, oblongæ, & geminis cellulis præditæ, (ut in altera præcedenti Tragacantha apparent,) totum Echini dorſum exornant. Mirabilis natura quæ Echinum animal herbaceum produxiſſe viſa eſt. Non Echinopoda Echinus hic vocari debuit, cum Echinus in orbem diffundatur atque multiplicibus ſpinis minoribus & denſius diſpoſitis conſtet: floſculi denſius itidem pediculis curtis innituntur: ſiliquæ parvæ Tragacanthæ ſiliquis pares, gemellæ ſunt, & duplicem ſeriem ſeminum in ſe continent, hinc unam, illinc alteram; at Echinopoda aculeos raro diſpoſitos in ramis habet, & ſiliquas parvas, bivalves & breves, propendentes, & ſuccedentes floribus parvis papilionaceis luteis, ergo Echinus eſt vera Tragacanthæ ſpecies ex communi conſenſu Proſperi Alpini & amici ſui qui plantam ipſam ex Creta ad ipſum miſit. Hanc plantam Græci *Coloſcirrhida* vocant.

LOCUS & TEMPUS.

1. Tragacantha *Maſſilienſis foliis incanis perſeverantibus ſeu non deciduis, flore albo, nobis. Tragacantha Maſſilienſis, Joh. Bauh. Circa Maſſiliam & ad iſtius oppidi pomœria & in aliis Galloprovinciæ collibus maritimis ad Auſtrum, teſte Lobelio. In Arcadia, Achaia, Media & Creta inſula copioſe naſci ſcribebat Theophraſtus.*

2. Tragacantha *Granatenſis foliis incanis caducis, flore albo, nobis. Tragacantha altera Poterium forte Cluſ. Hiſt. & Chabræi in Sciographia & Iconibus in Granatenſis regni collibus, arido & inutili ſolo naſcitur, teſte Carol. Cluſio, & circa deſcenſum ex monte Libano provenit, teſte Rauwolfio.*

3. & 4[a] *In iiſdem locis cum priore ſecundâ proveniunt, teſte Rauwolfio qui 2 & 3. 4[tam] inter deſcendendum ex monte Libano reperit, Vide Hiſt. Lug. in App. pag. 32.*

5. Tragacantha *humilior ſpecioſior denſius ramificata, nobis. Tragacantha altera ſeu poterium alterum denſius ramificatum. Proſp. Alpin. de Exot. in Creta Inſula ex qua fuit miſſa ad Proſperum Alpinum.*

6. Tragacantha *Cretenſis aut Idenſis nigra tota echinata, nobis. Hujus natales ſunt Creta Inſula & Mons Ida.*

7. Tragacantha *tota ſpinoſa & Echinum referens unde Echinus herbaceus dictus, nobis. Tragacantha altera humilior & ſpecioſior ſeu Echinus Proſp. Alpin. de Exot. provenit etiam in Creta inſula, ex qua ipſius ſemen fuit ad Proſp. Alpinum miſſum: florent omnes æſtate & ſemina perficiunt verſus ejuſdem finem, aliquando citius, aliquando tardius pro cœli & ſoli temperamento.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Tragacantha *ut ait Dioſcorides vim habet meatus obducendi gummi ſimilem: uſus ejus eſt ad medicamenta ocularia, ad tuſſes, ad arteriæ aſperitates, vocem interceptam, & diſtillationes in eclegmate cum melle adjuvat: ſubdita quoque linguæ liqueſcit, ſed & macerata & in paſſo bibita*

bibita drachmæ pondere contra renum dolorem & veſicæ roſiones admixto cornu cervino uſto & loto, aut modico alumine ſciſſo. Galenus breviter de Tragacantha ſcribit ſimilem gummi vim habere emplaſticam quandam, quæ acrimoniam obtundat, & ſimiliter deſiccare. Tragacanthæ lachryma (inquit Matheolus) collyriis addita non ſolum humorum acrimoniam in oculos deſluentium retundit, ſed & oculos quoque roborat, & magis aſtringit quam ſarcocolla, præterea lacte macerata & illita, oculorum ungues, palpebrarum puſtulas, pruritum & ſcabiem ſanat: valet ad pulmonum, pectoris, aſperæ arteriæ morbos, & medetur eorum ulceribus; ſanat defluxiones omnes in guttur & fauces permeantes, & tuſſim excitantes. Datur utiliter ulceratis renibus, toſta auxiliatur dyſentericis, & ex Cydoniorum vino pota, tum clyſmate infuſa. Denique ubi lævigare, obtundere, ac reprimere opus eſt, præſtantiſſimum fuerit medicamentum. Gummi debet eſſe clarum, colore rubeſcens, ſapore dulceſcens. Temperate frigidum & ſiccum eſt.

NOMINA.

1. Tragacantha *Maſſilienſis foliis incanis perſeverantibus ſeu non deciduis flore albo, nobis. Tragacantha Maſſilienſis, I.B. Chabr. in Sciagraphia. Tragacantha, C.B.P. Matth. Geſn. Hort. Lac. Lon. Ad. Lob. Lugd. Cluſ. Cur. Poſt. Tragacantha, 1. Tab. Tragacantha ſive Hirciſpina, Dod. Ger. Vera, Park.*
2. Tragacantha *Granatenſis, foliis incanis deciduis ſeu caducis, flore albo, nobis. Tragacantha altera Poterium forte, Cluſ. Hiſt. & Chabræi in Sciagraphia & Iconibus. I.B. Lob. Lugd. Tab. Tragacanthæ affinis lanuginoſa ſeu Poterium, C.B.P. Tragacanthæ 1. genus Rauwolfii, Lugd. Hiſt. App. Spina hirci minor, Ger. & minoris Icon acuratior eidem.*
3. Tragacantha *humilior floribus luteis, nobis. Tragacantha humilior luteis floribus, C.B.P. Tragacanthæ alterum genus Rauwolfii, Lugd. App.*
4. Tragacantha *Granatenſi par magnitudine, floribus ſpecioſis purpureis, nobis. Tragacanthæ tertium genus floribus purpureis & ſpecioſis, C.B.P.*
5. Tragacantha *humilior ſpecioſior, denſius ramificata, nobis. Tragacantha altera ſeu Poterium denſius ramificatum, Proſp. Alpin. de Exot.*
6. Tragacantha *Cretenſis aut Idenſis nigra, tota echinata, nobis. Tragacantha altera, Proſp. Alpin. de Exot.*
7. Tragacantha *tota ſpinoſa & Echinum referens, unde Echinus herbaceus dictus, nobis. Tragacantha altera humilior & ſpecioſior ſeu Echinus, Proſp. Alpin. de Exot.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 388. col. 2. pl. 11. Poterio affinis ſpinoſa planta foliis Pimpinellæ, C.B.P. Poterion, Lob. Ad. Lugd. Cæſ. Tab. Ger. Pimpinella ſpinoſa, Cluſ. Hiſp. Cam. Tragacantha ſeu Poterium eſt planta leguminoſa ſiliqua gemella, duplicem ſeriem ſeminum in ſe continente donata. Poterion Pimpinella dictum omnino accedit Pimpinellæ, & floribus, & ſemine foliiſque. Quod ſit planta ſpinoſa, aſſociatur hic à Caſp. Bauh. reliquiſq; authoribus cum Tragacantha, quippe ſpinoſa; ſpinis donari multis aliis ſtirpibus diverſorum toto cœlo generum convenit, ergo avellatur hinc, & amandetur ad Pimpinellam cui omnino accedit. Deinde male Caſp. Bauhinus Tragacantham ſeu Poterium ejuſq; ſpecies inter Carduos locavit pag. 380. quia ſpinis donantur: cum ſint Legumina, revocari debent ad ſua genera, eaque ſiliquis gemellis prædita, ex libro naturæ.

LEGUMINA

LEGUMINA

SIVE
Siliquoſæ Papilionaceæ ſiliquis Articulatis donatæ.

Ferrum Equinum; Polygala ſive Coronilla; Colutea & Ornithopodium.

CAPUT VI.

§. 1. FERRUM EQUINUM.

A *Siliquarum figura, planta hæc ſolea equina vel ferrum equinum nominatur: aliquibus vero ab effectu, quod equi, qui diu plantam hanc virentem calcaverint, ferreis ſoleis exuantur.* (Quam ridiculi fuerint veteres primò, deinde neoterici ipſorum ineptiis adhærentes; conſiderent ſanioris mentis Botanici Philoſophi.) *Sunt qui ad Securidacam, alii ad Lunariam, alii ad Medicam referant.*

Deductis & explicatis Leguminibus ſeu ſiliquoſis papilionaceis, ſiliqua gemella præditis, & duplicem ſeminum ſeriem in ſe continentibus in ſuperiori c.v. & Tab.9. jam ſequuntur Legumina ſeu ſiliquoſæ papilionaceæ ſiliquis articulatis ditatæ. Dicamus quid ſit Legumen ſiliqua articulata præditum. Omnia Legumina in hac Tabula contenta poſt flores papilionaceos evanidos producunt ſiliquas, quæ exſiccatæ tranſverſim rumpuntur, & in ſingulis interſtitiis ſingula continentur ſemina, ſive ſint lunata, rotunda compreſſa, ſive longa cylindracea. Hæc eſt teſſera ſeu nota generica omnibus & ſingulis ſub hoc genere intermedio comprehenſis à natura data, ipſâ finem non variante, nobiſque monſtrante viam & εὐταξίαν. Ferrum equinum eſt vel ὀλιγοκέρατον vel πολυκέρατον: ſemina ſunt Lunæ creſcentis inſtar, imò ſiliquæ aliquando bene exſiccatæ ſole, ſoleæ equinæ cum clavorum foraminulis perfectam figuram æmulantur, quemadmodum videre eſt ex naturali figura ſculpta in Tabula 10. perfectè enim illic repræſentatur Ferrum equinum: inde vero denominatio orta, non à figmentis authorum ridiculis & ineptis.

TABULA X.

Ferrum equinum	*Siliquis*	*In alis caulium*		1. *Singlaribus, nobis. Ferrum equinum vulgare ſeu* ἀπλοκέρατον, *Colum.* ☿
		In ſummitate	*Multiplicibus*	2. *Neapolitanum, nobis. Ferrum equinum alterum* πολυκέρατον, *Colum.* ☿
				3. *Germanicum, nobis. Ferrum equinum capitatum ſeu comoſum, & alterum* πολυκέρατον, *Colum.* ⊙
Polygala ſeu Coronilla	*Dumetorum*			4. *Major flore vario, nobis. Securidaca major dumetorum flore vario, ſiliquis articulatis, C. B. P.* ⊙
				5. *Minor pallide cærulea, nobis. Securidaca dumetorum minor pallide cærulea, C. B. P.* ⊙
	Campeſtris			6. *Minima lutea enneaphyllos, nobis, Lotus enneaphyllos, Lugd. Polygalon Cortuſi, I. B.* ⊙
Colutea Scorpioides				7. *Elatior & major frutex, nobis. Colutea Scorpioides* 1 *Elatior, Cluſ. Hiſt.* ⊙
				8. *Humilior & minor, nobis. Colutea Scorpioides* 1. *Humilior, Cluſ. Hiſt.* ⊙
				9. *Humilior ſiliquis & ſeminibus craſſioribus, nobis.* ⊙
				10. *Dicta Valentina* 1. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
				11. *Minor coronata, C. B. P. Colutea Scorpioides altera, Cluſ. Hiſt. & Pan.* ⊙
				12. *Cretica odorata, Proſp. Alpin. de Exot.* ⊙
Ornithopodium				13. *Majus, C. B. P. Ger. Park.* ☿
				14. *Minimum* ὀλιγοκέρατον, *nobis.* ☿
				15. *Maximum* ἀιγοκέρατον, *nobis. Scorpioides Leguminoſa, Ad. Lob.* ☿

TABULA XI.

- *Scorpioides papilionacea*
  - *Bupleuri folio, corniculis*
    - *Aſperis & hirſutis*
      - I. *Minus contortis, nobis. Scorpioides Bupleuri folio, C.B.P. Ger.* ☿
      - II. *Magis contortis, nobis. Siliqua campoide hiſpida, Chabr.* ☿
    - III. *Mollibus craſſioribus magiſque ſpongioſis, nobis. Scorpioides ſiliqua craſſa Boëlij, Ger.* ☿
    - IV. *Rugoſis ſeu rigidis ſtriatis & ſulcatis, nobis. Scorpioides ſiliquis lenibus, Park.* ☿
  - *Portulacæ folio*
    - V. *Corniculis longioribus & tenuioribus, nobis. Portulacæ folio, C.B.P. Park.* ☿
  - VI. *Viciæ foliis minima, nobis.* ☿
- *Onobrychis papilionacea*
  - *Siliculis*
    - *Articulatis aſperis*
      - *Clypeatis*
        - 7. *Rectà junctis, flore*
          - *Ruberrimo, nobis.* ⊙
          - *Albo, nobis.* ⊙
        - 8. *Ante & retro junctis, flore purpurorubente, nobis.* ☿
      - 9. *Triangularibus, ſeu Canadenſis vel Americana triphylla, nobis.* ⊙
    - *Echinatis criſtatis*
      - 10. *Major, ſeu Caput Gallinaceum majus, nobis.* ⊙
      - *Minor*
        - 11. *Craſſioribus aculeis fructuque majore prædita, nobis. Caput gallinaceum minus, C. B. P. & Prod.* ☿
        - *Clypeiformibus, nobis.*
        - *Incana foliis longioribus, nobis. Onobrychis 3. C. B. P. & Prod.*
        - 12. *Saxatilis lutea, nobis. Polygalon minus ſaxatile, I.B. Chabr.*
    - 13. *Aſperis multis in globulum congeſtis, Platani pilulæ inſtar, nobis. Glycyrrhiza echinata Dioſcoridis, Ad. Lob. Lugd.* ⊙

Explicatio Tabulæ decimæ, Sectionis ſecundæ.

DEductis & explicatis Leguminibus ſeu ſiliquoſis papilionaceis, ſiliqua gemella præditis, & duplicem ſeminum ſeriem in ſe continentibus, in ſuperiori cap. 5. Tab. 9. jam ſequuntur Legumina ſeu ſiliquoſæ ſiliquis articulatis ditatæ. Dicamus quod ſit Legumen ſiliqua articulata præditum: omnia Legumina in hac Tabula contenta, poſt flores papilionaceos evanidos producunt ſiliquas, quæ exſiccatæ, tranſverſim rumpuntur, & in ſingulis interſtitiis ſingula continentur ſemina, ſive ſunt lunata, rotunda compreſſa, ſive longa cylindracea. Hæc eſt teſſera ſeu nota generica omnibus & ſingulis ſub hoc genere intermedio comprehenſis à natura data, ipſâ finem non variante, nobiſque monſtrante viam & ἐυταξίαν. Ferrum equinum eſt vel ὀλιγοκέρατον vel πολυκέρατον: ſemina ſunt Lunæ creſcentis inſtar, imo ſiliquæ aliquando bene exſiccatæ ſole, ſoleam equinam cum clavorum foraminulis perfectè æmulantur, quemadmodum videre eſt ex naturali figura ſculpta in Tabula 10. perfectè enim illic repræſentatur: inde vera denominatio orta, non à figmentis authorum ridiculis & ineptis.

1. FErrum equinum ſiliquâ ſingulari, C. B. P. Ferrum equinum vulgare, Colum. Solea equina, Lugd. Hiſt. I. B. Soleæ equinæ ſeu Ferri equini hæc prima ſpecies radice conſtat albâ, paucis donata fibris gracilibus, quatuor digitorum longitudine, à qua ſtatim plures proferuntur caules palmares, & in ſolo fertili dodrantales, anguloſi, ſtriati, ex quibus coſtæ oriuntur,

riuntur, folia alata Securidacæ minoris more, pinnatim ſeu conjugatim digeſta, per extremam oram ſinuata, leviterque in corculi morem fiſſa, gerentes; ex ſinubus, inter foliorum coſtam & caulem, floſculi exeunt lutei, raro diſpoſiti; quos ſingulos excipiunt ſiliquæ ſingulares, exiguo plane pediculo innixæ, tres circiter uncias longæ, culmum latæ, nonnihil incurvæ & compreſſæ (artificis naturæ rarum ſpectaculum!) dorſum his continuum, oppoſita pars fimbriatis ſinubus laciniosa, vel ſiliquæ ſunt oblongæ, compræſſæ, altera parte incurvæ, inciſuris diviſæ, foraminum rotundorum ſpeciem referentibus, proveniente utrinque foraminum orificio; ſemen lunatum, ſeu lunæ creſcentis figurâ bicorne, pro contenti ſeminis figura numeroque, totidem equinæ ſoleæ ſimulachra repræſentat, unde juſtiore titulo *Sferro cavallo* Italice, à figura ſeminis cum ſolea equinâ, ſive ferro equino, quam à vano & inepto authorum non ſatis ſibi conſtantium, & referentium quod equis calceos ſuos ferreos, ſive ſoleas, calcata hæc plantula leguminoſa extrahat.

2. *Ferrum* equinum ſiliqua multiplici, C. B. P. Equinum alterum πολυκέρατον, Colum. Hoc ſecundum Ferrum equinum parvitate totius plantæ, ac etiam ſiliquarum copiâ ſeu multiplicitate, quas inter foliorum alas longo petiolo inſidentes (non ut in ὀλιγοκεράτῳ primo vulgari ſeu ſiliqua ſingulari raro diſpoſita) quaternas, quinas, aut plures fert tenuiores, ruffeſcentes, & multo magis incurvas (literam lunatam exprimentes, aut potius lunam creſcentem) & veluti reſupinas. Verbo, primum diſtinguitur à ſecundo paucitate ſiliquarum majorum & craſſarum, ſingularium, & curto pediculo inſidentium; unde apte ſatis à Doctiſſimo Fabio Columna ἁπλοκέρατον dicitur, & diſtinguitur à ſecundo, cujus ſiliquæ plurimæ petiolis longis innituntur magis curvæ, & eo etiam nomine bene à Fabio Columna πολυκέρατον nuncupatur.

3. *Ferrum* equinum capitatum ſeu comoſum, Colum. Equinum Germanicum ſiliquis in ſummitate, C. B. P. Plantula hæc Leguminoſa eſt frigidarum regionum ſponte incola, atque etiam in Æquiculorum montibus Neapolitanis, & ſilvula Capucinorum: radice conſtat craſſâ, lignoſâ, fibroſâ, nigricante; ſapore leguminoſo, dulci: fruticat viticulis multis ramoſis, & procumbentibus: in quibus folia terna, coſtis poſtmodum quina, nonnunquam ſena, in ejuſdem cacumine aliquando tam denſe inſident ut numero tredecim ſint, quæ antequam cauleſcat planta parva ſunt, rotundiora atque denſa; at in caule anguloſo facto rarioribus geniculis hærentia, longioribus coſtis biuncialibus & triuncialibus diſpoſita, majora duplo imis, & ſimilia vulgaris, illiſque latiora, longitudine vero paria & longiori coſtæ inhærentia: è ſummis caulium longi producuntur petioli nudi, ſemipedales aut longiores aliquando; in quibus veluti in capitulum congeſti flores denſe in orbem digeſti & dependentes, ſepteni, noveni, & ſæpe plures luteo ſaturato colore tincti, effigie Geniſtellæ; quibus evaneſcentibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ, ſinuoſæ ſeu undulatæ, quaſi ſoluta parum intexta coma, atque incurvæ, ad invicem nutantes, undulatæ apparent in parte ſuperiore: ſemina producunt non tam curva, nec circulum quaſi, ſed lunam novam tertio die apparentem exprimunt ſingula; ſiliquas non edunt perforatas, ut ſuperiora bina Ferra equina, nec ſemina tam incurva.

LOCUS & TEMPUS.

1. Ferrum *equinum ſiliquâ ſingulari, C. B. P. Sponte provenit inter Nemauſium & Valentiam. In Gallia Narbonenſi & Galloprovincia reperit Joh. Bauhinus redeundo Monſpelio: floret menſe Maio; & ſemina ſua Junio perficit, citius in meridionalibus, tardius in ſeptentrionalibus regionibus.*
2. Ferrum *equinum ſiliquâ multiplici, C. B. P. In Valvenſium montibus ſoli expoſitis reperit Fabius Columna.*
3. Ferrum *equinum capitatum ſeu comoſum, Colum. Germanicum ſiliquis in ſummitate, C. B. P. Provenit in monticulis minime herbidis per totam Galliam, abundanter in collibus ſecus fluvium Ligerim prope Blæſas; item frequenter circa patibulum Monſpelienſe & Genevam: flores in Meridionalibus Martio menſe; & Maio ſemen ſuum perficit. In hortis apud nos Septentrionales floret Julio & Auguſto; & Septembri ſemina ſua perficit.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

De Viribus & facultatibus Ferri equini nihil notatu dignum reperitur apud authores.

NOMINA

NOMINA.

1. Ferrum *equinum ſiliqua ſingulari, C. B. P. Solea equina, Lugd. Hiſt. I. B. (cum duplici figura) Ferrum equinum, Matth. (cui & Securidaca montana) Geſn. Hort. Lob. Ger. Ferrum equinum majus, Park. Ferrum equinum vulgare* ἁπλοκέρατον, *Colum. Hedyſarum ſeu ferrum equinum, Tab.* Sferro cavallo, *Cam. Ad. Lob. Cæſ. Lunaria minor, Caſt. Solea equina, Lunaria minor, Chabr. in Sciagraph. & Icon.*
2. Ferrum *equinum ſiliquâ multiplici, C. B. P. Ferrum equinum alterum* πολυκέρατον, *Colum. Ferrum equinum* πολυκέρατον, *Park.*
3. *Ferrum equinum germanicum ſiliquis in ſummitate, C. B. P. Ferrum equinum capitatum ſeu comoſum, Col. Ferrum equinum comoſum, Park.* Sferro cavallo *ſilveſtre germanicum, C am. Hedyſarum minus, Tab. Ornithopodio vel potius Soleæ equinæ, vel Ferro equino affinis, I. B. Soleæ equinæ & Ornithopodio affinis herba, Chabr. in Sciagraph. & Icon.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

Pag. 349. col. 2. pl. iv. Ferrum equinum Gallicum ſiliquis in ſummitate, C.B.P. Lotus enneaphyllos, Hiſt. Lugd. Hæc plantula leguminoſa male hic à C. Bauhino diſponitur inter Ferri equini ſpecies, cum omnis Ferri equini ſemina ſint lunata, ſeu incurva, uti ante dictum in explicatione Ferri equini, at hujus plantæ ſemen eſt oblongum ſeu cylindraceum, ergo magis convenit Polygalæ, & ideo hic inter Polygalas debet diſponi, & Polygala appellari, non Ferrum equinum; multo minus Lotus ut vult Dalechampius; cum omnis Lotus ſit pentaphyllos ſeu ternis foliis in extremo pediculi junctis, & binis ad ejuſdem appoſitionem cum caule: at Polygala hæc eſt alata planta, quæ quatuor foliolis hinc inde rachi adhærentibus, uno extremum coſtæ occupante ornatur; ergo à ſiliquis articulatis continentibus ſemina oblonga ſeu cylindracea, eſt Polygala, & à novenis foliis apte ſatis denominatur nobis Polygala Enneaphyllos & neutiquam Lotus.

---

§. 2. POLYGALA ſeu CORONILLA.

Πολύγαλον *Dioſcoridis l. 4. c. 142. frutex eſt brevis palmum altus, foliis Lenticulæ, guſtu ſubacerbus (potus lactis abundantiam facere creditur) & Plin. l. 27. c. 12. Polygala &c.*

Polygala ſeu Polygalon vel Coronilla ſunt herbæ πλαγιαγωνιλαι, ſiliquoſæ articulatæ, differentes à cæteris ſuæ claſſis, Ferro equino ſcilicet & Ornithopodio, in hoc, quod in ſingulis interſtitiis articulorum contineantur ſemina oblonga, cylindracea, non autem lunata aut incurva, ſicut in Ferro equino, aut compreſſa rotunda, ut in Ornithopodio, congeneribus ſuis, in hac Tabula contentis: deinde ſiliquas habent Polygala ſeu Coronilla, ſicut & Colutea, longas, tenues, ſtriatas; ſemina longa, teretia ſive cylindracea in ſingulis interſtitiis continentes; in cæteris, foliorum diſpoſitione, floribus papilionaceis, denſe in capitulum congeſtis, utplurimum conveniunt Ferrum equinum, Polygala ſeu Coronilla, & Colutea: ſed Colutea eſt ſubfrutex, aut ſubinde frutex ſiliquis articulatis præditus, & propter hanc conformitatem à fine ultimo, id eſt productione ſiliquarum articulatarum, hic eaſdem cum Herbis ſiliquis articulatis etiam donatis locavimus, ſpretâ lignea qua donantur ſubſtantia magis communi, quæ multis aliis Leguminoſis fruticibus ſiliquoſis bivalvibus non minus, quam hiſce articulatis convenit. Hoc ubique ab omnimoda conformitate florum, ſiliquarum & ſeminum, præſtabimus, non obſtante ligneâ materiâ fruticum; ſi propius accedant herbis à fine ultimo, eodem reducentur, propter arctiorem cognationem & affinitatem in ſiliquis, neglecta materia lignea, qua conſtant, longum & diffuſum genus conſtituente in vaſto & numeroſo penu plantarum ſeu vegetabilium.

POLYGALA ſive CORONILLA.

4. *Polygala* dumetorum major, ſiliquis articulatis, flore vario, nobis. Securidaca dumetorum major flore vario, C.B.P. Hedyſarum majus, Ger. Multos atque oblongos ex eadem radice

radice fundit prima hæc à nobis propoſita Polygala caules, per terram ſtratos, virides, ſtriatos, intus concavos, & valde ramoſos: folia alata coſtæ mediæ conjugatim ſeu binatim adhærent è regione, uno ſolo in coſtæ extremo impari, Hedyſari legitimi Cluſii foliis perquam ſimilia, amari ſaporis; è ſingulis caulium & coſtarum alis oblongi prodeunt pediculi, coronam aut quaſi globulum floſculorum papilionaceorum Hedyſari floribus forma ſimilium graviterque odoratorum ſuſtinentes, qui floſculi non ſunt flavi ut illi, ſed varii, ex albo rubentes; nam ſuperiores florum partes vexillum nobis dictæ, carneæ ſunt, id eſt blande & dilute rubentes, partes laterales ſeu labiales niveæ, & carina infima licet alba roſtro eſt purpureo: ſiliquæ ſubſequentes non ſunt planæ & compreſſæ ut Ferri equini aut Ornithopodii, ſed teretes, tenues, oblongæ, articulatæ ſeu internodiis diſtinctæ, quemadmodum Polygalæ Valentinæ ſiliquæ, continentes ſemen oblongiuſculum, & quaſi cylindraceum, ſubruffum, ſaporis non minus amari, quam legitimi Hedyſari ſemen; radix tamen non annua ut illius, ſed maxime perennis & vivax, fibroſa, repens, & longe lateque ſub terra ſe condens, vicinaque circum circa loca occupans, & rurſum ex tenuiſſimis fibris alibi renaſcens & ſeſe propagans.

5. *Polygala* dumetorum minor ſiliquis articulatis pallide cærulea, nobis. Securidacæ 2^{dæ} altera ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Cubitalis eſt hæc Polygala minor, aut altior, multos caules ramoſos à radice lignoſa & perenni emittens, foliaque habens Ciceris modo, ſecundum oblongam coſtam binatim ſeu conjugatim poſita, uno impari extremitatem ejus tenente: flores in ſummis caulibus glomeratim cohærentes, ex candido rubentes: ſiliquæ fuſci coloris, ſecuris formam, quam nos hic in Anglia **Bilhook** vulgo appellamus, (vocabulum **Bilhook** eſt anglicum inſtrumentum, quo putatoriam aut arborariam falcem exprimunt) probe referentes, vel cultri genus quo noſtri Anglici & Belgici ſutores ſeu calceolarii uti ſolent: ſingulæ ſiliquæ unicum ſemen ejuſdem figuræ continent. [Ex ſicca tamen planta, quam mihi communicabat (inquit Carol. Cluſius) Thomas Penæus, diſcebam ſiliquas nonnunquam longiores eſſe, & ſupra ſecuriculam, ſeu falcem illam, alium articulum longiorem obtinere, qualem extremæ ſuperioris ſiliquæ partes habent, quemadmodum in Icone addi curabam; hæc Cluſius.] Tota planta amara eſt, præſertim ſiliquæ & ſemina. Et hæc minor & prior major producunt ſemina rarò perfecta, propter nimiam aviditatem rependi ſub terram, radicibus huc illuc tendentibus. Non poteſt nec hæc prior planta Securidaca dici; nec ad ἑδυσάρυ aut πελεκίνυ Græcis, Latinis Hedyſari aut Pelicini ſeu Securidacæ claſſem referri; quia (ut Cluſius ipſe teſtatur) nullius ſemen aptius veterem ſecurim refert, quam ejus quæ ab omnibus Hedyſarum legitimum cenſetur, quod aliquot locis ſponte naſcens in ſuis peregrinationibus per Hiſpaniam obſervabat idem Cluſius, quam ob cauſam conſule Tab. 6. & obſerva ejuſdem ſemen quadrangulum, in medio tumidum; nam infra Madritium, ſecures vidiſſe meminit idem Cluſius, quæ hujus ſeminibus eſſent ſimillimæ, nempe in medio quo manubrium trajicitur & adaptatur, craſſæ videlicet in medio, & utrinque in aciem planam deſinentes apparent. Vide ejus Iconem quæ 1. ſculpitur in Tab. 11.

6. *Polygala* enneaphyllos, nobis. Lotus enneaphyllos, Lugd. Hiſt. Polygala Cortuſi, I.B. Ferrum equinum Gallicum ſiliquis in ſummitate, C.B.P. Huic herbæ ſunt radices craſſæ, ligneſcentes, duræ, dodrante longiores, nunc ſimplices, nunc multifidæ, intus albæ, quæ ſtatim plures emittunt virgulas minime lignoſas, dodrantales, aut potius breviores, humi ſtratas, quibus conjugatim hærent folia, utplurimum quatuor paria, denſe diſpoſita, uno impari extremum claudente (adeo ut ſint ordinarie novem, unde genericum Polygalæ illi indidimus nomen, à characteriſtica nota, ſiliquis ſcilicet ſuis articulatis Polygalæ in modum factis, adjectâ ſpecificâ ejuſdem generis Polygalæ nota eandem à cæteris ſuæ ſortis diſtinguente; unde concludimus, nos magis conſentaneum & magis ipſi appropriatum nomen applicuiſſe, appellando Polygalam enneaphyllam: folia (vide Hallucinationes Caſp. Bauhini aliorumque authorum infra ad finem hujus capitis) ſimilia cæterarum ſuæ familias Polygalarum foliis, niſi quod ſint breviora, & rotundiora, minora, ſolidiora, ſpiſſiora & magis quaſi dilute viridia, nervo medio ſeu coſtæ mediæ ſecundum ejuſdem longitudinem affixa: flores ramulorum nudorum extremo inſident lutei, ut ſunt Ornithopodii vel Polygalæ Valentinæ primæ Cluſii: ſiliquæ ſimiliter proveniunt in pediculis longis, crebris internodiis interceptis ſeu articulatis. Ideo collocavimus & deſcripſimus hic inter Polygalas etiam propter viticulos tenues herbaceos adinſtar Polygalæ. Vide figuram, 8^{am} Tab. 10^{mæ}.

LOCUS

LOCUS & TEMPUS.

4. Polygala *dumetorum major ſiliquis articulatis flore vario, nobis. Securidaca major dumetorum flore vario ſiliquis articulatis,* C. B. P. *Vulgatiſſima eſt per totam Pannoniam, Auſtriam, Stiriam, Moraviam & Bohemiam, cum in pratis tum in agris, ſecundum vias publicas ruſticas; floret Junio ac Julio & per totam æſtatem; ſemen maturum eſt verſus ejuſdem finem & ſub initium Autumni, dummodo per nimiam pluviam tunc ingruentem non nimium reptet radicibus & impediatur perfectio ſiliquarum, conſequenterque ſeminum. Variat interdum floris colore, qui vel totus candidus eſt, vel exterius albeſcit, interius vero purpuraſcit.*

5. Polygala *dumetorum minor ſiliquis articulatis pallide cærulea, nobis. Securidacæ ſecundæ altera ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Provenit in agro Genevenſi inter dumeta, contra pontem tremulum & nuſquam alibi conſpecta à Thoma Penæo. Floret æſtate media & verſus ejuſdem finem ſemina perficit ſua.*

6. Polygala *enneaphyllos provenit paſſim in pratis & terrarum aggeribus per totam Galliam. Floret Maio & Junio; Julio & Auguſto ſemen ſuum perficit.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Hujus plantæ uſus lac in mulieribus copioſum efficit ex multiplici experimento Calceolarii.

NOMINA.

4. Polygala *dumetorum major ſiliquis articulatis flore vario, nobis. Securidaca dumetorum major flore vario, ſiliquis articulatis,* C. B. P. *Securidaca altera vel alterius prima ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Securidaca major articulata, Park. Securidacæ alterum genus, Cæſ. Hedyſarum majus, Ger. Hedyſarum purpureum, Tab. Loto enneaphyllo non diſſimilis, Lugd. Melilotus 5. Trag. Ornithopodium 2. vel quoddam majus, Dod. Hedyſarum Scorpiouron, Cam.*

5. Polygala *dumetorum ſiliquis articulatis minor pallide cærulea, nobis. Securidacæ ſecundæ altera ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Securidaca Penæi eidem.*

6. Polygala *enneaphyllos, nobis. Polygalon Cortuſi, I. B. Chabr. Lotus enneaphyllos, Lugd. Hiſt. Ferrum equinum Gallicum ſiliquis in ſummitate, C. B. P.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

Securidaca dumetorum major flore vario, ſiliquis articulatis, C. B. P. Pag. 349. Col. 1. pl. IV. & Securidaca dumetorum minor pallide cærulea, C. B. P. Pag. 349. Tab. 2. pl. V. Male hæ duæ plantæ indigitantur à Caſp. Bauhino ſub Securidacæ nominibus, cum Polygalæ afficiantur (à natura) Symbolo ſeu nota generica, id eſt ſiliquis donentur articulatis per interſtitia diſtincta ſeparabilibus, debent Polygalæ denominari atque inter Polygalas collocari, non vero cum Hedyſaro, ut ſupra innuimus in Hallucinationibus in Paragrapho de Hedyſaro.

---

§. 3. COLUTEA.

Κολουτία *Colutea Lipariæ peculiaris, inquit Theophraſtus 3. Hiſt. 17. arbor procera fructum fert in ſiliqua, magnitudine Lentis, folium mittit Fœnogræco non abſimile, &c.*

Coluteæ cum ex diſpoſitione foliorum, florum, & ſiliquarum articulatarum, rotundarum, ſemina pariter rotunda, oblonga, cylindracea in ſe continentium, non diſcrepant à Polygalâ herba ſupra dicta, eòdem & hanc & illas ad hoc caput reduximus. Inſuper omnes cum Polygalæ, tum Coluteæ, flores ſuos compactim in caulium ſummitate pendulos gerunt, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, plurimæ ſimul junctæ, rotundæ, oblongæ, per articulos fragiles, atque in ſingulis intervallis ſeu intercapedinibus ſemina rotunda, oblonga ſeu cylindracea,

lindracea continentes, in mucronem verſus finem earum deſinunt. Hæc eſto Polygalæ & Coluteæ eſſentialis & generica nota; quocunque modo ab authoribus nominentur ſeu Polygala aut Coronilla, ſeu Colutea, ſeu Securidaca aut Hedyſarum, ſeu Ferrum equinum, ſeu Lotus, ſeu Aſtragalus &c. parvo diſcrimine refert: quandoquidem eandem poſſideant teſſeram ſeu notam genericam, ut jam dictum, ſcilicet ſiliquis articulatis donari, ſub eodem vexillo ſeu genere ſubalterno à nobis conſtituentur, ex libro naturæ & à fine ultimo petito, & iiſdem aſſignato, non ex libris authorum nimis multa & diverſa nomina imponentium & hic & alibi, neutiquam rationi innitentium, nec finem ultimum in nominibus ſuis adaptandis rite perpendentium.

7. *Colutea* Scorpioides elatior & major fruteſcens, nobis. Colutea Scorpioides 1. elatior, Cluſ. Hiſt. Colutea hæc Scorpioides fruteſcens major ex unâ radice lignoſa, dura & firma, bicubitales, tricubitales vulgariter, ſed & nonnunquam contra vetuſtum murum ad 10. 12. aut 15. pedes aſcendentes, virgulas profert, graciles, ſatis tamen firmas, in frequentes ramulos diviſas: folia alatim ſeu conjugatim 8to aut 9^{em} uni coſtæ adhærentia, bina ſemper ex adverſo ſita, uno ſemper extremum coſtæ occupante, aliorum Leguminum πλαγιοκαυλῶν more, ſaturate virentia; ingrati admodum ſaporis & amariuſculi: è ſingulis ramulorum alis prodeunt tenues pediculi ſuſtinentes plerumque binos, nonnunquam ternos quoternoſve flores papilionaceos, floribus Polygalæ ſuprà dictæ ſimiles forma & figura, colore autem luteos, ſed minores & nonnihil odoratos: ſiliquæ ſunt teretes, oblongæ ad 4. aut 5. digitos propendentes, quibuſdam articulis & longis intercapedinibus diſtinctæ, in quibus ſingulis comprehenduntur ſemina oblonga, cylindracea, ſemiuncialia aliquando, lævia, ſubfuſci coloris, ingrati admodum ſaporis, ſingula ſingulis ſuis intervallis incluſa habentur. Radix uti ab initio dictum longa, lignoſa, lateque ſub terram diſperſa.

8. *Colutea* Scorpioides humilior & minor, nobis. Siliquoſa minor, C. B. P. Colutea Scorpioides 1. humilior, Cluſ. Hiſt. Hæc altera Colutea humilior & humi diffuſa neque foliorum numero aut ſitu, aut florum forma vel colore à ſuperiore elatiore differt, ſed hujus virgæ tantummodo ſunt humiliores, bipedales & tripedales; ſiliquæ & ſemina ſunt minus tumida. Uterque hic frutex primus, & ſubfrutex hic ſecundus, hyeme apud Septentrionales marceſcunt, & novo ineunte vere ex ramis nova induunt folia, & flores copioſe ſatis protrudunt: ſiliquæ & ſemina inquam hujus quoad formam & figuram ſunt paria, ſed tenuiora, & breviora præcedentis elatioris ſiliquis & ſeminibus. Vide Iconem in App. ad Legumina.

9. *Colutea* Scorpioides humilior ſiliquis & ſeminibus craſſioribus, nobis. Hæc foliis eſt glaucis, virgis pedalibus imo cubitalibus, lignoſis, rotundis, rugoſo & ruffeſcente cortice veſtitis, in frequentes ramos diviſis: folia alata terna aut aliquando plura uni coſtæ, binis ſemper ex adverſo ſitis, adhærent, uno impari extremam alam occupante, Coluteæ vulgaris foliis ſimilia, ſed majora, glaucique vel cæſii coloris: flores & forma & colore Coluteæ vulgaris ſimiles, ſed majores; quos excipiunt ſiliquæ breviores & craſſiores, magis, & diſtinctius articulatæ vulgaris Coluteæ, atque in ſingulis interſtitiis ſiliquarum ſingula ſemina cylindracea majora & craſſiora continentur: ex Italia inter plurima alia ſemina rariora nobis communicata habuimus ab Alexandro Balam.

10. *Colutea* ſive Polygala Valentina prima, Cluſ. Hiſt. Fruticoſa etiam eſt hæc planta, binos pedes alta, aliquando altior, multas ferens virgulas lignoſas, ſed molles, Sparti inſtar: folia ſeptena, octona, nunc plura, nunc pauciora, binatim ſeu conjugatim coſtis ſuis è regione inhærent, impari uno plerumque numerum parem claudente, Lentis modo, magis tamen carnoſa, & ad Rutæ colorem accedentia, aſtringentis & ingrati guſtus: flores Meliloti ſimiles ſunt, lutei, coronæ in modum ſummis virgulis (quæ magna ex parte nudæ ſunt, & maturo ſemine exareſcere ſolent) inſident; deinde ſiliquæ longæ, incurvæ, teretes, & propendentes tribus aut quatuor internodiis evidentius diſtinctæ apparent; quorum ſingula unicum ſemen durum, oblongiuſculum, at cæteris ſeminibus priorum brevius & durius continent: radix dura, longa, lenta, craſſiuſcula, quæ profert folia perpetuo virentia in climate fervido; at in frigidioribus regionibus hyeme folia ſunt caduca, niſi in conſervatoriis hyemalibus conſervetur ipſa planta.

11. *Colutea* ſiliquoſa minor coronata, C. B. P. Colutea Scorpioides altera, Cluſ. Hiſt. & Pan. Hæc minor coronata, radice nititur craſſâ & lignoſa, lenta tamen & flaveſcente cortice obducta, multiſque fibris prædita, ex qua plures ſingulis annis ineunte vere novas producit virgas pedales, nonnunquam cubitales, lentâs & vimineas, læves, virides, & in his temere

ſparſa

ſparſa & alata folia ex oppoſito ſita, quina, ſeptena, aut novena, uni coſtæ mediæ inhærentia; exſiccantis primum guſtus, deinde nonnihil acrimoniæ in ſummis labris guſtantium relinquentes: flores in pediculorum longorum ſummis naſcuntur, copioſi, leguminacei, & in orbicularem coronam congeſti, flavi, nullo grato odore commendati: quibus ſuccedunt ſiliquæ articulatim diſtinctæ, ſuperioribus breviores; ſemen (ut cæterarum ſuæ ſortis) cylindraceum ſeu oblongum & teres continentes.

12. *Colutea* Scorpioides Cretica odorata, Proſp. Alpin. de Exot. Colutea hæc eſt pulcherrimus ſubfrutex proveniens in Creta inſula, totus argenteo colore lucidus, creſcit cubitali altitudine & altiore; folia,flores,& ſiliquæ,vulgaris Coluteæ Scorpioidis more, proveniunt,ſed in hoc differunt, primo quoad folia quæ in extremo latiora ſunt & coſtæ nudæ pauciora adhærent, quippe quinque utrinque binatim ſeu conjugatim appoſita, & unum in coſtæ mediæ extremo, quæ omnia verſus extremum ſunt latiora, coloris uti dictum argentei: flores etſi figura & colore ſimiles videantur floribus Coluteæ vulgaris Scorpioidis, nihilominus differunt in hoc, quod Creticæ hujus Coluteæ flores ſint odorati, atque Coluteæ vulgaris flores fœteant; ſiliquæ inſuper vulgaris ſunt exiliores & tenuiores, albæ brevioreſque;Creticæ autem ſiliquæ craſſiores ſunt & nigricantes, atque articulis magis evidenter apparentibus conſpiciuntur, & conſequenter ſemina ibidem contenta ſunt multo majora. Vere & ineunte æſtate hæc Colutea Cretica flores fert toto menſe Maio; Julio & Auguſto ſiliquæ matureſcunt, & ſub finem nigreſcunt. Stirps hæc frigoris eſt impatiens unde ægerrime hyeme vivit, niſi ſumma cuſtodiatur cura in conſervatoriis hyemalibus, in hunc uſum conſtructis ut conſerventur plantæ teneræ & exoticæ, & defendantur à rigore hyemis: flores ſunt odorati, diu multumque florent, & ſunt digerentes cum lævi aſtrictione; unde non erraſunt quidam qui Meliloti loco iis in medicina utuntur. Hanc plantam nunc & hac hora non obſtante hyemis rigore vigentem & feliciter creſcentem habemus in conſervatorio hyemali, ex qua innumeros flores elegantes luteos & optime odoratos ſperamus, brevi poſt æquinoctium. Biennio aut triennio abhinc crevit ſeminibus Chalepo ad nos miſſis à Reverendo viro D. *Roberto Huntington* Collegii Mertonenſis Socio digniſſimo, & Mercatoribus Anglis illic degentibus, & mercaturam excercentibus cum popularibus ſuis hic in Anglia, Evangelii prædicatore vigilantiſſimo, cui Hortus Botanicus Univerſitatis plurimas rariores Aſiaticas plantas debet, ſicut Bibliotheca publica plurimos M.S.inde,Chalepo ſcilicet,hujus opera & cura ſeu induſtria ſagaci tranſlatos nunc poſſidet. Sub finem Auguſti anni elapſi quamplurimos protruſit flores eleganter luteos & odoratos, atque Septembri & Octobri numeroſum gregem ſiliquarum articulatarum ad perfectam maturitatem perduxit, in quibus continebantur ſemina perfectiſſime matura, quibus poterit perpetuari & conſervari in plurimis Horti locis. Vide Leguminum Appendicem.

LOCUS & TEMPUS.

7. Colutea *ſiliquoſa ſive Scorpioides major fruteſcens, nobis. Coluteá Scorpioides elatior Cluſii & 8va nobis; Colutea Scorpioides. 1. humilior Cluſii. Sponte naſcuntur in Calenberg viciniſque Viennæ montibus abunde, tum etiam in nonnullis Pannoniæ montanis; quin etiam in Valena Monſpeliani agri ſilva naſci, authores ſunt Pena & Lobelius in Adverſariis ſuis. Ubi ſponte provenit, brevior; at in hortis culta longior & major evadit, & virgas hyeme retinet; florent exeunte vere, & æſtate ſemina ad maturitatem perducunt.*

9. Colutea *Scorpioides ſiliquis & ſeminibus craſſioribus, nobis. Ad oram maritimam Tingitanam viget, unde ipſius ſemina habuimus.*

10. Colutea *ſive Polygala Valentina 1. Cluſii. Salmanticenſi agro frequens eſt ſecundum vias: in Granatenſi, Murciano & Valentino regnis, locis arenoſis & declivibus collium obſervabat Carolus Cluſius. Apes illic plurimum mellis ex ejus floribus colligere creduntur. Vulgo Salmanticenſibus* Coronilla de Rey, *quaſi Sertula Regia, & iſtic Meliloti vice utuntur. Granatenſes & Murciani* Lentejuëla *id eſt Lenticulam, Valentini Polygalam appellant, ac proinde nomen commune ſeu Synonymum erit huic generi intermedio, Colutea, Polygala ſive Coronilla, quæ à cæteris herbis Leguminoſis hujus capitis differunt ſiliquis tenuibus, longis, teretibus, ſemina per articulos in ſe continentibus, longa, teretia, & cylindracea.*

11. Colutea *ſiliquoſa minor coronata, C. B. P. Colutea Scorpioides altera, Cluſ. Hiſt. & Pan. Creſcit in montium radicibus, qui Danubio &* Calenberg *imminent. Floret Junio; & Auguſto maturatur ejus ſemen.*

12. Colutea *Scorpioides Cretica odorata, Proſp. Alpin. de Exot. Provenit in Creta Inſula & circa*

ca Chalepum; floret vere & ineunte æſtate, flores fert toto menſe Maio & aliquando Junio; verſus finem æſtatis, ſiliquæ articulatæ, craſſæ, nigræ perficiuntur, in quibus continentur ſemina cylindracea matura flaveſcentia.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Lactis copiam procreare fertur Colutea, non minus quam Polygala ſecundum nominis etymon. Apes plurimum mellis ex Coluteæ floribus colligere dicuntur: Granatenſes & Murciani Meliloti vice utuntur Polygalæ floribus.

NOMINA.

7. Colutea *ſiliquoſa ſive Scorpioides major fruteſcens, nobis. Colutea Scorpioides* 1. *elatior, Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Colutea Scorpioides, Ad. Lob. Lugd. Hiſt. Cam. Ep. Colutea Scorpioides major, Park. C. B. P. Colutea Scorpioides, I. B. Emerus vulgo, Cæſalp.*
8. Colutea *Scorpioides humilior, nobis. & Ger. Colutea Scorpioides* 1. *humilior Cluſ. Hiſt. Scorpioides* 2. *Tab. Siliquoſa minor, C. B. P. Colutea Scorpioides humilior ſive minor, Park.*
9. Colutea *Scorpioides humilior ſiliquis craſſis, nobis.*
10. Colutea *ſive Polygala Valentina* 1. *Cluſii, nobis. Polygala altera, C. B. P. Polygala Valentina* 1. *Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Colutea Valentina Cluſii, Park. Lugd. Hiſt. Taber. Colutea ſive Polygala Valentina, Ger. Coronilla ſive Colutea minima, Lob. Coluteæ parva ſpecies, Polygala Valentina Cluſii, I. B.*
11. Colutea *ſiliquoſa minor coronata, C. B. P. Colutea Scorpioides altera, Cluſ. Hiſt. Pan. Colutea Scorpioides* 3. *Tab. Colutea Scorpioides montana, Ger.*
12. Colutea *Scorpioides Cretica odorata, nobis. Colutea Cretica odorata, Proſp. Alpin. de Exot.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 349. col. 1. pl. 1. Polygala major Maſſiliotica & ibidem col. 2. pl. xi. Polygala altera, & pag. 396. & 397. Colutea ejuſque ſpecies male à Caſparo Bauhino disjunguntur ſeu ſeorſim diſponuntur: cum paribus donentur ſiliquis articulatis, continentibus in ſingulis interſtitiis ſingula ſemina oblonga & cylindracea, debent conjungi & ibidem collocari, quandoquidem eadem afficiantur nota generica ex libro naturæ obſervata. Quamvis Polygala ſit tantum Herba, & Colutea frutex lignea materia ſeu ſubſtantia donatus, propter ſtrictius vinculum utrique commune à natura datum, id eſt ſiliquas articulatas & ſemina cylindracea, eodem à nobis reducentur neglecta ſubſtantia lignea, quæ eſt communis multis ſubfruticibus bivalvibus.

---

§. 4. ORNITHOPODIUM.

ORnithopodium *id eſt avis pes, à ſimilitudine quam ſiliquæ aduncæ cum pedibus aviculæ habent, ſic dicitur, quodque veteribus incognitum niſi forte ad Polygalon Dioſcoridis l.* 4. *c.* 142. *referatur.*

Ornithopodium convenit cum cæteris Leguminibus hujus capitis, foliis alatis, & floribus papilionaceis, imo & ſiliquis articulatis; ab iiſdem differt quod ſiliquas proferat aduncas, pedes avicularum referentes, plurimas ſimul junctas, atque in ſingulis interſtitiis ſeu intercapedinibus ſemina ſunt compreſſa, contenta in folliculis ſeu ſiliquis paululum compreſſis, & in medio tumidis.

1. *Ornithopodium* majus, C. B. P. Ornithopodium, Dod. ut. Puſillum hoc Legumen alatum & foliis binatim & conjugatim coſtæ mediæ adhærentibus donatum, apte ſatis & non ſine ratione Ornithopodium dicitur, à ſimilitudine nempe pedum digitatorum avicularum: ſiliquæ quinæ, nunc pauciores, nunc plures, uni petiolo ſeu pediculo nixæ, articulatæ & fragiles exſiccatæ, inter granum & granum quaſi conjunctæ, ubi apparent ſemina

na tumidæ conſpiciuntur ſiliquæ paululum compreſſæ, & adhuc virentes hirſutæ, curvæ: parvulis multis tenuibus ac gracilibus exit cauliculis per terram ſtratis: folia inquam rachi adhærent è regione plurima, rotunda, parva, hirſuta, Lentis foliis minora & tenuiora: floſculi exigui, lutei & partim candidi, in parvorum petiolorum faſtigiis denſé coacervati: ſiliquæ parvæ, tenues, quales ſupra diximus; in quibus quina, ſena minuta, ſubrotunda, paululum compreſſa, in medio tumida, continentur ſemina.

Eſt & alia Icon Ornithopodii depicta, ſculpta & exhibita, à Dalechampio in Hiſtoria Lugdunenſi, cujus radicum Fibræ ſcatent tuberculis nodoſis; ſed hoc contingit ſæpe & multis aliis Leguminibus, nec debet pro ſpecie diſtincta haberi: hoc multoties obſervavimus in aliis hujus claſſis ſpeciebus naturâ ſic ſubinde ludente.

14. *Ornithopodium* minimum δικέρατον ſeu ὀλιγοκέρατον, nobis. Forte Ornithopodium puſillum Penæ, Hiſtoriæ Lugdunenſis. Forte etiam ſcorpioides leguminoſa altera, Johannis Bauhini. Hæc plantula leguminoſa viticulos emittit læves, cavos, rectos, dodrantales aut majores, in ramulos diviſos, ſed foliola utrinque ordine pari in coſtam aggeſta, anguſtiora, pauciora, ſeu rarius diſpoſita, & quoad figuram Ferri equini foliolis ſimillima, quippe quæ notabili nervo ſeu coſtâ mediâ fere donata ſint: pedicillorum extremis floſculi hærent, ſingulis gemelli, aliquando terni, flavi, cum Ornithopodii floribus cùm figurâ, tum magnitudine, apprime convenientes; quibus ſingulis flacceſcentibus ſuccedunt ſiliquæ articulatæ, propendentes è pediculornm ſummis, longæ, teretes, paululum incurvæ, nec compreſſæ ſicut Ornithopodii vulgaris & ſequentis ſiliquæ, ac proinde multo anguſtiores, graciliores & glabræ; nullis interim nec ſtriis, nec lanugine, donatæ; obſcuris tamen (uti dictum) articulis quibuſdam intervallis longioribus, ſeminibus pariter in interſtitiis longioribus, tenuioribus, admodum parvis & ſubrotundis, diſtinctæ.

15. *Ornithopodium* αἰγοκέρατον, nobis. Ornithopodio affinis hirſuta Scorpioides, C. B. P. Scorpioides leguminoſa, Ad. Lob. Lugd. Puſilla hæc Leguminis ſpecies alata ſeu πλαγιοκαύλη radice nititur fibroſa: cauliculos procumbentes habet (male Dalechampius in hiſtoria ſua Lugdunenſi rectos aſſerit) graciles, pedales & ſeſquipedales in hortis bene cultis, at palmares & ſeſquipalmares in ſterilibus & ſabuloſis ſeu glareoſis arvis, in horum faſtigio admodum incurvis mucronibus apparent adunca cornicula ſtriata, Fœnogræco rotundiora, graciliora tamen inſunt ſemina, binatim incluſa in ſterilibus arvis, in hortis autem cultis quaterna, quina ſenave, grana continentur in ſingulis corniculis, quæ introrſum flexas ſcorpionum caudas tranſverſis articulis ac lineis ſtriatis variegata & hirſuta repræſentantia, bina caprorum cornua aſpectu pulchro, nodis & protuberantiis ſuis imitantur, unde illi nomen à nobis impoſitum. At in pingui ſolo & in hortis cultis caules ſunt bicubitales & longiores atque in ſingulis alis eminent plures flores lutei, terni, quaterni, imo quini aliquando, quibus totidem ſuccedunt cornicula incurva.

LOCUS & TEMPUS.

13. *Naſcitur Ornithopodium majus paſſim in arvis arenoſis & ſabuloſis, ſegetalibus, ſiccis atque in locis incultis, veluti in collibus, pratis ſiccis & apricis, ac ſecus vias. Floret per totam æſtatem, atque ſub ejuſdem finem ſiliquas ſuas, in quibus continentur parva ſemina compreſſa, perficit.*

14. Ornithopodium δικέρατον *minimum, nobis. Dominus Agerius lectam & ſemine communicatam Johanni Bauhino ex agro Neapolitano hanc puſillam plantulam impertitus eſt. Nos copioſe & abundanter inter ſegetes provenientes intra ſepta Regiæ Chambort, octavo ab oppido Blæſis lapide reperimus, atque ex ſemine illic collecto & ſato figuram hanc ſculpendam ſub finem* 10. *Tabulæ curavimus: floret æſtate, & ſub ejuſdem finem perficit ſemen ſuum.*

15. Ornithopodium αἰγοκέρατον *provenit in agro Neapolitano in plurimis locis juxta vias inter Scillas. Scorpiodem à formâ ſiliquarum intortarum adinſtar ſcorpionis caudæ appellavimus & addidimus Leguminoſam, ad determinandum ſuum genus, ſcilicet Legumen. Floret verſus finem æſtatis, & ſemen perficit ineunte Autumno.*

NOMINA.

13. Ornithopodium *majus, C. B. P. Park. Ger. Ornithopodium, Dod. Vt. Ad. Lob. Lugd. Hiſt. Geſn. Hort.*

14. Ornithopodium *minimum* δικέρατον *ſeu* ὀλιγοκέρατον, *nobis. Forte Ornithopodium puſillum Penæ, Lugd. Hiſt. Forte etiam Scorpioides leguminoſa altera, I. B.*

15. Ornithopodium ἀιγοκέρατον, *nobis. Ornithopodio affinis hirſuta Scorpioides, C. B. P. Scorpioides leguminoſa, Ad. Lob. Lugd. Hiſt. Park. Ger. I. B.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

PAg. 350. col. 2. pl. 11. Ornithopodium minus, C. B. P. Ornithopodium perpuſillum, Ad. Lob. Lug. Ibidem. pl. 111. Ornithopodium radice tuberculis nodoſa, C. B. P. Ornithopodium tuberoſum Dalechampii, Hiſt. Lugd. Entia non ſunt multiplicanda ſine neceſſitate, cum Ornithopodium minus ſic dicatur, quia in macro & ſterili aut arenoſo ſolo proveniens, perpuſillum eſt; at ex puſilli ſemine ſato, in agro pingui & bene ſtercorato protrudit majus: deinde tuberoſum Dalpii non conſtituit novam ſpeciem, quia natura ſic ludente, plurima Legumina à radicum fibris protrudunt tubera: idcirco hoc non conſtituit novam Ornithopodii ſpeciem, nam quæ poſſunt adeſſe & abeſſe, non determinant ſpeciem; ſed variationem aut varietatem: quæ autem ſemper eodem modo ſe habent, eaque diſtincta ab aliis, conſtituunt diſtinctas ſpecies.

Ornithopodio affinis hirſuta fructu ſtellato, C. B. P. Vicia Seſamacea Apula, Colum. Vide Hallucinationes Caſpari Bauhini ad finem explicationis ſtellæ Leguminoſæ, pag. 81. Hiſt. Oxon.

LEGUMINA

SIVE

Siliquoſæ Papilionaceæ ſiliquis Articulatis aſperis Donatæ.

§. 5. Scorpioides Leguminoſa, ſeu Scorpioides Papilionacea Siliquis Articulatis.

ΣΚορπιοειδὴς *Dioſcoridi l.* 4. *c.* 195. *quod ſemen habeat ad ſimilitudinem caudæ ſcorpionis, & quod ſcorpionum ictibus præſentaneo ſit auxilio: & Plinio l.* 22. *c.* 15. *cui Scorpius dicitur, quod Clymenum Dioſcoridis eſſe Cæſalpinus & Columna volunt.*

Tametſi Dioſcorides unius Scorpioidis leguminoſæ tantummodo meminerit, nos ſex Scorpioidis ſpecies, diſtinctis ſuis notis eſſentialibus & ſemper eodem modo ſe habentibus cognoſcibiles, in medium adferemus. Prima ſpecies eſt Scorpioides Bupleuri folio, corniculis aſperis, hirſutis, minus contortis, nobis ſic dicta: ad Scorpioidem legitimam Dioſcoridis valde accedit, quam ait eſſe βοτάνιον φύλλα ἔχον ὀλίγα καὶ σπέρματα ὥσπερ σκορπίου ἔμφερῆ, id eſt herbulam paucis foliis, ſemine ſcorpionis caudæ effigie. Dicitur σκορπιοειδὴς Dioſcoridi. Plinio latine Scorpius herba l. 22. c. 15. ex argumento nomen accepit Scorpius herba: ſiliquam articulatam, & incurvatam ad ſimilitudinem caudæ ſcorpionis, & folia pauca habet. Valet & adverſus animal ſui nominis. Eſt tamen Scorpius herba alia, quæ à Theophraſto Nepa dicitur, de qua nos ſuo loco inter ſubfrutices echinatos, papilionaceos, ſiliquoſos, & bivalves dicemus.

Explicatio Tabulæ undecimæ, Sectionis ſecundæ.

S*Corpioides*, herba leguminoſa, à flore papilionaceo luteo, & ſiliquis articulatis ſive hiſpidis ſive ſtriatis, facile diſtinguitur à Scorpioide aquatico Echii ſpecie, & ab omnibus ante dictis Leguminibus alatis ſeu πλαγιοκαύλοις, id eſt, quorum folia ſunt binatim ſeu conjugatim coſtæ mediæ adhærentia, uno impari extremum coſtæ mediæ occupante. Folia Scorpioidis leguminoſæ diverſo modo ſe habent; vel enim ſingulatim caulibus adnata proveniunt, vel conjugatim è regione ponuntur: omnes autem ſpecies Scorpioidis leguminoſæ, ſiliquas curvas articulatim

ticulatim junctas & lituo ſimiles habent, quo venatores ad canibus animum addendum inter venandum utuntur, & ſemen ſapore omnino Legumen redolet, ut prædicta ſuperiora Legumina ſiliquis articulatis donata, & in Tab. ſuperiore 10. explicata; idcirco eaſdem has ſtirpes leguminoſas huc retulimus inter conſimiles, neglecta ſtructura foliorum ſpiſſorum quæ ſecundum doctrinam noſtram poterint inſervire ad ſpecies determinandas, junctâ ſiliquarum curvitate majore aut minore, hirſutie aſperiore aut læviore, ſic ſingulatim & ſpecifice deducemus ſingulas ſpecies militantes ſub hoc genere intermedio. Nota igitur generica Scorpioidis leguminoſæ eſt habere ſiliquam incurvam, tubæ curvæ aut litui inſtar articulatim per interſtitia junctam, & flava ſemina curva aut reniformia in ſe continentem, quæ aliorum Leguminum more, etiam Legumina redolentia, in prædictis ſiliquis concluduntur. Jure igitur merito Scorpioides leguminoſa hunc locum inter congenera, ſcilicet Legumina vindicabit. Hiſce prædictis adjiciemus plantas quaſdam leguminoſas, ſiliculas echinatas, criſtatas ſingulatim & ſpicatim, non articulatim producentes.

Poligala dumetorum minor ſiliquis articulatis pallide cærulea, nobis. Securidacæ ſecundæ altera ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Hujus deſcriptionem exhibuimus in explicatione Tabulæ nonæ ſuperioris, quam illic conſule; etiamſi ejus Icon ſculpatur hic prima, conſtituit quintam plantam ordine in Tab. ſuperiore nona.

I. S*Corpioides* Bupleuri folio, corniculis aſperis, hirſutis, minus contortis, nobis. Scorpioides prius, Dod. Tametſi unius Scorpioidis meminit Dioſcorides, nos autem ſex diſtinctas ejuſdem ſpecies in medium proferimus, & ſculptas ſiliquas diverſas in Tabula hac oſtendimus. Prima parvula ac humilis eſt herba Leguminoſa, aliquot teneros ramulos proferens pedales, & longiores aliquando in pingui ſolo, qui utplurimum in latus declinant & humi procumbuut, raro aſſurgunt propter imbecillitatem caulium, circa quos folia oblonga, latiuſcula, craſſa, & ſpiſſa ſatis, Bupleuri foliorum æmula: in caulium cimis floſculi papilionacei lutei, ſed minores, aliorum Leguminum more apparent: quibus marceſcentibus ſuccedunt ſiliquæ aſperæ, hirſutæ, ſeu hiſpidæ, erucæ villoſæ in ſe convolutæ ſimiles, articulatim ſeu geniculatim cohærentes, curvæ inſtar ſcorpionum caudæ, unde ei nomen Scorpioidis: ſemina in ſingulis interſtitiis protuberantibus inter geniculum & geniculum aut incurva, lunæ novæ effigiem referentia, aut reniformia continentur.

II. *Scorpioides* Bupleuri folio, corniculis aſperis magis in ſe contortis & convolutis, nobis. Hæc Scorpioidis ſpecies altera neutiquam differt à priore quoad folia Bupleuri facie, nec floribus papilionaceis luteis, ſed ſiliquis magis in ſe convolutis & pilis brevioribus tectis.

III. *Scorpioides* Bupleuri folio, corniculis craſſioribus & magis ſpongioſis litui inſtar contortis & in ſe convolutis, nobis. Hæc tertia ſpecies, nec foliis, nec floribus luteis papilionaceis, quoad figuram à prædictis differt; magnitudine ſolummodo floris & craſſitudine ſiliquarum, molli & ſpongioſâ materiâ tectarum, contortarum, & in ſe convolutarum litui inſtar, in quibus continentur per articulos in ſingulis interſtitiis ſemina prioris duplo majora, nec tam incurva.

IV. *Scorpioides* Bupleuri folio, corniculis aſperis & rugoſis ſeu rigidis, ſtriatis ſeu ſulcatis, litui inſtar contortis & in ſe convolutis, nobis. Quarta hæc ſpecies folia pariter habet Bupleuri, flores luteos papilionaceos ejuſdem formæ ac figuræ cum prædictis: ſiliquam aſperam & rugoſam ſeu rigidam, ſtriis & ſulcis præditam, litui etiam in modum contortam & in ſe convolutam: ſemina reniformia duplo præcedentis minora.

V. *Scorpioides* Portulacæ folio, corniculis longioribus, tenuioribus ac articulatis, nobis. Scorpioides, Matth. Lob. Hanc plantam à floribus papilionaceis & ſiliquis articulatis, ſemen Legumen redolens in ſe continentibus, Legumen eſſe declaramus, non obſtante diverſa figura & ſimilitudine foliorum congruentium cum aliis plantis toto cœlo differentibus: folia etenim hìc (ut & alibi) inſervient ad tales ſpecies Scorpioidis conſtituendas. Hæc ſpecies ergo Scorpioidis Portulacæ foliis, cauliculos edit ſatis numeroſos foliiſque abunde conveſtitos, quorum terna ſimul cohærent circa ramos ſeu cauliculos prædictos; horum medium impar, extremum pediculi claudens, bina è regione poſita magnitudine & præcipue longitudine ſuperat, & Portulacæ foliis craſſitudine quodammodo accedit, unde ei denominatio ſpecifica: floſculi papilionacei, lutei, bini, terni & nonnunquam quini, nunc plures, nunc pauciores, in ſummis virgulis eminent; quibus ſingulis marceſcentibus ſubnaſcuntur ſiliquæ ſingulæ articulatæ, tenues admodum, & longæ, faſtigio acuminatæ & reflexæ, inſtar ſcorpionis caudæ recurvatæ, in quibus ſemina per articulos oblonga, tenuia, in ſingulis interſti-

tiis articulorum latent, Galegæ ſeminis forma, ſed tenuiora & exiliora.

VI. *Scorpioides* Viciæ foliis minima, nobis. Hæc minima Scorpioidis ſpecies cauliculos edit pedales, humiles, & per terram ſtratos, ex quorum geniculis oriuntur coſtæ mediæ alternatim cauli adhærentes, & bis quatuor foliis longis, mucronatis, glabris, in mucronem deſinentibus, alternatim etiam ſitis, uno impari extremum coſtæ claudente, onuſtæ; atque ex alis inter coſtam & caulem oriuntur petioli biunciales, triunciales, ſuſtinentes in eorum faſtigio binos, aut ternos, nunc plures, nunc pauciores floſculos papilionaceos, luteos; quorum ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ, longæ, tenues, & articulatæ, continentes in ſingulis interſtitiis ſingula ſemina minuta, rotunda, longa. Vide Tab. 20. in App. Sectionis 2[dæ]

LOCUS & TEMPUS.

Scorpioides *Bupleuri folio, pleriſque locis aridis & montoſis, in olivetis quoque Galliæ Narbonenſis, ſponte naſcitur, circa patibulum Monſpelienſe &* Caſtelnau, *in colle juxta viam ad ripam fluvii Lani; floret illic menſe Aprili, & Maio, ac Junio ſiliquas & ſemina ſua perficit. In aridis & montoſis Monſpelio vicinis frequens Lobelio occurrebat, alibi rarius niſi in hortis, ubi multo magis luxuriat quam in aridis ſponte proveniens.* Sæpe ſæpius obſervavimus anuuas plurimas, in macris, aridis & arenoſis locis provenientes, vix palmarem attingentes altitudinem; in hortis ſatas, ubi felicius & plenius nutriebantur, pedalem & ſeſquipedalem conſequutas fuiſſe longitudinem. Hoc conſpicere licet in hiſce, & aliis hujus farinæ, inter leguminoſas non ſolum plantas, ſed paſſim in tota congerie plantarum; adeo ut ſilveſtres appareant diverſæ omnino ſpecies ab iiſdem numero ſpeciebus in hortis cultis, habita ratione tantum magnitudinis aut parvitatis, quæ, à locis in quibus nutriuntur plantæ ipſæ, dependet.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Scorpioides *contra ſcorpionum (animalium ejuſdem fere nominis) ictus præſenti remedio ſeu auxilio eſt, teſte Dioſcoride.*

NOMINA.

I. Scorpioides *Bupleuri folio corniculis aſperis, hirſutis, minùs contortis, nobis. Scorpioides Bupleuri folio, C. B. P. Cam. Tab. Ger. Bupleuri folio major, Park. Repens (perperam:* procumbens *adhiberi debuit) Bupleuri folio, Lob. Ad. & Icon. Prior, Dod. Scorpioides, Lugd. Dod. Gall. I. B. Chabr. Sciagraph. & Icon. Auricula leporis vulgo, Cæſalp. Catanance quorundam, Cam. Clymenum Dioſcoridis, Colum.*

II. Scorpioides *Bupleuri folio corniculis aſperis magis in ſe contortis & convolutis, nobis. Scorpioides ſiliqua campoide hiſpida, I. B. Chabr. ubi figuratur. Nos ex ſiliquâ ipſa naturali noſtram depingendam & ſculpendam curavimus figuram.*

III. Scorpioides *Bupleuri foliis corniculis craſſioribus, mollioribus ſeu magis ſpongioſis, litui inſtar in ſe contortis & convolutis, nobis. Scorpioides Bupleuri folio ſiliquâ craſſâ Boëlii, Ger. Deſc. Scorpioides major, Park. Parad.*

IV. Scorpioides *Bupleuri folio corniculis aſperis & rugoſis rigidis & ſtriatis ſeu ſulcatis, litui inſtar in ſe contortis & convolutis, nobis. Scorpioides ſiliquis lenibus, Park. Pag.* 1116. *Male ab ipſo diſponitur extra claſſem inter Medicas cochleatas.*

V. Scorpioides *Portulacæ folio, corniculis articulatis, longioribus ac tenuioribus, nobis. Scorpioides Portulacæ folio, C. B. P. Scorpioides, Matth. Ger. Lob. Icon. Scorpioides Mattheoli ſeu Portulacæ folio, Park. Scorpioides Mattheoli, Dod. ut. Geſn. Hort. Lugd. Cam. Telephium Dioſcoridis ſeu Scorpioides (ob ſiliquarum ſimilitudinem) C. B. P. & infra Scorpioides Portulacæ folio eidem.*

VI. Scorpioides *minima Viciæ foliis, nobis.*

HALLU-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI

Aliorumque Authorum.

PAg. 287. Col. 2. pl. VII. Telephium Dioſcoridis ſeu Scorpioides, &c. male primo collocatur à Caſparo Bauhino inter Telephia, cum omnes Telephii ſeu Craſſulæ ſpecies, flores, capſulas ſeminales & ſemina, more Sedi producant; at hoc Telephium (ita dictum, Dioſcoridis fortaſſis, ab authoribus, propter conformitatem in foliis craſſis, ſpiſſis, adinſtar Telephii) cum flores papilionaceos, ſiliquas articulatas; & ſemina leguminoſa in ſingulis interſtitiis articulorum, Legumina perfecte redolentia habeat, debet hic inter Legumina papilionacea ſiliquis articulatis in ſe contortis & convolutis donata locari; non autem inter Telephia. Deinde bis repetitur eadem Planta, ſemel cum Telephio Pag. 287. Col. 2. pl. VII. & ibidem pl. 11. ſub nomine Scorpioidis Portulacæ folio; quæ debent conjungi, non obſtante diverſorum authorum nomenclatura, quia ſunt tantum Synonyma unius ejuſdemque plantæ. Porro male à Caſparo Bauhino Scorpioides Legumen (ut ſupra probatum) diſponitur inter Telephium & Portulacam, cum quibus nil habet affine nec in floribus, nec capſulis ſeminalibus, nec ſeminibus; quare amandetur ad Legumina ſuæ ſortis ſiliquis articulatis prædita, quemadmodum nos præſtitimus hic, non ſine ratione.

LEGUMINA

Sive

Siliquoſæ Papilionaceæ ſiliquis Articulatis Aſperis donatæ.

Onobrychis Papilionacea.

§. 6. ONOBRYCHIS ſiliquis ARTICULATIS ASPERIS.

ONοβρυχὶς *ab aſini ruditu nomen obtinuit: Latinis ſimiliter Onobrychis dicitur. Dioſcorides l. 3. c. 152. & Plinius l. 24. c. 16. folia Lentis paulo longiora, caulem dodrantalem, florem puniceum, radicem parvam tribuunt.* Ad Onobrychidis claſſem has ſubſequentes plantas poſt Scorpioidis genus, tanquam illi à ſiliquis articulatis omnino affines, huc nos retulimus.

Onobrychis floribus papilionaceis & ſiliquis articulatis aſperis, convenit cum pluribus Scorpioidis ſpeciebus ſupra explicatis, quoad flores & ſiliquas articulatas; at diſcrepat foliis, cùm à Scorpioide, tum à cæteris hujus Sectionis: hæ Onobrychides folia conjugatim ſeu binatim coſtæ mediæ adhærentia habent, non è regione ſed alternatim, uno impari extremum coſtæ claudente: eſtq; Onobrychis duplex habita ratione ſiliquarum, vel enim ſiliquæ ſunt articulatæ aſperæ, vel echinatæ criſtatæ; prior etiam duplex habita ratione foliorum, quæ vel ſunt alternatim adhærentia coſtæ mediæ, vel modo Trifolii. Vide Tab. 11. ejuſque Icones.

7. *Onobrychis* major perennis ſiliculis articulatis aſperis, clypeatis, rectà junctis, flore rubertimo & albo, nobis. Onobrychis altera, Dod. Hæc Onobrychis ramis eſt cubitalibus, bicubitalibus, imo in hortis bene cultis tricubitalibus, concavis, glabris, craſſiuſculis, nunc procumbentibus, ſæpius tamen erectis, multis tamen ex radice eâdem ortis: caulibus coſtæ adhærent aliorum Leguminum more, quibus coſtis folia plurima non ex oppoſito (ut vulgo in cæteris omnibus quaſi Leguminibus fit,) ſed alternatim naſcuntur folia quaterna, quina, hinc inde longa, mucronata ſeu in acumen deſinentia, extremo majore impari & longiore coſtæ finem occupante; folia inquam prædicta Glycyrrhizæ foliis quodammodo ſunt ſimilia, paulo tamen breviora, latiora, glabra & glauca, exceptis marginibus, paucis villis ornatis, ſapore nullo manifeſto niſi tantillum aſtringente: ex alarum ſinu prodeunt ſurculi ſeu pediculi ſingulares, qui complures flores in ſpicam digeſtos ferunt in ſummis ſurculorum papilionaceos, amœnos, Geniſtæ magnitudine ſed ſature rubentes: quibus paulatim fatiſcentibus

ſcentibus, ſuccedunt concatenatim ſeu potius coacervatim ſiliquæ longæ, biunciales, aliquando longiores, aſperæ, compreſſæ, oblongæ ſeu clypeatæ, ſingulæ adhuc virides per articulos arcte junctæ, exſiccatæ ruptu faciles, ex ternis, quaternis, aliquando quinis ſiliculis bivalvibus clypeiformibus (unde ei nomen ſpecificum) conſtant, in quarum ſingulis unicum continetur ſemen compreſſum, cæterorum Leguminum ſemina maſticatione ſapiens. Vivit per multos annos in Meridionalibus tractibus, in Septentrionalibus vero per pauciores annos, præcipue poſtquam affatim & copioſe ſemina ſua fuderit autumno, & ſi poſtea hyems rigida ſupervenerit mature, antequam radix vires ſuas recuperaverit, poſt partum illum multiplicem ſeminum perit. Datur & hujus varietas flore albo, quæ ſolo florum colore, & foliis dilutius virentibus diſtinguitur à prædictâ jam deſcripta: radix hujus eſt etiam perennis.

8. *Onobrychis* major annua ſiliculis articulatis aſperis clypeatis undulatim (id eſt antrorſum & retrorſum) junctis, flore purpurorubente, nobis. Hæc nova & peramœna Onobrychidis ſpecies caules producit non tam proceros, nec tam craſſos, quam prior perennis deſcripta: iis ad eundem modum coſtæ adnaſcuntur, quibus pariter folia adhærent dilutius multo virentia, foliis Onobrychidis prædictæ flore albo ſimilia: flores in cimis caulium ſpicatim proveniunt, ſed ſunt à majoris perennis floribus colore diverſi, ſunt enim multo dilutius rubentes, admixto pauco cæruleo aut violaceo colore: deinde ſiliquæ longæ articulantur ſiliculis aſperis, clypeatis, non rectâ junctis ut in priore perenni, ſed undarum in modum, ante & retro plicatis ſeu angulos obtuſos in ſingulis articulorum plicis efficientibus. Eſt hæc planta annua, ſpatio octo menſium ſemina ſua poſt ſationem ad maturitatem perducens, & deinde totaliter periens: ſic ex hiſce aſſignatis notis hæc aperte & manifeſte diſtinctam & novam ſeſe ſpeciem detegit.

9. *Onobrychis* major perennis Canadenſis triphylla ſiliculis articulatis aſperis triangularibus, nobis. Hedyſarum triphyllon Canadenſe, Corn. Hedyſarum triphyllon Americanum, Park. Hujus altitudo in frigidis locis, duorum aut trium eſt cubitorum, in apricis vix ad unum erigitur: caules numeroſi ab unâ radice valde fibroſâ pullulant, anguloſi, medulloſi, ſtriati, nunc virentes, nunc pallentes, & aliquando rubentes; mediâ caniculari tempeſtate flores prodeunt ſpicatim digeſti, Onobrychidis prioris perennis primæ floribus ampliores, quorum florum petalum ſuperius & erectum (vexillum nobis in omnibus Leguminum floribus dictum) ſaturatius rubet, reſpectu lateralium ſeu labialium petalorum; labialia enim bina dilutius & pallidius & quaſi obſolete rubent: floris emarceſcentis roſtro ſuccedit ſiliqua uncialis, aliquando biuncialis, articulata per internodia, conſtans pluribus ſiliculis triangularibus, ſimul junctis, ſingulis per articulos diſtinctis & determinatis, atque in ſingulis hiſce ſiliculis triangularibus exſiccatis ſeu perfecte maturis, aſperis, & conſequenter veſtibus prætereuntium adhærentibus, continentur ſingula ſemina, quaſi reniformia, duplo prioris primo loco deſcripti, & clypeatâ ſilicula donati, ſeminibus majora. Unde à ſiliculis triangularibus articulatis, aſperis, ſeu articulatim junctis, hanc plantam exoticam Onobrychidem majorem perennem Canadenſem triphyllam &c. denominavimus, potius quam Hedyſarum triphyllum Canadenſe, deſumendo denominationem à fine ultimo, id eſt à modo ſiliquas producendi; folia etenim terna & ſiliculæ triangulares ſpecifice eandem diſtinguunt ab Onobrychide prima, ſiliculis articulatis clypeiformibus & foliis oblongis allatis donatâ: nec aptius mea ſententia collocari poterat hæc planta, quam inter conſimiles: ſpreto & neglecto nomine Hedyſari primò à *Jacobo Cornuto*, deinde à *Johanne Parkinſono* noſtrate indito, propter rationes inter Hallucinationes infra hic adferandas: radice nititur fibroſa, ſubnigra & diu durante: pullulant inquam folia Aprili menſe, initio quidem, ſtatim ſub exitum è terra rubentia (hoc enim commune ipſi cum multis aliis diverſi generis plantis) quæ brevi poſt atrovireſcunt, è longis ſatis pediculis alternatim ortis exeuntia, terna, longa & acuminata folia Trifolii bituminoſi figurâ, ſed nec ejuſdem conſiſtentiâ, nec odore; tota enim planta inodora eſt.

LOCUS & TEMPUS.

7. Onobrychis *major perennis ſiliculis articulatis aſperis clypeiformibus, rectà junctis, nobis. Onobrychis altera, Dod. Hæc provenit in monte Baldo, teſte* Johanne Pona. *Fredericus Meieirus Septembri obſervavit in pratis Senenſium copioſe provenientem, ſemenque maturum edentem. Hanc Onobrychidem, illic hyeme equis pro pabulo optimo exhibebant; eandem etiam attullit collectam in via Romana Viterbam verſus* Henricus Cherlerus *gener* Johannis Bauhini. *Eadem*

flore

flore albo ex ſatione provenit cum vulgari rubro: utraque & rubra & alba floret verſus initium æſtatis aut ejuſdem medium; ſemina perficit autumno.

8. Onobrychis *major annua ſiliculis articulatis aſperis clypeiformibus undulatis, ante & retro plicatis & angulos obtuſos efficientibus, nobis. Sponte provenit in Aſia, unde ſemina habuimus rariſſimæ hujus Onobrychidis anno elapſo communicata, atque Chalepo Aſiæ emporeo nobiliſſimo ad nos miſſa, curâ & induſtriâ Reverendi Viri* D. Roberti Huntington *apud nos Oxonienſes Collegii Mertonenſis Socii digniſſimi, apud mercatores Anglos illic degentes & mercaturam excercentes Verbi Dei diſpenſatoris fideliſſimi, à quo plura indies rariora ſemina Aſiatica ſperamus & expectamus. Floruit Auguſto menſe, & ſemen ad maturitatem autumno perduxit.*

9. Onobrychis *major perennis Canadenſis triphylla ſiliculis articulatis aſperis triangularibus, nobis. Advenit primò ex Canada, Virginia, aliiſque Americæ locis, ubi ſponte provenit; colitur in hortis Botanices ſtudioſorum. Floret verſus finem æſtatis, citius in Meridionalibus plagis, tardius in Septentrionalibus; ſemina maturantur Octobri & Novembri.*

NOMINA.

7. Onobrychis *major perennis ſiliculis articulatis aſperis clypeiformibus rectà junctis, nobis. Onobrychis ſemine clypeato aſpero major, C. B. P. Onobrychis altera, Dod. Hedyſarum alterum clypeatum, Lob. Lugd. Hedyſarum vulgare clypeatum, Park. Clypeatum, Ger. Hedyſarum Clypeatum florens & ſemina ferens duabus figuris repræſentatum, I. B. Chabr.*

8. Onobrychis *major annua ſiliculis articulatis aſperis clypeiformibus undulatis, ante & retro plicatis & angulos obtuſos efficientibus, nobis.*

9. Onobrychis *major perennis Canadenſis triphylla, ſiliculis articulatis aſperis triangularibus, nobis. Hedyſarum triphyllon Canadenſe, Corn. Hedyſarum triphyllon Americanum, Park.*

§. 7. Onobrychis ſiliculis echinatis criſtatis & lævibus donata. Onobrychis ſeu Caput Gallinaceum.

10. *Onobrychis* major ſiliculis echinatis criſtatis in ſpica digeſtis, nobis. Onobrychis, Dod. Onobrychis caput gallinaceum, Park. Hæc caules profert à radice multos cubitales, non ſuâ quidem ſponte erectos, ſed procumbentes; folia habet Galegæ ſimilia, tenuiora tamen multo, & ſubtùs albicantia, ex pluribus anguſtis foliolis binatim coſtæ mediæ adhærentibus, & in acutum mucronem deſinentibus coacervata: flores papilionacei in longiſſimis ſpicis palmaribus, qui aliquando dilute, aliquando magis ſature rubent, nonnunquam albi ſunt; atque ſingulis floribus evaneſcentibus ſuccedunt ſingulæ ſiliculæ echinatæ, in medio tumidæ, criſtæ, imo potius capitis gallinacei figurâ, unde ei nomen Capitis gallinacei; atque in ſingulis ſiliculis echinatis ſingula continentur ſemina reniformia: radix durat in multos annos.

11. *Onobrychis* minor ſiliculis echinatis criſtatis majoribus & craſſioribus aculeis præditis donata, nobis. Hæc Onobrychis minor reſpectu foliorum, cauliculorum procumbentium, etiam & radicis, multo eſt minor: radice enim conſtat tenui, longâ ſatis, fibris carente, cauliculos majoris multo fert breviores, eoſque per terram utplurimum procumbentes: folia binatim coſtæ per terram ſtratæ alternatim hærent, majoris ſimilia, ſed breviora & anguſtiora: flores habet paucos dilute rubentes, brevibus, aut nullis quaſi, ſaltem conſpicuis, petiolis innitentes: fructus, ſeu ſiliculæ tumidæ raro & ſparſim in extremis caulium diſponuntur, triplo ſuperioris primæ majores, & rigidioribus aculeis armantur, in quarum ſingulis latet unicum ſemen, triplo etiam ſemine prioris majus, renale itidem.

12. *Onobrychis* minor ſiliculis clypeiformibus lævibus, nobis. Onobrychis fructu orbiculato peltato Acaciæ inſtar, Polygalo Geſneri affine Caput gallinaceum, I. B. Chabr. Hæc prolixam agit radicem, craſſiuſculam, lignoſam, & in fibras filamentorum inſtar ductilem, lentam, fractu contumacem, foris nigricantem, intus albam, ſimplicem aliquando & multifidam, in numeroſa capita deductam, ex quibus numeroſa pullulat foliorum cauliumque ſeges: caules autem palmares, & dodrantales in ſterili agro; at in fertili bipedales, tenues, hirſuti, ad medium uſque folioſi, cætera nudi; ſpicam gerunt unius, duarum, aut trium unciarum, floribus onuſtam purpureis, Polygali Geſneri inſtar, quæ tamen hic in latum diffunditur per extrema, non autem in metæ forma faſtigiatur: floribus autem adhuc non delapſis ſuccreſcunt ſiliquæ Acaciæ ſiliquarum quodammodo formâ, duobus peltatis orbiculis conſtantes,

quodam

quodam veluti iſthmo determinante unicum conceptaculum, quod brevem mucronem profert, margine alias æquabili, nec criſtato ut in Polygalo Geſneri, medio protuberante propter ſemen contentum Craccæ minoris par, nigricans rotundumque; ſinguli porro orbiculi præter tunicam ſemen integentem, extrinſecus reticulatum habet plexum, obductum, circa oras hæreſcentem.

Onobrychis incana foliis longioribus vel 3. in Prod. C. B. Caulem habet rotundum, ramoſum incanum: folia plura acuminata, anguſta, uni coſtæ annexa, incana itidem, ac veluti cinere aſperſa; cauliculi ſemipalmares, nudi, ſpicam florum purpuraſcentium, aliarum ſuæ ſortis formâ, ſuſtinent; quibus ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, incanæ, incurvo mucrone donatæ, duabus valvulis conſtantes; ſemen minutum, nigrum, planum & ſemicirculare continentes.

13. *Onobrychis* minor ſexatilis lutea, nobis. Polygalon minus ſexatile, Chabr. Tota quanta eſt hæc plantula vix palmum ſuperat: radicula candida eſt & longiuſcula: folia Capitis gallinacei, ſed obtuſiora, pilis candidis obſita, & quidem ſtatim emergentia: coliculi graciles ſunt conſimilibus cum cæteris ſuæ tribûs foliis veſtiti, ſuperne diviſi, atque eorum extremis floſculi inſident luteoli, aut pallidi, hiantes, exigui & pauci, Aſtragalorum poſitu, quos excipiunt capitula exigua rotunda, aliquot apiculis ſupernè donata. Vide App. ad Legumina.

LOCUS & TEMPUS.

10. Onobrychis *major ſiliculis echinatis, criſtatis, in ſpica digeſtis, nobis. Onobrychis, Dod. Caput gallinaceum Belgarum, Ad. Lob. Dienſibus Allobrogum, ubi pratorum copia non eſt, in aſperis & lapidoſis locis pauculâ terra tectis, bidente tantum ſcalptis, injecto fimo & diligenter comminuto ea Gens ſerit, & humo inſperſo ſtercore operit, à ſatu imber ſi ſubſequatur facillime comprehendit & optime proficit, diſperſis huc illuc cauliculis, ſic veſtiens & operiens ſolum, ut in jejuno & ſqualidiſſimo ſolo lætiſſimi prati ſpeciem oſtendat. Secatur ſingulis annis ter, cum adolevit & corroborata eſt, & pecori gratiſſimum pabulum eſt. Gaudet præcipue locis aridis & ſabuloſis in quibus floret æſtate & ſemina perficit autumno. Leonardus Rauwolfius prope Arelatem in Provincia, menſe Maio collegit, aliquando floret Aprili in monte Apennino, teſte* Johanne Bauhino. *Genevæ abundat, juxta* Arüe *& Ptochodochium: reperit flore albo, in peregrinatione Rhætica, idem* Johannes Bauhinus*: provenit in Briſgoia teſte Cluſio & in monte Baldo aſſerente* Johanne Pona. *Exit & in Germaniæ ſuperioris pleriſque locis & in Bohemiæ agris, ſecus ſcrobes, per quas pluvia delabitur. Onobrychis frequens eſt apud Brabantos & Flandros; floret Julio; & Auguſto perficit ſemina: plurimi fiunt prata, in quibus hæc provenit.*

11. Onobrychis *minor ſiliculis echinatis criſtatis, majoribus, & craſſioribus aculeis præditis donata, nobis. Onobrychis minor ſeu Caput gallinaceum minus, C. B. P. & Prod. Hæc in maritimis arenoſis Provinciæ & juxta* Olbiam *& in montibus juxta oppidum* Vigan *reperitur; floret Julio, & Auguſto ſemina perficit ſua.*

12. Onobrychis *minor ſiliculis clypeiformibus lævibus, nobis. Polygalo Geſneri affine Caput gallinaceum, Chabr. Provenit in ſabuletis & campeſtribus, ad ſemitas prope montem qui apud Gallos Narbonenſes dicitur* ſanctus lupus; *illic collegit* Henricus Cherlerus Johannis Bauhini *gener. Floret eodem tempore cum cæteris & conſequenter eodem tempore ſemina ad maturitatem perducit.*

Onobrychis *incana foliis longioribus vel 3. C. B. Prod. Reperitur in Galloprovincia florens, & ſemina producens eâdem cum cæteris tempeſtate.*

13. Onobrychis *minor ſexatilis lutea, nobis. Polygalon minus ſexatile, I. B. Chabr. Provenit in locis incultis, aſperis & ſaxoſis circa arcem Epiſcopi Monſpelienſis. Floret Junio, & ſemen maturat Julio. Vide App. ad Legumina, ibi ſculpuntur quædam hujus claſſis.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Abundare lacte pecudes quæ illa viridi & ſiccâ paſcuntur, multumque ex ejus uſu lactis vaccis & cæteris animalibus copiam contingere pro indubitato authoribus creditur.

NOMINA.

10. Onobrychis *major ſiliculis echinatis criſtatis in ſpica digeſtis, nobis. Onobrychis, Dod. Cluſ. Hiſt. Tab. Ger. Caput gallinaceum Belgarum, Ad. Lob. Polygala multorum, Lugd. Onobrychis*

chis caput gallinaceum, *Park.* *Onobrychis foliis Viciæ fructu echinato major*, *C. B. P.* *Polygalon Geſneri Onobrychis quibuſdam*, *I. B.* *Chabr.* *Onobrychis Dodonæi flore rubro*, *Eyſt.* *Polygalon Rhæticum*, *Geſn. Hort. App.*

11. Onobrychis *minor ſiliculis echinatis criſtatis*, *majoribus aculeis præditis*, *nobis.* *Onobrychis minor fructu echinato*, *C. B. P.*

12. Onobrychis *minor ſiliculis clypeiformibus lævibus*, *nobis.* *Onobrychis fructu orbiculato peltato Acaciæ adinſtar*, *I. B.* *Polygalo Geſneri affine caput Gallinaceum*, *Chabr.* Onobrychis *incana foliis longioribus vel 3.* *C. B. P.* & *Prod.*

13. Onobrychis *minor ſaxatilis lutea*, *nobis.* *Polygalon minus ſaxatile*, *I. B.* *Chabr.*

§. 8. Onobrychis Siliculis aſperis in capitulum congeſtis.

14. *Onobrychis* flore cæruleo ſiliculis hirſutis ſeu aſperis, ad imum Platani pilulæ modo junctis, nobis. Glycyrrhiza echinata Dioſcoridis, Ad. Lob. Lugd. Hæc caules ſæpenumero promit complures, altos bicubitales & tricubitales, ramoſos, circa quos exeunt ad genicula coſtæ ſuſtinentes folia oblonga, alata, ex multis ſibi invicem oppoſitis collecta, Lentiſci foliorum figurâ, attamen majora, viroris ſaturati, & tactu parum aut nihil glutinoſa: flores è foliorum alis exeunt parvi, cærulei, ejuſdem atque Hyacinthi non ſcripti Dod. coloris, in rotundi globuli formam commiſſi, quibus tandem emarcidis major factus orbiculus qui rotundam, aſperamque Platani pilulam referre videtur, multiſque parvis, ſubruffis, aſperis, & hirſutis ſiliculis bivalvibus conſtat, in quarum ſingulis ſingula continentur ſemina compreſſa, ſaporis ejuſdem cum ſeminibus cæterorum Leguminum: radix prælonga, craſſa & unica eſt, brachii longitudine ac craſſitie, candicantis intus coloris, foris quandoque nigricantis, guſtus non dulcis ſed ejuſdem cum cæteris Leguminibus. Huic ſicut & aliis Leguminibus ſimilibus πλαγιοκαύλοις ineſt peculiaris quædam natura, oriente ſole ſingula folia pinnata in latitudinem primum æqualiter explicantur, mox unà cum aſcendente ſole eriguntur, atque interdiu ſurſum omnino rigent; quæ unà cum coſtâ cymbam, aut potius navis carinam forma referunt: occidente ſole rurſum folia ſe demittunt, demiſſaque pendent: quin etiam aëris conſtitutionibus folia alata Leguminum reguntur. Nam ſi dies ſereni fuerint, interdiu (eo modo quo dictum eſt) erecta ſunt, pluvioſis vero, nubilis, triſtibus & frigidioribus diebus, etiam æſtate, atque ipſo meridie ſe demittunt; hæc omnia de foliis intellige, non de eorum pediculis, quorum poſitus neque à ſole neque ab aëris conſtitutione mutatur.

LOCUS & TEMPUS.

Onobrychis *hæc decimaquarta plurima, inquit Dioſcorides, in Ponto & Cappadocia gignitur; Glycyrrhiza echinata abundat & in Apulia, inquit Mattheolus, præſertim in Gargano monte, ex quo quotannis ſuccus convehitur & magna radicum copia: floret æſtate & verſus ejuſdem finem aut Autumni initium pilulas exſiccatas reddit, & ſemina in ſiliculis perficit.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Succus Glycyrrhizæ echinatæ, ut Dioſcorides tradit, ad arteriæ exaſperationes utilis eſt, quem linguæ ſubditum eliqueſcere oportet: prodeſt & ardori ſtomachi, aliàs Oris, Jecinoris, Thoraciſque vitiis, ſcabiei, veſicæ, & renum affectibus. Succus cum paſſis potus ſitim extinguit ſub lingua liquatus, ſuccus denſatus vulneribus prodeſt illitus, commanducatus ſtomacho conducit: radicum recentium decoctum ad eadem facit: radix arida fortiſſime trita pterygiis commodiſſime inſpergitur. Plinius oris ulceribus inſpergi, præter ea quæ Dioſcorides ait, refert. Hæ omnes vires Glycyrrhizæ veræ & legitimæ attribui debent, non huic echinatæ mea opinione, nec plus dulcedinis in ejus radice unquam potui guſtare, quam in Trifolio montano, aliiſque Leguminibus iſtius farinæ.

NOMINA.

14. Onobrychis *flore cæruleo, ſiliculis hirſutis ſeu aſperis, ad imum Platani pilulæ modo junctis & arcte cohærentibus, nobis.* *Glycyrrhiza echinata Dioſcoridis, Ad. Lob. Lugd. Tab.* (*hi duo authores duas exhibent figuras ſub vulgaris & echinatæ nomine*) *Ger. Park.* *Glycyrrhiza vera Dioſcoridis*,

ſcoridis, *Dod.* *Glycyrrhiza Dioſcoridis echinata non repens*, *I. B.* *Glycyrrhiza capite echinato*, *C. B. P.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PRopter conformitatem ſiliquarum articulatarum, aſperarum, & triangularium, adaptavimus Hedyſaro triphyllo Canadenſi Cornuti, perperam Cornuto & Parkinſono ſic dicto, nomen Onobrychidis; eandem denominando Onobrychidem Canadenſem vel Americanam triphyllam ſiliculis articulatis, aſperis, triangularibus: quam bene, judicent æqui lectores Botanici, & conſiderent nobiſcum finem ultimum qui nobis ponit regulam certam à natura datam, contra arbitrium authorum, ſicut hic & alibi, nomina ſua plantis perperam & inconſiderate imponentium.

Onobrychis ſpicata flore purpureo, C. B. P. & Onobrychis ſpicata floribus pallidis, nigris radiis notatis, C. B. P. pag. 350. col. 2. pl. VIII. & IX. Quam inepte collocantur hæ duæ plantæ inter Onobrychides hic à Caſp. Bauhino & aliis authoribus, clare conſtat ſupra in cap. 5. de Aſtragalo: cum ſint plantæ leguminoſæ ſiliqua gemella donatæ, debent ad ſibi ſimiles revocari, quemadmodum nos præſtitimus cap. 5. in explicatione Aſtragalorum.

Onobrychis floribus Viciæ dilute cæruleis, C. B. P. & Onobrychis foliis Viciæ majoribus cæruleopurpuraſcentibus, vel foliis Tragacanthæ, C. B. P. pag. 351. pl. X. & XI. Hæ duæ plantæ cum gaudeant ſiliquis gemellis duplicem ſeriem ſeminum in ſe continentibus, non Onobrychides ſunt denominandæ, ſed Aſtragali. Primus erravit Car. Cluſius appellando omnes prædictas plantas nomine Onobrychidis, quem ſequuti ſunt omnes authores hucuſque ſcribentes de plantis. Hoc obſervamus paſſim, cæcum ducere cæcum, & utrumque cadere in foveam; ratio ſola reſtat adferenda, quia nullus eorum finem ultimum rite aut cum debita penſitatione conſideravit, ſed omnes quot quot ſunt ſive compilatores, tranſcriptores, vel tranſlatores, ad manus poſterorum complurimas plantas à fine ultimo ſub diverſis generibus militantes, eodem compulere & confuſiſſime ad idem genus reduxere, non ſolum hic, ſed paſſim, ut obſervare eſt in tota hiſtoria plantarum.

Onobrychis Tragacanthæ foliis, floribus in globum congeſtis, C. B. P. pag. 351. col. 2. pl. XII. & Onobrychis montana ſiliquis oblongis nigris Viciæ ſimilibus, C. B. P. ibidem pl. XIII. Hæ duæ ſunt Orobi ſpecies à ſiliquis bivalvibus, ut comprobavimus in doctrina cap. 5. de Orobo ſupra, nec jure poſſunt Onobrychides dici, cum omnis Onobrychis vel eſt (ut ſupra in hoc capite dictum) ſiliquis articulatis aſperis ſimul junctis, vel ſiliculis echinatis criſtatis, ſingulatim in ſpica digeſtis; ergo hæ duæ cum ſint bivalves, magis proprie annumerantur Orobis. Inſuper Caſparus Bauhinus, cæterique authores ejus ſequaces, confundunt has duas Orobi ſpecies cum cæteris ſupra hic citatis quæ ſunt veræ Aſtragali ſpecies, applicando indifferenter omnibus Onobrychidis nomen. Examinent quæ hic dicimus Botanici ratione vel leviter imbuti, & ſtatim ipſis non minus quam nobis apparebit lapſus hic nondum detectus.

Pag. 352. col. 1. pl. 1. Glycyrrhiza capite echinato, Caſp. Bauhino Pin. Glycyrrhiza ehinata Dioſcoridis, Ad. Lob. Lugd. Glycyrrhiza vera Scythica ſeu Germanica ſeu dulcis radix, eſt planta leguminoſa radice perdulci prædita, in cimis caulium ſiliquas compreſſas, raro & ſpicatim diſpoſitas gerens; in quarum ſingulis continentur quina, ſena, ſemina compreſſa, rotunda: atqui hæc planta Glycyrrhiza echinata Dioſcoridis Lob. Lugd. nec habet radicem dulcem, nec ſiliquas conformes Glycyrrhizæ veræ; ergo jure non dicenda eſt Glycyrrhiza, ſed cum plurimas ſiliculas ad ſuperiorem caulium partem aſperas habeat in globulum Platani modo compactas, & unicum in ſingulis contineat ſemen, melius inter Onobrychides aſperas & echinatas, mea opinione collocabitur; præcipue etiam cum dulcedine non polleat ejus radix, ſed eſt ſubamara, aſtringens, & rodolens radices Trifoliorum montanorum aut cæterarum Onobrychidum ſpecierum, ergo aptius inquam iiſdem conjungetur. Vnde Onobrychis poſſit dividi in tres claſſes: 1. Siliculis articulatis aſperis ſeu hirſutis donatas: 2. Siliculis ſingularibus echinatis criſtatis & ſpicatim digeſtis: 3. Siliculis hirſutis in globum ſeu pilulam Platani inſtar congeſtis, ſeu ad imum cohærentibus. Sic erit primo Onobrychis ſiliculis articulatis aſperis, ſecundo Onobrychis ſiliculis ſingularibus echinatis criſtatis, & tertio Onobrychis ſiliculis aſperis in Globum ſeu capitulum congeſtis.

LEGUMINA

Trifoliata ſeu Trifolia Leguminoſa.

CAPUT VII.

Trifolium Bituminoſum; Trifolium Pratenſe; Trifolium Spicatum ſeu Lagopoides; Trifolium Arvenſe ſive Agrarium & Trifolia Varia Exotica.

Τρίφυλλον, *Trifolium Dioſcoridi l. 3. c. 123. ſic dictum, quod ſingulis germinationibus terna exeant folia.* Τρίφυλλον ἐν χορτοκοπείοις γενόμενον *Græcis.*

Genera: Dioſcorides ſolum bituminoſum propoſuit, quod ὀξύφυλλον, μηνυανθὲς & ἀσφάλτιον, *quod bitumen oleat, dicatur. At Plinius l. 21. c. 9. Trifoliorum tria genera enumerat: Menyanthen, ait, vocant Græci; alii Aſphaltion, majore folio: alterum acuto, Oxytriphyllon: tertium ex omnibus odoratiſſimum.*

TABULA XII.

- *Trifolium papilionaceum*
  - *Bituminoſum* — *Cæruleum ſeu violaceum*
    - *Majus, nobis.* ⊙
    - *Minus, nobis.* ⊙
  - *Pratenſe*
    - *Album minus*
      - *Siliquoſum*
        - *Vulgare odoratum, nobis. Pratenſe album, Fuch. Dod.* ⊙
        - *Phæum fuſcum luxurians quaternis quinis & ſenis foliis, nobis. Quadrifolium Phæum fuſcum, Lob. Lugd.* ⊙ *Vide App. ad Legumina.*
        - *Caule fiſtuloſo foliis ſubtus purpuronigris maculis notatis, nobis.* ☿ *Vide Icon. ſecundam Tab. decimæquartæ.*
      - *Tricoccum ſubterraneum Gaſtonium reticulatum, nobis.* ☿ *Vide Icon. tertiam Tab. decimæquartæ.*
    - *Rubrum ſeu purpureum majus*
      - *Vulgare floribus dilute rubris, nobis. Trifolium pratenſe purpureum, Trag. Fuch. Ad. Lob.* ⊙
      - *Alterum pinnatum repens floribus intenſius rubellis, nobis.* ⊙

Leguminibus, ſeu ſiliquoſis papilionaceis, bivalvibus, alatis, πλατυκαύλοις, ſubjungo Trifolia leguminoſa, quia florem gerunt papilionaceum, atque ſemen ejuſdem guſtus cum ipſis Leguminibus alatis proferunt; imo Lotus, Fœnugræcum, & Anonis, ſunt Legumina ſeu ſiliquoſæ papilionaceæ bivalves, ſicut & plurima Trifolia; quæ omnia diſtribuentur à nobis ex diverſis ſiliquarum conſtructionibus, in diverſa genera intermedia, ipſaque denominabimus Legumina trifoliata ſeu Trifolia leguminoſa paſſim, quia ſic merito dici poſſunt. Nota generica Trifoliorum leguminoſorum eſt, quod tribus foliis conſtent ſingula in hac Sectionis ſecundæ parte ſecunda contenta: inſuper quod florem geſtent papilionaceum; quin & ſemina omnium & ſingulorum Trifoliorum infra explicandorum maſticata, Piſi, Fabæ, Viciæve, & id genus aliorum Leguminum ſupra explicatorum, ſemina ſapiunt. His poſitis notis, Trifolium Creticum ſpinoſum; Trifolium Luſitanicum corniculatum flore rubro, Parkinſoni; Fragaria; Oxys, ſive Trifolium acetoſum; Trifolium paludoſum ſive Menyanthes, cæteraque Trifolia non pollentia conditionibus ſuprà à me hic requiſitis, non ſunt Trifolia

 leguminoſa

leguminoſa; ergo debent à Trifoliorum hic proprie ſic dictorum familia longe arceri & omnino excludi. Trifolia leguminoſa differentias ſuas ſortita ſunt à natalibus ſeu locis in quibus proveniunt, ut ſequentis paragraphi ſecundi omnia, item & quarti & quinti paragraphi Trifolia; ſed primi ſeu Bituminoſi denominatio deſumitur ab odore ſulphuris, quod ipſius folia contrita redolent: cætera omnia à ſpicarum aut fructuum involucrorumve ſimilitudine, genera ſua intermedia deſumunt, ut perſpicue & clare apparebit in deductione uniuſcujuſque generis intermedii.

§. I. TRIFOLIUM BITUMINOSUM.

Explicatio partis Tab. 12. 13 *&* 14.

1. TRifolium bituminoſum ſeu Trifolium cæruleum aut violaceum, bitumen redolens, nobis. Trifolium bitumen redolens, C. B. P. Trifolium aſphaltæum, Matth. Lugd. Trifolium hoc bituminoſum in fruticulum excreſcit cubitalem, ſeſquicubitalem in calidis regionibus, virgultis rigidis, incanis ac etiam nigricantibus, ſtriatis, donatum: folia exeunt terna, per primam adoleſcentiam rotunda, mox in ſuperiore caulium parte oblongantur in acutum mucronem deſinentia, incana itidem & hirſuta, odore bituminis faſtidioſo, tactu glutinoſo: flores non plane glomeratim congeſti, ſed oblongiore capitulo diſpoſiti, colore purpuroviolacei, quorum omnium unum petalum latius ſurgit (quod nobis vexillum hic, ſicut in omnibus leguminoſis herbis, fruticibus, ſubfruticibus & Arboribus dicetur) bina labialia ſeu lateralia nobis ſic dicta replicant, quorum complexu quartum comprehenditur, apiculos luteos continens, ex calycibus oblongis, ſtriatis, villoſis, prodeuntes: ſemen nigrum aſperum & hirſutum in cuſpidem deſinens foliaceam, ejuſdem cum reliqua planta odoris, Cæſalpino odore eſt medicato. Congener huic toto vultu eſt alterum, excepto eo quod folia omni penitus odore deſtituta ſint: flores vero ſuaviter, licet obſcure redolent. Serapias Handachacham nominat, è cujus ſemine oleum exprimitur, Mauritanis ad articulorum dolores expetitum. Textor de peſte vulgo Trifolium fœtidum nominat. Folia hujus ante caules prodeunt; & rotunda ſunt, ut Mattheoli figuræ minores oſtendunt; cum vero cauleſcit & adulta eſt, acuminata redduntur, quare neutiquam binæ figuræ retinendæ (ut fecit Dalechampius Hiſtoriæ Lugdunenſis author, & Beſlerus Horti Eyſtetenſis itidem compilator; alterum rotundis, alterum longioribus foliis nominantes;) idcirco nos una figura expreſſimus; folia rotunda prius prodeuntia repræſentantur, alterâ folia cum rotunda tum longa exprimuntur.

LOCUS & TEMPUS.

Trifolium *bituminoſum repertum eſt primò in agro Lucenſi circa* Lunam *&* Carram di Maſſa, *& per univerſam Hetruriam notiſſimum eſt hoc Trifolium. Hyemis frigora non fert apud nos; ſemen tamen ex Italia allatum, terræque mandatum, plantam profert odore bituminoſo, Italicæ parum aut nihil inferiorem, ſemen itidem Italicum ſapore refert; ſin autem ſemen plantæ educatæ in hiſce ſeptentrionalibus tractibus rurſus ſeratur, ſtatim ſapore & odore producta planta deſtituitur: ſic, ut ait Virgilius,* non omnis fert omnia tellus. *Varia igitur herbarum genera varium natale ſolum & cœlum ipſis familiare requirunt. Sic Tophacea terra aſphaltites Trifolium producit, unde mons Tophaceus Neapoli imminens à Galeno Trifolinus dictus eſt.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Vis Trifolio, quod Aſphaltion vocant, calida & ſicca eſt, ut ait Galenus, proinde infuſum & potum laterum dolores ab obſtructionibus liberat, urinam menſeſque provocat. Hippocrates Trifolium hoc non ſolum menſes provocare, ſed & fœtus cum ſumptum, tum appoſitum, expellere tradit: mulieri (inquit) ſi ex partu non fuerit purgata, Trifolium hoc in vino albo bibendum; hoc etiam menſes educit & fœtum ejicit. Dioſcorides ait, ſemen & folia in aqua pota pleuriticis, urinæ difficultati, comitialibus, iis etiam qui aquæ inter cutem principia; ſentiunt & hyſtericis auxiliantur. Dari autem debent ſeminis drachmæ tres, foliorum vero quatuor. Radix quoque antidotis, ut Theriacæ additur, ut ait Dioſcorides, ſicut & alii authores.

NOMINA

NOMINA.

Trifolium *bituminoſum ſeu Trifolium cæruleum aut violaceum bitumen redolens*, *nobis*. *Trifolium bitumen redolens*, *C. B. P. Trifolium bituminoſum*, *Dod. Cæſ. Cam. Tab. Ger. Park. Trifolium Aſphaltæum*, *Matth. Ad. Lob. Lugd. Odoratum & non odoratum*, *I. B. Chabr.*

§. 2. TRIFOLIUM PRATENSE.

2. *Trifolium* pratenſe album vulgare odoratum, nobis. Trifolium pratenſe album, C. B. P. Fuch. Dod. Gall. Hoc caules palmares promit & longiores, rotundos, ſubinde nonnihil hirſutos, utplurimum per terram ſtratos aut procumbentes: folia ſummis pediculorum inſiſtunt terna ſimul juncta, quorum ſingula, quæ terræ ac radicibus proxima, rotundiora ſunt; quæ vero ſecundum caules naſcuntur, oblongiora ſunt: rotundiora & inferiora crebro candidiorem maculam διχοτόμȣ Lunæ fere creſcentis ſimilitudine, in medio ſingula habent: flores in ſummis caulibus exeunt in capituli modum, aut in ſpicam breviorem congeſti, colore pallide candidi, & olfacienti aut guſtanti grati & perdulces: ſemina in exiguis & curtis ſiliquis bivalvibus, quaterna aut quina, minuta in ſingulis conſpiciuntur, unde hac ſola ratione evidenter à Trifoliis cæteris, præcipue pratenſi purpureo, differt, cum hujus capſula unicum tantùm ſemen in fundo capſulæ ſuæ contineat: radix longa, fibroſa, longe lateque repens & ſe diffundens.

LOCUS & TEMPUS.

Naſcitur in pratis ac humidis arvis paſſim, felicius provenit in pratis iis quæ aqua fluviali rigantur; ſed in pratis ſiccioribus, aliiſque herbidis neglectis locis, gratiorem ſpirat odorem, flore ſicciore ὠχρολευκῷ *(id eſt inter album & luteopallidum medio) apibus valde expetito. Floret Maio & tardius, ac deinde poſt prata tonſa, rurſus verſus finem æſtatis, Menſe Auguſto & Septembri denuo flores edit copioſe ſatis: ſemina fert quaterna, quina, in ſingulis ſiliquis perbrevibus bivalvibus, uti dictum.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Trifolii *hujus cum flores tum folia refrigerandi ac reſiccandi potentiam obtinent. Fertur ex horum decocto, addito melle, enema inteſtinorum roſiones ac dolores ſedare, & viſcidos lentoſque adhærentes inteſtinis humores educere; ex ipſâ vero herba cataplaſma utiliter inflammationibus imponi. Paſcuntur vero herbâ hac cum boves tum jumenta cætera, at utiliſſime vituli & agnelli: flores apibus grati ſunt, & conficiendo melli apti, ſi apes hâc herbâ prope alvearia conſitâ utantur.*

NOMINA.

Trifolium *pratenſe album vulgare odoratum ſiliqua bivalvi*, *nobis*. *Trifolium pratenſe album*, *C. B. P. Fuch. Dod. Gall. Ad. Lob. Cam. Pratenſe vulgare*, *Thal. Pratenſe alterum*, *Matth. Trag. Pratenſe*, *Ger. Park. (cui vitioſa figura.) Pratenſe* 1. *Caſt.*

3. *Trifolium* pratenſe album ſiliqua bivalvi, caule fiſtuloſo, folio ſubtus purpuronigris maculis notato, nobis. Hoc cauliculos profert procumbentes, cavos ſeu fiſtuloſos, pedales & ſeſquipedales, in quorum ſummis alis exeunt flores papilionacei, magni, ſubalbidi ſeu ochroleuco colore præditi; quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ parvæ, bivalves, ſingulæ continentes bina aut terna ſemina minuta; in hoc convenit cum Trifolio noſtrati vulgari albo, at facilè diſtinguitur à foliis latioribus, ad extremum pediculorum ſitis, & ſubtùs maculis nigropurpurantibus notatis; noſtratis vero albi vulgaris Trifolii pratenſis folia ſuprà inſigniuntur maculis: deinde tertii hujus caules ſunt multo longiores & fiſtuloſiores: ſiliquæ etiam breviores, & conſequenter pauciora in ſe continent ſemina minuta.

LOCUS & TEMPUS.

3. *Provenit affatim in humidis pratis, aquâ riguis, præcipuè ubi aquæ ſtagnarunt hyeme, intra ſepta*

pta Regiæ Chambort. Floret eâdem anni tempeſtate cum noſtrate Trifolio albo pratenſi vulgari, ſed tardius aliquando ſemina ad maturitatem perducit. Vires & facultates eaſdem cum priore obtinet. Nec aliud nomen ſortitur quam quod nos eidem aſſignavimus. Vide Tab. decimæquartæ plantam ſecundam illic ſculptam, & de novo exhibitam.

4. *Trifolium* album tricoccon ſubterraneum Gaſtonium reticulatum, nobis. Hoc ineunte æſtate flores fert albos, longos, raro diſpoſitos; quorum ſingulis deciduis ſuccedunt involucra reticuli in modum facta, continentia in ipſorum gremio terna ſemina, ternis ſuis diſtinctis ſiliculis utplurimum incluſa: evaneſcente flore, ſtatim in terram deſcendunt rudimenta ſiliquarum, ſeſeque ibidem condunt ad aliquot uncias, præcipue in ſabuloſis pratis agriſve, inibi etiam perficiuntur & eo nomine nos ſubterraneum nuncupavimus, & à ternis ſeminibus (utplurimum uti ſupra dictum, niſi cœlum & ſolum refragentur) tricoccon nominavimus: deinde Regium ſeu Gaſtonium addidimus, quoniam à Celſitudine ejus Regiâ, Aurelianenſi Duce Regis Lodovici XIV. patruo (ut nonnullæ aliæ plantæ hic deſcriptæ) primo fuit detectum.

LOCUS & TEMPUS.

Provenit ſponte in omnibus pratis humidis cùm Galliæ tum Angliæ & in ericetis humidis, imo arenoſis multis humidis locis, minime herbidis. Floret ineunte æſtate atque mediâ ejuſdem & aliquando verſus ejus finem ſemina maturantur. Vide Tab. decimæquartæ tertiam ſculptam, nuſquam antea exhibitam. Nomen hoc huic indidimus plantæ, viginti abhinc annis à Sereniſſimo prædicto Principe primò obſervatæ.

5. *Trifolium* pratenſe purpureum vulgare, nobis. Pratenſe purpureum, C. B. P. Trag. Fuch. Ad. Lob. Trifolium hoc ex radice craſſiuſculâ, adultiore fere digitali craſſitudine, fibratâ undique: cauliculi ſunt tenues ſtriati & partim humi repunt, partim ſurriguntur, ſubhirſuti: folia numero & poſitu cæterorum Trifoliorum more proveniunt, nunc rotunda, alias oblongiora, interdum lineis albis, obliquis, ſeu candicantibus ſtriis inſignita; interdum maculis albis, ſemicircularibus: flores autem glomerati utplurimum, paſſim in pratis rubent, perraro ludente ſic naturâ albeſcunt, majores ſunt multo floribus Trifolii albi pratenſis vulgaris odorati, ſuperius explicati: eſt enim odore non inſuavi, at multum Trifolio albis floribus donato & ſecundo loco deſcripto cedunt hujus flores, guſtanti ſiccitatem offerentes. Hujus differentiæ plures ſunt, ratione magnitudinis tam foliorum, quam caulium & fructuum: folia communiſſime rotunda, quibuſdam ſunt oblonga, rarius in extremo ſinuata: nonnunquam unum alterumve folium in binas, ternas, etiam quaternas lacinias dividitur: rarius cauliculo foliorum minimorum veluti faſciculus in umbellæ modum inſidet: quibuſdam in folio macula eſt, vel nigra, vel alba, Lunæ falcatæ figura: floris color communiter purpureus, modo ſaturatior, modo dilutior ſeu pallidior, & perraro (uti dictum) inter myriadas unum aut alterum reperitur degenerans in album, à contingentia aliqua aut ſeminis individui, aut terræ in quam cadit illud ſemen mixturâ & naturâ. Nota capſulam hujus, ſicut & reliquorum ſequentium Trifoliorum, habere in margine ſeu limbo ſuperiore quinque ſpinulas ſtellatim apparentes, & in fundo calycis ampullæ rotundæ in modum conſtructi continet unicum ſemen; non autem ſiliquam ſuccedentem ſingulis floribus bivalvem, ut videre eſt in Trifolio pratenſi albo, Phæo fuſco, & Tertio, caule fiſtuloſo, folio ſubtùs maculâ nigrapurpuraſcente notato. Alterum pinnatum repens à floribus intenſius rubellis & radice repente à vulgari purpureo facile cognoſcitur.

LOCUS & TEMPUS.

Scatent hoc Trifolio prata omnia ubique terrarum & gentium, unde ei nomen; floret Maio & Junio; ſemina poſt menſem maturat, niſi tonſurâ præoccupetur. Aſtringendi habet vim, & exigua acrimonia præditum videtur. De nominibus ſatis dictum ſuprà. Alterum pinnatum repens floribus intenſiùs rubellis ibidem cum vulgari reperitur in ſiccioribus locis.

§. 3. TRIFOLIUM MONTANUM SPICATUM ſeu LAGOPOIDES.

T*Rifolia* in hoc tertio membro ſeu diviſione & ſub tertio §. à nobis diſpoſita, quoad natales proveniunt in montoſis locis aut pratis editioribus colliculiſve, atque in ſpicam longiorem deſinunt, & floribus diverſorum colorum, ſed utplurimum rubrorum, arcte in ſpicam

cam congeſtis ornantur, quibus ſuccedunt arctè etiam in ſpicam compactæ capſulæ aſperæ, ratione quinque ſpinularum ſtellæ in modum faſtigio caulium inſiſtentes, & pedem leporis aſperitate aut hirſutie referentes, unde iis nomen Lagopoides inditum ab authoribus: in ſingularum capſularum ſeminalium fundo unicum conſpicitur ſemen rotundum, cætera Legumina maſticando ſapiens.

Pars TABULÆ XII, & XIII.

Trifolium ſpicatum ſeu Lagopoides
- *Purpureum ſeu rubrum*--
  - 1. *Majus ſpica oblonga, nobis. Trifolium majus,* 3. *Cluſ. Hiſt. Pan.* ⊙
  - 2. *Alpinum anguſtifolium perenne, nobis. Anguſtifolium Alpinum, Ponæ Ital.* ⊙
  - 3. *Annuum folio hirſuto, rotundo, Trifolii pratenſis albi forma, nobis. Lagopus maximus folio & facie Trifolii pratenſis, Ad. Lob.* ☿
  - 4. *Pinnatum ſpicâ longiſſimâ, nobis. Lagopus altera folio pinnato, Lob. Lugd.* ⊙
  - 5. *Fruteſcens incanum Creticum, nobis. Ebenus Cretica, Ponæ Ital.* ⊙
  - 6. *Hirſutum anguſtifolium & rotundifolium Narbonenſe ſpicâ dilute rubente, nobis. Lagopus anguſtifolius Hiſpanicus, Cluſ. Hiſt.* ☿
  - 7. *Anguſtifolium minus Hiſpanicum, nobis. Lagopus minor flore ruberrimo, Park.* ☿
  - 8. *Arvenſe humile annuum ſive Lagopus minimus vulgaris, nobis. Lagopus ſive pes leporinus, Dod. ut. Lagopodium ſeu pes Leporinus, Ger.* ☿
  - 9. *Minus annuum folio non crenato, nobis.* ☿
  - 10. *Minus annuum folio crenato* { *Acuto, nobis.* ☿ / *Obtuſo, nobis.* ☿ }
- 11. *Album perenne ſpicâ rotundâ, foliis incanis, nobis. Trifolium majus* 1. *flore albo, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 12. *Pallide luteum ſeu ochroleucum annuum hirſutum, nobis.* ☿

Explicatio partis Tabulæ 12. *& partis Tabulæ* 13.

1. TRifolium purpureum montanum majus ſpica oblonga, nobis. Trifolium majus 3. Cluſ. Hiſt. & Pan. Hujus caules ſunt cubitales, craſſiores, nodoſi: folia ex ſingulis geniculis alternatim caulibus adhærent, longa, ſtriata, dorſo magis eminente & elato, laxâ veluti quadam vagina in binas appendices deſinente, caulem amplectentia, Trifolii pratenſis longiora, illiſque non minus dura, & per oras denticulata, guſtu nonnihil aſtringente; huic ſpica vulgaris major & oblongior, elegantiſſimâ rubrorum floſculorum, è calyculis quinquepartitò in margine diviſis emergentium, ſerie compactâ: radicem habet Trifolii pratenſis purpurei ſimilem, vivacem, & ſingulis annis plures caules proferentem.

2. *Trifolium* purpureum anguſtifolium Alpinum, Ponæ Ital. Park. Trifolium hoc Alpinum ſeu montanum radice conſtat longa, fibroſa, & ſquamoſa ſurſum verſus, deorſum verſus terminatur in aliquot fibras, extrà albas, intus duras, lignoſas; ſapor ei dulcis eſt, quodammodo Liquiritiæ ſub primum guſtum accedens, ut volunt quidam & ſine ratione authores, non rite & exacte ſatis plantas ſuas examinantes antequam nomina ſua imponant. (Nec nos alium à cæteris Trifoliis guſtum in hoc percipere potuimus, ſaltem nullatenus Glycyrrhizæ accedentem.) A radicum capite oriuntur plurima folia longa, anguſta, glabra, ternatim pediculis biuncialibus, verſus terram tendentibus annexa, in margine leviter hirſuta; ex foliorum medio oriuntur bini terni cauliculi, tres aut quatuor uncias longi, in cimis ſuſtinentes flores amplos coloris eleganter rubelli, & in ſpicam rotundam ſeu capitulum congeſtos, quorum ſinguli ſingulis capſulis, quinquefariam in margine diviſis, inſiſtunt; atque in fundo uniuſcujuſque capſulæ unicum latet ſemen, aliorum hujus claſſis Trifoliorum leguminoſorum more.

3. *Trifolio-*

3. *Trifolium* purpureum annuum folio hirſuto, rotundo, Trifolii pratenſis albi forma, nobis. Lagopus maximus, Lob. Trifolium albo incarnatum ſpicatum ſeu lagopoides maximum, I. B. Chabr. Hoc Trifolium Lagopoides radice donatur tenui, gracili, fibroſâ: caules plures, dodrantales, cubitales, hirſuti & ſimplices ſunt, in multos ramulos diviſi; quibus ſpicatim multa inſiſtunt capitula oblonga, floribus ex incarnatis & albis onuſta, quibus ſingulis deciduis ſuccedunt ſingulæ capſulæ, quinquepartitò in margine diviſæ, atque in fundo aliorum hujus ſortis more unicum continetur ſemen rotundum: folia pediculo villoſo inſiſtunt, ex vagina ſua brevi & hirſuta eundem pediculum amplectente terna, ſubrotunda, latiora quam longiora, hirſuta pariter: ſpicæ duarum aut trium unciarum floribus conſtant albis, dilutâ purpura commixtis, ex calycibus admodum villoſis, in ſpinas ſeu pinnas 5. deſinentibus; ſemen majuſculum, ſubrotundum, lucidum, pallidum, Meliloti vulgaris ſeminibus valde accedens: ſaporis eſt Piſorum, prout omnia Trifoliorum Leguminoſorum fere ſemina.

4. *Trifolium* purpureum montanum pinnatum Lagopoides ſpica longiſſima, nobis. Lagopus major, 1. Dod. Lagopus altera folio pinnato, Adverſ. Lob. Hoc ad cubitum & ſeſquicubitum excreſcit; caulibus craſſiuſculis varie divaricatis conſpicitur; in foliis ſubinde ludit, quæ interdum in macro & glareoſo ſolo vix ſemiunciam excedunt, in pinguiore autem ſolo ad binas & amplius pertingunt uncias, oblonga, acuminata, quandoque trium unciarum, ſemiunciali latitudine, concinne per ambitum crenata, admodum venoſa, quæ ſtriis elegantiſſimis avium pennas imitantur, terna ſemper conjuncta, & pediculi ſummitati innixa qui in vaginam deſinens trium eſt unciarum, atque ex eadem vagina oriuntur ramuſculi ſuſtinentes flores papilionaceos, rubentes, in ſpicam triuncialem, aliquando palmarem congeſtos, prodeuntes ſingulos ex calycibus quinquepartitò in margine diviſis, ſingulis ſingula in fundo continentibus ſemina.

5. *Trifolium* purpureum Lagopoides fruteſcens incanum Creticum, nobis. Ebenus Cretica, Hon. Belli, Ep. 4. ad. Cluſium, & Ponæ. Fruticoſam hanc Trifolii ſpeciem Ebeni ſecundi nomine inſigniverunt Itali Botanici. Virgultis lentis, teretibus, cana lanugine pubeſcentibus donatur hoc Trifolium, quibus folia conſpiciuntur uncialibus pediculis appenſa, terna Cytiſorum modo, longa, acuta, villoſa, albida: flores in ſpica digeſtos, purpuraſcentes pariter ceu Trifolium Lagopoides majus folio Trifolii Dodonæi, gerit, vel dilute rubros, ex folliculis ſeu potius calycibus candicantibus in quinas cuſpides deſinentibus ortos, unicuique autem folliculo folium ſubjicitur acuminatum: ſemen in calycis fundo clauditur album, oblongum, Milii vulgaris ſemini valde accedens. Honorius Bellus ſic deſcribit Ep. 4. ad Cluſium, Cytiſus Creticus frutex eſt totus obliquus ad quatuor aut quinque cubitorum altitudinem aſſurgens: folia profert terna, ſimul juncta, argentea, incana, Trifolii æmula, dorſo aliquantulum prominente: flores Trifolii majoris adhuc tamen majores rubros profert, in quibus intermixti ſunt albi quidam villi, qui ſtruthiocameli pennas, eaſque in minutiſſimas partes diviſas æmulantur, & eâ ratione flos elegantiſſimus apparet. Videtur enim ex purpureo & argenteo formatus. Floribus ſuccedunt ſemina in calycibus quinquepartitò diviſis Milii ſemine majora: materies lignea, nigra, duriſſimaque eſt: cortex cinereus, & totus ſciſſuris profundis plenus.

Explicatio partis Tabulæ decimætertiæ, Sectionis ſecundæ.

6. TRifolium purpureum Lagopoides hirſutum annuum anguſtifolium & rotundifolium, ſpica dilute rubente, nobis. Lagopus anguſtifolius Hiſpanicus, Cluſ. Hiſt. Hoc genus Lagopi ſemine ex Hiſpaniis excepto natum eſt Cluſio, cujus Iconem ad Cluſium mittebat Jacobus Plateau. Nos ex plantâ ipſâ delineandam noſtram Iconem & ſpicam curavimus. Caulem protrudit unicum immediate è terra provenientem, & plures ramos in ſuperiore caulis parte efficientem, quorum ſummis cimis inſiſtit floſculorum numeroſus grex ſpicatim, ſeu Lagopi in formam provenientium: unicum inquam tulit caulem gracilem, ſatis tamen firmum, nodis quibuſdam diſtinctum, juxta quos bina, terna, foliola ſemiuncialia, anguſta, mucronata, conſpiciuntur; naſcentibus ad ſingulos prædictos nodos pediculis, ſatis laxâ ſede caules amplectentibus, quorum extremis terna inſident folia, non orbiculata, ſed longiuſcula & anguſta, carinata, ſive dorſo elatiore caneſcentia, inſtar foliorum vulgaris Lagopi: ſummi rami deſinebant in longas cauliculorum ſpicas, è quibus emergunt floſculi vulgaris Lagopi formâ ſimiles, & fere concolores, hoc eſt dilute rubentes. Simile, vel illud ipſum genus

genus obſervaſſe meminit Carolus Cluſius in agro Salmanticenſi ad vinetorum margines, dum in ea urbe vivebat. Datur & hujus altera ſpecies foliis hirſutis ſubrotundis, tota ſcatens pilis incanis. Folium hujus ſculptum exhibuimus in Tab. ænea, adjunctum priori jam deſcripto.

7. *Trifolium* lagopoides hirſutum anguſtifolium Hiſpanicum flore ruberrimo, nobis. Lagopus minor flore ruberrimo, Park. Hæc minor Lagopi Hiſpanici ſpecies folia habet mollia, incana, anguſta, in mucronem acutum deſinentia, non tamen tam longa, ut prædicti ſunt folia: caules vix ad altitudinem ſemipedalem aſcendunt; ſpicam gerit tenuem, barbulis multo tenuioribus frequentiorem; flores protrudit elegantiſſimi rubicundi coloris, quibus ſingulis flacceſcentibus ſuccedunt capſulæ ſingulæ, villoſæ, pluribus radiis in margine earundem ſtellatim onuſtæ quando ſemen in capſularum fundo eſt maturum. Planta eſt annua quemadmodum prior in hac Tabula deſcripta. Hoc etiam ſemine ex Hiſpania miſſo ad *Johannem Parkinſon*, ſub nomine Lagopi pratenſis Bætici crevit.

8. *Trifolium* lagopoides purpureum arvenſe humile annuum, ſeu Lagopus minimus vulgaris, nobis. Lagopus minor, Dod. Lagopus minor hic arvenſis caule naſcitur erecto, rotundo, foliis trifoliatis, anguſtis, incanis: paniculas ſeu ſpicas in ſummis cauliculorum & ramulorum gerit molles, lanuginoſas, leporinis pedibus ſimillimas: flores utplurimum minuti, albidi, tantillum prominuli, quorum ſingulos ſemina excipiunt exilia, lutea, Piſum cæteraque Legumina papilionacea, ſiliquoſa, bivalvia, redolentia & reſipientia: ramoſi caules toti cana lanugine pubeſcunt, quibus minuta hirſuta ſeu incana terna folia adhærent, unciam circiter longa, culmum lata; ſapore ſubaſtringente, ſtrenue ſiccante: radicula ſubeſt exilis, tortuoſa, candida, fibrata.

9. *Trifolium* lagopoides minus folio acuto non crenato flore minore dilute purpureo, nobis. Hoc vix pedalem excedit altitudinem: caulem producit ramoſum, in cujus ſummis faſtigiis proveniunt capitula uncialia, ex quibus emanant floſculi papilionacei, dilute rubentes; quibus ſuccedunt capſulæ quinquefariam in margine partitæ ſtellæ in modum, continentes ſingulæ in fundo unicum ſemen rotundum. Vide hujus Iconem primò ſculptam in Tab. decima quarta.

10. *Trifolium* lagopoides minus folio acuto crenato, C. B. P. Prod. Cauliculis eſt pedalibus, firmis, rectis: foliis rarius diſpoſitis, ternis ab uno exortu prodeuntibus oblongis, anguſtis, nervoſis, acutis, ſurſumque ſpectantibus, in ambitu dentatis, aliquando profundius inciſis: in cauliculi ſummo flores eleganter purpurei quaſi in globulo ſeu ſpicula oblongiuſcula conſiti. Eſt & aliud montanum purpuraſcens, folio obtuſo crenato, C. B. P. & Prod. Hoc caule eſt ramoſiore, foliis oblongis, anguſtis, ſed obtuſis, utrinque crenatis, cujus ramuli frequentioribus & anguſtioribus foliis donantur: flores quam in priore rariores & purpuraſcentes. Vide App. ad Legumina.

11. *Trifolium* lagopoides album perenne ſpica rotunda foliis incanis, nobis. Majus 1. ſeu flore albo, Cluſ. Hiſt. Hoc ternis quaternis aſſurgit cauliculis pedalibus, firmis, rectis, teretibus, circa quos naſcuntur folia rara, ſeu rarius diſpoſita, oblonga, anguſta, dura, nervoſa, carinata & dorſo elatiore, terna ſemper ab uno exortu prodeuntia (ut in reliquis Trifolii generibus) incana ſeu hirſuta, in ambitu veluti dentata, ab radice frequentiora & majora: flores proveniunt in extremis ramulis, in quos caulis ſeparatur & eidem inhærent parvi, frequentes, ſpicam breviorem formantes, albo colore & nonnullo odore prædite: radix viva, minimi digiti craſſitudinem æquans, fuſco & denſo cortice tecta, longa, aliquot fibris donata. Vide App, ad Legumina.

12. *Trifolium* lagopoides annuum hirſutum pallide luteum ſeu ochroleucum, nobis. Hoc folia edit terna acuta, incanâ lanugine obſita, atque ex vaginulis aliorum more pediculis biuncialibus ortis innitentia: in faſtigio caulium pedalium erectorum, nonnunquam reclinantium proveniunt ſpicæ oblongæ, unciales & biunciales, Lagopi vulgaris inſtar, coloris pallide lutei ſeu potius ex colore ὠχρολευκῷ compoſitæ, floribus hiſce evanidis ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ quinquepartito in margine diviſæ & ſingula ſemina rotunda continentes in fundo. Vide ejuſdem Iconem in Tab. duodecima ante Lagopoides pennatum & refer huc propter colorem, extra gregem Trifoliorum ſpicatorum ſeu lagopoideorum flore purpureo illic donatorum.

§. 4. TRIFOLIUM ARVENSE ſeu AGRARIUM.

4. *Paragraphus* hic quartus comprehendit Trifolia paſſim in arvis & agris ſponte naſcentia, quæ à diverſis & variis ſpicarum formis diverſimodi provenientium, diverſo modo denominantur, vel ſunt flore luteo, vel flore purpureo; de illis primo, de hiſce ſecundo dicemus.

Pars TABULÆ XIII.

Trifolium arvenſe ſeu Agrarium
- *Luteum*
  - *Capitulo Lupuli*
    - 1. *Majus.* ☿
    - 2. *Minimum.* ☿
  - 3. *Parvum rectum flore glomerato cum unguiculis, I.B. Chabr.* ☿
  - 4. *Capitulo glomerato rigido, I.B. Chabr.* ☿
  - 5. *Nodoſum ſeu nodiflorum capitulis Thymi, nobis.* ☿
  - 6. *Glomerulis tomentoſis per caulium longitudinem provenientibus, I.B. Chabr.* ⊙
  - *Capitulo ſpumoſo*
    - 7. *Lævi, nobis, C.B.P.* ☿
    - 8. *Aſpero majus, nobis, C.B.P.* ☿
- *Purpureum*
  - 9. *Stellatum Monſpeſſulanum, nobis. Trifolium ſtellatum purpureum Monſpeſſulanum, I.B. Chabr.* ☿
  - 10. *Glomerulos oblongos proferens ex geniculis, I.B. Chabr.* ☿
  - 11. *Glomerulis Perſonatæ, nobis. Trifolium glomerulis Perſonatæ floribus purpureis Cherleri, I.B. Chabr.* ☿
  - 12. *Folliculatum ſeu Salmanticum, Cluſ. Hiſt.* ☿
  - *Fragiferum*
    - 13. *Friſicum folio cordato, flore*
      - *Rubro.* ⊙
      - *Albo.* ⊙
    - 14. *Noſtras folio oblongo, flore*
      - *Rubro.* ⊙
      - *Albo.* ⊙
  - 15. *Veſicarium minimum ampullatum rubellis fl. raro diſpoſitis, nob.*

Trifolium Arvenſe ſeu Agrarium flore luteo.
Explicatio partis Tab. decimætertiæ.

1. T*Rifolium* agrarium luteum capitulo Lupuli majus, nobis. Luteum Lupulinum ſeu Lupulus ſilvaticus, Thal. Hæc Trifolii agrarii ſpecies multa habet communia cum Trifolio pratenſi agrario luteo mare *Johannis Bauhini*, quod nobis dicetur Melilotus minor humilis ſeu procumbens in doctrina noſtra de Meliloto infrà. Radicem habet exilem, duram, fibroſam: cauliculos graciles, hirſutos; folia tergemina, nervoſa; florem luteum, ſed magnitudine & ſingularium florum formà differentem, duplo enim & triplo majores ſunt huic glomeruli, Lupulorum capitula imitati, ſed minores contrarioque ſitu ſquamarum, quarum unaquæque criſtata ſupremum conſtituit floſculorum petalum reliqua ſinu ſuo occultans.

2. *Trifolium* luteum lupulinum minimum, nobis. Hæc prioris eſt alia ſpecies diſtincta, minor & exilior ſeu humilior, vix enim biuncialem excedit altitudinem, in humidis paſſim provenit & quaternos, quinos, minutos floſculos, luteos pariter, raro diſpoſitos, in ſummis cauliculis brevibus fert; quibus etiam evanidis ſuccedunt ſemina minuta, ſeminibus prædicti Trifolii Lupulini majoris multo minora. Prius & majus dicitur *Johanni Bauhino* Trifolium pratenſe luteum fœmina flore pulchriore ſive lupulino, aſt ut ſupra diximus & ut infra latius patebit, Trifolium pratenſe luteum mas flore minore ſemine multo *Johannis Bauhini*, eſt vera Meliloti ſpecies.

3. *Trifolium* luteum parvum rectum flore glomerato cum unguiculis, I.B. Chabr. Longis ac tenuibus fibris radicatum eſt hoc Trifolium, multos ſimul caules ſupinos emittens, palmares & ſeſquipalmares, teretes, glabros, prope terram albeſcentes, cætera atrorubentes aut virentes: folia minuta tergemina, glabra, venoſa leviter ſerrata, nonnihil etiam cordata, longis pediculis juxta caulem membraneis appendicibus imâ parte involutis; quæ autem ſummis ramis adhærent brevibus innituntur petiolis; flores cum ſummo caulium faſtigio, tum ex eorum

eorum lateribus glomeratim cohærent minuti, unguiculum aviculæ imitati, ex calycibus majuſculis, glabris, ſtriatis, per extrema denticulatis, duris.

4. *Trifolium* capitulo glomerato rigido flore luteo, I. B. Chabr. Hoc tenuem ſingularem habet radicem, paucis fibris donatam, ex qua ſurgunt caules aliquot dodrantales, ſubhirſuti, atrorubentes, varie divaricati: folia terna, longiora quam ſtellati ſuperioris & tantillum hirſuta, oblonga, per extremum rotunda, foliis Lagopi Fuchii ſimilia: caulium faſtigia ornant capitula ſingularia, glomerata, compactiora, rigidis ſpinulis quaſi conſtantia, Butomi echinis paria, imo Bardanæ echinorum aſperitate hiſpida.

5. *Trifolium* luteum nodoſum ſeu nodiflorum capitulis Thymi, nobis. Perexigua eſt hæc Trifolii ſpecies, ſub exitum hyemis palmares & ſeſquipalmares edens cauliculos, per terram ſtratos, ad quorum ſingulos nodos naſcuntur floſculi minimi, quini, ſeni, lutei, ſimul & arcte juncti, quibus effloreſcentibus & deciduis ſuccedunt totidem capſulæ, ad nodos ſingulos junctæ, Thymi vulgaris capſulis haud abſimiles, ipſiuſque Thymi capitula referentes, in quarum ſingulis ſingula continentur granula rotunda, omnium ſuæ ſortis Trifoliorum minima; capſula pariter in margine eſt quinquepartitò diviſa, cæterorum omnium Trifoliorum prædictorum more. Conſule Tabulas æneas 13, & 14. in quibus obſervare eſt capſulas complurium, earumque etiam ſemina inde exempta.

6. *Trifolium* luteum glomerulis tomentoſis per caulium longitudinem ad genicula provenientibus, I. B. Chabr. Hujus cauliculi ſunt anguloſi, glabri: folia terna juncta, ex oblongo rotunda, glabra, crenata, pediculo donata fere unciali, cujus exortui adnata gemina pinna majuſcula, ex lato mucronata, caulem complexu ſuo comprehendit: floſculi minuti, palliduli, glomerati, quos ſequuntur folliculorum tomentoſorum candicantium glomeruli, in quorum ſingulis veſiculis ſemina ſingula ruffeſcentia continentur, nitida, atque apophyſi veluti donata.

7. *Trifolium* luteum capitulo ſpumoſo lævi, nobis. Trifolium capitulo ſpumoſo lævi, C. B. P. & Prod. Radice eſt hoc alba, oblonga, fibroſa & capillata, cauliculis multis humi ſparſis, tres, quatuor, rarius ſex uncias longis; foliolis parvis, ternis, oblongo petiolo hærentibus, per marginem acutiuſculè crenatis: floribus luteis parvis ſuccedunt capitula incana, veluti ex pluribus veſiculis ſibi invicem inſidentibus compoſita, ſpumamque referentia, quarum ſingulis ſemina ſingula, parva, rotunda, plana, incluſa ſunt.

8. *Trifolium* aureum capitulo ſpumoſo aſpero majus, nobis. Trifolium majus capitulo ſpumoſo aſpero, C. B. P. & Prod. Hoc eſt radice oblonga, fibroſa; caulibus bicubitalibus tenuibus, flexibilibus, à vicinis fruticibus ſuſtentatis: foliis rotundis Trifolio vulgari ſimilibus, crenatis, prælongis pediculis donatis: inter quæ pediculi nudi, palmares, quandoque pedales efferuntur, qui ſinguli capitulum ſubrotundum, nonnunquam parvæ avellanæ magnitndine ſuſtinent, ex floribus aureis compoſitum; hos folliculi membranacei, ſibi invicem incumbentes, nonnihil à quibuſdam filamentis exaſperati ſequuntur. Propter concordantiam in colore luteo florum, has tres Trifolii poſtremas ſpecies hic diſpoſuimus; at melius fortè propter analogiam & conformitatem glomerum, ex tot veſicis granulatim conjunctorum, adjungantur Trifolio fragifero, & ampullato, flore rubro utplurimum, rarius albo, præditis & infrà explicatis.

Trifolium Arvenſe ſeu Agrarium flore purpureo.

9. *Trifolium* ſtellatum purpureum Monſpeſſulanum, nobis. & I. B. Chabr. Bipalmares non plane ſurrectos, quoſdam etiam in terram prociduos fundit ex gracili ac tenui radice caules, totos denſa lanugine obſitos: folia terna, longis nixa pediculis, cordata, tantillum per oras ſuperiores crenata, penitus hirſuta; florum glomeres divulſi, coloris purpurei, perquam villoſis conſtant calycibus, quorum pinnæ diductæ & radiatim digeſtæ quinque apicibus longis, radios totidem ſtellæ repræſentantibus, ornantur. Multa habet communia cum Trifolio ex albo incarnato Johannis Bauhini, ſed hujus folia non ſunt cordata.

10. *Trifolium* purpureum glomerulos oblongos proferens ex geniculis, I. B. Chabr. Hoc convenit cum Trifolio capite glomerato rigido Joh. Bauhini quoad flores & capſulas ſeminales; differt autem ab eodem in hoc, quod radicem agat duram lignoſam, quæ plures quidem, ut illa, emittit ſurculos, ſed pedales, teretes, rigidos, pallide virentes, & ad ſingula genicula recurvos: folia quam in illo, duplo majora, longiora, neque cordata, neque ſerrata, longiuſculis pediculis inſidentia, qui ex membranacea quadam appendice articulos

veſtiente prominent: geniculis porro capitula etiam oblonga, denſo floſculorum purpureorum agmine ſtipata, inſident quatuor quinque aut plura, ſed pro ſingulis geniculis ſingula; quorum calyculorum nullis ſtriis donatorum apices recurvi, rigidi interim, in acutum definunt mucronem, nec tamen ita durum, ut ſpinoſum auſim dicere, nullis item denticulis præditum.

11. *Trifolium* purpureum glomerulis Perſonatæ Cherleri, I. B. Chabr. cauliculos edit palmares, plures, hirſutos, foliis veſtitos ternis junctis, per extremum latioribus & quaſi cordatis, piloſis, uniuſcujuſque coliculi faſtigio capitulum hæret unicum, majuſculum, in Perſonatæ modum glomeratum & ariſtis longis, ſed lanugine quâdam albicante intertextis, horrens: floſculis inter ariſtas apparentibus purpureis, baſin autem amplectuntur terna folia magna ſub glomerulis hiſpidis, Caryophyllatæ aquaticæ in ſummis pediculorum ſimilibus, conſpicua.

12. *Trifolium* purpureum pratenſe folliculatum, C. B. P. Trifolium pratenſe Salmanticum, Cluſ. Hiſt. & Pan. Lob. Lugd. Folliculaceum ſeu veſicarium minus purpureum, I. B. Chabr. Hoc cauliculis eſt pedalibus, quinis aut ſenis, humi ſparſis: folia terna conjuncta habet uni petiolo adhærentia, minora tamen Belgico, in ambitu ſerrata & parva, lividiuſculâ maculâ inſignita: virgulæ teretes ex alarum ſinubus prodeunt, ſuſtinentes capitella floſculorum, elegantiſſima dilute purpurâ rubentium; quorum ſingulis ſuccedunt membranacei folliculi, quinquepartitò in margine diviſi, aliarum Trifoliorum leguminoſorum capſularum modo, in quarum ſingularum fundo turgido latet unicum ſemen rotundum, exile, ſubruffum: radix fibroſa aliorum Trifoliorum etiam more.

13. *Trifolium* fragiferum Friſicum folio cordato, flore rubro, nobis. Fragiferum Friſicum Cluſ. Cur. Poſt. Trifolii hujus fragiferi ſic dicti folia, à Trifolii vulgaris albi foliis differunt in hoc, quod fragiferi Friſici folia ſint cordata, vel deliquium in foliorum medio patiantur, vulgaris autem albi folia non ſunt cordata, quin in floribus & ſeminum capſulis præcipuè magis differunt: flores enim in globulum collecti perquam exigui ſunt & dilute rubentes, aliquando albidi, quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ ſeu vaſcula membranacea, rubros acinos, cum formâ, tum colore referentia, cava, & quaſi veſiculæ parvæ flatu diſtentæ, in quarum ſingulis latet ſemen fulvum, aliorum Trifoliorum ſeminum figura, atque omnes hæ veſicæ in capitulum rotundum contractæ, ac arctè ſibi invicem junctæ, Fragum Fragariæ vulgaris hortenſis, aut Rubi Idæi fructum rubrum utplurimum, aliquando album, & forma, & colore valde æmulantur, illiſque ſunt vulgo majora, unde nomen fragiferi huic Trifolio inditum. Eſt & alia hujus minor ſpecies, cujus capitulum ad Rubi vulgaris fructum (qui violaceo ſaturatiore colore præditus eſt) valdè accedit, & decerptus diutius colorem conſervat.

14. *Trifolium* fragiferum noſtras purpureum folio oblongo, nobis. Hoc ſolâ foliorum ſtructura longa, anguſta, & mucrone obtuſo non ſinuato prædita, à Trifolio Friſico Cluſii, foliis cordatis prædito, diſcernitur.

15. *Trifolium* veſicarium minimum ampullatum rubellis floribus raro diſpoſitis, nobis. Hæc Trifolii veſicarii ampullati ſpecies vix dodrantalem excedit altitudinem, imo frequenter vix ad palmarem accedit: floſculos globatim gerit, elegantis dilute rubri coloris, quibus evaneſcentibus ſuccedunt ampullæ forma veſicæ membranaceæ, pyriformes, in quarum ſingulis ſingula continentur ſemina rotunda, ſubflava ſeminis Trifolii fragiferi inſtar. Quicunque à ſimilitudine veſicularum 6, 7, & 8. ſupra & 13, 14, hocque 15. aſſociaverit non obſtante diverſo colore duplici florum, luteo ſcilicet, & purpureo, nihil forſan abs re fecerit.

LOCUS & TEMPUS.

1, & 2. Trifolium *Luteum capitulo Lupuli majus & minimum proveniunt paſſim in pratis humidis, & ſecus agrorum margines in declivibus pratorum locis. Florent per totam pæne æſtatem at verſus ejuſdem finem maturantur eorundem ſemina.*

3. Trifolium *luteum parvum rectum flore glomerato cum unguiculis, hoc Nemauſii agens Cherlerus ex locis hiſpidis & ſaxoſis evulſit, ubi rarius etiam occurrebat. Floret Maio, & ſemina paulo poſt perficit; ingruente æſtu (ut aliæ multæ annuæ plantæ) fatiſcit & exſiccatur. Vide App. ad Legumina.*

4. Trifolium *luteum capitulo glomerato rigido. Hoc obſervabatur copioſum florem habens, parvum, luteum, prope Monſpelium, circa caſtellum novum* Caſtelneuf & Caſtelnau *patrio idiomate apud*

pud Gallo-Narbonenſes dictum. Floret Maio ; & paulo poſt ſemina profert ſua. Vide App. ad Legumina.

5. Trifolium *luteum nodoſum ſeu nodiflorum capitulis Thymi. Paſſim hoc provenit circa Blæſas, ad margines agrorum & vinearum. Floret æſtate & paulo poſt maturatur ejus ſemen.*

6. Trifolium *luteum glomerulis tomentoſis &c. provenit in ſqualidis Provinciæ locis. Vide App. ad Legumina.*

7. Trifolium *luteum capitulo ſpumoſo lævi. Hoc circa Neapolim Italorum, in maritimis illic, & circa Monſpelium, in agris & in luco Gramuntio reperitur. Floret eâdem cum prædictis tempeſtate, atque paulo poſt maturantur ejuſdem ſemina.*

8. Trifolium *aureum capitulo ſpumoſo aſpero majus. Hoc in ſalicetis Michelfeldæ Huningham verſus, iis ſeſe ſuffulciens, reperitur. Floret æſtate ; atque verſus ejuſdem finem maturatur ejuſdem ſemen.*

9. Trifolium *purpureum ſtellatum Monſpeſſulanum. Provenit circa patibulum Monſpelienſe, ubi florens legi poterit menſe Aprili, & ibidem menſe Maio ſemina matura reperiuntur. Serius in hortis verſus ſeptentrionem & floret & ſemina ad maturitatem perducit.*

10. Trifolium *purpureum glomerulos oblongos proferens ex geniculis. Hoc fuit collectum in rupetis incultis circa Nemauſium ab Henrico Cherlero Johannis Bauhini genero. Floret æſtate, atque eâdem exeunte ſemina ſua perficit, ex quibus deciduis germinat planta autumno, atque viget per totam hyemem in Gallia Narbonenſi & Galloprovinciâ, quia illic hyems non eſt rigida.*

11. Trifolium *purpureum glomerulis Perſonatæ. Hoc in ſqualidis & ſiccis locis, circa Epiſcopi caſtellum prope Monſpelium collegit Cherlerus Johannis Bauhini gener, & nuſquam alibi adhuc viſum. Floret eâdem cum prædictis tempeſtate ; atque paulo poſt maturantur ſemina.*

12. Trifolium *purpureum folliculatum Salmanticum. Hoc totâ æſtate floret & ſemina perficit ; Hiſpani* Trebol de Prados *& ſimpliciter* Trebol, *quemadmodum cæteras Trifolii pratenſis ſpecies vocant.*

13. Trifolium *purpureum fragiferum Friſicum folio cordato. Hoc tarde poſt reliqua Trifolia provenit ; floret enim Julio; & ſub finem Auguſti, aut ineunte Autumno, fructum ſuum perficit. Naſcitur in diverſis Friſiæ locis, præſertim Groningenſi agro.*

14. Trifolium *purpureum fragiferum folio oblongo. Hoc circa Autumnum paſſim in campis herbidis, humidis, circa Blæſas, in humidis campis illic, qui hyberno tempore ſtagnante aqua obruuntur, & alibi in Galliæ & Angliæ humidis locis, æſtate ſiccis, reperitur : flore eſt communiter rubro, & perſæpe etiam albo; & conſequenter veſicæ continentes ſemina aut rubeſcunt aut albeſcunt, ſequendo florum colorem ipſas veſicas producentium.*

15. Trifolium *purpureum veſicarium minus ampullatum floribus rubellis raro diſpoſitis. Hoc provenit in humidis pratis ſabuloſis verſus oram maritimam Armoricæ, Neuſtriæ; & prope Rupellam in pratis maritimis illic ſecus oram maritimam protenſis ; copioſe ſatis pullulat, cujus ſemina illic collegimus anno* 1657. *inter juncos quibus fulciebatur, non procul à ſalinariis inter Rupellam & propugnaculum* Broüages.

Nota nos nomina multiplicia authorum data operâ omiſiſſe & unum aut alterum magis ſignificativum tantum in medium produxiſſe. Nota ſecundo complurima Trifolia quæ communiter flores producunt purpureos ſeu rubros, aliquando degenerare in albos: hoc obſervare licet paſſim in aliis generibus ; nam quæ ordinarie flores producunt cæruleos aut violaceos, nonnunquam degenerant in rubros, imo aliquando albos, quæ à nobis paſſim habebuntur varietates ejuſdem ſpeciei, neutiquam diſcrepantes quoad partes communes ſeu eſſentiales, ſed ſolo florum colore.

§. 5. *Trifolia Leguminoſa varia Exotica & alia rariora.*

Explicatâ doctrinâ Trifoliorum Bituminoſorum ; Pratenſium ; montanorum ſpicatorum, ſeu Lagopi pediſve leporini formâ provenientium, tam ſpica rotunda quam longa donatorum ; & Arvenſium ſeu agrariorum paſſim in agris Europeis vigentium ; jam reſtant in hoc Paragrapho 5. Trifolia exotica, minus cognita & rariora, explicanda, incipiendo à quarta planta Tab. 14. ſcilicet Trifolio montano Glycyrrhizite.

Pars TABULÆ XIV.

Trifolium

1. *Glycyrrizites*, *Park.* *Trifolium dulce montanum, Monſpelienſibus.* ☉
2. *Americanum, C. B. P. I. B. Chabr. Americum, Dod. Lob. Lugd. Tab.* ☉
3. *Peltatum Creticum, C. B. P. & Prod. Odoratum peltatum Creticum Park, I. B. Chabr.* ☿
4. *Abſus, Proſp. Alpin. de Exot. Abſus Alpini, ſeu Lotus Ægyptiaca, Park.* ☿
5. *Aculeatum Creticum, I. B. Chabr. Trifolium ſpinoſum Creticum, C. B. P. & Prod. Mattheoli ed. Bauhini. Ciſtus aculeatus Creticus trifoliatus, nobis.* ☿
6. *Alpinum argenteum Perſicæ flore, C. B. P. Trifolium argenteum Alpinum, Ponæ Ital. Ciſtus Alpinus argenteus Trifoliatus flore Mali Perſicæ, nobis.* ☉
7. *Lotus ſilveſtris ex Codice Cæſareo, Dod. I. B. Chabr.* ☿
8. *Corniculatum Luſitanicum ſiliqua tenui rectâ propendente, nobis. Trifolium corniculatum Luſitanicum flore rubro, Park.* ☿
9. *Corniculatum Creticum ſiliquâ curvâ flore luteo, nobis. Corniculatum luteum Creticum, Park. Lotus Cretica ſiliqua curvâ propendente, flore luteo, nobis.* ☿

Feſtucaceum, ſeu ſpica feſtucacea trifoliata, Foliis
11. *Innumeris, nobis.* ☉
12. *Paucioribus, nobis.* ☉

Explicatio partis Tab. 14.

1. T*Rifolium* Glycyrryzites, Park. Dulce montanum, Monſpelienſibus. Hoc Trifolium radice conſtat longiore, & profunde in terram ſparſa, Glycyrrhizæ radice valde accedens, ex qua craſſa & alte demiſſa emergunt cauliculi ſemipedales, craſſi, quorum extremis annexa ſunt folia terna, oblonga, anguſta, acuminata, curtis petiolis inſidentia, nullatenus in margine dentata; ex radicis craſſiore & ſuperiore parte, inter folia prædicta, oriuntur pediculi curti, unciales & biunciales, gerentes in ſummis floſculos papilionaceos, rubellos, Trifolii pratenſis rubri æmulos, quibus ſuccedunt ſemina ſingula in ſingulis capſulis more aliorum Trifoliorum ſupra explicatorum. Provenit in Alpibus Rhæticis, floret æſtate, & ſub ejuſdem finem ſemina ſua perficit.

2. *Trifolium* Americanum, C. B. P. I. B. Chabr. Americum, Dod. Lob. Lugd. Tab. Hoc peregrinum Trifolium ex America delatum, aliud quoddam Trifolio bituminoſo ſimile videtur: caules fert complures à radice exeuntes, rotundos, ramoſos, in latus declinantes: folia in ſingulis pediculis terna, colore ex virore ſubnigra, figura rotundiuſcula, primis è radicibus exeuntibus Trifolii bituminoſi foliis forma, colore & odore quoque, quadantenus ſimilibus, latiora tamen, & per ambitum leviter crenata: flores è ſummo ramulorum exeunt exigui, ſubcandidi, ſpicatim digeſti: fructus inde rotundi, aliquantulum plani: radix in plures fibras dividitur. Natales ipſum nomen indigitat: floret, & ſemina perficit æſtate.

3. *Trifolium* peltatum Creticum, C. B. P. & Prod. Trifolium odoratum peltatum Creticum, Park. I. B. Chabr. Hujus cauliculi ex radice tenui, oblonga, fibroſa, exſurgunt palmo minores, verſus pedem nudi; foliis parvis ſubrotundis, tripartito diviſis, parum ſinuatis, oblongis pediculis donatis, veſtiti; cauliculorum ſummis floſculi quaterni, quini, ordine ſuccedentes, & ſpica veluti dependentes, forma Ornithopodii, luteopallidi inſident: quibus ſuccedunt ſiliquæ luteæ, planæ, membranaceæ, quaſi ſemicirculares, in filamentum abeuntes in apice: ſemen unum & alterum, parvum, compreſſum continentes, quæ dum molles ſunt, dulciſſimæ & eſui aptæ ſunt: at ubi induraverint amariſſimæ. Hoc ruſticis in Creta μαγνειάν dici D. Honorius Bellus author eſt, qui ſemen hujus ſub nomine Trifolii Cretici miſit. In Creta provenit & floret, ſeminaque ſua perficit æſtate.

4. *Abſus* Proſperi Alpini, de Exot. Loto Affinis planta Ægyptiaca, Park. Abſus folio Trifolii Alpini I. B. Chabr. Loto affinis Ægyptiaca, C B. P. Herbula hæc creſcit palmi magnitudine, vel aliquando major, foliis quaternis rotundioribus conſtans, quorum bina hinc inde coſtæ mediæ adhærent: flores gerit parvos, albos, & ſemina Pyri ſeminibus proxima, iiſdem floribus ſuccedentia. Ægypti hanc plantulam Abſus vocant. Ex hac deſcriptione non eſſe Trifolium, nec plantam leguminoſam concludimus. Vide Hallucinationes infrà, & ibidem inter plantas heteroclitas & ſui generis collocandam decrevimus. Pro natalibus habet Ægyptum; floret æſtate, & paulo poſt maturantur ſemina.

5. *Trifolium*

5. *Trifolium* aculeatum Creticum, I. B. Chabr. Trifolium ſpinoſum Creticum, C. B. P. & Prod. Matth. ed. Bauhini. Trifolium ſpinoſum Creticum ὀρβιτοχορτο Hon. Belli, Cluſ. Hiſt. Ciſtus aculeatus Creticus Trifoliatus, nobis. Hoc radicem habet longam, capillatam: caules plures, palmares & ſeſquipalmares, verſus terram reclinatos, anguloſos, in frequentes ramulos brachiatos, frequentibus geniculis ex viridi purpuraſcentibus cinctos: ramulos ornant utrinque ex oppoſito ſibi reſpondentia tria folia minora, uni petiolo inhærentia, viridia, oblonga, acuminata, in minimam ſpinam abeuntia: quemadmodum etiam ad ſingula genicula ſpinæ quatuor parvæ, totidem inferne appoſitæ ſunt, unde brevis pediculus aſſurgens florem ſingularem pentapetalum, Campanulæ arvenſis formâ & colore (ſive purpurocæruleum) ſimilem, capitulo viridi inſidentem ſuſtinet, in cujus medio ſtamina 10. apicibus luteis prædita (capitulo inter ea latente) conſpiciuntur, capitulum poſtmodum quinque angulis donatur, ſtiloque prominente augetur & per maturitatem petiolo incurvato ramis ſeſe recondit, & in ſingulis angulis ſemen unicum, compreſſum, ruffum continet. Hoc primo nomine Trifolii ſpinoſi ſempervirentis Ciſti flore, Patavio à Laurentio Raſenaw accepit Caſparus Bauhinus, poſtmodum apud fratrem Johannem Bauhinum Montbelgardi collegit idem Caſparus Bauhinus, cujus ſemen ὀρβιτοχορτο nomine miſſum fuerit. Vide infrà inter Hallucinationes hujus capitis. Naſcitur in Creta, floret & ſemina perficit æſtate.

6. *Trifolium* Alpinum argenteum Perſicæ flore, C. B. P. Trifolium argenteum Alpinum, Ponæ Italice. Ciſtus Alpinus argenteus trifoliatus, Perſicæ flore, nobis. Trifolium hoc naſcitur in altiſſimo Montis Baldi vertice; radice conſtat longâ, lignoſa ruffeſcente, ſurſum verſus in multas propagines ſeu bifurcationes ſeſe findente, ex quibus protruduntur pediculi multi, ſuſtinentes terna folia anguſta, hirſuta, Olearum folia quoad figuram æmulantia, ſed minora, nervoſa, molli & incanâ lanugine tecta; ſicut obſervare licet in Geranio longius radicato: caules protrudit quatuor digitos altos: flores fert Mali perſicæ floribus colore & formâ ſimiles, quorum ſingula petala ſunt cordata, in florum medio multa ſunt filamenta ejuſdem coloris, ſed cum apicibus nigris, quæ ambiunt circulum globulumve ex brevi lanugine conflatum. Eſt planta elegantiſſima, longe ſerpens & conſequenter perennis; provenit in monte Baldo, floret & ſemina perficit æſtate.

7. *Trifolium* Lotus ſilveſtris ex codice Cæſareo, Dod. I. B. Chabr. Trifolii hujus exotici incogniti in vetuſto codice M. S. Bibliothecæ Cæſareæ imago reperitur; depingitur caule recto, foliis Trifolii, & è ſinu horum foliorum exeunt cauliculi ſuſtinentes flores (ignoratur cujus formæ aut figuræ, cujuſve coloris) male ſculptos & confuſe exhibitos; ſiliquæ etiam verſus pediculum ſunt craſſiores, & ſurſum verſus in acutiſſimum mucronem definunt, quæ ſiliquæ ſi ſepto medio membranaceo dirimantur, utpote continentes duplicem ſeriem ſeminum, hinc unam, illinc alteram, erit planta tetrapetala ſiliquoſa, forte Naſturtii triphylli ſpecies, quod graviter ſuſpicamur: nam Proſper Alpinus in exoticis, nobis exhibet Naſturtii ſpeciem ſub Sii minimi nomine, cujus ſiliquæ craſſeſcunt verſus extremitatem pediculi, atque definunt in acutiſſimum mucronem. An ſit planta papilionacea, an tetrapetala, haud facile quivis Botanicus conjecturam facere poteſt ex icone male exhibita, cum nec bene figuretur, nec rite deſcribatur, ideo latet nos cum Caſparo Bauhino quid ſit. Lotum eſſe negamus quia deſunt bina folia ad appoſitionem foliorum cum pediculo ipſo: nota enim omnibus Loti ſpeciebus peculiaris eſt hæc, quinque foliis donari, ut poſtea clarius patebit in doctrinâ Loti Herbæ, quemadmodum deſcriptio manca nobis exhibetur hujus plantæ, cum in floribus tum in ſiliquis etiam natales non recenſentur.

8. *Trifolium* Corniculatum Luſitanicum ſiliquâ tenui rectâ propendente, nobis. Trifolium corniculatum Luſitanicum flore rubro, Park. Trifolium hoc Luſitanicum dictum caules habet pedales, in hortis cultis, rectos, firmos, atque ex ſingulis geniculis alternatim pediculis ſuis longis pendentia habet folia, terna, longa, anguſta, & ex ſinubus inter pediculos foliorum & caules proferuntur unciales pediculi ſuſtinentes ſiliquas propendentes, binas uncias longas, tenues, continentes innumera ſemina minuta: flores quibus ſuccedunt hæ ſiliquæ prædictæ, non ſunt papilionacei, ſed ex multis ſtaminulis luteopallidis, cum apicibus rubris, quibus tandem ſiliquæ longæ, tenues admodum, ſuccedunt, quæ non unicam ſeriem ſeminum, (ut fit in Leguminibus utplurimum) ſed confuſe multa minutula ſemina nutriuntur, prout obſervavimus in pentaphyllo ſiliquoſo Proſperi Alpini & in Tarraraira Georgii Marcgravii. Hæ tres plantæ quamvis diverſimodi ab authoribus nominentur, atque in diverſis locis collocentur, eòdem à nobis reducentur, atque ex iiſdem novum genus conſtituemus ac collocabimus inter heteroclitas plantas ſiliquoſas, poſtea à nobis exhibendas. Semen hujus

jus

jus in ſupina parte nutritur, quod confertim eidem adnaſcens & quaſi in infinita ſeſe multiplicans, non unica ſerie longitudinaliter (prout cernitur in ſiliquis cæterorum Trifoliorum leguminoſorum) ſupinæ ſiliquæ parti adhæret.

9. *Trifolium* corniculatum Creticum flore luteo, Park. Trifolium corniculatum Creticum, Proſp. Alpin de Exot. Ex Creticis itidem ſeminibus natam hanc plantam habuit Proſper Alpinus nomine Trifolii corniculati, habentem cauliculos plures, longos, graciles, humi ſtratos, foliis Trifolii minoris ſeu Cytiſi, in extremo latioribus ornatos: flore Cicerculæ, ſed longe minore, luteo, in ramulorum cacumine unico apparente: cui ſuccedit ſiliqua rotunda, Macropiperis craſſitie in obliquum acta, in qua continentur ſemina quatuor aut quinque parva, rotunda, flaveſcentia; ſiliquæ eædem ſunt dulces, Piſi guſtui non diſſimiles, unde mirum non ſit eas eſſe eſculentas, & ſummopere pueros illis crudis in Creta veſci: ſi verum tamen ſit, ut nos credimus (inquit Proſper Alpinus) hanc plantam eſſe ἱεραζουνι Creticum Hon. Belli, à doctiſſimo Johanne Pona in Hiſtoria ſua celebri ſtirpium in monte Baldo provenientium perbelle deſcriptam, quam ſane eandem eſſe non plane auderet aſſerere Proſper Alpinus, niſi ſiliquæ in Hierazuni imagine non latæ ſint, ſed rotundæ & in obliquum circuli modo actæ, quales ex Creta accepit Proſper Alpinus, & plantæ illi natæ protulerunt eandem figuram, qualem nos damus & Proſper Alpinus dedit in Exoticarum doctrina, appellando Trifolium corniculatum Creticum ad differentiam Trifolii corniculati Italici. Eſt Lotus à poſitione foliorum quinque, nempe trium in extremitate pediculi, & binorum minorum ad ejuſdem pediculi cum caule appoſitionem. Vide App. ad Legumina.

10. *Trifolium* feſtucaceum ſeu Spica trifolia foliis innumeris, nobis. Spica trifolia, Proſp. Alpin. de Exot. Park. Mirabilis quidem eſt natura in productione rerum in mundani hujus ſyſtematis ſuperficie viſendarum, quæ & innumeras ubique etiam mirandas prima facie edit plantas, atque in nullo genere intermedio herbarum mirabilius ludit natura quam in hiſce Trifoliis de quibus jam ſcribimus, nec hæc Trifolii ſpecies & ſequens Cretica minus admirationis habere videntur. Prima hæc feſtuca trifoliata ſpicis multis ramorum inſtar ab eadem radice exeuntibus ſcatet; radice conſtat craſſa longa ſatis, deorſum verſus bifurcata, atque ſupra terram in plurima capitula, ex eadem radice orta, diviſa; ex ſummis radiculis protruduntur cauliculi breves, ſuſtinentes floſculos longiuſculos, raro diſpoſitos, magnitudine atque figura Hyacinthi floribus ſimiles, albos, dum recentes ſunt ſuaviter olentes, quibus ſuccedunt ſemina rotunda, alba, minuta: (de capſula ſeminali cum nulla ejuſdem facta ſit mentio à Proſpero Alpino; an ſit flore papilionaceo, an ſiliquam bivalvem, vel ampullæ in modum ferat, quemadmodum maxima Trifoliorum leguminoſorum pars, nobis non conſtat; examinent ideo poſteri, ad quorum manus pervenerit utraque hujus varietas:) à radice exeunt capillamenta ſeu filamenta ſatis rigida, Cuſcutæ ſimilia, ſubtiliora tamen, & albicantia, & quaſi innumera, ſpicas ex toto occulentia, deſinentia in mucrones acutiſſimos, atque ex eadem radice oriuntur pediculi ſuſtinentes ſingula folia terna, in idem centrum (pediculi ſcilicet extremitatem) deſinentia, parva, brevia, anguſta, elegantis pratenſis ſeu agrarii ſimilia, minora tamen, minutim & perpulchre in ambitu crenata. Tota planta lata eſt, ac exterius in orbem veluti acta Trifolium ſimulat; interius nimirum, in parte terram ſpectante, feſtucacea tota planta, & paulo infra Trifolia ſua floreſcens, multum elegantiæ præ ſe ferre videtur. Pro natalibus habet Cretam Inſulam: floret illic æſtate, & ſemina eadem declinante perficit.

11. *Trifolium* feſtucaceum alterum paucioribus foliis vel Spica trifoliata altera, nobis. Spicæ trifoliatæ altera ſpecies, Proſp. Alpin. Hæc Spica trifoliata altera aſpectu eſt diverſa à jam deſcripta, quamvis videtur eadem à foliis trifoliatis, ſed folia in Spica altera Proſp. Alpini conſpiciuntur pauciſſima, quemadmodum in priore innumera; atque hæc poſterior tota feſtucacea eſt, rariſſimis hic & illic apparentibus foliis trifoliatis, ut ex binis Iconibus diverſis in Appendice ad Legumina aſſculptis apparebit.

Hiſce Trifoliis enumeratis atque explicatis & in quinque ſubalterna genera (ut apparet ex paragrapho quintuplici) diſtributis; quemadmodum natura larga manu uti ſolita eſt in aliis ſtirpium generibus ſubalternis, ita productione tot variarum ſpecierum, in hoc vaſto genere Trifoliorum non defuit, nec dubitandum eſt cuivis Botannico plures diverſas ſpecies reſtare, quæ à diligente indagatore poterint addi hiſce à nobis exhibitis, atque ſingulis generibus ſuis intermediis adaptari: via à nobis ſtrata, inſiſtant alii hiſce noſtris veſtigiis & quærendo invenient plures ſpecies, plane diverſas ab hiſce omnibus allatis. Plurima Trifolia de induſtria omiſimus, quia leviter & ſuperficie tenus, à Caſparo Bauhino in Prodromo Theatri Botannici deſcripta reperimus.

HALLU-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 327. *col.* 1. *pl.* 11. *Trifolium paluſtre, C. B. P. Dod. Eyſt. Trifolium majus & minus fibrinum, Tab. Paludoſum, Ad. Lob. Majus & minus, Ger. Menyanthes paluſtre, Lugd. cum duplici figura. Hoc non eſt Trifolium Leguminoſum ſeu papilionaceum: omne enim Trifolium leguminoſum habet pro nota generica, quod flores producat papilionaceos, & ſiliquas ſiliculaſve ſeu capſulas continentes in ſe ſemina, Fabæ, Piſi, Viciæve, aliorumque Leguminum more redolentia; atqui Trifolium hoc paluſtre ſeu Paludoſum non pollet hiſce conditionibus, ergo non fuit hic collocandum à Caſparo Bauhino cæteriſque authoribus cum Trifoliis Leguminoſis, quippe toto cœlo ab ipſis diverſum, quoad modum florendi & capſulas ſeminales & ſemina producendi. Eſt enim planta trifoliata, paludoſa, ſeu in paludibus & aquis ſtagnantibus proveniens, ſui generis & heteroclita, ut poſtea declarabimus inter plantas aquaticas. Deinde compilator Hiſtoriæ Lugdunenſis Mulinæus (qui falcem in alienam meſſem injecit, poſt obitum Doctiſſimi Dalechampii, Hiſtoriam illam ad poſterorum manus tranſmiſit ubique mendis, & erroribus manifeſtis & apertis ſcatentem, ut Doctiſſimus Caſparus Bauhinus in Animadverſionibus ſuis in Hiſtoriam Lugdunenſem nobis monſtrat) & compilator Teutonicus Tabernæmontanus, quos ſequutus eſt Johannes Gerardus, omnes hi inquam entia ſine neceſſitate multiplicant, conſtituendo duas ſpecies, quæ neutiquam ſunt genuinæ ſpecies, ſed varietates, in diverſis locis provenientes, aut ibidem aliquando, quoad magnitudinem & parvitatem, aut foliorum rotunditatem aut eorum mucronem acutiorem aut obtuſiorem diſcrepantes.*

Pag. 327. *col.* 2. *pl.* 11. *Trifolium pratenſe album, C. B. P. Fuch. Dod. Gall. Dodonæus, Cluſius, Tragus, aliique authores aſſerunt Trifolium pratenſe album differre tantum à Trifolio pratenſi purpureo, ſolo colore florum; ſed longe falluntur, nam Trifolium pratenſe album differt à pratenſi rubro omnibus fere ſuis partibus. Primo folia ſingula terna ſunt glabra, & macula candidiore notantur in Trifolio pratenſi albo: flores deinde minores ochroleucos, id eſt ex albo pallidos producit: atque ſingulis floribus ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ bivalves, breves, continentes terna aut quaterna ſemina, minuta, rotunda; at Trifolium pratenſe rubrum ſeu purpureum eſt omnibus ſuis partibus majus, folia etenim majora ſunt & hirſuta; caules longiores, craſſiores etiam & hirſuti ſunt: floſculi rubri duplo etiam majores, quorum ſingulis deciduis ſuccedit capſula ſeminalis diverſimode à prioris Trifolii pratenſis albi ſiliculis bivalvibus conſtructa, quæ in margine quinquepartito dividitur ſtellæ in modum, aut quaſi totidem ſunt ſpinulæ ſtellæ figuram effigiantes, in cujus fundo ampullæ ſimili unicum ſemen rotundum continetur, multorum aliorum Trifoliorum explicatorum hujus claſſis more. Conſule Icones, adi ipſas plantas, eaſq; examina; neq; inter Trifolia aliud quodlibet ſiliculas curtas bivalves producit hujus Trifolii albi pratenſis ſiliculis conformes, præter Phæum fuſcum (ſi quas producit propter nimiam ſeſe propagandi radicibus aviditatem) & novum illud tertio loco à nobis propoſitum in Tab.* 14. *ſub nomine Trifolii albi, caule fiſtuloſo ſeu cavo donati, & foliis ſubtus maculis purpuronigris notatis inſigniti: hujus ſiliculæ itidem ſunt bivalves, breviores & craſſiores continentes ſingulæ ſemina bina aut terna, rotunda, exilia. Ergo Trifolium pratenſe album & Trifolium pratenſe purpureum ſunt duæ diſtinctæ Trifoliorum pratenſium ſpecies, quicquid voluerint citati ſupra authores qui confuſiſſime, ſicut de aliis multis herbis, etiam de hiſce ſcripſere.*

Pag. 327. *col.* 2. *pl.* 11. *Trifolium pratenſe album, C. B. P. Huic Synonymum adhibet Caſparus Bauhinus Trifolium majus* 1. *flore albo Cluſii, quod eſt Trifolium montanum album eidem Caſp. Bauhino Pag.* 328. *col.* 1. *pl. v. Trifolium montanum album Caſp. Bauhini eſt Trifolium lagopoides, cujus partes eſſentiales à Trifolio pratenſi albo omnino differunt; Trifolium enim montanum album, eſt lagopoides album, cujus folia ſunt pinnata incana, in ambitu dentata, caules edens altiores, in quorum ramis extremis proveniunt flores albi, in ſpicam conferti, Lagopi inſtar, atque floribus albis ſuccedunt capſulæ quinquepartito in margine diviſæ, in quarum ſingularum fundo ampullæ in modum facto, unicum continetur ſemen; at Trifolium pratenſe album, C. B. P. ſiliquas profert bivalves, curtas, in quibus terna quaterna una ſerie ſemina continentur; ergo nec conſtituunt unam & eandem ſpeciem, nec debent pro ſynonymis adhiberi à Caſp. Bauhino Trifolium pratenſe album & Trifolium montanum album, cum ſint omnino diverſæ ſpecies ex ipſo Bauhino, nec poteſt Trifolium majus* 1. *flore albo Cluſii eſſe ſynonymum & Trifolio pratenſi albo & Trifolio mantano albo, diverſis omnino ſpeciebus ab ipſo ſic conſtitutis; ideo ſui oblitus eſt hic Caſp. Bauhinus dum Trifolium montanum album ſynonymum vult eſſe Trifolio pratenſi albo toto cœlo diverſo, ut oſtenſum eſt.*

Pag. 328. *col.* 2. *pl. iv. Trifolium montanum anguſtifolium ſpicatum, C. B. P. Huic pro planta ſynonyma adhibetur a Caſp. Bauhino Alopecuros graminea Dalechampii, tanquam Trifolium; non eſt Trifolium à numero foliorum, ſed quina folia anguſta, longa, ex ſingulis pediculis profert, ergo non poteſt Trifolium proprie dici: nec eſt gramen Alopecuroides, ut vult Dalechampius qui inter gramina Alopecuroidea collocat; quia plures flores rubros, puſillos, ſpicatim in ſummis faſtigiis caulium profert; mihi plane videtur Melampyri exilior ſpecies; ergo nec Trifolium cum Bauhino, nec Gramen Alopecuroides cum Dalechampio in Hiſtoria ſua Lugdunenſi, dici debet, & per conſequens male hic inter ſynonyma Trifolii anguſtifolii ſpicati locatur à Caſparo Bauhino. Amandetur ad Melampyri genus, cujus eſt perfecta ſpecies.*

Pag. 328. *col.* 1. *pl. v. Trifolium pratenſe luteum ſeu agrarium capitulo Lupuli, C. B. P. Chabr. Trifolium pratenſe luteum fœmina flore pulchriore ſive lupulino, I. B. Chabr. Pro ſynonymo huic adhibet Caſparus Bauhinus Trifolium minimum, Ad. Lob. & Hiſt. Lugd. Fallitur Bauhinus, nam Iconibus ab utroque prædicto authore & Parkinſono allatis repræſentatur Trifolium minimum Lupulinum noſtras deſcriptum & exhibitum ſculptura prope majus, Tab.* 13. *hujus Sectionis ſecundæ, ut facile cuilibet videre licet, à floſculis raro diſpoſitis & pictis. Porro Trifolium agrarium Dodonæi Synonymum adhibetur Trifolio pratenſi luteo capitulo Lupuli, cum Dodonæi Icon omnino convenit Trifolio pratenſi luteo capitulo breviore C. B. P. ſeu Trifolio pratenſi mari, flore minore, ſemine multo I. B. Chabr. Trifo-*

lium enim agrarium Dodonæi eſt Meliloti ſpecies minor procumbens, nobis. & ſynonymum cum Trifolio pratenſi luteo capitulo breviori, C.B.P. & Trifolio pratenſi mare, flore minore ſemine multo, J.B. & Chabræi. At à ſpica racemoſa eſt Meliloti ſpecies ut poſtea demonſtrabimus in doctrina Meliloti infra, & per conſequens adaptari non debuit Trifolio majori lupulino, à quo evidenter apparet ex autopſia diverſum.

Pag. 327. col. 1. pl. VI. Trifolium pratenſe minus floſculis purpureis, C.B.P. Trifolium quoddam parvum ſive Lotus pratenſis purpurea, I.B. Chabr. Lotus pratenſis purpurea, Hiſt. Lugd. Inquit Dalechampius in Hiſtoria ſua Lugdunenſi, radicem gignit gracilem, candicantem, parum capillatam: cauliculos multos ſurculoſos, fere pedales: folia nunc terna, nunc quaterna: flores in ramulorum vertice copioſos, purpureos. In pratis & locis humidis naſcitur. Adeo manca, ſterilis & jejuna eſt hujus deſcriptio exhibita à Dalechampio ut quonam debeat referri impoſſibile ſit judicatu, nec flores aſſignat papilionaceos, nec qualeſnam ſint folliculi aut capſulæ ſeminales exhibet, nec in explicatione, nec figura ſeu Icone. Videretur mihi aut cuiquam Iconem bene conſideranti, potius Rubiæ ſpecies minor, quam Lotus: Examinent poſteri prata humida, ſed ubi terrarum non meminit Dalechampius, idcirco nodum in ſcirpo poſteris ſuis Botanicis quærendum reliquit idem Dalechampius.

Pag. 328. col. 1. pl. 11. Trifolium Alpinum argenteum Perſicæ flore, C.B.P. Trifolium argenteum Alpinum Ponæ, Ital. Conſule hujus deſcriptionem inter Trifolia Exotica plant. 6. Notandum eſt hanc plantam non eſſe Trifolium leguminoſum, quia non habet florem papilionaceum; deinde oblitus eſt Johannes Pona addere capſulas ſeminales, quæ determinare debent genus ſuum, ſed ex deſcriptione florum pentapetalorum Mali Perſicæ florum æmulorum, & ſtaminulis multis coloſini coloris inſtar Perſicæ florum, cum apicibus nigris ambientibus globulum ex brevi lanugine conflatum, quilibet poterit concludere mecum hocce non eſſe Trifolium leguminoſum à flore, multo minus à globulo hirſuto: ſed veroſimilius mihi videtur Ciſtus mas minimus triphyllos ſeu Ciſtus folio Trifolii: ſi capſulas expreſſiſſet Alpinus pentagonas, hirſutas, eſſet hæc planta Ciſtus mas minimus trifoliatus argenteus, non autem Trifolium Ciſti flore, raciocinando ex libro naturæ. Aliter, cum florem pentapetalum Mali Perſicæ florum colore gerat, ſi capſulam haberet Quinquefolii aut Heptaphylli more, poterit reduci ad eorum claſſem ſubalternam, Pentaphylloides ſcilicet, ternis foliis donatum, quemadmodum nos præſtitimus in doctrina Pentaphylloidis ad finem hujus Sectionis; nam datur illic Pentaphylloides trifoliatum Fragariæ folio, quod à flore pentapetalo, & capſula ſeminali, plurima minuta ſemina ibidem continente (more Pentaphyllorum & Heptaphillorum) ſic denominavimus; penes itaque erit examinantes prædictam ipſam plantam ad utrumvis horum duorum generum, nunquam ad Trifoliorum Leguminoſorum claſſem, reducere, ex doctrina univerſali noſtra; nec poterit, inquam, alio ex mea ſententia, quam ad Ciſtum, aut Penphylloides, habita ratione floris, capſulæ ſeminalis, & ſeminum, reduci.

Pag. 329. col. 1. pl. x. Trifolium album anguſtifolium floribus veluti in capitulum congeſtis, C.B.P. Dorycnium Monſpelienſium, Ad. Lob. Cam. Cum hæc planta ſit Lotus incana fruteſcens, ex appoſitione foliorum, nempe ternorum in extremitate pediculi, & binorum ad appoſitionem pediculi cum caule, addenda eſſet hæc planta leguminoſa Loto fruticoſæ Lybicæ Dal. Hiſt. Ludg. & Loto hæmorroidali ut nos præſtitimus, & ut cernere eſt ad finem doctrinæ Loti, infra, non autem hic inter Trifolia collocanda eſſet, quemadmodum præſtitit Caſparus Bauhinus.

Pag. 329. col. 2. pl. VI. Trifolium Echinatum arvenſe, C.B.P. Tribulus terreſtris minor repens, Hiſt. Ludg. & pag. 330. col. 1. pl. VII. Trifolium Echinatum arvenſe fructu minore, C.B.P. Tribulus minor rectus, Hiſt. Ludg. Caſparus Bauhinus edoctus ex autoritate Hiſtoriæ Lugdunenſis fruſtra multiplicat entia ſine neceſſitate, dum duas conſtituit ſpecies diſtinctas, cum revera ſit tantum una, nam nunc procumbere, nunc erigi, non poſſunt determinare duas perfecte diſtinctas ſpecies.

Pag. 390. col. 1. pl. 11. Cytiſus incanus Creticus, C.B.P. Ebenus Cretica, Epiſt. 4. Honorii Belli ad Cluſium, & Johannis Ponæ. Quum hæc planta trifoliata flores papilionaceos & ſpicam continentem capſulas ſeminales & ſemina ad eundem modum facta habeat cum Trifolio ſpicato ſeu lagopoideo, debet diſponi inter conſortes Trifolia lagopoidea, non inter Cytiſos ſiliquis longis, bivalvibus, donatos, qui pertinent ad Geniſtæ claſſem, cum in multis Geniſtæ accedant, præcipue ſiliquis & ſemine & numero foliorum.

Pag. 330. col. 1. pl. 11x. Trifolium ſpinoſum Creticum, C.B.P. Park. Matth. ed. Bauhini. Trifolium ſpinoſum Creticum ὀρβιτόχορζος, Hon. Belli, Cluſ. Hiſt. Trifolium aculeatum Creticum, flore amœno, magno purpuroviolaceo I.B. Chabr. florem non habet papilionaceum, ſed pentapetalum & capitulum quinque angulis donatum, ergo non eſt Trifolium leguminoſum Ciſti flore dicendum; ſed Ciſtus ſpinoſus trifoliatus, ſumendo denominationem genericam à nobiliore parte, flore ſcilicet & capſula ſeminali pentagona, quæ magis ſunt conformia Ciſti ſpeciebus, qui mas dicitur; terna folia ſpecificam indigitabunt differentiam. Conſule deſcriptionem ejus uberiorem ſupra inter Trifolia exotica. Vide ipſius Iconem, Tab. 14^{a}. pl. 5ta.

Pag. 330. col. 2. pl. 1. Trifolium Hepaticum flore ſimplici, C.B.P. & ibidem pl. 11. Trifolium hepaticum flore pleno, C.B.P. Male à Caſparo Bauhino hic inter Trifolia & Melilotum, quippe Trifolia papilionacea, collocantur; cum revera Hepaticæ foliis conſtant integris, tribus lobis tantum acuminatis ſeu mucronatis, diviſis & tripartitis ſolummodo in exteriore margine, deinde toto cœlo floribus & ſemine diſcrepant à Trifoliis leguminoſis; ergo hinc eſſent arcendæ Hepaticæ; & cum floribus, tum ſeminibus racemoſis in capitulum congeſtis Ranunculorum more præditæ ſint, jure debent Ranunculis adjungi, quemadmodum nos præſtitimus in Sectione quarta. Quicunque inſuper ad Sectionem noſtram undecimam Hepaticam, Ranunculos & Trifolium acetoſum relegaverit, non inficias eo, quin bene eaſdem diſpoſuerit inter plantas quarum ſingulis floribus plura ſuccedunt ſemina minuta.

A pag. 327. uſque ad pag. 333. Caſparus Bauhinus in Pinace collocat Trifolia, Melilotum & Lotum herbam, quæ omnia ſunt Legumina trifoliata, proinde juſto titulo debuere ſubjungi Leguminibus πλαγιοκαύλοις finientibus paginam 353. non autem confuſe locari inter Fragariam & Rubiam propter numerum ternarium aut quinarium foliorum.

LEGUMINA
Trifoliata ſeu Trifolia Leguminoſa.

TRIFOLIUM COCHLEATUM
Seu Medica Cochleata.

CAPUT VIII.

T*Rifolium* cochleatum ſeu Medica cochleata hoc obtinet peculiare inter Trifolia cætera leguminoſa, (etiamſi foliis ternis & floribus papilionaceis conveniat cum cæteris omnibus Trifoliis leguminaceis) quod ſingulis floribus papilionaceis deciduis ſuccedat capſula, quæ in gyrum ſeu cochleam, ſpiralis lineæ in modum, contorqueatur, & tribus, quatuor, pluribuſve gyris, altero alteri impoſito conſtet. Nota igitur generica Medicæ conveniens, ipſamque ab omnibus Leguminibus Trifoliatis, ſeu Trifoliis leguminoſis diſtinguens, eſto hæc: Siliquæ ſunt helicoides ſeu ſpiraliter intortæ omnium & ſingularum Medicarum, cujuſcunque magnitudinis aut figuræ ſint fructus capſulæ. Nota inſuper folia tergemina ſemper omnibus & ſingulis Medicæ ſpeciebus convenire, quæ inter ſe tam ſunt ſimilia ut impoſſibile ſit à foliis ipſas Medicas ad ſpecies reducere, tribus aut quatuor exceptis de quibus in particulari ſpecierum deductione agetur. Idcirco à diverſis fructuum involucris ſeu capſulis ſpiralibus cochleatis, diverſo modo conſtructis, nobis, cùm in Tabulis cognationis, tum earundem explicatione, varie denominabuntur.

Pars TABULÆ XV.

- *Trifolium cochleatum ſeu Medica cochleata*
  - *Major* δίκαρπος
    - *Capſulâ*
      - *Compreſſâ orbiculatâ*
        - *Nigrâ planâ*
          - *Oris*
            - 1. *Criſpis, nobis.* ☿
            - 2. *Lævibus, nobis.* ☿
        - 3. *Albâ rugoſâ, nobis.* ☿
      - 4. *Globoſâ & Scutellatâ, nobis. Medica Scutellata, I. B. Chabr.* ☿
      - *Turbinatâ*
        - 5. *Planâ, nobis.* ☿
        - 6. *Rugoſâ, nobis. Medica turbinata, I. B. Chabr.* ☿
      - *Spinoſâ rotundâ*
        - *Majore*
          - *Spinis*
            - 7. *Paucioribus & rigidioribus, nobis.* ☿
            - 8. *Longioribus ſurſum & deorſum tendentibus, nobis.* ☿
            - *Ejuſdem capſula protracta Fig. 9.*
        - *Minore*
          - 10. *Multis ſpinulis armata, nobis.* ☿
          - 11. *Rariùs ſpinis craſſioribus & brevioribus armata, nobis.* ☿
          - 12. *Et foliis quaſi ſpinoſis, nobis.* ☿
          - 13. *Et craſſiore ſpinulis brevibus rarioribus donata.* ☿
          - *Ejuſdem capſula protracta, Fig. 14.*

- *Trifolium cochleatum ſeu Medica Cochleata.* — Minor πολύκαρπ⊕ — *Spinoſa*
  - *Perennis*
    - 15. *Incana maritima, nobis. Medica marina, Lob. Icon. Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Park.* ⊙
    - 16. *Ciliaris ſeu capſulis ciliaribus nigris, nobis.* ⊙
  - *Annua* — *Capſula*
    - *Majore*
      - 17. *Albâ folio cordato fuſcâ maculâ notato, nobis. Medica Arabica, Cam.* ☿
      - *Nigra*
        - 18. *Hiſpidiore, nobis.* ☿
        - 19. *Minus hiſpida, nobis.* ☿
    - *Minima*
      - 20. *Rotundâ, nobis. Tribulus minor repens & rectus, Dalechampii Hiſt. Lugd.* ☿
      - 21. *Coronatâ, nobis. Coronata minima Cherleri. I. B. Chabr.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæquintæ Sectionis ſecundæ.

1. MEdica cochleata major δίκαρπ⊕, fructus capſulâ compreſſa orbiculata, nigra, plana, oris criſpis, nobis. Medica dicitur, quod primo ex Media in Hiſpaniam & ex Hiſpania priſcis olim ævis, in agrum Neapolitanum introducta fuit. Hodie vero in plurimis aliis Europæ locis ſponte proveniens cernitur Medica diverſorum generum, quæ paſſim in multis aliis locis ſeritur. Hujus Medicæ majoris planæ primæ radix eſt parva, fibroſa, multos fundens caules palmares in ſterili & macro ſolo, pedales autem in pingui & fertili, per terram ſtratos: folia terna, parva, glabra, fere triquetra & per extremum lata ac nonnihil crenata, maculis interdum nigris aſperſa: flores exigui, flavi, oblongis pediculis donati: ſiliquæ ſeu capſulæ ſeminales Helicoides, cochleæ aut gyri in modum intortæ, majores, planæ, compreſſæ, maturæ nigræ, oris criſpis ſeu undulatis in ambitu donatæ, ex tribus quatuorve gyris, altero alteri impoſito conſtantes, magnitudine omnino unguis humani, aut nummi valoris quatuor ſolidorum monetæ Anglicanæ, vulgo **a groat** dicti.

2. *Medica* cochleata altera major δίκαρπος fructus capſulâ compreſſa orbiculata nigra lævi ſine oris criſpis, nobis. Hæc Medica major capſula nigra lævi ſeu abſque oris criſpis, plane diſtinguitur à priore ſiliquarum ſeu cochlearum, & conſequenter ſeminum parvitate, præcipuè autem quod cochleæ ſint minores, nigriores, abſque fimbriatis aut undulatis oris in ambitu.

3. *Medica* cochleata major δίκαρπος fructûs capſulâ compreſſa orbiculata rugoſa alba, nobis. Hæc Medicæ ſpecies nova & viſu elegans, capſulam omnino à reliquis omnibus diverſam gerit; eſt enim capſula rugoſa, compreſſa, orbiculata, alba, modioli in modum facta, oris in ambitu miro naturæ luſu rugoſis; quoad folia, flores & ſemina reniformia, convenit cum cæteris ſuæ ſortis hic explicatis. In Meridionalibus regionibus fuit detecta à Johanne Raio, & huc in Angliam delatum ejus ſemen, quod ſatum ab Edvardo Morgan in hortulo ſuo Botanico pone Abatiam Weſtmonaſterienſem innumeras produxit capſulas, ex quibus nobis communicatis ſeſe nunc propagat in horto publico Botanico Univerſitatis.

4. *Medica* cochleata major δίκαρπος fructûs capſulâ rotunda globoſa ſcutellata, nobis. Medica ſcutellata, I. B. Chabr. Hæc cubitales, robuſtos, hirſutoſque habet cauliculos, eoſque partim erectos, partim procumbentes: folia tergemina, majuſcula & latiuſcula, acuminata, ſubtus hirſuta, circumquaque crenata: flores ſunt pauci, lutei, binatim petiolo unico utplurimum hærentes, quos volutarum inſtar cochleatæ ſiliquæ ſequuntur planæ exte-

rius

rius, interius veluti è ſcutellis quatuor, aut quinque compoſitæ, ut inferior major ſemper convexam ſuo cavo excipiat. Semina in gyris latent renalia, majora ſeminibus reliquarum ſui generis Medicarum: radix eſt ſimplex fibroſa.

5. *Medica* cochleata major δίκαρπος fructûs capſulâ turbinata plana, nobis. Hæc à primo intuitu capſulæ, quippe turbinatæ, planæ, magnitudine Fabæ equinæ, facile diſtinguitur à ſequente capſulâ turbinata rugoſa; facilius à cæteris omnibus prædictis hujus familias figurâ ſola turbinata cochleæ; foliis, floribus & ſeminibus renalibus conveniunt omnes pæne Medicæ ſpecies (perpaucis foliis maculatis aut incanis notatu dignis exceptis) genericam intermediam earum differentiam aut aliquando ſpecificam conſtituente ſiliquâ ſeu capſula ejuſque fabrica, ut clare apparet in doctrina hujus capitis, cujus conſule Tab. æneam 15.

6. *Medica* cochleata major δίκαρπος fructûs capſulâ turbinata rugoſa, nobis. Medica magna, turbinata, I.B. Chabr. Hæc cubitales & ſeſquicubitales caules emittit hirſutos, multis ramis fiſſos: foliis ternis aliarum more, hirſutis, multis itidem, in longiuſculis pediculis inſiſtentibus, donatur: flores parvi, papilionacei, lutei, binatim pediculo hærent unciali & ſeſquiunciali, quos ſequuntur capſulæ turbinatæ (ſeu turbinis forma, id eſt latiori baſi capſula inſidet pediculo, & attenuatur verſus extremitatem & quaſi in metam deſinit) rugoſæ in ambitu ſeu circumferentia exteriore, circumvolutæ numero ſex aut pluribus gyris ſibi invicem commiſſis & arcte junctis, duræ: unaquæque ſpira gemino denticillorum ordine cælata eſt, medium ſecante zonulâ perpetua: ſemen latet in gyris renis forma ſinuatum.

7. *Medica* cochleata ſpinoſa major δίκαρπος, ſeu capſula rotundiore majore ſpinis paucioribus & rigidioribus, nobis. Vide Park. pag. 1116. Hæc per terram ſe expandit cubitalibus & longioribus caulibus: folia parva, hirſuta, & per oram lata: flores lutei: capſulæ rotundæ in circumferentia longis rigidiuſculis ſuſque deque vergentibus ſpinulis horrent, non admodum denſis; convolutiones ſunt tres aut quatuor, in quibus nunc plura, nunc pauciora latent ſemina magna, reniformia: folia inquam per extremum lata, ſingula ſingulis punctulis nigris notata, unde facile à cæteris hujus claſſis, juncta capſularum ſeminumque magnitudine earumque paucitate etiam & foliorum amplitudine facilius à Medica Arabica Camerarii diſtinguitur; perfectius inquam à cochleis ſeu ſeminum capſulis quadruplo Camerarii majoribus & binatim rariuſque in pediculis diſpoſitis (nam ordinarie binatim, aut aliquando ſed rarius ternatim proveniunt hujus capſulæ) à Medica Arabica Camerarii dignoſcitur, cujus folia pariter maculis nigris notantur, at capſulæ quinæ, ſenæ, ex petioli ſummitate pendent, quadruplo etiam hujus jam deſcripti minores.

8. *Medica* cochleata ſpinoſa major δίκαρπος capſula ſeu ſpinis longioribus ſurſum & deorſum tendentibus, nobis. Hæc à ſuperiore 7. facile cognoſcitur, primo quod folia producat nullis maculis nigris notata; ſecundo à capſula, cujus ſpinulæ ſunt longiores & denſius diſpoſitæ, ſuſque deque aut ſurſum & deorſum tendentes; utraque & hæc & 7. ſemen producit majus, renale, & utriuſque cochlea eſt major, nucis Myriſticæ magnitudine, quæ binatim provenit ex uno petiolo dependens: unde apte ſatis utraque hæc Medica 8. & ſuperior 7. ſub nomine Trifolii cochleati majoris ſpinoſi δικάρπου militabit.

9. Hæc Icon repræſentat capſulam Medicæ 8. extenſam ut clarius & diſtinctius cernantur gyri ſeu convolutiones ſpirales & ſpinulæ longiores ſurſum & deorſum tendentes.

10. *Medica* cochleata δίκαρπος capſulâ ſpinoſa rotunda minore multis ſpinulis armata, nobis. Hæc inter Medicas cochleatas ſpinoſas minores δικάρπους, id eſt capſulas binatim producentes, diſponitur, quæque vix triuncialis aut palmaris fuit: cochleam gerebat rotundam vix Piſi majoris maginitudinem excedentem, binatim ſemper curto petiolo provenientem, & ſpinulis multis ſatis frequenter diſpoſitis onuſtam.

11. *Medica* cochleata δίκαρπος capſulâ ſpinoſa rotunda minore, rarius ſpinis craſſioribus & brevioribus armata, nobis. Hæc Medica annua δίκαρπος ſeu ὀλιγόκαρπος binas cochleas uni petiolo pendentes producit majores præcedentis, atque ſpinulis rarius diſpoſitis brevioribus & rigidioribus armatas. Planta eſt humilis, vix palmarem excedit longitudinem.

12. *Medica* cochleata δίκαρπος capſulâ ſpinoſa rotunda minore & foliis quaſi ſpinoſis, nobis. Hæc Medicæ cochleatæ ſpecies caules edit pedales & amplius, protrudentes ex ſingulis geniculis folia terna acuminata profunde ſerrata, ut in ſpinulas multas degenerare videantur Medicæ, & hoc nomine facile inter cæteras omnes Medicas cognoſcitur; fructum geminum ex eodem pediculo profert pendentem, medium quaſi inter Medicas cochleatas ſpinoſas majores & minores, ſed conveniunt hæ quatuor cum majoribus, quod ſint δίκαρποι non πολύκαρποι, ut ſunt omnes minores.

 13. *Me-*

13. *Medica* cochleata δίκαρπος capſula ſpinoſa craſſiore & ſpinulis brevibus & rarius diſpoſitis armata, nobis. Hæc à tribus Medicis cochleatis δικεράτοις ſeu δικάρποις ſupra explicatis facile dignoſcitur, quod cochleam Fabæ equinæ magnitudine producat, rarioribus ſpinulis armatam, atque inter Medicas cochleatas ſpinoſas minores haſce ὀλιγοκάρπους ſeu δικάρπους cochleam edat eaſdem amplitudine ſuperantem.

14. Hujus jam deſcriptæ cochleam protractam & extenſam clarius & magis dilucide Helicem ſeu lineam ſpiralem exprimentem loco hoc 14to. ſculpendam curavimus, ut cuilibet plane cernere licet in Icone exhibita.

15. *Medica* cochleata πολύκαρπος capſula ſpinoſa minore, perennis, incana, maritima, nobis. Medica marina, Lob. Icon. Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Park. Caules ſive ramos habet hæc Medica maritima tres aut quatuor, ſæpe plures, pedales, humi fuſos & procumbentes: folia Trifolii Cytiſi Maranthæ foliis minora, quæ cum ramulis ipſis tomentoſa lanugine obſita ſunt: flores extremis ramis inhærentes petiolis ſuis ex alarum ſinubus ortis exſiliunt, quini aut ſeni ſimul congeſti, Medicæ vulgaris aut Sertulæ Campanæ florum forma, coloris flavi: ſiliquæ deinde glomeratæ & contortæ ſive convolutæ, in quarum ſingulis, incana etiam lanugine obductis, continentur ſemina renalia ſeu reniformia, ſubruffa, reliquarum Medicarum ſeminibus ſimilia: radix craſſiuſcula, perennis ſive vivax ex candido palleſcit.

16. *Medica* cochleata πολύκαρπος capſula ſpinoſa minore, perennis, ciliaris ſeu capſulis ciliaribus nigris, nobis. Hæc Trifolii cochleati ſpecies radice eſt perenni, longe lateque repente, Medicæ ſuperioris maritimæ incanæ more; in ſummis caulium bipedalium ſurrectorum multa vaſcula ſeu capſulas cochleatas ſpinoſas congeſtim fert, nigras, (inde appoſite ſatis Guillandino Medica ciliaris dicta, quia capſularum pili nigri ciliorum pilis nigris perquam ſunt ſimiles) unde à radice repente, quæ ſolummodo Medicæ maritimæ incanæ & huic ciliari Medicæ Guillandini convenit, facile à cæteris omnibus annuis diſtinguitur, & longis pilis ciliaribus nigris, à maritima incana, juncta foliorum viriditate & rectitudine caulium, facilius dignoſcitur.

17. *Medica* cochleata minor πολύκαρπος annua capſula majore, alba, folio cordato, macula fuſca notato, nobis. Medica Arabica, Cam. Medica Arabica ſive Trifolium cochleatum cordatum, Park. Hæc Medicæ ſpecies multis conſtat caulibus tenuibus, infirmis, geniculatis, quibus inſiſtunt folia tergemina, viridia, ſingula cordis formam quodammodo referentia, & maculis nigris in medio notata, quæ à longis pediculis pendent, lata ad extremum & ſinuata: ex ſinubus inter cauliculos & foliorum pediculos oriuntur Petioli unciales, ſuſtinentes floſculos plurimos, luteos, ternos, quaternos, aliquando plures, quorum ſingulis ſuccedunt ſingulæ capſulæ cochleatæ, & hirſutæ ſeu echinatæ aliarum Medicarum more. Parkinſonus pag. 1116. in eadem Tabella Icones 10. capſularum Medicarum cochleatarum exhibet, quæ nec bene ſculpuntur, multo minus apte nominantur: atque iiſdem addit ſiliquam articulatam Scorpioidis leguminoſæ ſtriatæ ac ſi eſſet ex Medicarum numero, nec nomina ipſis addit: confuſe has capſulas exhibet ſicut plurima alia paſſim.

18. *Medica* cochleata minor πολύκαρπος annua capſula nigra hiſpidiore, nobis. Craſſiuſcula & prolixa ſatis eſt hujus radix, ſingularis & alba: caules multi tenues per terram ſparguntur, dodrantales, ſtriati, hirſuti: folia terna, ſubrotunda, ad Trifolii pratenſis lutei ſeu agrarii Dodonæi folia valde accedentia, nullo notabili ſapore prædita, piloſa, albeſcentia, maxime parte inferiore: flores parvi, lutei, plures ſimul congeſti; quibus accedunt capitula plura, echinata ſeu hiſpida, nigra, ex eodem pediculo ſimul coacervata, Piſo non majora, contortis Helicibus conſtantia, globoſa, quatuor, quinque, aliquando plura, mollibus ſpinulis echinuliſve obvallata: ſemina reniformia (cæterarum hujus generis more) in ſe continentia.

19. *Medica* cochleata minor πολύκαρπος annua capſula nigra minus hiſpida, nobis. Hæc neutiquam à priore quoad omnes ſuas partes differt, niſi quoad capſulas quæ minus ſunt hiſpidæ; ſunt potius aſperæ, atque Helices magis conſpicue apparent, ſuntque ſuperioris capſulis paulo majores.

20. *Medica* cochleata πολύκαρπος annua, capſula minima, rotunda, nobis. Tribulus terreſtris minor rectus & repens, Dal. Hiſt. Lugd. Hæc Medicæ minima ſpecies rotunda, caulibus eſt ſemipedalibus, aliquando palmaribus, in ſabuloſis tenuibus admodum, nunc rectis nunc procumbentibus, (quæ neutiquam duas ſpecies conſtituunt ut volunt authores) quos ornant folia terna, minuta & exilia, longa, hirſuta, ad extremum ſerrata: floſculi

puſilli

puſilli, lutei, multi ſimul juncti: quos ſequuntur capſulæ plures hirſutæ, ejuſdem pediculi faſtigio adhærentes, quam proxime arcte glomeratæ, leviter echinatæ, quatuor, quinque, aliquando plures ſimul junctæ, Orobi ſativi ſemine haud majores: radices ſunt tenues & fibroſæ.

21. *Medica* cochleata πολύκαρπος annua, capſula minima, coronata, nobis. Medica coronata minima Cherleri, I.B. Chabr. Hæc Medica echinata minima coronata pedalibus vix donatur caulibus, tenuibus, ſubrubentibus, è quibus alternatim ex longis intervallis ſurculi exeunt ſingulares, unciales & longiores, qui in extremis ternas, quaternas, quinaſve geſtant cochleas echinatas ſeu hiſpidas, minimas; ſingulæ unica aut ſeſquialtera circumvolutione conſtant, utrinque, id eſt ſupra & infra denticulata, gemellam coronulam imitata, echinulos ſuſtinente; folia tergemina, hirſuta, ad extremum ſerrata, fere cordata; tam ſunt exigua ut vix conſpicue appareant & fugiant quaſi obtutum cujuſvis, niſi propius intuentis.

LOCUS & TEMPUS.

Trifolii cochleati ſpecies. 1. *In montibus Euganeis & circa Monſpelium colligitur. Floret æſtate ineunte, & per totam fere æſtatem aut floret aut ſemina in capſulis producit nigris: in gyrorum ſinu continentur ſemina ſubrotunda, flava recentia, diliquium patientia aut reniformia.*

2. *Provenit hæc major altera nigra plana ibidem cum priore circa Monſpelium, atque copioſe & nuſquam abundantius quam ſecus viarum margines circa Blæſas. Floret Auguſto & exeunte Autumno: capſulæ compreſſæ, maturæ nigræ, magnitudine ſunt unguis minimi digiti humani, aut nummi, valoris monetæ Anglicanæ,* twopence *dicti. Affatim Autumno in prædicto loco per terram ſtratæ, pediculis ſuis exutæ, & ſponte præ ſiccitate deciduæ, illic conſpiciuntur numeroſe ſatis, quæ imbribus frequenter tunc temporis ingruentibus madefactæ tument & germinant radicibus in terram actis, atque plurima folia ante adventum hyemis acquirunt & hyemis rigorem tolerant, ut Vere redeunte flores primò, deinde ſemina, ſingulis annis ſuffundant, quibus de anno in annum ſeſe aliorum Leguminum annuorum more perpetuant. Quin & autumno à porcis illic errantibus avide devorantur.*

3. *Semina ex Italia detulit prædictus Johannes Raius. Floret ineunte æſtate & ſemina copioſe ſingulis annis mature perficit, quibus perpetuatur quotannis hæc elegans Medicæ ſpecies.*

4. *Paſſim provenit circa Monſpelium, maxime in ſegetibus illic ſatis. Floret Vere ineunte illic, & æſtate ſemina perficit ſua. Tardius apud nos hæ omnes Medicæ Species proveniunt, quia non ſunt ſerendæ in hiſce plagis ante initium Aprilis, propter rigorem hyemis: ſi ſerantur autumno, pereunt ſæpe hyeme. Apud Meridionales in Hiſpania & Gallia Narbonenſi ſponte ſua ſeſe ſerunt, & per totam hyemem perſeverant, atque ſemina ad maturitatem ante exactam vernam tempeſtatem perducunt.*

5. *Capſulas hujus Medicæ nobis communicatas habuimus ex Africâ, operâ & induſtriâ D. Alexandri Balam, tunc temporis Tingidis urbis Syndici à D. D. Rege noſtro Carolo 2. deſignati: Præfatus inquam Alexander Balam fuit, dum in vivis eſſet, diligentiſſimus ſtirpium rariorum indagator, earumque ſeminum collector & perquiſitor indefeſſus, cujus laboribus plurimarum plantarum rariorum plurima rara ſemina debemus, cùm ex Italia, tum ex Africa collecta, & ad nos per plures annos cùm Blæſis, tum hic in Anglia degentes tranſmiſſa. Floret & ſemina maturantur eâdem tempeſtate anni cum cæteris ſuæ tribus ſeu claſſis.*

6. *In agris & arvis ſegetalibus circa Monſpelium, & alibi in Gallia Narbonenſi floret, illic cito, apud nos in hortis cultis ſata tardius, Junio & Julio; Auguſto & Septembri ſemina ejuſdem maturantnr.*

7. *Ad mare reperitur non procul ab oppido Monſpelio menſe Auguſto florens, & utplurimum citius, ineunte æſtate atque verſus ejuſdem finem matura ſunt ſemina.*

8. *Utraque in agris Galliæ Narbonenſis provenit. Floret etiam ineunte Vere illic, & paulo poſt ſemina ſua perficit.*

10. *Primò nobis occurrit in aridis collibus ſaxoſis verſus eremitarum cellam, non longe Blæſis collecta. Floret æſtate media, atque ſemina paulo poſt ad maturitatem perducit.*

11. *Frequenter in ſiccis & lapidoſis hanc circa Eremitarum cellulam prope Blæſas pariter invenimus. Floret Maio & ſemina æſtate perficit ibidem.*

12. *Semen hujus communicatum habuimus à Profeſſore Botanico D. Sien Lugduno Batavorum ad nos miſſum. Floret æſtate, atque menſe poſt, aliarum Medicarum more maturantur ſemina.*

13. *Ubi*

13. *Ubi proveniat incertum, inter alia ſemina nobis communicata habuimus biennio aut triennio abhinc, at unde neſcimus.*

15. *Provenit hæc in Hiſpania & Gallia Narbonenſi, ad Mediterranei maris litora. Inveniebat etiam in oceani litore ad Tagi fluminis oſtium Carolus Cluſius. Floret æſtate & Autumno; & ſubinde ſemen profert, ſed raro propter nimiam rependi feſtinationem. Colitur in horto publico Botanico Univerſitatis, eſtque illic longioribus ramis prædita, neque adeo canâ lanugine obducitur, ut pleræque ſtirpes, præcipuè maritimæ vulgo incanæ ad oram maritimam, quæ tranſlatæ in hortos degenerare ſolent, ut obſervare licet in Gnaphalio maritimo, Jacobæa maritima, pluribuſque aliis hujus farinæ plantis, quæ multum incanitiei tranſlatæ amittunt.*

16. *Provenit in Gallia Narbonenſi; floret æſtate eodem tempore cum cæteris ſuæ ſortis.*

17. *Provenit paſſim in arvis & pratis; floret ineunte æſtate atque ejus media tempeſtate ſemina perficit.*

18. *Provenit paſſim inter ſegetes prope patibulum Monſpelienſe, atque etiam prope ſtagnum* Perau *in litore maris. Nos in arvis ſegetalibus præcipue avenaceis circa Blæſas hanc copioſe offendimus. Floret æſtate, atque paulo poſt ſeminales ſuas capſulas nigras ibidem perficit.*

19. *Floret verſus initium æſtatis; atque eadem finiente ſemina perficit, citius aliquando.*

20. *Provenit paſſim in arvis arenoſis & ſabuletis. Floret æſtate & ſemina ſua minuta reniformia poſtea perficit.*

21. *Provenit in ſaxoſis aridis & ſqualidis Galliæ Narbonenſis locis, maxime in collibus prope Nemauſium & Uſetum, ibidem collegit* D. de Fray *Medicus jam Turonenſis, qui* 20. *abhinc annis mihi communicavit ejuſdem ſemen redux Monſpelio, & tranſiens Blæſis verſus Turonum caput, quod terræ commiſſum plantulas plurimas produxit, quæ propter contextum capſularum, coronæ inſtar, viſu & ſpectatu perdignæ erant.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 329. col. 1. pl. 111. Trifolium cochleatum fructu latiore, C. B. P. Medica cochleata altera major* δίκαρπος *fructus capſula compreſſa, nigra, plana, lævi ſeu ſine oris criſpis, nobis. Medica Anglica, Tab. Medicæ tres ſpecies Lob. Lugd. & 10. ſimul in una tabella Park. Hi tres poſtremi authores mixtim appinxere Icones complurium Medicarum diſtinctarum, ſine nomenclatura ſingularum, ideo confuſe poſteris tradidere, ſine appellationibus ipſis appropriatis.*

Pag. 324. col. 2. pl. v11. Trifolium cochleatum maritimum tomentoſum, C. B. P. Trifolium cochleatum marinum, Ger. Medica marina ſive Trifolium cochleatum marinum, J. B. Chabr. Medica marina, Ad. Lob. Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Cam. Hort. Park. Primo omnes hi authores præter Caſp. Bauhinum male epitheton marinum hic (ſicut pluries alibi) addidere, cum vox maritima ab ipſis debeat uſurpari; quippe marinum denotat præſentiam in mari, ut Fucus marinus, Corallium marinum, piſcis marinus, quia vivunt & vigent in mari; maritimum vero denotat litus maris, ergo maritimæ denominandæ eſſent plantæ omnes ad oram ſeu litus maris provenientes, non marinæ; hoc ſemel vitio & crimini authoribus vertimus ſupra, qui paſſim impegere in hunc ſcopulum; abſtineant poſteri in ſcriptis ſuis, ne in eundem cadant. Secundo, huic Medicæ cochleatæ maritimæ incanæ pro nomine ſynonymo ab authore Hiſt. Lugdunenſis adhibetur Anthyllis altera, ſed inepte ſatis, cum ſit Trifolium perfecte leguminoſum, imo Medica cochleata πολύκαρπος *capſula ſpinoſa minore, perennis, incana, maritima; ideo & hac ſola ratione, cum nomina & attributa male adaptantur, ſunt rejicienda & foras mandanda. Sunto hæc dicta cum bona venia Lobelii, qui primus nomen marinum pro maritimo adjecit huic Trifolio, primus errans errare facit omnes ſe ſequentes, niſi bene præponderent quæ ab ipſis dicantur. Eorum quæ dicimus & hic & alibi examen penes ſit legentium & intelligentium hanc noſtram doctrinam judicium.*

Addenda eſt obſervatio Turneri, qui ſic inquit, [*Omnium Medicarum cochleatarum flos eſt luteus: folia ſunt terna, aliorum Trifoliorum leguminoſorum more, medium longiore pediculo innixum viſitur.*] Hoc cæteris itidem omnibus Trifoliis leguminoſis eſt commune. [*Simulque cum ſole occidente convolvitur in ſe, oriente autem eodem expanditur: Fructus per maturitatem cochleatus ſeu ſpiraliter in orbem addactus*] Longe fallitur Turnerus, dum fructum dicit, cum intelligi debet folliculus ſeu capſula continens fructum ſeu σπέρμα; per σπέρμα autem non intelligitur fructus, qui Græcis dicitur κάρπος, ſed ſemen; hoc evidenter patet ex ipſius Dioſcoridis verbis, Μηδικὴ ἔοικε μὲν ἄρτι φυομένη τριφύλλῳ τῷ ἐν χορτοκοπείοις, προάγουσα δὲ στενοφυλλοτέρα γίνεται, καυλοὺς ἀνίεισα τριφύλλῳ ὁμοίους, ἐφ' οἷς τὸ σπέρμα προσπέφυκε φακοῦ τὸ μέγεθος, ἐπεστραμμένον ὡς κεράτιον Hoc eſt, Medica cum recenter prodiit ſimilis eſt Trifolio pratenſi, verum in progreſſu folia ejus anguſtiora: caules producit Trifolio ſimiles, quibus ſemen accreſcit (fructus, ut vult Turnerus aliique commentatores, ſemen debet legi, genuine interpretando verba Dioſcoridis. [*Lentis magnitudine, corniculi modo intortum.*] In qua deſcriptione σπέρματος nomen non ad totum fructum hoc in loco teferendum, qui in Medica cochleata magnitudinem Lentis neutiquam exprimit, nec corniculi implicati ac contorti ſimilitudinem refert: ſed cum Caſp. Bauhino debet hic Textus potius applicari Medicæ falcatæ de qua agetur cap. ſequente. Pergit Turnerus, [*alias lævis, alias hirſutus, alias echinatus ſeu ſpinoſus. Medicarum maximarum fructus utplurimum ſunt læves minimorum hirſuti ſeu*

ſeu echinati. Fallitur denuo Turnerus hic itidem: nam Medicarum maximarum pluri mæ habent folliculos ſeu capſulas (fructus ſi mavult Turnerus) echinatas, ut plane & evidenter cernitur in Iconibus Tab. noſtra decimaquinta hujus Sectionis ſculptis, atque veritas hujus noſtræ aſſertionis ex intuitu capſularum ipſarum magis eluceſcet, quam ex verbis Turneri perperam applicatis.

LEGUMINA

Trifoliata ſeu Trifolia Leguminoſa

TRIFOLIUM FALCATUM SEU CORNUTUM vel Medica Siliqua Falcata ſeu Cornuta.

CAPUT IX.

M*Edicam Dioſcorides* μηδικὴν *l. 2. c. 177. foliis & caule Trifolii pratenſis, ſiliquis corniculorum modo intortis deſcripſit.* Μηδικὴ *Theophraſto 8. Hiſt. 8. & 2. Cauſ. 20. & Plinio lib. 28. c. 16. Medica à Medis advecta per bella Perſarum &c. Græci hanc herbam* Μηδικήν. *Latini ſimiliter Medicam. Hiſpani* Mielguas, *Valentini & Catalani* Alfafa, *voce aut barbara aut Arabica deflexa, nam Arabum Princeps Medicam* Col Alaſeleti *&* Alfasfaſa *nominat. Veram autem & legitimam hanc eſſe Medicam ipſa Medicæ dilucida apud Dioſcoridem deſcriptio evidenter oſtendit, quæ talis eſt,* μηδικὴ ἔοικε μὲν ἄρτι φυομένη τριφύλλῳ τῇ ἐν χορτοκοπείοις, προάγουσα δὲ στενοφυλλοτέρα γίνεται καυλοὺς ἀνιεῖσα τριφύλλῳ ὁμοίους, ἐφ' οἷς ὁ σπέρμα περιεσπέφυκη φακοῦ ὁ μέγεθος ἐπεστραμμένον ὡς κεράτιον. *Hoc eſt cum recenter prodiit ſimilis eſt Trifolio pratenſi, verum in progreſſu folia ejus anguſtiora: caules producit Trifolio ſimiles, quibus fructus accreſcit, Lentis magnitudine, corniculi modo intortus. In qua deſcriptione* σπέρματος *nomen ad totum fructum (ut non raro alias) referendum, qui uti ſcripſimus Lentis magnitudinem proxime exprimit & corniculi implicati ac contorti ſimilitudinem refert.*

Hic textus Dioſcoridis, male à Turnero applicatus Medicæ cochleatæ, ſupra explicatæ, melius convenit huic Medicæ falcatæ, dummodo per ſperma intelligatur capſula fructus, (non autem ſemen,) quæ propius in Medica falcata, neutiquam in cochleata, accedit Lenti.

Medica ſiliqua falcata ſeu cornuta facile diſtinguitur à Medica cochleata, ſupra explicata, quod Medica cornuta aut falcata, paucioribus circumvolutionibus una aut altera cum dimidia, aliquando falcis modo, ſiliquas ſeu capſulas ſuas producat: non quaternas, quinas, pluresve circumvolutiones patitur, ut vulgo Medicæ cochleatæ ſeu Helicoides ſuperius explicatæ; deinde Medicæ falcatæ caules longiores, ſublignescentes autligneſcentes, producunt. Medicæ ſilveſtris varietates ſunt multæ, diverſis florum coloribus tantum diſcrepantes. Vulgo eſt flore luteo, at circa Nemauſium & per totam Galliam Narbonenſem, etiam in arvis reperitur flore luteo, albo, viridi Lacertarum æmulatione, viridi cœruleo, dilute & ſaturate purpureo, nigro aut potius ſubfuſco, & vario ex cœruleo & viridi compoſito colore.

TABULA XVI.

Trifolium falcatum ſeu Medica falcata:

1. *Silveſtris ſiliqua cornuta tortili, diverſorum colorum, nobis. Medica ſilveſtris, J. B. Chabr. Medica flavo flore, Cluſ. Hiſt.* ☿
2. *Sativa ſiliqua cornuta magis tortili, nobis. Medica ſativa, Lugd. Medica Legitima, Cluſ. Hiſt.* ☿
3. *Siliqua cornuta ſerrata, nobis. Lunaria radiata Italorum, Lob.* ☿
4. *Fruteſcens incana ſiliqua cornuta plana, nobis. Cytiſus incanus ſiliqua falcata, C. B. P. Cytiſus Maranthæ, Matth. Lob. Lugd.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæquintæ & decimæſextæ.

1. M*Edica ſilveſtris* fruteſcens vel Trifolium falcatum ſeu Medica ſiliqua cornuta tortili, nobis. Medica ſilveſtris, J. B. Medica flavo flore, Cluſ. Hiſt. Medicæ ſilveſtris genus radice craſſiuſcula lignoſa conſtat, ſapore ſubdulci, virgulta emittente cubitum longa, vel etiam longiora, teretia, ſtriata, glabra, humi diffuſa, in multos, lentos ſurculos ſubdiviſa: folia de more terna, anguſta, oblonga, ſupremo margine veluti corroſa: (floſculi ſurculorum faſtigiis conferti, globuli fere modo, aliquando ſpicæ inſtar inſident, crocei utplurimum ſeu flavi coloris &c.

X 2. Me-

2. *Medica* ſativa ſive Trifolium ſativum ſiliqua cornuta magis tortili, nobis. Medica, Dod. ut. Medica ſativa, Lugd. Medica legitima, Cluſ. Hiſt. Fœnum Burgundiacum, Ad. Lob. Hæc Medica ſativa in multis convenit cum ſilveſtri, ſcilicet radice perenni, foliis, floribus quoad formam, ſed magnitudine diſcrepat, atque hiſce ſequentibus; primò flores producit violaceos ſeu ex cœruleo purpureos, majores præcedentis, quos ſequuntur cornicula cochleata ad ternas ſaltem circumvolutiones cum dimidia, ſub exortum & finem earundem intorta, Medicarum cochleatarum cap. ſuperiore explicatarum modo, ſed in pauciores ſpiras contorta, duas videlicet vel ternas (uti dictum) cum dimidiatis, in quibus gyratim continentur ſemina renalia, candida recentia, vetuſtiora ſubruffa: (ut contingit in hiſce ſeminibus utplurimum) virgæ ſunt longæ, rectæ, atque craſſiores quam in ſilveſtri Medica ſupra explicata: Atque quando in agro pingui & bene ſubacto ſeritur uberiùs & feliciùs hæc Medica ſativa provenit.

3. *Trifolium* ſeu Medica annua ſiliqua falcata ſerrata, nobis. Trifolium ſiliqua falcata, C. B. P. Lunaria radiata Italorum, Lob. Medica hæc quam falcatam & ſerratam appellamus caule & foliis Trifolio pratenſi ſimilis eſt, at foliis in ambitu ſerratis conſtat, flore ſubluteo, ſiliquis falcatis ſerratis itidem, & eo nomine à Cytiſo Maranthæ diſtinguitur quoad ſiliquam, deinde hæc eſt tantum herba humilis annua, Cytiſus Miranthæ eſt ſubfrutex, lignea ſubſtantia conſtans, totus incanus, diu durans. Inter cæteras Medicas falcatas facile cognoſcitur ſiliqua lata compreſſa, pollicis unguis humani magnitudine, in medio tumida, ad Auriculam muris Camerarii accedente, ſed ſpecioſiore & majore, ſtriata, falcis modo conſtructa, in circuitu ſerrata & quaſi ſpinoſa, Criſtam galli non male exprimente; & ut ait Cæſalpinus quoddam genus Trifolii vidi, cujus ſiliqua valde lata ac falcata erat effigie lunæ falcatæ, aut ferri equini lanuginoſis foliis humi ſtratum.

4. *Trifolium* fruteſcens incanum, ſeu Medica fruteſcens incana, ſiliqua, falcata, plana, nobis. Cytiſus incanus ſiliqua falcata, C. B. P. Cytiſus Maranthæ, Matth. Lob. Lugd. Pulcher eſt hic ſubfrutex lignoſus bicubitalis, & tricubitalis, & aliquando adultior altior, totus incanus, in ramos plures tenues diviſus; foliis eſt ternis aliorum Trifoliorum more, ſed retuſis & nonnihil fiſſis, quæ ſuſtinentur à longioribus pediculis quam in cæteris, ac proinde repanda ſunt: flores ex longis item pediculis dependent, multi, parvi, papilionacei, lutei, Geniſtæ ſpinoſæ floribus proximi, ſed iiſdem minores & magis colorati: quos ſequuntur ſiliquæ planæ, falcatæ ac recurvæ, quæ lunæ creſcentis formam referunt, in quarum ſingulis bina, terna, latent ſemina renalia cæterorum Trifoliorum falcatorum more: radix in multos ramos fibroſos ſpargitur.

LOCUS & TEMPUS.

Trifolii falcati ſpecies. 1. *Per totam Galliam, & ſecundum fluvios cum Ligerem tum Sequanam, ubi crepidinibus, vi aquarum inundantium alveos ablatis & dejectis conſpeximus è cymba radices, longas binas ulnas, deſcendiſſe in terram ſolidam & firmam antequam vi aquæ corrueret ipſa, atque radices denudatæ terra, nobis in plurimis illic locis conſpicuæ fuere prædictæ longitudinis: floribus evanaſcentibus atque dilapſis cujuſcunque coloris, ſuboriebantur ſiliquæ compreſſæ, at tumidæ in medio ubi apparent ſemina, contortæ, una circumvolutione cum dimidia, aliquando magis, aliquaudo minus tortiles. Qua ratiane Tabernæmontanus Lentem majorem repentem hanc noſtram Medicam ſilveſtrem appellaverit, nec dum comprehendo. Compilator hic (ut ſæpe alibi ab ipſo fit) nomen hoc, huic plantæ ineptum ſatis impoſuit, non ut aliis, ſed ſibiipſi, novitate nominis male tamen adaptati, placeret: viderint ipſius congeſtionem plantarum & multiplicationem ſpecierum ſine neceſſitate poſteri Botanici, & facile percipient ipſum hoc eo fine feciſſe, ut plures cognoviſſe putaretur plantas quam coætanei Botanici. Provenit inquam in ſepibus & ſegetibus (ex quibus haud facile exterminari ſemel vigens poterit), propter radices (uti dictum) in terram dimiſſas) prope Monſpelium & Lunellam: floret menſe Maio & Junio, non ſolum illic & in locis ſupra à me citatis, ſed paſſim ſecus margines viarum, in ſepibus & agris, per totam Pictaviam.*

2. *Naſcitur in pleriſque Hiſpaniæ locis ſua ſponte Medica ſilveſtris, quæ ſemper & paſſim tenuiora habet folia: ſativa autem in Valentino regno & provincia Catalonia vocata, etiam in Taraconenſis Hiſpaniæ provinciis paſſim in agris ſeritur, ubi bis terve æſtivis menſibus reſecatur & in decem & duodecim annos perdurat, aliquando plures. Serendam Medicam ſativam (Varro ait) in terra non nimium arida aut varia, ſed temperata. Palladius Aprili menſe ſerendam eſſe Medicam*

dicam ſcribit, ac ſemel ſatam, decem annos aut duodecim permanere maximo cum fœnore cultoris, ait. Hæc Medica legitima non modo in variis Hiſpaniæ locis ſponte creſcit, ſed etiam pleriſque diligenter colitur in pecudum pabulum, ſed maxime equorum, vice fœni communis, quippe quod propter ubertatem ſingulis annis pluries demeti poſſit. Gallis Sainct foin *&* Foin de Bourgoigne. *In meridionalibus Galliæ regionibus plurimo in uſu eſt Medica ſativa, quin & earum incolæ rigua ſua prata ejus ſeminibus conſerunt, ter eandem ſecantes, reſtibili radice & inexhauſta fertilitate, dummodo in agro pingui & bene ſtercorato, non autem arido, quo magis Onobrychis ſeu Caput gallinaceum Belgarum Lobelii* (Luzerne *Gallis dictum*) *delectatur. Cum enim per Burgundiam peragraremur ſub auſpiciis Sereniſſimi Principis Gaſtonis, Franciæ Aurelianenſium Ducis, diverſas diverſorum generum plantarum ſpecies trutinando & diligenter examinando, inter cæteras nullam frequentius in pluribus ibidem agris cultis obſervavimus Medica ſativa, quæ perutilis cenſebatur jumentorum, præcipue equorum, pabulo hyemali. Eandem in agris humidis, & ſatis lutoſis, ac pinguibus ſerebant. Onobrychidem in agris glareoſis, ſabuloſis, firmis tamen, & in alto ſitis conſerebant, quam Gallice paſſim nomine* Luzerne *vocant, quamvis Dalechampius author Hiſt. Lugdunenſis confundat cum Medica ſativa*, Sainct foin *vulgo illic dicta, Onobrychidem id eſt*, Luzerne. *Nomen* Luzerne *&* Luzert *à Romanis provinciis mutuatur: nam Romani Onobrychidem vocant* Luzerne *&* Luzert. *Conſule capitis* VI. *paragraphum 7. de Onobrychide ſuprà. Nec prætereundam cenſui hanc obſervationem, videlicet ſpermatopolas Londinenſes vulgo venum exponere Onobrychidis ſeu Capitis gallinacei ſemen pro Fœni Burgundici ſemine, & abuſive, cum nunquam obſervaverim adhuc in ipſorum officinis vel granum unum aut capſulam Fœni Burgundici aut Medicæ ſativæ; idcirco Nobilibus & viris generoſis conſulerem, ut ex agro Turnonenſi aut Burgundico ſeminum involucra cochleata Fœni vere & proprie Burgundici*, Sainct foin *dicti, acquirant & ferant in agris ſuis, quæ cum triplici fœnore perſolvent ipſis pretium; præcipue cum in agris bene ſubactis & pinguibus ter ſecetur illic apud Gallos, quidni etiam & hic in Anglia? ubi terra pinguior magiſque rigua, & ubi humor magis abundat ex frequentibus imbribus ingruentibus & ſæpius decidentibus, & ideo Medicæ Burgundicæ, vulgo* Sainct foin, *producendæ aptior. Tanta dos ejus eſt, inquit Plinius, ut uno ſatu amplius quam tricenis annis duret: hæc eſt aſſertio Pliniana, ſed quam vera, vobis Philoſophis naturalibus & Botanices amatoribus, veritatiſque indagatoribus obſervandam & conſiderandam relinquo. Neque ego hanc propoſitam, neque alias plurimas veras credo* --credat Judæus Apella. *Accedo Palladio, qui decem annos & amplius perſeverare ait, ita ut ſæpius poſſit ſingulis annis retondi. Agrum ſtercorat, majora animalia reficit, curat ægrota. Ad maciem mularum, ut Columella prodidit, nulla res tantum quantum Medica ſativa prodeſt. Ea herba viridis nec tarde, tamen arida Fœni vice & melius ſaginat jumenta; verum modice danda, ne nimia ſagina ſtranguletur pecus. Denique hyeme apud Burgundos & Turnonenſes hac herba pro gramine, aut gramini intermixta, utuntur qui pecora alunt.*

4. *Inventus fuit hic frutex trifoliatus incanus falcatus in Cythno Inſula, unde tranſlatus in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas magno caſei proventu. Bartholomæus Marantha hunc ſubfruticem collegit prope Neapolin, in colle quodam quà ad Neſidem itur. Oritur referente Honorio Bello in Inſulis Rhodo propinquis & Rhodo ipſa, frequentius tamen in Inſula quadam parva prope Rhodum ſita, cui nomen eſt Aſtachida. Floret æſtate, atque autumno ſemina perficit ſua. Nomina & natales ſatis ſuperque patent ſupra.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Trifolium fruteſcens incanum ſeu Medica fruteſcens incana ſiliqua falcata plana, nobis. Cytiſus Marauthæ, Matth. Lob. Lugd. Cytiſus ſiliqua incurva, J. B. Chabr. Cytiſu incanus, lignoſus, ſiliquis falcatis, C. B. P. Pag. 389. col. 1. pl. 1. Male hic inter Cytiſos à Caſp. Bauhino collocatur: at magis perperam ab omnibus authoribus & ipſo Caſparo Bauhino ipſos ſequente, denominatur Cytiſus, cum omnis Cytiſus vulgo ſic dictus ſiliquas proferat longas compreſſas, rectas, eaſque aut planas aut hirſutas ſeu hirſutie pubeſcentes, continentes in ſe ſemina compreſſa, tumidiuſcula, Geniſtæ vulgaris pene ritu, atque hæc planta ſiliquam producit parvam, curvam ſeu falcatam, quæ ex libro naturæ propius accedit ad Medicam falcatam, quod me impulit ad judicandum facilius & certius Medicæ fruteſcentis eſſe ſpeciem, potius quam Cytiſi, propter ſiliquam curvam ſeu falcatam. Vtraque hæc planta generice, & Cytiſus, & Medica, eſt Trifolium; ergo cui alterutrius hujus generis ſubalterni propius accedit fine ultimo, id eſt ſiliquis, ei erit magis affinis ex doctrina univerſali noſtra: & ſi Medica fruteſcens incana perpetua, fronde virens, ſiliqua falcata, plana, deſignaretur aut nominaretur, per me non ſtabit.

LEGUMINA

Trifoliata ſeu Trifolia Leguminoſa.

TRIFOLIUM ODORATUM
Melilotus dictum.

CAPUT X.

DE Meliloto Plinius l. 22. c. 9. inquit, in coronamenta folio venit Melilotus, quam Sertulam Campanam vocamus: eſt enim in Campania Italiæ laudatiſſima: coronas ex hac antiquitus factitatas, indicio eſt nomen Sertulæ, quod occupavit: odor ejus Croco vicinus eſt, & flos; ipſa cana: placet maxime foliis breviſſimis atque pinguiſſimis. Et cap. 11. Melilotos ubique naſcitur, laudatiſſima tamen in Attica: ubicunque vero recens nec candicans & Croco quam ſimillima: quanquam in Italia odoratior & candida.

Nota generica Meliloto peculiaris, qua à cæteris Trifoliis diſtinguitur, eſt hæc; primò gratiſſimum ejus flores (etiam folia remiſſius) ſpirant odorem, melli accedentem, unde ei μέλιτος & λωτοῦ nomen compoſitum; deinde folia habet laciniata utplurimum: in ſummis caulium flores racematim ſeu ſpicatim plurimi, papilionacei, penduli, diverſorum colorum, conſpiciuntur; quibus ſingulis effloreſcentibus ſuccedunt capſulæ oblongæ, aliquando rotundæ, rugoſa ſuperficie foris donatæ, conſtituentes ſpicam biuncialem & aliquando longiorem, plus minuſve ſecundum ſolum; ſingulæ ſiliculæ curtis pediculis pendentes, ſunt aſperæ, aliquando rugoſæ, nigræ utplurimum, aliquando albæ; in aliis ſiliquæ ſunt longæ corniculatæ, incurvæ, plura ſemina longitudinaliter in ſe continentes, quæ ſunt breviores vel longiores, quæque Loto magis accedunt ratione ſiliquarum bivalvium longiorum ſiliquis cæterarum antedictarum Melilotorum. Melilotus eſt vel flore albo, vel luteo, quæ itidem duplex; vel eſt ſiliculis curtis, vel ſiliquis longis; vel denique flore dilute violaceo ſeu albide violaceo.

Pars TABULÆ XV, & XVI.

Trifolium odoratum Melilotus *dictum*
- *Siliculis pendentibus*
  - *Curtis*
    - 1. *Candida major, nobis. Melilotus candida major, Trag.* ☿
    - *Lutea*
      - 2. *Vulgaris vel officinarum, nobis. Lugd. Melilotus Germanica, Ad. Lob. Ger.* ☿
      - 3. *Major, nobis. Melilotus ſiliculis longioribus, Dod. deſc.* ☿
      - 4. *Magno ſeminis pericarpio rugoſo, rotundo, nobis. Melilotus lutea Italica, Cam. Hort.* ☿
      - *Spica*
        - 5. *Denſius diſpoſita ſemine minore, nobis.* ☿
        - 6. *Rarius diſpoſita ſemine majore, nobis.* ☿
      - 7. *Minima procumbens palmaris folio minonore & anguſtiore, nobis. Meliloto vulgari affinis fol. minore & anguſtiore, I.B. Chabr.* ☿
      - 8. *Perennis procumbens ſpica breviore racemoſa denſiſſime diſpoſita, pericarpio renali nigro, nobis. Trifolium agrarium Dod.* ☉
      - 9. *Recta minima ſemine Fænugræci craſſo nobis.* ☿
- *Siliculis erectis*
  - *curtis*
    - 10. *Violacea major odorata, nobis. Melilotus vera, Tab. Melilotus ſingularis Alpini, Ponæ.* ☿

11. *Ger-*

Trifolium odoratum Melilotus *dictum* — *Siliquis pendentibus* — *Longis curvis ex eodem centro ortis*

- 11. *Germanica ſive Italica Syriacave recta, nobis.* ☿
- 12. *Syriaca minor procumbens ſive Alchimelech, nobis. Melilotus Ægyptia Alchimelech Proſp. Alpin. de Exot.* ☿
- 13. *Syriaca major ſeu Chalepenſis major, nobis.* ☿

Explicatio partis Tabulæ 15. & 16.

Melilotus ſiliculis curtis propendentibus.

1. TRifolium odoratum ſeu Melilotus fruticoſa candida major, Trag. Melilotus 3. flore candido, Dod. deſc. Melilotus flore albo, Park. deſc. Hæc Melilotus candida ſeu alba convenit in omnibus cum vulgari lutea, niſi quod caules plures, altiores, craſſiores & ramoſiores fundat: flores etiam gerit plures, majores, & denſius in ſpicis diſpoſitos, candidos ſeu albos. Planta eſt quæ ſecundo anno poſt ſationem floret & ſemen ſuum perficit, quo ſi copioſe & ubertim abundet, accedente hyeme rigida totaliter ſupra & infra terram perit poſtquam ſemina ſua perfecerit, ex quibus ſingulis annis recurrentibus ſeſe renovat. Melilotus candida, Trag. pericarpia producit alba, minora pericarpiis Meliloti luteæ.

2. Trifolium odoratum ſeu Melilotus fruticoſa lutea vulgaris vel officinarum, nobis. Melilotus vulgaris, Lugd. Major vulgaris, Trag. Hæc Melilotus vulgaris aſſurgit in hortis aliquando ad altitudinem ſeu proceritatem humanam, multis alis rubeſcentibus ornata: folia Loti ſativæ ſunt æmula, crenata ſeu in ambitu ſerrata, ſinuata potius, ac ſi limacibus aut cochleis teſtaceis morderentur aut comederentur: floſculi in ſpica digeſti petalorum numero & ſitu ut in Geniſtæ floribus, ſed ſunt multo magis exigui, odore tamen ſuaviore & quaſi mellito (unde ei nomen Meliloti,) colore utplurimum luteo, vaſcula parva, pendentia ex curtis pediculis, matura nigra, magnitudine Viciæ fructûs, oblonga tamen & mucronata, rugoſa exterius & nigra, quorum ſingula continent ſolummodo ſingula ſemina parva, recentia lutea, vetuſtiora ſubruffa, quemadmodum multis aliis Leguminibus contingit. Etiamſi prædictæ duæ Meliloti ſpecies pereant poſt ſeminum maturitatem, ſi mitis fuerit hyems ex eadem denuo pullulant radice.

3. *Trifolium* odoratum ſeu Melilotus lutea ſiliculis longioribus, Dod. deſc. Trifolium odoratum ſeu Melilotus 4. vulgaris flore luteo, J.B. Chabr. Hæc Melilotus conſita prope vulgarem facile diſcernitur ab ipſa, ſiliculis ſuis longioribus magiſq; mucronatis; nigris autem conveniunt.

4. *Trifolium* odoratum ſeu Melilotus lutea ſeminis pericarpio magno, rugoſo, rotundo, albo, nobis. Melilotus lutea Italica, Cam. Melilotus magno ſemine rotundo, rugoſo, J. B. Chabr. Hæc Meliloti luteæ ſpecies duorum cubitorum altitudinem aſſequitur; radice eſt ſimplici, recta, lignoſa, alba, gracili: caulis rectus, anguloſus, purpuraſcens, rigidus, lævis, arcto tubulo pervius, plurimis ramis brachiatus: folia aliarum ſuæ ſortis more tergemina, majora, pediculis aliquando rubeſcentibus appenduntur, quæ extremo margine rotundata, leviterque crenata, nonnunquam & integra: floſculi mellini ſunt coloris, veluti Meliloti vulgaris, ſed lutei paulo ſaturatioris, in ſpicam digeſti, & penduli, ſuaviterque olentes: pericarpia ſingula, ſingula ſemina involventia, ſunt majora, fungoſiora, rotunda, parum aut nihil mucronata, Piſi ſeminis magnitudine: raro bina ſemina in una comperiuntur capſula, niſi à luxuriante natura, quemadmodum fit in nucleiferis, ut Ceraſo, Malo Præcoce, aliiſque quamplurimis in vaſta vegetantium cohorte.

5. *Melilotus* lutea minor floribus & ſiliculis minoribus ſpicatim & denſe diſpoſitis, nobis. Hæc Meliloti minor ſpecies nulli ſcripta, caules profert virides rectos, pedales & ſeſquipedales, ad quorum ſingula genicula proveniunt folia terna aliarum prædictarum Melilotorum more, minora, ſed ad extremum rotundiora; in ſummis caulium ramulis naſcuntur floſculi lutei, ſequentis floribus minores, ſpicatim digeſti, & denſius diſpoſiti, quorum ſingulis ſuccedunt ſiliculæ minimæ fuſci coloris, denſiuſque compactæ, uti ſupra dictum.

6. *Melilotus* lutea minor floribus & ſiliculis majoribus ſpicatim & raro diſpoſitis, foliis anguſtioribus maculis ſub exortum notatis, nobis. Caules profert hæc Melilotus minor ejuſdem altitudinis cum prædictâ, ſed magis ad rubedinem inclinantes: folia ſunt prædictæ foliis

 anguſti-

anguſtiora, & ſub exortum maculis ſubrubentibus afficiuntur: in ſummis ramulis proveniunt ſpicatim floſculi lutei, prædictæ majores, quorum ſingulos ſingulæ ſequuntur ſiliculæ majores & rarius diſpoſitæ, ſpicatim pariter in cimis caulium pendulæ, in quibus continentur ſemina duplo majora ſeminibus ſuperioris 5[tæ] Berhardi.

7. *Melilotus* lutea minima procumbens palmaris & ſeſquipalmaris folio minore & anguſtiore, nobis. Meliloto vulgari noſtrati affinis, J. B. Chabr. Folia hujus minoris, vulgaris Meliloti pari diviſione proveniunt, tergemina itidem, parum odorata, longiora & anguſtiora noſtratis vulgaris Meliloti, per ambitum pariter paululum crenata: flores lutei, ſimiliter ſpicati, ſed ſinguli minores; pericarpia eiſdem ſuccedentia ſunt minora & circularibus lineis rugoſa, in quorum ſingulis ſingula continentur ſemina. Tota planta adeo coactæ brevitatis interdum reperitur ut palmum vix ſuperet, in ſterilibus præcipue: radice conſtat parva & ſimplici. Vide Icones harum trium minorum in App. ad Legumina.

8. *Melilotus* lutea minima hirſuta procumbens ſpica breviore denſiſſime diſpoſita ſeminis pericarpio renali nigro, nobis. Trifolium agrarium, Dod. Melilotus 8. vel Lotus campeſtris, Trag. Trifolium arvenſe, Tab. Meliloti & claſſem & nomen ſeu appellationem mereri hoc Trifolium agrarium nullatenus mihi dubium videtur, cui à natura donantur cauliculi tenues, pedales & procumbentes, hirſuti, foliis tergeminis ſubrotundis, hirſutis itidem per oras leviter crenatis onuſti: flores exigui & lutei, omnium minimi, in breves ſpicas unciales, nunc minores compacti; quos excipiunt parva capitula, ſpicæ in modum facta, & multis involucris ſive pericarpiis oblongis, aſperis, ſeu rugoſis, nigris compoſita, *Meliloti* vulgaris quodammodo more; in quorum ſingulis ſingula latent ſemina ſubflava.

9. *Melilotus* minima recta lutea ſiliquis craſſis, curtis, in capitulum congeſtis, ſemine Fœnugræci, nobis. Hæc omnes Melilotos minimas procumbentes excedit magnitudine & latitudine foliorum, quibus proxime accedit Meliloto luteæ Italicæ Camerarii; vix pedalem attingit altitudinem; in cimis caulium floſculos profert plurimos, ſatis raros, luteos, quibus ſuccedunt ſiliquæ parvæ, curtæ, craſſiores prædictarum omnium Melilotorum ſiliquis, in quarum ſingulis bina, terna, continentur ſemina ſatis magna, ab angulo ad angulum Fœnugræci modo cavata; hiſce notis à cæteris omnibus (niſi Fœnugræcum à ſimilitudine ſeminis dicatur) Meliloti ſpeciebus quam facillime diſtinguitur.

10. *Melilotus* major odorata violacea, nobis. Melilotus vera, Tab. Melilotus ſingularis Alpin. Ponæ. Lotus hortenſis odora, C. B. P. Trifolium odoratum alterum ſive Lotus ſativa, Dod. Lugd. Hæc Meliloti veræ ſpecies ſingularis Alpini Ponæ cauliculos habet rectos, rotundos, inanes, cubitales aut bicubitales & aliquando longiores, in ramos multos diviſos: folia ſingulis geniculis terna adhærentia, Trifolii bituminoſi foliis ſimilia, leviter ac ſuperficie tenus per ambitum crenata: ex alis inter foliorum pediculum & caulem oriuntur cauliculi unciales & biunciales, quandoque longiores, ſuſtinentes racematim congeſtos flores papilionaceos, pallide violaceos, aut quaſi ex violaceo albeſcentes ſeu dilute violaceos, quorum ſingulos ſinguli ſequuntur folliculi bivalves ſive veluti capitula bivalvia, lævia, non aſpera nec rugoſa, prædictarum Melilotorum more, nec pendentia ſed recta; in quorum ſingulis plura continentur ſemina, ut in ſuperiore 9. prædictâ, bina, terna, quaterna, (non ſolummodo unicum ut in prædictis) rotunda, Loti Vulgaris ſiliquoſæ ſeminibus majora, quæ ſunt grati admodum odoris, quemadmodum tota planta: radix hujus tenuis & fibroſa. Tota hæc herba Trifoliata leguminoſa odorata eſt & aroma cum gravitate olet; reſiccata vero & arida plenius, quam recenter collecta ſeu decerpta, eique diutius odor inhæret, qui pluvioſa & humente tempeſtate intenditur.

Melilotus lutea ſiliquis recurvis propendentibus.

11. *Melilotus* lutea major corniculis reflexis ex eodem centro ortis, nobis. Melilotus Italica, Fuch. Melilotus ſeu Sertula campana, Matth. Cord. in Dioſc. Trifolium corniculatum 2. Dod. Melilotus Italica corniculis incurvis, Trifolium Italicum quibuſdam dicta J. B. Chabr. Melilotus Syriaca, Ad. Lob. Eſt hæc Melilotus prima & major corniculis curvis præditarum, altitudine trium cubitorum, alis multis brachiata: folia producit Trifolii vulgaris, aut Fœnugræci æmula, in ambitu ſerrata, prædictarum Melilotorum more; floſculos gerit papilionaceos luteos aut luteopallentes, globulatim provenientes, Trifolii pratenſis albi odorati inſtar; quos ſequuntur ſiliquæ curtæ, complures, exiguæ, breviores, bivalves, corniculorum modo, ex uno & communi pediculo ortæ, & ſummitatibus caulium innixæ, deorſum pen-

pendulæ ex petiolis propriis vix conſpicuis; in quarum ſingulis ſemiuncialibus coacervatim propendentibus ſemina continentur parva, plura in unica ſerie naſcentia, ſapore ac forma Geniſtæ: radicibus firmatur longis tenuibus, fibroſis. Licet Lobelius & ejus ſequaces, Gerardus, Johannes Bauhinus ejuſque ſimia Chabræus duas proponant Icones diverſas, non proptera duæ ſunt diſtinctæ ſpecies, ut apparet ex ipſius Lobelii verbis aſſerentis Melilotum Italicam & Patavinam ex Meliloto Syriaca degenerare; ergo Melilotus Syriaca major & felicius proveniens ſemine ex Syria allato, & minor ſata in Italia aut Germania, conſtituunt unam eandemque ſpeciem, ſecundum cœlum & ſolum quibus committuntur, magnitudine tantum & odore remiſſiore aut intenſiore differentem.

12. *Melilotus* lutea minor procumbens corniculis reflexis ex eodem centro ortis, Alchimelech Ægyptiis dicta, nobis. Melilotus Ægyptia Alchimelech, Proſp. Alpin. de Exot. Hæc Melilotus minor procumbens, Alchimelech Ægyptiis dicta, eſt humilis herba ſupra terram expanſa & modice procumbens, fere nihil aut parum ſe attollens, foliis Trifolii ſiliquoſi ſeu Loti vulgaris glabræ, minoribus tamen, neutiquam ſerratis: floribus parvis luteis racemi modo in ſummis caulibus ordinatis ac croceis fere; à quibus ſingulis promanant ſiliquæ ſingulæ, parvæ, obliquæ ſeu recurvæ, ſemen continentes minutum, rotundum, & ſubnigrum, declinans ad rubrum, odoris non omnino expers, ſed remiſſioris, ſapore eſt ſtiptico cum aliquo amarore. Eſt parva tantum herba annua, ſicut & præcedentes fere omnes.

13. *Melilotus* Syriaca ſeu Chalepenſis major coronata ſiliquis curvis biuncialibus, nobis. Hæc caules producit pedales rectos, in quorum cimis proveniunt flores lutei, capituli in modum digeſti, ejuſdem cum cæteris magnitudinis; quorum ſingulis deciduis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ uſque ad numerum denarium compacte junctæ, communi petiolo propendentes, curvæ, binas uncias longæ, in ſingulis continentur plurima ſemina, recentia flaveſcentia, quæ tandem ſubruffa evadunt.

LOCUS & TEMPUS.

Trifolii odorati ſpecies. 1. *Melilotus candida major, Trag. In aſperis & ſalebroſis agrorum limitibus provenit, ſed non tam frequenter reperitur, quam vulgaris. Floret æſtate media, & ſemina perficit verſus ejuſdem finem, quorum pericarpia ſunt alba, minora pericarpiis Meliloti vulgaris, quæ ſunt nigra & majora.*

2. *Melilotus vulgaris lutea ſeu officinarum floribus luteis ſpicatim digeſtis, reperitur paſſim in agris frumentariis, & lapidoſis agrorum limitibus itidem. Floret ante meſſem, & poſtea per totam æſtatem aut floret, aut ſemina ſua perficit.*

3. *Melilotus lutea major ſiliculis longioribus nigris, nobis. Melilotus ſiliculis longioribus 4. Dod. deſc. Reperitur ibidem in agris frumentaceis, ſed rarius occurrit. In hortis autem juxta vulgarem conſita, à ſiliculis nigris itidem, ſed longioribus ſiliculis vulgaris, facillime obſervatur diſtincta. Floret & ſemina hæc ſpecies perficit eadem tempeſtate cum prædictis.*

4. *Melilotus lutea major magno ſeminis pericarpio rotundo rugoſo, nobis. Melilotus lutea Italica, Cam. Hort. Provenit in Marſis ad lacum prope opidum Calanum, ubi ab incolis hodie* Malatro *corrupto nomine appellatur. Floret tardius vulgari. Hujus ſemen ad Johannem Bauhinum miſit Toſſanus Carolus pro Meliloto Hiſpanicâ.*

5. *Melilotus lutea ſpica denſius diſpoſita ſemine minore, nobis. Provenit in montoſis pratis Delphinatus, unde habuimus miſſam à D. Berhardo Apothecario, rei herbariæ callentiſſimo. Floret (hac hora æſtatis quâ hæc committo prelo) in horto Botanico Univerſitatis & durat ad menſem floribus aut ſeminibus prægnans.*

6. *Melilotus lutea ſpica rarius diſpoſita ſemine majore, nobis. Semina hujus ex Syriaca urbe Chalepenſi communicata habuimus induſtria D. Roberti Huntington ſupra memorati: eadem tempeſtate anni & flores & ſemina perficit in horto publico qua prior.*

7. *Melilotus minima procumbens palmaris annua folio minore & anguſtiore, nobis. Meliloto vulgari affinis folio minore & anguſtiore J. B. Chabr. Hanc Cherlerus attulit ad Johannem Bauhinum, ſed unde habuerit nondum detectum.*

8. *Melilotus lutea minor procumbens perennis ſpica breviore racemoſa, pericarpio renali nigro denſiſſime diſpoſito, nobis. Trifolium agrarium Dod. provenit paſſim in Germania, Gallia & Anglia ſecus vias & agrorum margines & in agris frumentum ferentibus & novalibus, imo non raro in lapidoſis & murorum vetuſtorum ædificiorum ruderibus eorumque rimis ſeu fiſſuris. Floret circa meſſem & diu poſt; paſſim in agris obſervare licet ſemina ſua nigra rugoſa racematim*

tim & arcte in ſpicam congeſta, per terram ſtratis caulibus ſuis pedalibus innitentia.

9. *Melilotus lutea recta minima ſemine Fœnugræci craſſo, nobis. Hujus Meliloti peregrinæ ſive potius Fœnugræci minoris ſemina fuerunt miſſa & communicata à D. Berhardo ſupra memorato, ſed ubi terrarum proveniat ſponte, nobis nondum innotuit: floret jam ſub tempus fœnuſecii in horto publico, ſemina perfecte menſe abhinc reddituRa.*

10. *Melilotus violacea major odorata, nobis. Melilotus vera, Tab. Hæc nobis peregrina Melilotus eſt, & haudquaquam etiam Galliæ, Italiæ aut Germaniæ campos ornat, ſed à multis retro annis cum apud prædictas nationes, tum apud nos in hortis ſeritur. Eſt peregrina hæc herba annua Europeis, ubi ſponte proveniat nec conſtat: in hortis culta floret, & affatim ſemina ſua fundit, odorem quam gratiſſimum ſuggerentia, eadem tempeſtate anni cum prædictis, ſed tardius maturantur.*

11. *Melilotus ſiliculis pendentibus longis curvis ex eodem centro ortis, Germanica ſive Italica, Syriacave recta, nobis. Melilotus Italica, Fuch. Ad. Lob. Optima hæc Meliloti ſpecies ex Syriaca Alepo ferri cœpta (teſtibus Lobelio & Pena) & Patavii ſata, quaſi ſoli nativi oblita corniculis brevioribus & recurvis ſive reflexis, ſed minus falcatis ſeu lunatis, & ignaviore odore degenerat. Floret æſtate atque ſemina eâdem exeunte perficit. Habuimus ſemina hujus, ſicut & Meliloti ultimæ hujus Tabulæ, communicata nobis à prædicto D. Roberto Huntington ex Chalepenſi urbe unà cum plurimis aliis rarioribus ſeminibus biennio abhinc tranſmiſſis.*

12. *Melilotus Syriaca minor procumbens ſive Alchimelech, nobis. Hæc provenit in Ægypto, cujus ſemine vulgo utuntur indigenæ; floret æſtate cum cæteris ſuæ ſortis; at paulo poſt ſemina ejuſdem maturantur.*

13. *Melilotus ſiliquis biuncialibus Syriaca ſive Chalepenſis major, nobis. Hujus ſemina miſſa à prædicto D. Huntington, nunquam nobis ſatis laudando, accepta, & biennio abhinc terræ commiſſa, plantas plurimas nobis in horto publico produxere. De nominibus harum omnium Melilotorum ſatis ſuperque dictum in explicatione: de Iconibus conſule Tab. 15, & 16. & Appendicem ad Legumina.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

2. *Melilotus lutea vulgaris ſeu officinarum. Hujus ſubſtantia, ut ait Galenus, eſt magis calida quam frigida; eſt enim Melilotus primi ordinis calida & ſicca, habet etiam quid aſtringens ſed & diſcutit & maturat. Dioſcorides tradit Melilotum malacticam & aſtringentem habere facultatem, at malacticam habet non propriam, ſed quatenus inflammationes aut alios collectos humores diſcutit ac digerit. Nam eatenus quod durum eſt ac tenſum emollit, quæ proprie non emollitio, ſed digeſtio & per halitum diſcuſſio eſt; cujuſmodi facultatem* διαφορητικὴν *Græci nominant, atque hoc modo inflammationem omnem emollit, præſertim (ut Dioſcorides tradit) circa oculos, ſedem, uterum aut teſtes cum paſſo cocta & impoſita, interdum addito ovi luteo aſſato, aut Fænugræci aut Tritici farinâ aut ſemine Lini, aut capitulis Papaveris, Serideve. Sanat eadem melicerides recentes per ſe in aqua &* ἀχῶρας, *ſive manantia capitis ulcera cum terra Chia vino aut galla illita: ſtomachi item dolorem & cocta & cruda cum aliquo ex antedictis levat: ani etiam dolores crudæ Meliloti expreſſæ ſuccus cum paſſo inſtillatus ſedat, capitis vero dolorem, quem* Κεφαλαλγίαν *nominant, lenit cum aceto roſaceo irrigatus.*

10. *Melilotus vera ſeu urbana major odorata violacea, nobis. Melilotus vera, Tab. Melilotum veram urbanam violaceam hanc vim mediocriter concoquendi & reſiccandi poſſidere ait Galenus, & in caliditatis & frigiditatis conjugatione mediam quodammodo temperatam eſſe. Hæ certe facultates in hoc odorato Trifolio ſeu Meliloto violacea odorata eminenter & conſpicue apparent. Dioſcorides ait extractum ſuccum addito melle oculorum argemas, nubeculas,* λευκώματα *(Albugines vocant Medici Anatomici) & quæ pupillas oculorum obſcurant expurgare. Paſſim per totam Europam Chirurgi oleum in quo folia floreſque hujus Trifolii (adde ſemina) macerata, vulnera recentia glutinare tradunt, & ad puerorum enterocelas, bubonocelaſque plurimum commendant pro Balſamo. Interponitur & arida herba veſtimentis, quæ ne à tineis rodantur defendere putatur.*

12. *Melilotus lutea procumbens corniculis reflexis ex eodem centro ortis, nobis. Alchimelech Ægyptiis dicta, ſemen habet minimum rotundum, ſubnigrum, declinans ad rubrum, odoris non omnino expers, ſapore ſtiptico, cum aliquo amarore; planta ipſa eſt parva, cujus ſemen*

apud

apud Ægyptios in uſu exiſtit, quod putant iidem quod calorem & frigiditatem temperatum eſſe, ſiccare & ſtipticitate roborare, ex quo ad hepatis tumores ipſorum uſus apud illos eſt frequentiſſimus, quoniam ſine ulla relaxatione digerit & reſolvit, ad omnes quoque dolores quaſcunque corporis partes occupantes fomentis & ipſorum decocto utuntur, maxime ad pleuritidem, peripneumoniam, & ad hepatis, coli, & ventriculi dolorem; quibus doloribus vexati ipſorum decocti calidi libram 1. *bis in die bibunt: mulieres etiam uteri ſtrangulationibus, flatibus ac doloribus eo ſubveniunt, præſertimque ex eo etiam inſeſſionibus paratis, quæ etiam ex Fœnugræci Linique ſeminibus & Chamæmeli floribus paratæ, efficacius ad illius & aliarum partium duros tumores adminiſtrantur; atque ad evocandos menſes retentos, ad roborandum ventriculum & apperiendas obſtructiones venarum decocto ſumme proficue utuntur: unde Meliloti hujus Alchimelech ſeminum eſt uſus apud Arabes; quemadmodum apud Græcos non ſemina ſed flores in uſum admittuntur: an vero Alchimelech Melilotus minor procumbens ſemine reflexo ſeu curvo, an Melilotus urbana odorata flore violaceo, an noſtras vulgaris eminentioribus polleat viribus, dubitatur. Sed hoc certum & verum concludimus nos, Melilotos omnes earundem virium eſſe ſecundum magis & minus, nec ullatenus dubitamus (cum ſub eodem genere Trifoliorum odoratorum quoad omnes partes militent, ſecundum doctrinam noſtram) Meliloti omnes ſpecies iiſdem pollere viribus: ſed hæ tres* κατ' ἐξοχὴν *uſurpantur, partim apud nos, partim apud Græcos, partim apud Arabes.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Melilotus major odorata violacea, nobis. Melilotus vera, Tab. Melilotus ſingularis Alpini, Ponæ. Lotus ſativa, Fuch. Geſn. Hort. Cam. Lotus urbana, Eyſt. Tur. deſc. Lotus odora, Ad. Lob. Lotus hortenſis odora, C. B. P. pag. 331. col. 2. pl. vi. Meliloti veræ conditiones conveniunt huic Trifolio, ergo bene collocatur inter Melilotos; at primo male Lotus ab omnibus authoribus pene, & Caſparo Bauhino dicitur, cum omnis Lotus foliis donetur binis ad appoſitionem pediculi cum caule, & ternis in extremitate pediculi ipſius; at in hoc Trifolio non ſic ſe habet, ergo non eſt Lotus ſed Melilotus, ſeu Trifolium odoratum violaceum, atque ab omnibus pene authoribus male nominatur Lotus.

Pag. 331, col. 2. pl. iv. Melilotus Italica folliculis rotundis, C. B. P. Melilotus lutea Italica, Cam. Hort. Melilotus magno ſemine rotundo rugoſo, I. B. Chabr. Perperam à Johanne Bauhino, & ejus ſimia Chabræo ipſi mordicus adhærente, atque paſſim itidem cum ipſo errante, adaptatur hoc nomen huic Meliloto, cum hujus ſemen ſit reliquarum Melilotorum ſeminum more planum, pericarpium vero aut folliculus externus ſemen ipſum involvens cæterarum Melilotorum folliculo ſit rugoſior, ſemen autem ipſum ibidem contentum (uti dictum) non eſt rugoſum; ergo male addidit Johannes Bauhinus, & poſt ipſum Chabræus, ſemine rugoſo.

LEGUMINA
Trifoliata ſeu Trifolia Leguminoſa.

TRIFOLIUM FOENUMGRÆCUM dictum.

CAPUT XI.

Fœnumgræcum, τῆλις *Dioſcoridis l. 2. c. 124. Theoph. 3. Hiſt. 13. cui. &* βούκερως *8. Hiſt. 8.* κεραΐτης *&* αἰγόκερως *Græcis; quarum appellationum major pars à ſiliquarum ſimilitudine deſumpta eſt, quæ corniculis ſimiles ſunt; ut Ceratis à cornu, Ægoceros à caprini, Buceros à bubuli cornu ſimilitudine: quare Columella l. 2. c. 11. ſimpliciter Siliquam, Varro Siliculam. Plinius l. 18. c. 16. Siliciam & l. 25. c. ult. Fœnumgræcum vocavit.*

Genera: unius veteres meminere; recentiores ſativum & ſilveſtre faciunt.

Nota generica indigitans Fœnumgræcum à cæteris Leguminibus trifoliatis ſeu Trifoliis leguminoſis, eſt quod ſiliquas producat cornutas, recurvas, longas, tumidas in medio, lateraliter compreſſas; in quarum ſingulis latent plurima ſemina oblonga, ſeſamacea, cavitate medium ſeminis notante, ſeu ſemine ab angulo ad angulum linea cava notato.

Pars TABULÆ XVII.

Fœnumgræcum-
- Μονοκέρατον
  - 1. *Sativum, nobis. Fœnumgræcum, Matth. Trag. Dod. Lob.* ☿
  - 2. *Silveſtre ſiliqua breviore & latiore, nobis. Fœnumgræcum ſilveſtre Dalechampii Lugd.* ☿
- Πολυκέρατον
  - 3. *Majus ſiliquis longis, nobis. Silveſtre alterum, Dod. Lugd.* ☿
  - 4. *Minus ſiliquis curtis, nobis. Hedyſarum minimum Dal. Lugd.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæoctavæ.

1. Fœnumgræcum ſativum, C. B. P. Lugd. Fœnumgræcum, Matth. Trag. Ad. & Icon. Lob. Dod. Caulem Fœnumgræcum emittit ſingularem, tenuem, virentem, intus concavum, in alas ramoſque diviſum: folia ei Trifolii pratenſis ſimilia, rotundiora tamen, minora, paululum cordata, quæ ſuperiore parte virent, inferiore vero ad cineritium inclinant: flores in ſummis virgis gerit exiguos, candicantes ſeu albopallidos, Lupini ſilveſtris floribus minores: ſiliquas longas, graciles, anguſtas, in medio tumidas, inſtar corniculorum recurvas & in acutum mucronem definentes, in quibus ſemina quina, ſena, ſeptenave, oblonga, quadrata, anguloſa, flaveſcentia, cum cavitate quadam ſingulis obliquè impreſſa, quæque reſiccata cum gravedine quadam jucunde olent: radice nititur tenui & candida, ſingulis annis pereunte.

2. Fœnumgræcum ſilveſtre μονοκέρατον ſiliqua breviore & latiore, nobis. Fœnumgræcum ſilveſtre Dal^pii. Hiſt. Lugd. Fœnumgræcum ſilveſtre, C. B. P. Hoc minus eſt ſativo, caule tamen dodrantali: folia gerit terna minima triangularia, ſubrotunda aliquando, ad extremum denticulata: ex ſinubus ſeu alis inter caules & pediculum foliorum naſcuntur floſculi ſingulares luteopallidi, quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ corniculatæ, ſeſquiunciales, recurvo vacuoque mucrone donatæ, multo breviores quam in ſativo, latiores & craſſiores tamen, ſemen continentes minus: radicem habet longam, lignoſam, & fibroſam verſus imum.

3. Fœnumgræcum ſilveſtre πολυκέρατον majus ſiliquis pluribus longis, nobis. Fœnumgræcum ſilveſtre alterum polyceration, C. B. P. Silveſtre alterum, Dod. Lugd. Silveſtre, Lob. Cam. Recentior ætas & aliud ſilveſtre Fœnumgræcum, præter prædictum ſilveſtre μονοκέρατον, obſervavit, ſcil. πολυκέρατον majus ſilveſtri μονοκεράτῳ ſimile quoad terna folia ſerrata minuta; flores gerit plurimos exiguos, uni & communi pediculo innixos, ſurrectos: quibus ſuccedunt ſiliquæ plurimæ, quaternæ, quinæ, aliquando plures, ex ſingulis geniculis inter caulem & folii pediculum ortæ, conjunctim adhærentes, longæ, biunciales, tenues, in quarum ſingulis latent plurima ſemina exigua ſeu minuta.

4. Fœnumgræcum ſilveſtre πολυκέρατον minimum ſiliquis multis curtis, nobis. Hedyſarum minimum Dal^pii. Lugd. Hedyſari genus Triphyllon, J. B. Chabr. Hæc Fœnugræci minimi ſpecies pedales nonnunquam in hortis cultis profert cauliculos, ſed ſponte creſcens in ſiccis & aridis vix palmares & ſeſquipalmares habet cauliculos, eoſque graciles, rectos, foliis donatos ternis ſimul junctis, per extrema latioribus, crenatis, quibus veluti ad caulium articulos, mediocribus intervallis diſtantes, ſiliquæ falcatæ ſurſum tendentes plurimæ, breves, verticillatim quaſi apponuntur, ſuccedentes totidem floſculis parvis, papilionaceis, luteis, Meliloti Italicæ corniculatæ ſiliquis pares, numero ſunt ſenæ, ſeptenæ, aliquando plures, caulem ad genicula per interſtitia coronantes, ſemiuncia longiores, curvæ, graciles, ſtriatæ, aliquantulum compreſſæ, in quarum ſingulis latent terna, quaterna, nonnunquam quina parva ſemina, oblonga, anguloſa, ſingula cavitatem ab angulo ad angulum in medio patientia; unde dignoſcitur hæc parvula planta eſſe Fœnumgræcum, non Hedyſarum, ut volunt alii.

LOCUS & TEMPUS.

Trifolii Fœnugræci ſpecies. 1. *Provenit prope Monſpelium, ejuſque ſemen collegit Cherlerus in via Frontigniana verſus* Balleruch. *Floret Maio; ſiliquas vero Julio fert maturas.*

4. *Creſcit ſponte in agris Monſpelienſibus in nemore Gramontio, ac pleriſque Hiſpaniæ locis. Nos in*

in ſiccioribus locis verſus cellulam Eremitarum, non longe Blæſis diſtantem, florentem æſtate & ſemina eodem tempore producentem frequenter offendimus, vix palmarem illic excedebat altitudinem, at ſatum & cultum in hortis grandius evadit, hoc contingit multis aliis Leguminibus minoribus ſponte in macro ſolo provenientibus, ut alibi innuimus ſupra. Nomina, Locum & Tempus ſeu natales, omnium horum Fœnugræcorum ſatis ſuperque ſupra explicavimus, plura addere de hiſce impræſentiarum non eſt mihi animus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Semen Fænugræci inter manifeſte calefacientia (ut Galenus in lib. de Aliment. Facul. tradit,) cenſetur, eundem hominibus uſum præſtat quem Lupini; ſumitur enim ipſum cum garo alvi ſubducendæ gratia, eſtque huic rei multo quam Lupini accommodatius, quin & nihil ex propria ſubſtantia habet, quod tranſitum remoretur. Manditur autem cum aceto aut garo ſicut Lupini; comedunt vero nonnulli Fœnugræcum priuſquam ipſa planta ſemen produxerit, aceto & garo intingentes, quidam autem oleum affundentes eo opſonii vice utuntur. Sunt qui cum aceto & garo ipſum mandunt: caput autem hoc quoque modo ſumptum copioſius ferit, quod faciet impenſius ſi quis ipſum ſine pane ſumpſerit: quibuſdam item ſtomachum ſubvertit. Succus autem Fœnugræci elixi cum melle ſumptus, ad omnes pravos humores qui in inteſtinis habentur ſubducendos accommodus eſt, ſuo quidem lentore leniens, calore autem dolorem mitigans. Quod autem abſterſoriæ quoque facultatis ſit particeps inteſtina etiam ad excretionem inſtigat, ſed parcius mel eſt admiſcendum, ne mordacitas exſuperet. In diuturnis vero thoracis citra febrim affectibus, pingues cum eo Palmulas elixare quidem oportet: ubi autem ſuccum ipſum expreſſum copioſo melle miſcueris, ac rurſum ſuper carbones ad mediocrem craſſitiem coxeris, tum demum longe ante cibum uti convenit. Gal. in lib. de Simpl. Medicam. Facult. ait Fœnumgræcum calidum eſſe in ſecundo, ſiccum primo ordine, deinde ferventes phlegmonas irritat acerbatque: quæ vero minus calidæ & magis duræ ſunt, eas digerendo curat. Farina Fœnugræci, ut Dioſcorides tradit, vim habet emolliendi diſcutiendique: cum Mellicrato decocta & impoſita facit ad inflammationes tam internas quam externas; lienem cum aceto & nitro ſubacta extenuat. Decoctum ejus inſeſſu muliebria mala, quæcunque ex inflammatione aut præcluſione orta, ſedat. Expreſſus in aqua ſuccus decocti Fœnugræci, capillos, furfures & manantia capitis ulcera, ἀχῶρας vocant, purgat: cum anſerina adipe peſſi vice ſubjectum, locos circa uterum emollit ac dilatat; oleum, quod ex eo exprimitur, capillos & in genitalibus cicatrices abſtergit.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 348. col. 2. pl. 111. Fœnumgræcum ſilveſtre polyceration, C. B. P. Fœnumgræcum ſilveſtre, Lob. Cam. Fœnumgræcum ſilveſtre alterum, Dod. Lugd. Huic ſynonymum adſert Caſparus Bauhinus Hedyſarum minimum Hiſt. Lugdunenſis: ex hiſce duabus diſtinctis Fœnugræci ſpeciebus unam & eandem dum conſtituere vult, confundit duas diverſas omnino ſpecies. Nam Fœnumgræcum ſilveſtre alterum, Dod. Hiſt. Lugd. ſiliquas producit longas, biunciales, tenues, quaternas, quinas, ex alis inter pediculos foliorum & caulem ipſum ortas, atque ipſa planta eſt bicubitalis, aliquando altior: at Hedyſarum minimum Hiſt. Lugd. Hedyſari genus Triphyllon, J. B. Chabr. multas ſiliquas profert curtas vix ſemiunciales, aut ad ſummum unciales, compreſſas, coronantes quaſi caulem ad ſingula genicula.

LEGUMINA
Trifoliata ſeu Trifolia Leguminoſa.

TRIFOLIUM ANONIS ſeu ONONIS Sive *ARESTA BOVIS* dictum.

CAPUT XII.

Ανωνὶς *Dioſcoridi & ὄνωνις Theophraſto. Anonis dicta videtur à non juvando, quod nullam utilitatem præbeat, cum aratoribus (hinc remora aratri dicitur) inimica ſit: niſi quis ex adverſo nomen impoſitum cenſuerit.* Ονωνις *quidam deducunt* ἀπὸ τοῦ ὄνου ὄνημι, *quaſi dicas aſini oblectationem: nam ex Græcis quidam affirmant aſinos in eâ ſe volutare & dorſum ſub aculeis ejus herbæ libenter exterere. Dioſcorides l. 3. c. 21. Anonis quam aliqui Ononida vocant, ramos habet dodrantales, etiam majores & fruticoſos, frequentibus geniculis cinctos, multis alarum cavis præditos & capitulis rotundis: foliis puſillis, tenuibus ceu Lenticulæ, ad Rutæ aut Lini pratenſis folia accedentibus, ſubhirſutis, odoratis: ramuli ſpinis acutioribus horrent: radix candida eſt. A Theophraſto 6. Hiſt. 4.* Ονωνις *juxta folium aculeata eſt, altero quoque folio conditur: & cap. 5. verùm ramis aculeigera eſt: folio Rutæ ſimilis, ſed per totum appoſito caulem, ut veluti coronam ex intervallis totam ſpeciem repreſentet: florem minutum & in ſiliqua non undique ſeptum edit. Plinio l. 21. c. 15. Ononis ſecundum ſpinam habet folium & cap. 16. in ramis ſpinas habet appoſito folio Rutæ ſimili, toto caule foliato in modum coronæ: & lib. 27. c. 4. Anonin quidam Ononida malunt vocare, ramoſam, ſimilem Fœnugræco, niſi fruticoſior hirſutiorque eſſet, odore jucundo, poſt ver ſpinoſa.*

Pars TABULÆ XVIII.

- *Trifolium* Anonis *dictum* — *Siliquis*
  - *Erectis curtis lentiformibus*
    - *Purpurea*
      - *Vulgaris*
        - 1. *Spinoſa flore purp. & albo, nobis.* ☉
        - 2. *Non ſpinoſa repens, nobis.* ☉
      - *Erecta ſpicata*
        - 3. *Perennis longifolia, nobis. Anonis mitior* 1. *Cluſ. Hiſt.* ☉
        - 4. *Annua latifolia, nobis.* ☿
      - 5. *Procumbens annua verna ſeu præcox fruteſcens viſcoſa, flore rubro amplo, ſiliculis craſſioribus rariùs diſpoſitis, nobis.* ☿
    - 6. *Lutea perennis minima, nobis. Anonis lutea ſilveſtris minima, Col.* ☉
  - *Propendentibus longis hirſutis*
    - *Purpurea perennis*
      - 7. *Foliis latioribus craſſioribus & ſerratis, nobis. Cicer ſilveſtre Penæ, Hiſt. Lugd.* ☉
      - 8. *Verna ſeu præcox fruteſcens flore rubro amplo, nobis. Cicer ſilveſtre alterum, Hiſt. Lugd.* ☉
    - *Lutea*
      - 9. *Perennis major Natrix dicta, nobis. Natrix Plinii Herbariorum, Ad. Lob.* ☉
      - *Annua*
        - 10. *Maritima mitis folio lucido ſerrato, Boccon.*
        - *Siliqua*
          - 11. *Hirſuta breviore, nobis.* ☿
          - *Glabra*
            - 12. *Longiore, nobis.* ☿
            - 13. *Breviore, nobis.* ☿
    - 14. *Alba puſilla ſeu flore ex rubro & albo mixto, nobis.* ☿

Anonis

Anonis eſt planta leguminoſa trifoliata ſeu Trifolium ſiliquoſum, in hoc convenit cum Fœnugræco; at ſemina producit renalia, ſive in medio deliquium patientia, non autem ſeſamacea, id eſt linea oblique ſecante ſemina, ut videre eſt in Fœnugræco. Anonis duplex eſt, ratione ſiliquarum earumque poſitione: vel eſt ſiliquis erectis lentiformibus, id eſt tumidis curtis & erectis, abſque petiolis conſpicuis, ſed fundo capſulæ contiguis, Lentis minoris figurâ; vel ſiliquis pendulis, longis, hirſutis, viſcoſis: eſtque prior perennis vel annua: poſterior itidem ſeu ſiliquis pendulis longis hirtis & viſcoſis, eſt vel purpurea; lutea; vel alba: luteaeſt pariter vel perennis vel annua.

Explicatio partis Tab. 18. *Sectionis ſecundæ.*
Anonides ſiliquis erectis curtis lentiformibus.

1. A*Nonis* purpurea vulgaris ſpinoſa flore purpureo, ſiliquis erectis lentiformibus, nobis. Anonis ſpinoſa flore purpureo, C. B. P. Anonis ſeu Areſta bovis vulgaris ſpinoſa purpurea & alba, J. B. Chabr. Anonis hæc vulgaris cauliculis exit dodrantalibus & paulo altioribus, geniculis aliquot articulatis, ramoſis, obſequioſis, duris acutiſſimiſque ſpinis horrentibus, juxta quos folia parva, tergemina, particularibus Lentis foliis maiora, colore ſaturate virentia: floſculi quoque ſecundum cauliculos enaſcuntur formâ veluti Ochri, ſed colore utplurimum purpurei, raro albidi, quos ſequuntur valvulæ exiguæ Lentis minoris ſiliquarum magnitudine, in quibus ſingulis bina terna ſemina, plana, reniformia, continentur: radix longa, per terræ ſuperficiem ſparſa, lenta admodum, ac fractu contumax. Stirps hæc admodum vivax, nec facile perit, nec extirpari ex agris niſi difficillime poteſt, agricolis ſæpe moleſta eſt, quandoquidem radices duræ ac lentæ aratrum remorantur & boves ipſos ſiſtunt inter arandum, unde Reſta bovis dicitur, & Gallis *Areſte Beuf* Nova ſub finem veris germina emittit: per totam æſtatem floret, & Autumno perficiuntur ſemina & tunc quidem ſpinoſiſſima evadit. Dicitur Ἀνωνὶς ſive Ὀνωνὶς Græcis, Latinis ſimiliter Anonis ſive Ononis, vulgo autem herbariorum Areſta bovis, Reſta bovis & remora aratri, quod arantes boves in opere hærere faciat, & quo minus aratrum progredi queat frequenter radices hujus impedimento ſunt. Dicitur & Acutella à duris acutiſque ſpinis. In campis vaſtis & neglectis reperitur eadem flore albo.

2. *Anonis* non ſpinoſa repens, nobis. Hæc primo intuitu cognoſcitur à priore, primo quod non donetur ſpinis, ſecundo radice longe lateque repente prædita ſit.

3. *Anonis* purpurea ſpicata erecta perennis longifolia, ſiliquis erectis lentiformibus, nobis. Anonis mitior, 1. Cluſ. Hiſt. Anonis non ſpinoſa flore purpureo ſpicato, J. B. Chabr. Multos hæc annuatim ex radice dura, lignoſa & perenni, repente, ſurculos fert cubitales nonnunquam longiores, rotundos, lentos, firmos tamen, ramoſos, molli lanugine obductos: folia multa latiore baſi caulem amplectentia, plerumque terna pediculi ſummitati innitentia, molliora & ampliora quam in vulgari prædicta; ſummi rami ſeu virgæ deſinunt in oblongam ſpicam florum floribus vulgaris quidem ſimilium, ſed coloris magis ſanguinei, quos excipiunt ſiliquæ lentiformes vulgaris omnino ſimiles, ſemen renale itidem in ſe continentes, id eſt ſinum ſeu deliquium in medio habent. Tota planta lento quodam humore graviter & quaſi hircinum virus olente obſita eſt, Fraxinellæ fere odoris inſtar, nullo autem aculeorum vallo munita eſt ſicut vulgaris ſpinoſa ſupra dicta.

4. *Anonis* purpurea ſpicata erecta annua latifolia ſiliquis rectis lentiformibus, nobis. Hujus noviter detectæ Anonidis caules ſunt bipedales, nonnunquam in agro pingui, & bene culto tripedales, erecti, nullis ſpinis donati, ſed mites ſunt, quibus adhærent pediculis ſatis longis tergemina folia ſatis ampla, bis terve Anonidis vulgaris ſpinoſæ foliis longiora (præcipue inferiora) ſerrata, nec viſcoſa: in caulium ſummis faſtigiis ſpicatim proveniunt floſculi plurimi minores, purpurei, papilionacei; quibus fatiſcentibus ſuccedunt ſiliculæ lentiformes, bivalves, erectæ, curtæ, & calycibus ſuis immerſæ quaſi, & vix extra eoſdem conſpicuæ, vulgaris Anonidis ritu, ſed denſius multo in ſpicam compelluntur, ſemina minuta reniformia ſeu deliquium in medio patientia, continentes. Pati ſinum in medio ſeminum convenit omnibus Anonidum ſive majorum ſive minorum ſpeciebus, atque hæc ſit nota eſſentialis ſeu generica diſtinguens Anonim ab aliis (præcipue Fœnugræco) Trifoliis.

5. *Anonis* purpurea procumbens verna ſeu præcox fruticoſa annua viſcoſa ſiliquis craſſioribus lentiformibus rarius diſpoſitis, nobis. Hæc Anonis caules protrudit pedales & longiores, ligneos, duros, ad quorum ſingula genicula oriuntur tergemina folia rotunda, valde

crenata, atque pediculis curtis ex geniculis ortis innituntur floſculi papilionacei dilute rubri; quorum ſingulis ſuccedunt filiquæ ſingulæ bivalves, continentes ſemina ſatis magna pro proportione plantæ ipſius: folia inquam ſunt profunde ſerrata, rotunda, viſcoſa. Hanc Anonidis raræ & novæ ſpeciem triennio abhinc deteximus, inter quaſdam raras plantas, ſeminibus miſſas ad reverendiſſimum in Chriſto Patrem Henricum Compton, nunc Londinenſem, tunc Oxonienſem Epiſcopum, in hortulo ſuo inter ſepta ædis Chriſti ſito. Florentem Junio & Julio obſervavimus ibidem, atque ejuſdem ſemina collegimus menſe Auguſto. Jam floret in horto Botanico Univerſitatis, ſemina ad maturitatem ad finem Auguſti perductura.

6. *Anonis* lutea ſilveſtris minima ſiliculis lentiformibus erectis bivalvibus, nobis. Ononis lutea ſilveſtris minima, Col. Anonis ſpinoſa lutea minor, C. B. P. (male adhibetur ſpinoſa à Caſparo Bauhino, cum hæc puſilla herba nullis afficiatur ſpinis) Anonis hæc puſilla ſatis eſt, nec ſemipedem caulis ſuperat altitudine: radice innititur dodrantali, tenui, nuda, nigra: ex eadem fruticant tenues cauliculi veluti ſquamoſi, auricularum cartilaginibus exſiccatis ſimiles, è quibus folia exigua vulgaris Ononidis more terna, per ambitum dentata, exeunt; inter quorum & cauliculorum ſinus quinquepartiti oriuntur calyces, reſpectu plantæ magni, rigentibus foliolis anguſtis, oblongis, aculeatis, contecti; in qubus poſt floſculos luteos deciduos ſiliculæ ſuboriuntur rotundæ, breves admodum, veluti Phaſeoli parva ſemina, renum effigie, incurva parum, & exigua.

Anonides ſiliquis propendentibus longis hirſutis viſcoſis donatæ.

7. *Anonis* purpurea perennis foliis latioribus rotundioribus profunde ſerratis, nobis. Cicer ſilveſtre triphyllon, C. B. P. Park. Cicer ſilveſtre Penæ, Hiſt. Lugd. Cicer ſilveſtre, 2. Dod. Tab. Cicer ſilveſtre verius, Ad. Lob. Cicer ſilveſtre latifolium, Ger. Cicer ſilveſtre multifolium radice craſſa & folliculis brevibus, ventrioſis, hirſutis, J. B. Chabr. Hæc radicibus longis, huc illuc evagantibus donatur, lignoſis, multiplicibus, nodoſis, ſubrubris: fruticoſa eſt planta ramis fere pedalibus, humi propemodum jacentibus; foliis latioribus, craſſioribus, & in ambitu profunde crenatis, ternis uni pediculo innitentibus, quorum bina ex oppoſito pediculis ſuis longis innituntur, tertium multo majus extremo pediculi adhæret: ſiliquas fert raro diſpoſitas, unciales in cimis caulium, longis ſatis pediculis pendulas, in quarum ſingulis ſemina plura latent compreſſa, parva, nigra, renalia, id eſt cavitatem ſeu ſiuum in medio patientia, reliquarum Anonidum ſeminum more: radix reſtibilis & vivax; ſingulis annis germina profert ſua.

8. *Anonis* purpurea verna ſeu precox perennis fruteſcens flore rubro amplo, nobis. Cicer ſilveſtre alterum, Lugd. Cicer arboreum Indicum perenne, Jacobi Zanoni. Hæc Anonis ſubfrutex eſt, lignea materia conſtans, radice pollet craſſa, longa, lignoſa, multifida, cortice nigro tectâ, intus candida: ramulis multis, ſurculoſis: foliis ternis, ſubrotundis, ſimul junctis & ſerratis: flore amplo rubro Piſi inſtar, ineunte Vere ſeſe expandente, unde verna ſeu præcox dicitur. Suffrutex hic, inquam, eſt bipedalis, Trifolii ligneſcentis ſpecies, perpetua fronde virens; flores fert leguminoſos ſeu papilionaceos, amplos, eleganter purpureos, exeunte hyeme aut ineunte Vere flores ſuos protrudebat, cum in horto Pariſienſi, tum Blæſenſi, ſed ſpecioſius in eminente monticulo horti Botanici Aurelianenſium Pharmacopæorum, qui olim fuit pugnaculum urbis; quibus ſingulis evaneſcentibus ſuccedebant ſiliquæ ſingulæ propendentes, hirſutæ, viſcoſæ, biunciales & bivalves cum parvulo aculeo ad ſingularum ſiliquarum extremitatem, Natricis Plinii ſiliquis multo craſſiores, ſemina in ſe continentes pene duplo cæterarum ſuæ familias majora & deliquium Anonidum cæterarum more patientia; qua nota ſpecifica indigitantur Anonides à reliquis Trifoliis. Neutiquam eſt Cicer ut volunt Authores pene omnes, ſicut demonſtravimus inter Hallucinationes Ciceris pag. 77. Hiſt. hujus noſtræ Oxonienſis, multo minus Cicer arboreum Indicum Jacobi Zanoni. Hic noſter novus Author male adaptavit nomen arboris, cum primo vix binos pedes altitudine ſuperet, ſecundo non eſt planta Indica, nec tam longe petita, cum proveniat in montibus Delphinatus, unde ad nos delata & miſſa à D. Berhardo Apothecario Gratianopolitano. Prædictus Zanoni in hujus deſcriptione ei attribuit flores galeatos, neſciens quid ſit flos galeatus, papilionaceos dixiſſe debuit ad formam reliquorum Leguminum. Eſſe Anonidem cuilibet clare cernenti apparet à foliis ternis & ſemine deliquium in medio patiente; Cicer autem eſt planta πλαγιόχαυλος, cujus ſemina protuberantem eminentiam (aliquando plures) cornu arietis rudimentum exprimentia habent, unde ei nomen; ergo neutiquam Cicer, ſed Anonis debet nominari.

9. Ano-

9. *Anonis* lutea perennis major Natrix dicta, nobis. Natrix Plinii Herbariorum, Ad. Lob. Anonis lutea perennis major viſcoſa ſpinis carens, C. B. P. Anonis lutea montana, Cam. ep. Mitis luteo flore, Eyſt. Cluſ. Hiſt. & Pan. Anonis lutea non ſpinoſa Dal[pii]. Natrix Plinii, Hiſt. Lugd. J. B. Chabr. Anonis hæc lutea vulgari ſimilis eſt, virgulis cubitalibus, in frequentes ramulos fiſſis, ſpinarum expertibus: folia terna cohærent oblonga, hirſuta, per extremum crenata, odorata, viſcoſa & tactu glutinoſa, ſapore nullo evidente: flores longis nituntur pediculis, Anonidis ſpinoſæ purpureæ vulgaris multo majores, lutei & confertim in ſummis cimis caulium provenientes: ſiliquæ unciales & longiores, teretes, hirſutæ & viſcoſæ cum filamento protracto ex ſiliquarum extremitate, quarum ſingulæ ſemina plura continent, colore pulla, inquit Camerarius. Herba tota eſt hirſuta, pinguis, odorata, hircinum quid olens; ut alii exponunt, bituminoſum & gravem fœtorem redolens.

10. *Anonis* annua maritima mitis folio lucido ſerrato, Boccon. Anonis hæc parvula cauliculis infirmis ab humo vix unquam attolitur: foliis parvis ſerratis, multumque ſulcatis & lucidis veſtita eſt: flos ei luteus, papilionaceus; ſiliqua & ſemina cæteris ſuæ claſſis ſimilia: mitis eſt nec aculeis prædita, eſtque plantula annua: radicem habet exilem, cujus fibræ gignunt globulos albos, ut cernere eſt in Ornithopodio pauciſque aliis Leguminibus.

11. *Anonis* lutea annua recta hirſuta viſcoſa ſiliquis hirſutis brevioribus, nobis. Hæc Anonidis luteæ viſcoſæ ſpecies minor aſcendit ad pedalem altitudinem caulibus erectis, ad quorum ſingula genicula alternatim appenſa conſpiciuntur folia longiora, trifoliata, viſcoſa ſimul & hirſuta, crenata, atque in cimis caulium proveniunt floſculi papilionacei, lutei, minores, longis pediculis propendentes, ex quorum ſummitatibus proſtant filamenta rigida, uncialia, quod eſt familiare omnibus Anonidum ſpeciebus ſiliquis propendentibus donatis: floribus ſingulis evaneſcentibus ſingulæ ſucceduut ſiliquæ bivalves, hirſutæ, viſcoſæ, ſemina in ſe continentes reniformia, reliquarum Anonidum more.

12. *Anonis* lutea annua ſiliqua glabra longiore & craſſiore, nobis. Anonis puſilla glabra fruticans ſeu Trifoliis affinis Anonis Cherleri, J. B. Chabr. Ononis lutea minor flore pendulo, C. B. P. & Prod. Anonis hæc palmaribus & ſeſquipalmaribus fruticat ſurculis multis, ſubrubentibus, tenuibus, glabris; quos folia ſtipant crebra, tergemina, glabra, viridantia, circumcirca crenata, oblonga, Medicæ noſtratis foliis quadantenus ſimilia, ex quorum ſinubus ſeu alis prodeunt per totos ramos flores majuſculi, conformatione Leguminoſorum florum, lutei; calyce in quinque ſegmenta diviſo, flore longiora, acuta, ex rubro nigricantia: floribus luteis deciduis ſuccedunt ſiliquæ bivalves, longæ, turgidæ ſatis, & glabræ, Craccæ minimæ ſiliquis majores, ſemina quatuor aut quinque ſinuata, ſeu deliquium in medio patientia, continentes ſingulæ.

13. *Anonis* lutea annua ſiliqua glabra breviore, nobis. Hæc caules emittit pedales & altiores, quorum geniculis ſingulis adhærent longis pediculis terna folia viſcoſa ſeu glutinoſa longa, crenata: in caulium cimis, longis etiam pediculis, propendent flores lutei, ſatis magni pro proportione plantæ, raro ſeu ſingulatim petiolis inſiſtentes; quibus deciduis ſuccedunt ſiliquæ curtæ, glabræ, propendentes ex calycibus quinquefariam diviſis, Anonidis vulgaris ſiliquis craſſiores multo, in quarum ſingulis bina, terna, continentur ſemina.

14. *Anonis* puſilla hirſuta flore ex albo & rubro colore mixto, nobis. Hæc Anonis minima, omnino hirſuta, pari cum lutea minima glabra ſurgit altitudine: radice conſtat fibroſa, dura, albicante, dimiſſa in terram, emittente multos ramulos hirſutos, rubentes & incanos: folia terna, anguſtiora & longiora, per extremum duntaxat crenata, alioquin cæſuræ ignara, hirſuta: calyces per ramos crebri, magni, piloſi admodum, in quinque longas ariſtas deſinentes, pediculo contorto deorſum verſus terram ſpectantes, cancellis florem complexi parvum, dilute rubrum, & ex albido aliquando mixtum, roſtello ferrugineo. Tota plantula eſt contactu viſcida.

LOCUS & TEMPUS.

1. Anonis *purpurea ſpinoſa ſiliquis erectis lentiformibus provenit in agris atque juxta limites ſive margines agrorum pratorumque, ſed læto, pingui, ac reſtibili ſolo gignitur; reperitur in Germania utrâque, Gallia, Italia, Anglia & Belgio. Floret per totam æſtatem atque verſus ejuſdem finem ſemina producit matura.*

2. Anonis *purpurea repens non ſpinoſa provenit in multis Galliæ & Angliæ locis, præcipue circa Oxonium; floret & ſemina profert æſtate.*

3. Anonis

3. Anonis *purpurea erecta ſpicata perennis longifolia, nobis. Anonis mitior* 1. *Cluſ. Hiſt. Hanc in Sileſiacis, Sclavonicíſque pratis ali ſcribit Cluſius. Floret æſtate cum prædicta.*

4. Anonis *annua latifolia, nobis. Ubi ſponte oriatur, ignoratur.*

5. Anonis *purpurea procumbens verna fruteſcens viſcoſa, flore rubro amplo, ſiliculis lentiformibus craſſioribus & rarius diſpoſitis, nobis. Hujus ſicut & prioris ignorantur natales: feliciter ſatis in hortis provenit utraque.*

6. Anonis *lutea perennis minima, nobis. Anonis lutea ſilveſtris minima, Col. Auguſto in Æquicolorum incultis & depreſſis atque aliis aridis locis è villa Mercato via ad molendinam florens reperta à Fabio Columna, nec non in collibus aridis circa Blæſas ſatis frequenter eandem florentem & ſemina producentem reperimus nos.*

7. Anonis *purpurea perennis foliis latioribus craſſioribus ſerratis, nobis. Cicer ſilveſtre Penæ, Hiſt. Lugd. In Helvetiorum & Allobrogum, quos Sabaudam vocant, finibus reperiri Petrus Pena & Matthias de Lobel authores ſunt, etiam in ſaltuoſo ſalicto, quod Rhodanus aluit, prope Lugdunum gignitur.*

8. Anonis *purpurea perennis verna ſeu præcox fruteſcens flore rubro amplo, nobis. Cicer ſilveſtre alterum, Hiſt. Lugd. Cicer arboreum Indicum perenne, Jacobi Zanoni. Hujus fuit ſemen ad nos miſſum ex Delphinatus montibus: floret exeunte hyeme & ineunte æſtate ſemina maturantur.*

9. Anonis *lutea perennis major Natrix dicta, nobis. Natrix Plinii Herbariorum, Ad. Lob. Creſcit in agris arenoſis Pictaviæ aliiſque plurimis Galliæ locis, & frequenter illic inter ſata. Genevæ juxta* Arue *ultra fluvium copioſe reperit Johannes Bauhinus florentem Julio, etiam in agris Monſpelienſibus juxta* Buttonet, *ubi campus illic eâdem eſt refertus, item & circa caſtrum novum Gallice* Caſtelnau. *Cluſius frequenter obſervavit cùm in Gallia Narbonenſi, tum in Hiſpania & Luſitania Junio & Julio florentem.*

10. Anonis *lutea maritima mitis folio lucido ſerrato, Boccon. In omnibus Saccæ, Agrigenti, Catanæ litoribus maritimis & alibi paſſim in Sicilia exit. In Maremma etiam Hetruriæ nota.*

11. Anonis *lutea annua ſiliqua hirſuta breviore, nobis. Anonis puſilla glabra fruticans ſeu Trifoliis affinis Cherleri, J. B. Chabr. Circa Monſpelium in rupetis & ſqualidis locis collegit & ad nos attulit (inquit Johannes Bauhinus) gener Cherlerus. Floruit autem Maio, & paulo poſt ſiliquas tulit, aliis atque aliis proſilientibus floſculis.*

12, & 13. *Harum ſemina ex Syria communicata habuimus à ſupra memorato D. Roberto Huntington.*

14. Anonis *alba puſilla ſeu flore ex albo & rubro mixto, nobis. In rupetis Monſpeliacis & Nemauſinis utcunque obviam hanc parvam Anonidem habuit & collegit Cherlerus. Floret æſtate, & paulo poſt ſemina perducuntur ad maturitatem. De Nominibus ſatis dictum in explicatione ſupra.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Anonidis *purpureæ ſpinoſæ radix excalefaciens eſt, & ut Galenus ait quarto ordine; extenuans quoque & incidens eſt: cortex ejus cum vino potus urinam cit, calculoſque diſſolvit ac pellit, cruſtas vero abſtergit; decocta radix in poſca dentium dolores mitigat, ore ſæpius colluto. Plinius comitialibus decoctum in Oxymelite ad dimidiam partem dari refert. Mattheolus ſibi notum hominem affirmat, pulvere hujus radicis pluribus menſibus ſumpto, à carnoſo ramice curatum. Primos hujus ſubfruticis turiones ſive aſparagos, priuſquam ſpinoſi fiant, muria condiri, & cibos gratiſſimos eſſe, author eſt Dioſcorides.*

9. Anonis *lutea perennis major Natrix dicta, nobis. Hanc adverſus omnia venena prodeſſe & admotam & intus ſumptam experientia compertum eſt.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 389. col. 1. pl. 1. Anonis vulgariter eſt coloris dilutioris purpurei, raro albidi, quæ Anonis flore albo Tab. Ger. rariſſime luteo inquit Caſp. Bauhinus. Anonis purpurea ſpinoſa reperitur flore purpureo communiter, rarius albo; ſed contra Bauhinum nunquam eadem ſpecies conſpicitur flore luteo, nam à cæruleo in rubrum & album colorem ſæpiſſime fit degeneratio, ſed non in luteum; in quamplurimis plantis, diligenter obſervatis, hoc nondum nobis compertum, ideo aliis poſteris notandam relinquo veritatem hujus aſſertionis Caſpari Bauhini.*

Pag. 389. col. 1. pl. VI. Anonis non ſpinoſa flore variega-

variegato, C.B.P. Eſt tantum prioris Natricis varietas flore luteo, ſtriis ſeu lineis nigris aut ſubrubris variegato; ergo non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, prout nimis ſæpe ab authoribus fit, præcipue Tabernæmontano, qui tres, aliquando quatuor, varietates tantum totidem conſtituit ſpecies, ut clare poſtea declarabitur.

Anonis verna ſeu præcox fruteſcens flore rubro amplo, nobis. Cicer ſilveſtre alterum, Lugd. Hiſt. Cicer Indicum arboreum perenne, Jacobi Zanoni. Cicer hoc ſilveſtre alterum Hiſt. Lugd. eſt idem cum Cicere arboreo Indico perenni Zanoni, ſed inepte adaptatur illi nomen Ciceris, cum ſit Anonis uti ſupra diximus cap. 3. de Cicere; deinde non eſt arbor ut vult Zanoni, cum vix binos pedes altitudine ſuperet. Idem Zanoni flores hujus aſſerit galeatos; papilionaceos dixiſſe debuit ad formam reliquorum Leguminum. Eſt Anonis à nota ſua generica; ſemina enim deliquium in medio patientia profert, atque hac nota cognoſcuntur omnes Anonidum ſpecies. Cicer autem eſt planta leguminoſa πλαγιόκαυλος *ſeu plurimas alas hinc inde uni rachi adhærentes gerens, ſemina itidem omnino diverſa, protuberantiam eminentem unam (aliquando plures) cornu arietis rudimentum exprimentia profert, unde ei nomen. At Cicer ſilveſtre alterum Lugd. Hiſt. ſeu Cicer perenne Indicum arboreum, ut vult Zanoni, neutiquam ad Ciceris ſed Anonidis claſſem pertinet, ut probavimus ſupra.*

Ibidem pag. 347. col. 2. pl. vi. Cicer ſilveſtre Triphyllon, C. B. P. Park. Cicer ſilveſtre Penæ, Lugd. Silveſtre verius, Ad. Lob. Latifolium, Ger. Cicer 3. Dod. Tab. Cicer (ratiocinando ex libro naturæ) eſt planta leguminoſa plurima folia conjunctim ſeu binatim è regione uni coſtæ mediæ adnata habens, & unum impar extremum coſtæ claudens: atque Cicer ſilveſtre verius Ad. Lob. Latifolium Ger. &c. eſt planta Trifoliata omnes conditiones poſſidens requiſitas ad Anonidem conſtituendam; ergo eſt Anonis, non Cicer, nominanda hæc planta, quemadmodum à nobis factum. Sit ergo, & aptius, Anonis ſilveſtris purpurea foliis latioribus & ſerratis. Nec poſſum ſatis mirari Lobelium, qui ſic ait de Cicere ſilveſtri veriore ſuo, viruit hac æſtate in horto Morgani quoddam Cicer parum adhuc notum, è Sabaudorum & Helvetiorum finibus huc allatum facie & ſiliqua arietini Ciceris, quod eo uſque præ ſe fert, ut primo intuitu quilibet Cicer dicat; ſiliqua quippe brevis, longior compreſſior paulo, flores item purpurantes, non abſimiles, ſed ſemina multa minora, compreſſa & potius Lathyri Cicerculæve æmula; culmos plures latius ſpargit ramoſos & firmiores, cubitales & ſeſquicubitales, folia protrudentes Ciceris arietini majora, craſſiora, rotundiora, tantillum crenata. *Quam parum ſibi hic conſtat Lobelius, ſicut in aliis multis locis, facile cernitur. Cicer (ut ſupra dictum cap. 3. de Cicere) eſt planta* πλαγιόκαυλος; *at Cicer ſilveſtre verius Lobelii terna fert folia, ſicut & reliquæ Anonides: item & hujus ſemina earundem ſeminum ſunt æmula, ſinum ſilicet in medio patientia, non autem protuberantia ut Ciceris ſemen; ergo primo intuitu neſciebat quid dicebat Lobelius, nec plantam ipſam, nec ſiliquas, nec ſemina ejus examinavit, ſed conjectura inani ſeu indeliberate (quemadmodum alibi ſatis obſervare licet) protulit nomen, & idem huic adaptavit: hunc ſecuti ſunt cæteri omnes hiſtorias ſuas plantarum ſcribentes, Dalechampius, Dodonæus, Tabernæmontanus, Gerardus, Parkinſonus & Johannes Bauhinus, Chabræus, cæterique quot quot ſunt Botannici cæcutientes; omnes in foveam ducti, ſequentes Lobelium cæcum in nomenclatura hujus poſterioris, ſicut Dalechampium in priore imitantes, inepte nomen Ciceris utrique prædictæ plantæ adaptarunt. Deinde graviter errat Caſp. Bauhinus dum Cicer ſilveſtre alterum Hiſtoriæ Lugdunenſis idem facit cum Cicere ſilveſtri Penæ ejuſdem Lugdunenſis, aut cum Cicere latifolio Gerardi, cum ſint duæ diſtinctæ Anonidum ſpecies, ut ſupra ſatis ſuperque probatum, cap. 3. de Cicere. Cicer ſilveſtre Triphyllon C. B. P. eſt ſynonymum omnibus reliquis, non autem Ciceri ſilveſtri alteri Hiſt. Ludg. ſeu Ciceri perenni arboreo Indico Zanoni, qui vult Cicer ſuum arboreum Indicum perenne diverſum eſſe à Cicere ſilveſtri altero Hiſt. Lugd. cum ſit una & eadem planta, non obſtante nomine ſuo Indico arboreo, cum nec ſit Arbor, nec Indica planta, multo minus Cicer; ergo graviter erravit Zanoni.*

Pag. 389. col. 1. pl. 111. Anonis ſpinoſa lutea minor, C.B.P. lutea ſilveſtris minima, Col. Hæc non donatur ſpinis, ergo errat Caſparus Bauhinus, dum ipſi attribuit ſpinas, quæ neutiquam in ipſa apparent.

Ibidem Anonis adjungitur a Caſp. Bauhino Carduis propter ſpinas: debuit hic locari, ut innuimus Prælud. Botan. pag. 423.

LEGUMINA

Trifoliata ſeu Trifolia Leguminoſa.

Trifolium *LOTUS HERBA* dictum.

CAPUT XIII.

Λωτὸς *Lotus herba (de Loto Arbore hic ſermo non eſt) Dioſcoridi l. 4. c. 111. triplex eſt: ſativa quam aliqui* Τρίφυλλον *vocant, quæ in hortis naſcitur; ſilveſtris, quam aliqui* Λύβιον *Lybium à loco natali appellant, caule bicubitali, aut etiam majore, alis multis, foliis Loti Trifolii pratenſis, ſemine Fœnugræci at multo minore, guſtu medicato: tertia eſt Lotus Ægyptia, de qua infra agetur. Theophraſto 7. Hiſt. 9. Lotus herba in caule tantum foliata eſt: & cap. 14. licet, inquit, nomen unum habeat, tamen plura ejus genera ſunt, ut ferme æquivoca ſint, folio, caule, flore fructuque diſcreta: ſic de Loto Ægyptia egit 4. Hiſt. 10. Plinius l. 13. c. 17. de Loto arbore diſſerens, ſubjungit: eſt autem eodem nomine & herba (Lotum urbanum Dioſcoridis intelligens) & in Ægypto caulis in paluſtrium genere: de hac poſteriore egit l. 22. c. 21. Lotometram vocans.*

Idem l. 22. c. 21. ait Homerum inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati Loton primam nominaſſe: haud dubie Lotum ſativam Dioſcoridis intellexit.

Lotus herba pentaphyllos, eſt Trifolium ſiliquoſum in pediculorum extremis terna gerens folia, & ad eorum ex caule exortum bina alia conſpiciuntur folia, atque hac ſola nota ab omnibus aliis Trifoliis leguminoſis diſtinguitur Lotus herba, pentaphyllos eo ipſo nomine dicta: adeo ut omnis Lotus herba, ſit Trifolium à ternis in extremitate pediculi foliis, ſed omne Trifolium vice verſa non eſt Lotus propter defectum binorum foliorum, pediculo annexorum ſub exortum è caule ipſo. Hæc eſt nota eſſentialis & generica diſtinguens Lotum herbam à cæteris ſuæ familiâs, ſcilicet Leguminibus trifoliatis. Inſuper omnis Lotus ſiliquas fert bivalves, in quibus ſingulis plura continentur ſemina cæterorum etiam Leguminum ſemina redolentia. Lotus herba pentaphyllos à nobis dividitur in Lotum paucis rariſque ſiliquis donatam, quæ iterum vel eſt annua, vel perennis; & in Lotum pluribus ſiliquis in unum capitulum congeſtis ornatam, quæ itidem duplex eſt, minor ſeu procumbens, vel major recta fruteſcens ſeu fruticoſa: haſce omnes proſequemur diferentias ordine & methodo noſtra uſitata, diſtinguendo & dividendo in ſua ſubalterna genera, atque ſpecies ſingulas explicando, & ſic abſorbetur Loti pentaphylleæ doctrina; & ſi quæ aliæ ſpecies præter has à nobis exhibitas detegantur à poſteris, poterint addi, ſicut in omnibus generibus & ſpeciebus à nobis deductis & deducendis præſtare conati ſumus. Lotus herba pentaphyllos ergo ſit vel ὀλιγοκέρατος, quæ eſt annua, aut perennis; vel πολυκέρατος, quæ eſt minor procumbens, aut major recta fruteſcens, eaque alba, vel viridis.

Pars TABULÆ XV, & TABULA XVIII.

Trifolium Lotus herba pentaphyllos *dictum*

- Ολιγοκέρατος
  - *Annua lutea*
    - 1. *Siliquis ſingularibus binis terniſve, nobis. Lotus corniculata ſiliquis ſingularibus binis terniſve, J. B. Chabr.* ☿
    - 2. *Incana Narbonenſium, nobis. Lotus aſperior fruticoſa vel Narbonenſis incana, Lob. Lugd.* ☿
    - *Cretica*
      - *Siliquis erectis*
        - 3. *Minor, nobis. Silveſtris Dioſcoridis, Ponæ Ital.* ☿
        - 4. *Major, nobis. Melilotus quædam Cretica, Proſp. Alpin. de Exot.* ☿
      - *Siliquis propendentibus*
        - 5. *Curvis, nobis. Trifolium corniculatum Creticum, Proſp. Alpin. de Exot.* ☿
  - Τετραγωνόλοβος
    - 6. *Perennis Monſpelienſis flore luteo, nobis. Lotus ſiliquoſa flore luteo, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 7. *Annua Cretica flore holoſerico coccineo, nobis. Lotus tetragonolobus, Cam. Hort. Eyſt.* ☿.
- Πολυκέρατος
  - *Lutea minor*
    - *Procumbens*
      - 8. *Annua latifolia ſiliquis Ornithopodii, C. B. P.* ☿
      - 9. *Perennis ſiliquis pedes corvinos referentibus, nobis.* ⊙
  - *Alba major*
    - *Recta* — *Perennis*
      - 10. *Foliis & ſiliquis hirſutis longioribus & tenuioribus, nobis.* ⊙
      - 11. *Foliis & ſiliquis glabris brevioribus & craſſioribus, nobis. Lotus ſativa, Matth.* ⊙

12. *Sili*

Trifolium Lotus herba pentaphyllos *dictum* { Πολυκέρατος { *Alba fruticoſa major* { *Incana ſiliquis curtis erectis* {

12. *Siliquis longis propendentibus, Cretica argentea, nobis.* ⊙

13. *Major latifolia, nobis. Lotus pentaphyllos ſiliquoſus villoſus, C. B. P.* ⊙

14. *Brevibus & craſſioribus, nobis, Hæmorrhoidalis, Park.* ⊙

15. *Rotundis globoſiſve, nobis. Dorycnium Monſpelienſium, Ad. Lob.* ⊙

16. *Flore majore viridi, nobis. Dorycnio congener planta, Cluſ. Hiſt.* ⊙

Explicatio partis Tab. 15. *& totius* 17.
Lotus ὀλιγοκέρατος.

1. LOtus annua ὀλιγοκέρατος ſiliquis ſingularibus binis terniſve, nobis. Lotus corniculata ſiliquis ſingularibus binis terniſve, J. B. Chabr. Hæc Lotus omnium minima, eſt multifida; infirmâ radiculâ terræ hæret, caules emittens rectos, numeroſos, pedales, ramoſos, ſubrubentes, longis albicantibus pilis obductos, ad quorum nodos terna folia, Meliloti nobilis oblongiora, binaque nihilo quaſi minora, ex caule ad pediculi exortum enata: ex ſinu ſeu ala foliorum pediculus exit ſingularis, tenuis, uncialis & longior, biuncialis aliquando, in cujus cacumine flos unus, aliquando bini, lutei, hiantes ex calycibus hirſutis: ſiliqua una aut altera ſuccedit, tenuis, ſingularis, aliquando binæ, ternæ, unciam longæ, teretes, ſemine copioſiſſimo ad denarium fere numerum, tenui, Portulacæ ſeminibus pari, ruffo, rotundo, ſapori leguminoſo, refertæ.

2. *Lotus* perennis ὀλιγοκέρατος incana Narbonenſium, nobis. Lotus fruticoſus incanus ſiliquoſus, C. B. P. Lotus aſperior fruticoſa vel Narbonenſis incana, Lob. Lugd. Lotus aſperior fruteſcens, Park. Lotus incana Narbonenſis, Tab. Trifolium argentatum floribus luteis, J. B. Chabr. Radix hujus ſingularis, lignoſa, gracilis, caules fundit palmares, bipalmares, tenues, hirſutos: folia terna, acuta, altera parte argenteo nitore ſplendentia, piloſa; altera vero viridantia: flores cacumini caulium hærent magni, lutei, hirſuti, bini ternive è laciniato & quinquepartito calyce villoſo: quibus ſingulis ſuccedunt binatim aut ternatim ſiliquæ, quarum ſingulæ ſunt hirſutæ itidem, & tumidæ ubi apparent ſemina.

3. *Lotus* ὀλιγοκέρατος ſilveſtris Cretica, nobis. Lotus ſilveſtris Dioſcoridis, Ponæ. Lotus ſilveſtris Creticus, Park. Lotus hæc Cretica caulibus conſtat pedalibus, quorum ſingulis geniculis adhærent bina parva foliola, & in extremo pediculo terna alia, non multum bina priora magnitudine ſuperantia; obſcure omnia virent, atque ex curtis admodum & vix conſpicuis pediculis in ſummis caulium, ex geniculis itidem mediis, proveniunt floſculi minimi, papilionacei, lutei, bini ſimul juncti: quibus totidem ſuccedunt ſiliquæ tenues, longæ, ſeſquiunciales, continentes ſemina ſemine ſinapios minora: radice conſtat exili, tenui, ſingulis annis poſt ſemina matura pereunte: ſemen & tota planta cætera Legumina ſapit, tamen aliquid amaritudinis juncta aciditate in ſe poſſidet, quæ brevi evaneſcit. Nota quod Lotus ſilveſtris Dioſcoridis Ponæ non ſit eadem planta cum Loto ſiliquis Ornithopodii Camerarii, primò diſparitate foliorum, nam folia hujus ſunt lata, & triplo aut quadruplo majora foliis Loti Dioſcoridis; deinde Lotus ſiliquis Ornithopodii Camerarii ſiliquas plures, quaternas, quinas, tumidas gerit ubi apparent ſemina ſeu grana, id eſt ſiliquarum valvulæ inter granum & granum quaſi junctæ ſunt; atque hæc neutiquam conſpiciuntur in Loto Dioſcoridis Ponæ.

4. *Lotus* ὀλιγοκέρατος Cretica lutea ſiliquis longis erectis, nobis. Melilotus quædam Cretica, Proſp. Alpin. de Exot. Hæc ex radice tenui, longa, gracili, in aliquot tenuiores radiculas diviſa, cauliculos fert longos, graciles, foliis viridibus Trifolii corniculati Cretici ſimilibus, ſed longioribus pediculis innitentibus veſtitos, & per terram ſtratos, ac veluti circa radicem luxuriantes, in quorum ſummitatibus proveniunt bini flores lutei, Trifolii falcati

falcati floribus magnitudine & figurâ ſimiles, odorati, quibus ſingulis ſingula cornicula longa recta ſuccedunt; inque his continentur ſemina flaveſcentia, parva, & rotunda, guſtui primo ſubdulcia, mox cum modico calore aliquantulum aſtringentia. A poſitione foliorum trium in pediculi ſummitate, & binorum ad pediculi ex caule exortum, eſt perfecta Lotus, non vero Melilotus ut vult Proſper Alpinus.

5. *Lotus* ὀλιγοκέρατος Cretica lutea ſiliquis binis curvis propendentibus, nobis. Trifolium corniculatum Creticum flore luteo, Park. Trifolium corniculatum Creticum, Proſp. Alpini de Exot. Vide ejus deſcriptionem in paragrapho 5. cap. 7. de Trifolio ſupra. Cum ſit Lotus à poſitione foliorum, nempe trium in extremitate pediculi, & binorum minorum ad appoſitionem pediculi cum caule (vide ejus Iconem in App. ad Legumina) eandem huc inter conſortes Lotos revocavimus, non obſtante denominatione primò Proſperi Alpini, deinde Parkinſoni, Trifolii ſcilicet.

6. *Lotus* ὀλιγοκέρατος τετραγονόλοβος perennis Monſpelienſis flore luteo, nobis. Lotus pratenſis ſiliquoſa Monſpelienſium, Ad. Lob. Lotus ſiliquoſa luteo flore, Cluſ. Hiſt. Lotus ſiliquoſa lutea Monſpelienſis, J. B. Chabr. Sicut hæc fibris multis radicem habet obſitam, quæ alioqui craſſa, lignoſa, longa, ita plurium aliquando capitum: folia Loti corniculatæ quina, quorum duo minora prope pediculi exortum ex caule naſcuntur, majora tria ſimul cohærent; hirſuta ſunt omnia, ſicut & caulis: unicuique cauliculo in ſummo cacumine utplurimum bini flores adhærent, papilionacei, magni ſatis pro tenuitate plantæ, luteopallidi, quatuor ſtriis ad latera donati, ex longo calyce erumpentes: quorum ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ biunciales, quadratæ quaſi, & quatuor alis membranaceis planis cinctæ, ſequentis Creticæ deſcribendæ minores: in ſingulis ſiliquis latent ſemina ſena, octona, Sandalidæ Creticæ ſequentis ſeminibus multo minora: Radice nititur perenni vel in multos annos durante, ex qua de novo ſingulis annis protruduntur folia & caules ſuſtinentes flores, & conſequenter ſiliquas quatuor alis membranaceis cinctas.

7. *Lotus* ὀλιγοκέρατος τετραγονόλοβος annua Cretica flore ſature rubro ſeu holoſerico coccineo, nobis. Lotus ſiliquoſus flore rubro, Cluſ. Hiſt. Lotus tetragonolobus, Cam. Hort. Eyſt. Citra controverſiam longe pulcherrima eſt hæc Lotus: radice nititur ſimplici pauciſque fibris donata; frequentioribus ramis prædita, humi utplurimum diffuſis, quorum extremitates nonnihil ſeſe attollunt, in quibus hinc inde ſparſa ſunt folia terna, ſemper uni petiolo inhærentia, mollia, dilute viridia, reliquis duobus ſemper minutis & caulem ambientibus: ex alis, inter petiolum folii & caulem, breves & craſſiuſculi oriuntur pediculi, ternis etiam foliis minoribus ornati, ſinguli unicum utplurimum florem ſuſtinentes, floris Viciæ quoad figuram æmulum, ſed majorem, eleganti ſaturate rubro colore tinctum, qui ad ſericum villoſum ſature rubrum, ſeu holoſericum plane coccineum, vulgo ſatinum dictum, provocans accedit: ſingulis floſculis deciduis ſingulæ longiuſculæ, biunciales, & longiores aliquando, ſuccedunt ſiliquæ, bis binis alis membranaceis, ſatis prominentibus, undulatis ſive criſpis (dum adhuc ſunt virides) cinctæ, & quaſi ſagittarum plumis ſeu pennis appoſitis quatuor donatæ; quibus reſiccatis, lobi ſeu ſiliquæ ſingulæ quadrangulæ apparent exterius, quæque tamen interius grana ſeu ſemina continent plurima rotunda, cineracei coloris, Piſoque ſunt minora: radix hujus eſt annua, quam ſuccedens hyems tollere & corrumpere ſolet. Nonnulli Lotum hanc τετραγονόλοβον & τετράλοφον cognominarunt ob ſiliquas quatuor alis ſive criſtis cinctas, non minus apte tamen πτερυγώδη ἢ τετράπτερον forſitan appellare liceret. Appellant Cretenſes *Sandalida* in Candia, unde primum in Italiam miſſum ejus ſemen, & inde ad Carolum Cluſium Sandalidæ appellatione.

Lotus πολυκέρατος.

8. *Lotus* πολυκέρατος annua procumbens latifolia ſiliquis Ornithopodii, nobis. Lotus ſiliquis Ornithopodii, C. B. P. Lotus peculiaris ſiliquoſa, Cam. Hort. Unica ex radice alba, duriuſcula, paucis firbis donata, coliculi exeunt aliquot, teretes, humi procumbentes, & in aliquot ramulos diviſi: quorum geniculis folia hærent quina, ex his bina inferiora ſuperioribus tribus magnitudine cedunt, nullo ſapore manifeſto prædita, terna extrema petiolorum occupant: floſculi plurimi lutei, quales in Loto corniculatâ glabrâ, nigris lineis ſtriati; quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ex uno geniculo plures, quaternæ, quinæ, ſaltem in fertili ſolo, plures aliquando, ſeſquiunciam aut ad ſummum uncias duas longæ, falcatæ, ſeu potius arcuatæ, compreſſæ, tumidæ ubi apparent ſemina, atque ſiliquæ ſeminum protuberantias pulchre exprimunt, id eſt clarius explicando, valvulæ ſiliquarum inter granum & granum

granum ſunt junctæ; atque in unica ſiliqua ſemina 12. aut 14. aliquando obſervavimus, convexa utrinque: ſiliquæ ſunt plurimæ ſimul junctæ, & ex uno & communi pediculo ortæ, bivalves, arcuatæ, ſeu paulum incurvæ, non vero articulatæ, ut ſunt Ornithopodii ſiliquæ.

9. *Lotus* πολυκέρατος ſiliquis recurvis pedes corvinos referentibus, nobis. Coronopus ex codice Cæſareo, Dod. Hæc Lotus tenuibus ac viticuloſis cauliculis conſtat, ex quibus protruduntur longi ſatis pediculi, ſuſtinentes plures flores papilionaceos, luteos, quibus ſuccedunt plurimæ ſiliquæ ſimul junctæ, quarum ſingulæ ſeminibus ternis, quaternis, ſunt refertæ, quæ valvulas inter granum & granum junctas habent, curvos corvorum pedum digitos æmulantes, una cum unguiculo ad ſingularum extremitatem. Hiſce notis præcipue à cæteris diſtinctu facilis eſt hæc Lotus. Cæſariani autem veteris Codicis manuſcripti fidem nobis (inquit Dodonæus) aſſeruit Berhardus Paludanus, qui hujuſmodi Coronopum, qualem Icon exprimit, à ſe viſam & repertam non longe Tripoli & ad radices montis Libani nobis coram narravit. Nos vero eandem qualem pictura exhibet vidimus, contrectavimus, ejuſque ſiliquas ſiccas habemus in armorario ſeu promptuario ſeminario noſtro oſtendendas.

10. *Lotus* πολυκέρατος lutea minor foliis & ſiliquis hirſutis longioribus & tenuioribus, nobis. Hæc à vulgari Loto corniculata glabra hiſce ſequentibus notis diſtinguitur; primo in humidis provenit & altius aſcendit, folia terna in ſummitate pediculi habet latiora, majora, & bina ad appoſitionem pediculi cum caule ad ſingula genicula, quæ omnia quina pilis obducta ſunt: ſiliquas etiam habet longiores, tenuiores & hirſutas, pariter multas in unum capitulum congeſtas.

11. *Lotus* πολυκέρατος lutea minor foliis & ſiliquis glabris brevioribus & craſſioribus, nobis. Lotus ſativa, Matth. Lugd. Lotus ſive Melilotus pentaphyllos minor glabra, C. B. P. Trifolium corniculatum 1. Dod. Hæc Lotus glabra multis exit tenuibus & infirmis cauliculis, humi procumbentibus, circa quos folia glabra, minora & anguſtiora prioris hirſutæ foliis: flores profert luteos, ſplendentes, multos in capitulum congeſtos, ſeu complures ſimul in virgularum faſtigiis eminentes: quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ bivalves, parvæ, oblongæ, ſuperioris tamen breviores & paulo craſſiores; in quibus ſeries ſeminum exiguorum, rotundorum, latet: radix dura & lignoſa, ex qua ſingulis annis regerminat.

12. *Lotus* πολυκέρατος fruticoſa Cretica argentea ſiliquis longiſſimis propendentibus rectis, nobis. Loti hæc elegans ſpecies caules edit fruticoſos, bicubitales, aliquando altiores, incanos, ad quorum ſingula genicula exeunt bina folia in mucronem obtuſum terminantia, atque in ſummo pediculo terna majora & obtuſiora exeunt folia, omnia quina, tam ſubtus quam ſupra, argentei lucidi ſunt coloris; ex ſingulis alis inter pediculum folii & caulem exiliunt pediculi unciales, gerentes in cimis ſummis ternos, quaternos, nunc plures, nunc pauciores flores luteos; quorum ſingulis deciduis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, Loti vulgaris glabræ ſiliquis duplo craſſiores, ſeſquiunciam longæ, rotundæ, propendentes, rectæ, non curvæ, qua nota facile diſtinguitur hæc Lotus à Loto 5. Cretica ſiliquis binis curvis propendentibus; & facilius à cæteris ſiliquis rotundis erectis pediculis curtis donatis, cum hujus ſiliquæ ex pediculo communi unciali & ſeſquiunciali propendeant.

13. *Lotus* πολυκέρατος fruteſcens hirſuta alba major latifolia ſiliquis tenuibus curtis erectis, nobis. Lotus pentaphyllos ſiliquoſus villoſus, C. B. P. Oxytriphyllon Scribonii. Lotus ſilveſtris, Cluſ. Hiſt. Hujus caules aſcendunt ad altitudinem trium aut quatuor cubitorum, qui in multos ramos ſinduntur: ex ſingulis geniculis oriuntur bina foliola ad appoſitionem pediculi; in ſummo vero pediculo terna folia lata, quæ omnia, una cum caulibus, ſcatent pilis quodammodo incanis; in ſummis caulium ramis proveniunt plurimi floſculi papilionacei, in capitulum congeſti, coloris albicantis cum nonnihilo rubicundi levis coloris mixti, quorum ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ unciales fere, tenues, rotundæ, bivalves, ſimul junctæ, & veluti in capitulum compactæ, continentes ſingulæ quina, ſenave ſemina rotunda: radix eſt longa, craſſa, lignoſa, multis fibris ſcatens, ex qua ineunte vere anni vertentis folia & caules protrudit.

14. *Lotus* πολυκέρατος fruteſcens incana alba ſiliquis curtis craſſioribus & brevioribus erectis, nobis. Oxytriphyllum alterum Scribonii Largi, Ad. Lob. & Icon. Lotus Hæmorrhoidalis major & Trifolium hæmorrhoidale majus, Park. Trifolium album rectum valde hirſutum, J. B. Chabr. Hæc Loti ſpecies radicem demittit longam, rectam, ligneſcentem, atque fibris ſcatentem, ex qua oriuntur plures cauliculi bicubitales, in plures ramos diviſi; ſingulis geniculis adhærent bina foliola, atque inſuper pediculi ſummitati terna innituntur alia folia, arcte prioribus duobus juncta, ejuſdem fere magnitudinis; quæ omnia tam ſubtus quam ſupra, ſimul & caules ipſi, incana lanugine obducuntur; adeo ut tota planta incana & alba, mariti-

maritimarum quarundam more, proveniat. In teneris adhuc plantis terna folia ſuperiora ſolummodo apparent, quæ in obtuſiorem mucronem deſinunt, ſine duobus ad exortum pediculi appenſis: floſculi plurimi in capitulum conjiciuntur ex albido ruffeſcente colore, paulo ſuperioris floribus majores; quorum ſingulæ ſuccedunt capſulæ plurimæ in orbiculum compactæ, prioris capſulis dimidio breviores, ſed triplo craſſiores, bivalves itidem, coloris ſubrubri aut ex rubro fuſci ſeu ſpadicei: unde propter craſſitiem & brevitatem ſiliquularum ſpinulis longiuſculis affectarum & hæmorrhoidas cæcas (ut vocant medici) perfecte referentium, Trifolium hæmorrhoidale dicitur Parkinſono: ſemina multo prioris majora, flaveſcentia, in prædictis ſiliquulis craſſioribus & brevioribus continentur, in ſingulis terna, quaterna, rotunda. Lotus hæc ſeu Trifolium hæmorrhoidale ludit aliquando caule & foliis candidioribus & hirſutioribus; & aliquando caule & foliis minus candidis, minuſque hirſutis donatur: conſpicitur hujus duplex varietas, cujus prioris folia ſunt glauci, alterius viridis coloris.

15. *Lotus* πολυκέρατος fruteſcens incana ſiliculis ſubrotundis erectis, nobis. Trifolium album anguſtifolium floribus veluti in capitulum congeſtis, C. B. P. Dorycnium Monſpelienſium, Ad. Lob. Lugd. Dorycnium Hiſpanicum, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Tab. Ger. Dorycnium Monſpelienſe & Hiſpanicum, Park. Fruticoſa & ramoſa eſt hæc Loti Monſpelienſis aut Hiſpanicæ ſpecies, cubitalis & ſeſquicubitalis in hortis cultis, etiamſi ſponte proveniens ſit tantum pedalis aut paulò amplior, teſte Cluſio. Multas tenues producit virgas incanas flexibiles: folia albicantia Oleæ more, minora, breviora tamen multo, terna, quaterna, utplurimum quina, junguntur, quæ modo anguſtiora in novellis ramis, qui nondum flores protulerunt, admodum frequentia & confertim naſcentia, guſtus adſtringentis: floſculi papilionacei, copioſi, parvi, albi, Trifolii pratenſis æmuli, veluti in capitulum ſeu globulum congeſti, ſummis virgis inſiſtunt; quibus decidentibus totidem ſuccedunt ſiliculæ, bivalves tamen, Ervi fructus magnitudine, in quarum ſingulis utplurimum ſingula continentur ſemina verſicoloria, qualia fere ſunt Tithymali paralii ſemina, ejuſdemque formæ, coloris & magnitudinis: radix dura & lignoſa nigricat; planta eſt fruticoſa perennis, nec folia ſua abjicit, niſi novis receptis, quemadmodum & ſuperiores duæ Loti ſpecies.

16. *Lotus* πολυκέρατος incana flore majore viridi, nobis. Dorycnio congener planta, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Hæc Lotus ſupra deſcriptæ plantæ Dorycnio Monſpelienſium fere ſimilis, donatur caulibus cubitalibus & vimineis, lentis, ſuperioris gracilioribus, brevioribus, aſt latioribus foliis brevique pediculo innixis, quinis itidem, id eſt binis & ternis ſimul junctis more Loti præcedentis, ramulos amplectentibus, guſtum ſalſum & nonnihil acrimoniæ obtinentibus: ramuſculi oblongi flores ternos aut quaternos quinos, aliquando plures ſuſtinent, Medicæ floribus majores, viridis coloris. Tota planta eſt Dorycnio Monſpelienſium candidior, imo tota incana: ejus neque ſemen, neque ſiliquas, neque radicem obſervavit Carolus Cluſius; ramulum, qualem equitando abrumpere potuit, nobis exhibuit, cujus nos figuram delineatam & ſculptam cum ramulo Dorycnii Monſpelienſium exhibemus Tab. 17.

LOCUS & TEMPUS.

1. Lotus ὀλιγοκέρατος *minor ſiliquis binis terniſve provenit in pratis humidis circa Monſpelium, eundo Monſpelio Frontignianum eandem collegit atque attulit Johanni Bauhino gener ejus Cherlerus.*

2. Lotus ὀλιγοκέρατος *incana Narbonenſium, nobis. Lotus aſperior incana Narbonenſium, Ad. & Icon. Lob. In via Monſpeliana Frontignianum: verſus & in monte Setio. Floret menſe Auguſto, ſemina ineunte autumno perficit.*

3, 4, & 5. Lotus ὀλιγοκέρατος *ſilveſtris Cretica, nobis. Silveſtris Dioſcoridis, Ponæ Ital. & 4. Lotus* ὀλιγοκέρατος *Cretica lutea, ſiliquis longis erectis, nobis. Melilotus quædam Cretica Proſp. Alpin. de Exot. & 5. Lotus* ὀλιγοκέρατος *Cretica lutea ſiliquis binis curvis propendentibus, nobis. Trifolium corniculatum Creticum, Proſp. Alpin. de Exot. Natales harum trium indigitantur vel prolatione nominum. Florent omnes æſtate, atque ſub finem ejuſdem maturantur ſemina.*

6. Lotus ὀλιγοκέρατος τετραγωνόλοβος *perennis Monſpelienſis flore luteo, nobis. Lotus pratenſis ſiliquoſa Monſpelienſium, Ad. Lob. Frequens eſt hæc Lotus authore Carolo Cluſio in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ pratis, ſed Narbonenſis paulo durior videtur. In pratis udis & humidis Medonianis quarto ab urbe Lutetia Pariſiorum lapide ſitis, & alibi locorum in pratis udis ſecus Ligerim paſſim nobis obvia fuit hæc Lotus lutea ſiliquoſa* τετραγωνόλοβος. *Floret æſtate & verſus ejuſdem finem ſemina perficit ſua.*

7. Lo-

7. Lotus ὀλιγοκέρατος τετραγωνόλοβος annua Cretica flore ſature rubro ſeu holoſerico coccineo, nobis. Lotus tetragonolobus, Cam. Hort. Eyſt. Provenit in Creta, unde primo in Italiam miſſum ejus ſemen eſt, dehinc ad Cluſium Sandalidæ appellatione. Floret apud nos Junio, & ſemen ejuſdem Julio & Auguſto maturum eſt.

8. Lotus πολυκέρατος annua procumbens latifolia ſiliquis Ornithopodii, nobis. Lotus ſiliquis Ornithopodii provenit in Inſula Corfu, ubi copioſe florentem æſtate reperit generoſus vir D. Georgius Wheeler, dum iter ſuum per Græciam & Aſiam in indefeſſo labore perageret.

9. Lotus πολυκέρατος ſiliquis recurvis pedes corvinos referentibus, nobis. Coronopus ex Codice Cæſareo, Dod. Provenit non longe Tripoli & ad radices montis Libani. Floret æſtate, atque eadem exeunte ſemina maturat.

10. Lotus πολυκέρατος lutea minor foliis & ſiliquis hirſutis longioribus & tenuioribus, nobis. Provenit in pratis humidis paſſim: floret cum cæteris, atque eadem tempeſtate cum ipſis maturat ſemina.

11. Lotus πολυκέρατος lutea minor foliis & ſiliquis glabris, brevioribus & craſſioribus, nobis. Lotus ſativa, Matth. Lugd. Hæc Lotus glabra provenit paſſim in collibus aridis & pratis eminentibus. Floret eadem anni tempeſtate cum prædicta.

12. Lotus πολυκέρατος Cretica fruticoſa argentea ſiliquis longiſſimis propendentibus rectis, nobis. Semina hujus ex Syriaca urbe Chalepo dicta ad nos tranſmiſſa plantam ſupra explicatam produxere; floruit Julio & Auguſto; & Septembri maturabantur ſemina.

13. Lotus πολυκέρατος fruteſcens hirſuta alba major latifolia ſiliquis tenuibus longioribus erectis, nobis. Lotus pentaphyllos ſiliquoſus villoſus, C. B. P. Sponte hæc provenit prope Lugdunum & Taurinum, etiamque in vicinia Monſpelii juxta Gramontiam ſilvam abundat, & ad ripam Ledi Amnis, haud procul Monſpelio in ſtagnum marinum defluentis ad lævam pontis Juvenalis, qua itur ad ſilvam Gramontiam. Floret æſtate, & exeunte eadem ſiliquas multas in capitulum congeſtas & erectas profert in cimis ramorum, indidemque deſiliunt ſemina matura, exigua, rotunda.

14. Lotus πολυκέρατος fruteſcens incana alba ſiliquis curtis craſſioribus & brevioribus erectis, nobis. Lotus hæmorrhoidalis major ſeu Trifolium hæmorrhoidale majus, Park. Provenit in ſilva Gramontia, non procul Monſpelio, teſtibus Lobelio & Pena. Floret Julio, & verſus finem Auguſti aut initium Septembris ſemina perficiuntur.

15. Lotus πολυκέρατος fruteſcens incana alba ſiliculis ſubrotundis erectis, nobis. Dorycnium Monſpelienſium. Ad. Lob. Lugd. Trifolium album anguſtifolium floribus veluti in capitulum congeſtis, C. B. P. Hæc Lotus multis ſiliculis ſubrotundis in cimis ramorum exit copioſe in agro Salmanticenſi & aliis plurimis Hiſpaniæ locis, ſecundum vias communes, & in incultis etiam. Meminit Carolus Cluſius ſe in agro Narbonenſi vidiſſe frequentiſſimam, etiam non modo circa Viennam Auſtriæ, ſed & pleriſque Pannoniæ locis; calidiore tamen regione magis incana conſpicitur. Floret Maio & Junio; ſemen valvulis hiantibus exit Julio & Auguſto: tardius apud nos ſeptentrionales floret, & conſequenter tardius ſemen ad maturitatem perducit. Quotquot erant tempore Cluſii Salmanticæ rei herbariæ ſtudioſi, Dorycnium vocabant, atque eodem etiam nomine ante multos annos apud Monſpelianos donata fuit, unde à natalibus communibus Hiſpaniæ & Monſpelienſis agri dicitur à Parkinſono Dorycnium Monſpelienſe & Hiſpanicum.

16. Lotus πολυκέρατος incana flore majore viridi, nobis. Dorycnio congener planta, Cluſ. Hiſt. Equitando per Hiſpaniam in Regno Valentino & quibuſdam Bæticæ locis hanc Loti ſpeciem florentem ſibi obviam habuit Car. Cluſius. De Natalibus ſeu Loco & Tempore & Nominibus harum omnium Lotorum ſatis ſupra dictum. Vide app. ad Legumina.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Lotus corniculata glabra ſeu ſativa Matth. Lugd. nobis. 11ma ſupra citata facultatem evidenter aſtringendi poſſidet, eſt enim frigida & ſicca natura ſua; idcirco inflammationibus utilis & omnibus quæ reprimi & refrigerari deſiderant; adhibetur ſæpe illitione ad viſcerum fervidorum materiam concoquendam in tertianis nothis ex floribus oleo imbuto, quod etiam oculis maxime conducit. Loto hac Pharmacopæi Galli utuntur æque tuto ac Meliloto vulgari officinarum vulgo dicta.

HAL-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Lotus pentaphyllos ſiliquoſus villoſus, C. B. P. *pag.* 332. *col.* 1. *pl.* 1x. *Oxytriphyllum alterum Scribonii Largi, Ad. Lob. & Icon. Male adhibetur Oxytriphyllum alterum Scribonii pro ſynonymo hic, cum Oxytriphyllum alterum Scribonii Ad. Lob. ſit ſynonymum Loto hæmorrhoidali Parkinſoni, ſicut figura Lobelii & Parkinſoni indicat: nam Lotus hæmorrhoidalis Park. & Oxytriphyllum alterum Scribonii indicat plantam multo minorem & incanam, ſeu incana lanugine obductam; at Lotus pentaphyllos ſiliquoſus villoſus indicat Lotum Lybicam Dal. in Hiſt. Lugdunenſi, cujus figura, ſi pilis ſcateret, optime referret Lotum* πολυκέρατον *fruteſcentem hirſutam albam (à flore) majorem latifoliam ſiliquis tenuioribus & longioribus nobis ſic dictam, & Lotus hæmorrhoidalis ſeu Trifolium hæmorrhoidale Park. Oxytriphyllum alterum Scribonii Ad. & Icon. Lob. optime exprimit (à figura ab utroque prædicto authore exhibita) Lotum* πολυκέρατον *fruteſcentem incanam albam ſiliquis curtis craſſioribus, nobis, quæ omnino ſiliquæ optime referunt venas hæmorrhoidales cæcas, unde ei nomen.*

Pag. 332. *col.* 2. *pl.* 11. *Lotus ſiliquis Ornithopodii,* C. B. P. *Lotus peculiaris ſiliquoſa, Cam. Huic ſynonymum adfert Caſp. Bauhinus Lotum ſilveſtrem Dioſcoridis Ponæ. Longe fallitur; nam Lotus peculiaris ſiliquoſa Cam. folia habet triplo latiora & longiora, deinde ſiliquas multas ſimul congeſtas curvas, tumidas ubi apparent ſemina; Lotus autem ſilveſtris Dioſcoridis Ponæ folia ſua terna habet exigua, deinde binas ſiliquas tenues, planas, erectas, quæ indicant binas haſce Lotos eſſe duas diſtinctas ſpecies, uti ſupra monſtravimus. Conſule Icones utriuſque a nobis allatas.*

P. 332. *col.* 1. *pl.* 1x. *Oxytriphyllum alterum Scribonii Largi, Ad. & Icon. Lob. Inquit ibidem Caſp. Bauhinus an Lotus ſilveſtris ex codice Cæſareo, Dod. Lugd. Primo Lotus ſilveſtris ex codice Cæſareo Dod. Lugd. toto cœlo differt ab Oxytriphyllo altero Scribonii Ad. & Icon. Lobelii, cum ſiliquis tum foliorum ſtructura, ut evidenter apparet ex intuitu duarum plantarum Iconum, ergo nullus relinquebatur dubitandi locus Caſparo Bauhino. Secundo, Lotus ſilveſtris ex codice Cæſareo eſt Trifolium ſolummodo, non Lotus, quia terna tantum folia gerit in extremitate ſine duobus appenſis exortui pediculi; ergo cum non polleat conditionibus requiſitis ad Lotum conſtituendam, non debet appellari Lotus, multo minus dubitando aſſociari Oxytriphyllo alteri Scribonii Ad. & Icon. Lob. à quo longe diſtat ſuis partibus eſſentialibus.*

Pag. eadem col. 2. *pl.* 1v. *Lotus pentaphyllos veſicaria, Trifolium veſicarium ſive Halicacabum, Cam. Trifolium veſicarium, Proſp. Alpin. de Exot. Inepte dicitur Trifolium cum nullatenus ſit Trifolium à numero foliorum; ſecundo non eſt Lotus, quia nec folia, nec capſulas ſeminales Loti modo diſpoſita habet; ſed cum & folia & capſulas ſeminales Anthyllidis more gerat, debuit Anthyllis denominari, non ſolum à foliorum diſpoſitione, ſed & à fine ultimo, id eſt à modo florendi, & capſulas ſeminales producendi, ſicut nos in capite ſequenti præſtabimus.*

L E G U M I N A
Papilionacea ſiliquis bivalvibus curtis veſicæ incluſis & ſine veſica.

LOTO AFFINIS SEU ANTHYLLIS LEGUMINOSA BIVALVIS
Veſicaria & rotunda ſine veſica.

CAPUT XIV.

LOto herbæ ſiliquoſæ pentaphylleæ ſubjungemus immediate Anthyllidem leguminoſam, Loto valde affinem foliorum diſpoſitione; nam ſicut Lotus quina gerit folia, terna in extremitate pediculi, & bina ad appoſitionem pediculi cum caule, ita Anthyllis bis bina, aliquando bis terna gerit, hinc inde coſtæ mediæ binis aut ternis è regione adhærentibus, impari latiore, ampliore multo, coſtæ extremum claudente. Flores papilionacei & Loto & herbæ Anthyllidi leguminoſæ pari jure conveniunt; ſemina utriuſque, aliorum Leguminum more, Piſum, Viciam, aut Fabam reſipiunt maſticata: at ſoli inter Legumina Anthyllidi proprium eſt producere ſiliquas bivalves, veſicæ hirſutæ aut incanæ incluſas; alioquin ſiliculas ſine veſica, bicapſulares, tricapſulares, aut quadricapſulares, de quibus infra in particulari uniuſcujuſq Anthyllidis leguminoſæ explicatione diffuſius dicemus: addidimus leguminoſam, diſtinctionis gratia, quia Anthyllis vox eſt ambigua admodum apud Botanicos, ut clare infra patebit. Anthyllis leguminoſa eſt vel vulgaris noſtras, quæ variat flore luteo, albo & purpureo; nec perfecte albus, aut purpureus flos hujus jure dici poteſt, ſed extremo floris albeſcente aut purpuraſcente reperitur: vel eſt peregrina, eaque vel Hiſpanica, Cretica, aut Helvetica; de his omnibus infra patebit in declaratione ſive explicatione ſingularum ſpecierum.

Pars TABULÆ XVII.

Loto affinis Anthyllis leguminoſa *dicta*
- *Vulgaris flore*
  - 1. *Luteo, nobis.* ⊙
  - 2. *Albo, nobis.* ⊙
  - 3. *Purpuraſcente, nobis.* ⊙
- *Peregrina*
  - 4. *Hiſpanica, Park. Trifolium veſicarium, Proſp. Alpin. de Exot.* ☿
  - 5. *Siliquis hirſutis circinatis, C. B. P. Auricula muris, Cam. J. B. Chabr.* ☿
  - 6. *Cretica falcata, Park. Trifolium falcatum, Proſp. Alpin. de Exot.* ☿
  - 7. *Helvetica foliis clypeiformibus, nobis. Aſtragaloides Helvetica, Park.* ⊙

Explicatio partis Tab. 17.

1. L*oto* affinis vulneraria pratenſis, C. B. P. Vulneraria ruſtica, J. B. Chabr. Geſn. Hort. Anthyllis leguminoſa, Lob. Cluſ. Hiſt. & Pan. Authyllis Lenti ſimilis, Dod. Anthyllis prior, Lugd. Hujus radix longa, recta, lignoſa, ſapore leguminoſo: caules dodrantales, teretes, tenues, hirſuti, nonnihil rubentes: folia pinnata ſeu alata, Galegæ æmula, pinguiuſcula, inferne hirſuta modiceque caneſcentia, ſuperne ex luteo virentia, ſapore ſubdulci & ſubacri, at quæ externis floribus ſubjecta folia ſunt lata, digitata, oblonga, membranea: flores in ramulorum faſtigio glomerati, luteoli, odore nullo excellente, quorum ſinguli ex veſicula argentea lanuginoſa ſeu villoſa emicant parvi, petalo ſupremo ſeu vexillo ſic nobis dicto, reflexo; ſub quo lateralia duo parva quartum minimum, roſtrum ſtamina lutea continens, amplectuntur: flore eſt inquam luteo, rarius albo; ex Gothardo hanc vulnerariam pratenſem habuit Car. Cluſius. Paſſim flore luteo conſpicitur; poſt flores evanidos ſuccedunt ſingulis ſiliculæ bivalves, villoſæ aut incanæ; in quibus ſingulis ſemina bina, terna includuntur, quin & ſiliquæ ipſæ veſicâ argenteâ, incanâ ſeu villoſâ teguntur, atque hæc nota huic ſoli generi intermedio Leguminum eſt peculiaris, ipſumque genus particulariter diſtinctum conſtituit.

2. *Loto* affinis hirſuta herba flore ſuaverubente, C. B. P. Lotus latifolia Dal[pii]. Hiſt. Lugd. Anthyllis leguminoſa purpuraſcente flore, Cluſ. Hiſt. & Pan. Semina hujus accepit ante multos annos Carolus Cluſius à clariſſimo viro Alphonſo Pancio, quæ plantam jam deſcribendam Carolo Cluſio produxere. Radice eſt tenui, modice fibrata: foliis multis humi quaquaverſùm jacentibus, quæ ex multis aliis foliolis conſtant inæqualiter diſpoſitis, ſuprema parte grandioribus & latioribus: caule dodrantali flores multos ſuſtinente, priuſquam aperiantur ſubrubentes, cum recluſi ſunt luteos: ſemen fert parvum in brevibus ſiliquis, quarum ſingulæ veſicæ includuntur ut ſuperioris. Quidam plantam hanc Anthyllidem majorem vocant.

3. *Loto* affinis major, Anthyllis veſicaria Hiſpanica, Park. Trifolium veſicarium, Proſp. Alpin. de Exot. Loto affinis Halicacabum ſeu veſicarium Trifolium, Cam. Hort. Halicacabum ſeu veſicarium Trifolium, J. B. Chabr. Multis abhinc annis nata eſt hæc planta ex ſeminibus Proſpero Alpino miſſis, humi ſparſim procumbens, quæ folia producit binatim hinc inde alata ſeu è regione oppoſita, ad extremum coſtæ mediæ provenit quintum triplo aut quadruplo majus & longius cæterarum Anthyllidum leguminoſarum folio extremo, omnia prædicta folia albicant lanugine quadam levi, inter quæ protruduntur cauliculi craſſi, cavi, hirſuti, è medio foliorum & ex capite ſuperiore radiculæ; atque ex ſummis caulium alis oriuntur pediculi unciales, ſuſtinentes quinas, ſenas, nunc plures, nunc pauciores veſicas oblongas, hirſutas, in extremis ad acutum vergentes, inque earum extremis tanquam in calyce apparent floſculi papilionacei, luteopallidi aut potius ochroleuci, aliquid carnei coloris mixti præferentes; in quibus ſingulis veſiculis latent ſingulæ ſiliquæ bivalves, continentes bina aut terna ſemina compreſſa, ſatis craſſa pro plantæ tenuitate, ejuſdem fere guſtus cum Fœnugræci aliorumve Leguminum ſeminibus.

4. *Loto* affinis ſiliquis hirſutis, circinatis, C. B. P. Auricula muris, Cam. Hort. Auricula

muris Camerarii, J. B. Chabr. Ad Anthyllidis leguminoſæ genus pertinet etiam hæc planta, quam Auriculæ muris nomine propoſuit Camerarius, radice nixam parva, colore buxeo, ſapore dulci, ex qua caules pedales numeroſi ſatis, ſupini, in terram reclinantes, teretes, hirſuti: folia alternatim 8. caulibus exeunt mediocriter craſſa, rigidiuſcula, tactu aſpera, & piloſa, pinnata, eo quidem ordine ut extimum impar ſextuplo fere ſingulis foliis, conjugatim in coſta media diſpoſitis, majus ſit, principio anguſtiore, medio ampliore, denique in mucronem deſinens: ſapor iis aliquantulum fervidus: flores papilionacei ſunt quemadmodum in Leguminibus aliis, parvi, crocei, hirſutis viridantibus foliolis circumſepti: ſiliquæ latæ, compreſſæ, ſimiles Medicæ lunatæ, ſed paulo minores, ſibi invicem junctæ & in ſe convolutæ, hirſutæ virides adhuc, ſemen figura renis claudunt, altera parte gibboſum, altera ſinu ſculpto cavum.

5. *Loto* affinis Anthyllis falcata Cretica, Park. Trifolium falcatum, Proſp. Alpin. de Exot. Hæc Anthyllis falcata admodum eſt, verſus radicis caput folioſa; folia enim longa, lata, rotunda & aſpera, ex albo nigricantia, denſe & confertim humi procumbunt, quæ ex tenui exortu in latitudinem ſemipollicarem verſus extremum deſinunt obliquè ſeu ſemicirculariter: cauliculos ex radice protrudit plures, graciles, longos, humi ſtratos, oblique actos, quorum geniculis terna aliquando, nunc quina adnaſcuntur folia, terna ſuperius ſimul juncta & bina inferius, quæ cingunt caulem: floſculi ſunt lutei, aut ex albo pallide lutei, faſtigiis cauliculorum inſiſtunt, papilionacei; quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ membranaceæ, bivalves, in margine fimbriatæ & ſinuatæ, exterius circinatæ, unguis humani magnitudine, rotundæ, ſimul junctæ, unum eundemque exortum è caulis ſummo habentes: nititur hæc planta radicibus parvis & tenuibus.

6. *Loto* affinis Anthyllis Helvetica foliis clypeiformibus, nobis. Aſtragaloides Helvetica, Park. Hæc Anthyllidis ſpecies nil habet affine cum Aſtragalo ex doctrina noſtra univerſali, non obſtante denominatione Parkinſoni, cauliculos profert triunciales nudos, in quorum cimis naſcuntur flores papilionacei, plures in ſpicam congeſti Anthyllidis vulgaris more, ſed multo pauciores, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, veſicis membranaceis incluſæ aliarum prædictarum Anthyllidum itidem more, ut conjectura probabili nobis apparet ex foliis clypeiformibus, ſingulatim provenientibus ex radice, longiſque pediculis innitentibus, ut cernere licet in figura à nobis exhibita (verſus finem Tab. 21.) ex Parkinſono mutuata, qui deſcriptionem imperfectam & mancam offert, nec ſiliquarum earumve conſtructionis meminit, ſine quibus impoſſibile eſt determinatu ad quod genus intermedium debeat reduci quævis planta.

LOCUS & TEMPUS.

1. Anthyllis *leguminoſa vulgaris paſſim flore luteo conſpicitur in aridis & ſabuloſis agris & ad margines arvorum neglectorum. Floret Maio & Junio; & verſus æſtatis finem ſemina ſua perficit. Anthyllidem flore albo ex Gothardo habuit Car. Cluſius.*
2. Anthyllis *leguminoſa flore purpuraſcente, Cluſ. Hiſt. Ex montibus ſupra Apenninum in pratenſibus quibuſdam Junio, collectam, flore ſanguineo vel rubro, attulit Cberlerus Johannis Bauhini gener. Floret eadem tempeſtate anni cum priore vulgari.*
3. *Anthyllis Hiſpanica veſicaria, Park. Trifolium veſicarium, Proſp. Alpini. Ferrandes Imperatus ſemina hujus plantæ nomine Trifolii veſicarii ad Proſp. Alpinum miſit.*
4. Anthyllis *dicta Auricula muris, Cam. Hort. Floret menſe Auguſto & ſemina Septembri perficit. In Creta ſponte provenit, unde ejus ſemen Thymi* κεφαλάτȣ *(id eſt Thymi capitati) ſemini immixtum delatum fuit & Camerario communicatum. In Salamina inſula prope Athænas provenit teſte D. Georgio Wheeler in Peregrinationibus ſuis Aſiaticis.*
5. Anthyllis *falcata Cretica, Park. Natales indigitat nomen ipſum: floret eadem anni tempeſtate cum priore, ſcilicet Auricula Muris Camerarii.*
6. Anthyllis *leguminoſa Helvetica foliis clypeiformibus, nobis. Aſtragaloides Helvetica, Park. reperta fuit in Montibus Helveticis: floret eâdem tempeſtate anni cum duabus prædictis.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Loto *affinis vulneraria pratenſis, C. B. P. Anthyllis leguminoſa, Lob. Cluſ. Hiſt. Anthyllis prior, Lugd. Hiſt. Vulneraria ruſtica, J. B. Chabr. Hanc denariorum* 4. *pondere epotam cum vino albo*

urinæ difficultatibus & renibus plurimum prodeſſe ſcribit Dioſcorides: tritam vero cum roſaceo & lacte uteri inflammationes emollire impoſitam; vulvis utiliſſimam torminibuſque & ſecundinarum moræ, in vino potam, refert Plinius. Galenus utramque Anthyllida modice ſiccare ait. De nominibus ſatis ſupra dictum.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag.* 332. *col.* 2. *pl.* 1. *Loto affinis Ægyptiaca, C. B. P. Abſus, Alpini. Nec habet folia, multo minus flores aut capſulas ſeminales Anthyllidis, aut Loto affinis, ergo non eſt Anthyllis leguminoſa, nec Lotus, à foliorum aut capſularum ſtructura; eſt enim planta heteroclita, ergo male inter Loto affines plantas à Caſparo Bauhino locatur.*

TRIFOLIA
pentapetala acida.

TRIFOLIUM PENTAPETALUM ACIDUM SEU ACETOSUM, Oxys ſeu Oxytriphyllum.

CAPUT XV.

Oξυτρίφυλλον *quibuſdam dicitur ab acido ſapore & forma Trifolii: Oxys Plinio l.* 27. *c.* 12. *folia terna habet.* Dicitur etiam nobis Trifolium acidum pentapetalum à quinario numero petalorum in floribus.

Pars TABULÆ XVII.

Trifolium pentapetalum acidum ſeu acetoſum
- 1. *Vulgare*, *Flore*
  - *Albo.* ⊙
  - *Purpuraſcente.* ⊙
- *Corniculatum luteum*
  - 2. *Minus repens & procumbens, nobis. Oxys Pliniana, Geſn. Ad. & Icon. Lob.* ⊙
  - 3. *Majus rectum Indicum ſeu Virginianum, nobis.* ⊙

Explicatio partis Tabulæ 17.

1. T*Rifolium* acetoſum vulgare, C. B. P. Trifolium acetoſum, Fuch. Dod. Lugd. Eyſt. Oxys Pliniana, Geſn. Ad. & Icon. Lob. Oxys alba, Tab. Ger. Hæc eſt herba humilis, cujus pediculi è radice exeunt tenues, quibuſque ſingulis terna inſident foliola exigua, tenuia, etiam pallide virentia, ſapore acida; atque eorum ſingula cordis effigiem quadantenus referunt: flores in brevibus pediculis oriuntur & inter folia ex radice orta proſiliunt, candidi utplurimum, aliquando purpuraſcentes, pentapetali; quos ſequuntur capitula Ochri fructui paria, pentagona, & quinque loculamentis diſtincta, in quorum ſingulis plurima ſemina minuta latent: radix tenuis, obliqua, ruffa, & diu vivens. Trifolium acetoſum & Oxys dicitur ab aciditate; in officinis etiam panis cuculi nominatur, quod vel cuculus avis eo veſcatur, vel quod hoc erumpente ac florente cuculus appareat vocemque edat, quo etiam tempore Alleluja in templis cani conſuevit.

2. *Trifolium* acetoſum corniculatum luteum, minus, repens, & etiam procumbens, nobis. Oxys flore flavo, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Oxys lutea & corniculata repens, Lob. Lugd. Ad Trifoliorum claſſem, ſed non Leguminoſorum pertinet elegans hæc plantula, quæ ramulos dodrantem pedis longos, imo breviores aliquando, graciles, rotundos, rubentes, nodoſos, per terram procumbentes, & ſubinde ad ſingulos nodos ſeu genicula radices agentes, novoſque ſurculos & ramos proferentes: folia illi Oxydis vulgaris, terna in ſingulis petiolis, cordata etiam, ſed minora & magis pallide virentia, acidi ſaporis, quæ ſub veſperam & ingruente

 imbre

imbre complicantur & veluti in umbonis cujuſdam figuram coeunt: (hoc Trifoliis leguminoſis, uti ſuperius dictum, cum Trifoliis hiſce acetoſis eſt commune) flores in oblongis pediculis terni aut quaterni ſimul naſcuntur, quinis petalis ſtellatim decuſſatis conſpicui, vulgaris ſupra deſcripti minores, flavi coloris, quibus fatiſcentibus ſuccedunt cornicula oblongiora, mucronata, ſemiuncialia & ſeminibus ruffis & exilibus plena; quæ quinis loculamentis ſeu regionibus diſtincta, per maturitatem flaveſcentia (dehiſcentibus corniculis ipſis) exſiliunt, & ſparſim per terram ſtrata repentes novellas plantulas, inſequente anno flores & ſemina prolaturas, generant: radix tenuis & capillata ſeu fibroſa diu repende durat, atque in multos annos ex eadem radice ſemina renovat, quin & ſemine maturo ſiliquæ prædictæ quinque loculamentis diſtinctæ, tactæ illico contrahuntur fundentes ſemina, ex quibus affatim procreantur plantulæ novellæ.

3. *Trifolium* acetoſum corniculatum luteum majus rectum Indicum ſeu Virginianum, nobis. Hujus cauliculi recti ſunt, ſeu rectà aſcendunt ad pedalem altitudinem: folia, flores, & cornicula ſeu ſiliquas pentagonas, prioris æmula, ſed majora fert, Oxyos luteæ prædictæ minoris repentis quoad omnes ſuas partes multo majora. Deinde hæc eſt peregrina ſeu exotica planta, repens itidem radice, non autem caulibus procumbentibus, ſed rectis donata; unde ſpecifice diſtinguitur à minore noſtrate repente, ſupra explicata, juncta amplitudine ſeu magnitudine partium.

LOCUS & TEMPUS.

1. Trifolium *acetoſum vulgare album & purpureum, nobis. Oxys Pliniana, Geſn. Hort. Ad. Lob. Naſcitur in locis ſilvoſis humidioribus atque umbroſis, juxta arborum vetuſtarum ſeu annoſarum radices ſæpe, aquoſa & ſubinde petroſa amat loca; paſſim in Germania utraque, Gallia, Italia, Anglia, Belgioque, in ſilvis & humidis umbroſis ſatis frequens; Aprili & Maio floret, cui ſemen cito poſt ſuccedit.*

2. Trifolium *acetoſum corniculatum luteum minus repens & etiam procumbens, nobis. Oxys flavo flore, Cluſ. Hiſt. In umbroſis circa Hiſpalin locis naſcitur: olim ſimilem vidiſſe meminit Cluſius ad mœnia urbis Monſpelii. Nos frequentem ſatis hanc Oxim luteam repentem in ſaxoſis & ſqualidis circa Nanetem locis, ſponte provenientem obſervavimus (dum eò profecti ut oram maritimam Armoricæ viſeremus, atque omnes plantas maritimas, cùm in continente, tum in Inſulis eidem adjacentibus examinaremus, ſaltem quæ nobis in conſpectum ſeſe dedere, ut cum vivaces ipſas, tum annuarum ſemina, in hortum Blæſenſem inferremus;) hoc nobis in mandatis datum anno Dom. 1658. à ſereniſſimo Principe Gaſtone Franciæ Gallorum Regis patruo, cujus horti ſupellectilem numeroſam tunc temporis mirabar, dum (Tyrocinio in medicina Pariſiis facto) Sereniſſimo prædicto Principi in herciſcundis & trutinandis diverſarum plantarum ſpeciebus operam darem. Magnifici Gaſtonis opus certe mirandum inviſentibus & intelligentibus nunquam ſatis & plene laudandum apparuit, cujus aliquot abhinc annis catalogum exhibui: nunc totius Europæ, cum aliquot Aſiaticis, Africanis, & Americanis plantis penum integrum vegetabilium omnium in medium proferre decrevi, ut obſervent poſteri, in arte docti, nos omnes omnium generum plantas ad methodum veram & genuinam reduxiſſe: ivi præ, ſequantur alii mea veſtigia, nec impoſterum in tenebris cimmereis, id eſt ſumma confuſione, verſabuntur.*

3. Trifolium *acetoſum corniculatum luteum majus rectum Indicum ſeu Virginianum, nobis. Semina hujus ex America & Virginia multiſque Inſulis iis proximis, ditioni ſereniſſimi D. D. noſtri Caroli ſecundi ſubjectis, paucis abhinc annis habuimus. Floret eodem tempore (ſæpe tardius) cum priore minore luteo repente, atque ſub finem æſtatis utrumque hoc Trifolium corniculatum ſemina perficit, eaque longe & late ſatis ſparſim projicit, quibus ſingulis annis ſeſe utrumque propagat.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Trifolium *acetoſum vulgare datur ad ſtomachum diſſolutum, beneficio cujus reſtituitur ad tonum ſuum, edant qui enterocelen habent. Temperiem frigidam & ſiccam Oxys habet, putridis ac fætidis oris ulceribus medetur, ſitim arcet, atque eadem quæ Oxalis ſeu Acetoſa poteſt.*

NOMINA.

1. Trifolium *acetoſum vulgare, C. B. P. Trifolium acetoſum, Brunsf. Dod. Matth. Lugd. Trifolium*

lium acetoſum, Calabris Juliola (ridicule Barbari corrupere in Alleluja ; Scalg. in Theoph. de Cauſis) Oxys, Fuch. Tur. Cam. Alba, Tab. Ger. Oxys Pliniana, Geſn. Hort. Ad. Lob. Oxytriphyllon, Trag. Panis cuculi, Brunſf. Alleluja, Lacun. Lon. Lujula, Fracaſt. Variat colore floris, flos communiter lacteus eſt, rarius purpuraſcens, unde Oxys ſeu Trifolium acidum flore albo & purpuraſcente, Eyſt.

2. Trifolium *acetoſum corniculatum luteum minus repens ſimul & procumbens, nobis. Trifolium acetoſum corniculatum, C. B. P. Trifolium acetoſum flore luteo, Caſt. Eyſt. Oxys flore flavo, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Dod. Tab. Oxys, Cæſ. Ger. Oxys lutea corniculata repens, Lob. Icon. Lugd.*

3. Trifolium *acetoſum corniculatum luteum majus rectum Indicum, nobis.*

TRIFOLIA
Pentapetala Fragifera ſeu Fragaria veſca, & minime veſca.

§ 1. TRIFOLIUM FRAGIFERUM, ſeu FRAGARIA VESCA.

CAPUT XVI.

F*Ragaria à fragro, ideſt odorem reddo, dicta videtur:* κόμαρον *Apulei cenſetur: inter Pentaphylla flore albo* (nos potius pentapetala intelligeremus, cum ternis tantum Fragaria donetur foliis, at numero petalorum convenit Fragaria cum Pentaphyllo & Heptaphyllo.) *Dioſcoridem intellexiſſe volunt: & quia Mora terreſtria Servio dicta fuere, ſunt qui ad Chamæbatum referant. Plinio l. 25. c. 9. Fraga. Rubus Idæus non ſpinoſus quibuſdam.*

Genera: alia montana & ſilveſtria, in montibus & ſilvis nata: alia ſativa, quæ in hortis culta, fructus magnitudine, figura oblonga, rotunda, & colore rubro & albo variat.

Pars TABULÆ XIX.

Trifolium pentapetalum fragiferum ſeu Fragaria—
- *Fragifera ſeu veſca*
  - 1. *Vulgaris minor* — *Fructu*
    - *Rubro.* ⊙
    - *Albo.* ⊙
    - *Medio inter rubrum & album.* ⊙
    - *Toto ſubalbido.* ⊙
    - *Bis in anno maturo.* ⊙
    - *Phœniceo, duplice ſerie petalorum in flore, nobis. Fragaria Anglica flore ſemipleno, Jacob. Zanoni.* ⊙
  - *Hortenſis major*
    - 2. *Parvi Pruni magnitudine, Eyſt.* ⊙
    - 3. *Virginiana fructu coccineo, nobis.* ⊙
    - 4. *Flore herbaceo, fructu ſpinoſo, nobis. Fragaria arborea flore herbaceo, Jacob. Zanoni.* ⊙
- *Sterilis ſeu minime veſca*
  - 5. *Hirſuta minima incana, nobis. Fragaria ſilveſtris minime veſca ſeu ſterilis, Icon. Lob.* ⊙
  - 6. *Sericea ſeu incana, nobis. Incana ſeu Pentaphylli effigie, an Leucas Dioſcoridis, Ad. Lob.* ⊙
  - 7. *Helvetica nana flore luteo, nobis. Helvetica nana, Park.* ⊙

Fragaria pro nota generica hanc habeto, quod florem producat pentapetalum; hoc ipſi cum Pentaphyllo aut Heptaphyllo in genere eſt commune, at ex calyce florum proveniunt Fraga, ſive rotunda, ſive longa, rubra ſive alba, ex pluribus quaſi veſiculis conflata & arcte ſibi invicem conjuncta, cum pulpa aquea dulci, & ori grata, & eo nomine Fragaria veſca à Fragaria non veſca, & à Pentaphyllo ſeu Heptaphyllo & Pentaphylloide (quippe ſemina arida ſine pulpa aquea in calyce gerunt) diſtinguitur; deinde folia producit hirſuta, rugoſa, ternatim juncta pediculi extremo, quod non cernere licet in Pentaphyllo ſeu Heptaphyllo & Pentaphylloide.

Explicatio partis Tab. decimænonæ.

1. F*Ragaria* vulgaris, C.B.P. Fragaria fructu rubro, Eyſt. Fragaria, Matth. Trag. Fuch. Dod. ut. Geſn. Hort. Lob. Icon. Lugd. Ger. Inter herbaceos fructus Fraga quoque locum obtinent, quorum herba pediculos tenues & hirſutos, quandoque lanuginoſos à radicibus promit, quorum alii folia, alii floſculos proferunt, deinde à caulibus, eorumque geniculis fibras quaſdam proſerpentes demittunt in terram, quibus ſeipſam multiplicat: folia autem in uno pediculo terna, oblonga, lata, per circumferentiam ſerræ modo inciſa, ſuperius virentia, hirſuta, aſpera & rugoſa, inferius albicantia, quorum ſingula majora & latiora quam Pentaphylli folia: flores plurimi ab uno pediculo exeunt albidi, pentapetali; multis ſtaminulis luteis medium floris occupantibus, atque ſingulos flores ſingula ſubſequuntur Fraga granulatim & rotatim ſeu conglobatim coacervata, exterius granulis exaſperata, exiguis Moris quodammodo ſimilia, colore rubentia, quandoque candida, guſtu vinoſo, ſuavia, quorum interior pulpa mollis, humida, & alba, ex multis veſiculis pelliculatis conflata, ſingulis ſingulos acinos arilloſve, id eſt grana puſilla in ſe continentibus, ex quibus ſatis de novo tota planta individua renaſcitur: radix diuturna ſeu vivax, ſubnigricans, multis fibris capillata. Fragaria vulgaris eſt vel fructu rubro, albo, vel medio inter rubrum & album. Fragaria Anglica duplici petalorum ſerie, nobis. Hæc duplicem aut triplicem habet petalorum ſeriem in ſingulis floribus, quibus ſingulis ſuccedunt Fraga elegantis rubicundi coloris. Naſcitur in ſilvis opacis, nec non in dumetis, paſſim in montibus, non raro in collibus & ſilvis, ſed magis proficit in hortis. Fragaria bis fructum ferens, C. B. P. Fragariæ genus in Alpibus, Cæſ. Hæc in Bargeis Alpibus viſa fuit bis in anno fructificans, Vere ſcilicet & Autumno; ejus fructus modice compreſſus & ſtriatus eſt, ſapore Rubi Idæi: omnes Fragariæ poſtquam fructum perfecerint, alios cauliculos ferunt tenues ac ſimplices, quorum cacumina ad terram inclinata radicant & folia producunt, quo modo veluti ſobole propagantur. Expetuntur in cibis Fraga, quorum gratia ubique terrarum in hortis coluntur.

2. *Fragaria* major fructu parvi Pruni magnitudine, C.B.P. Fragaria magno fructu, Eyſt. Hæc folia habet majora, rugoſiora, hirſutioraque, fructum majorem, parvum Prunum magnitudine æquantem.

3. *Fragaria* Virginiana fructu coccineo, nobis. Folia habet majora, glauca, profundius laciniata, longis pediculis inſiſtentia & longius latiuſque per terram ſtrata: fructum gerit ſatis magnum, eſu gratum.

4. *Fragaria* major veſca flore herbaceo, fructu ſpinoſo, nobis. Fragaria arborea flore herbaceo, Jacob. Zanoni. Hæc folia tergemina profunde ſerrata vulgaris more habet, ſed majora & hirſutiora, ſeu magis incana; ex meditullio foliorum inferiorum, coacervatim è terra ortorum, protruditur cauliculus rectus, ligneus quaſi, & cubitum altus, qui ſurſum verſus dividitur in binos, aliquando ternos ramuſculos, umbellatim quaſi diſpoſitos, & ex nodis ramuſculorum foliola ſimilia inferioribus quoad figuram gerit, ſed minora, quæ non obſervantur ſic diſpoſita in Fragaria vulgari: in ſummis ramuſculorum faſtigiis proveniunt floſculi herbacei, ejuſdem quaſi coloris cum foliis, in quorum medio producuntur fructus inter rubrum & viridem colorem, multis hiſpidis viridibus pilis ſcatentes, forma accedentes ad conum, ſeu potius in figuram coniformem faſtigiati ſunt.

§ 2. Trifolia pentapetala, ſeu Fragaria minime veſca.

5. *Fragaria* ſterilis ſeu minima veſca hirſuta minime incana, nobis. Fragaria ſilveſtris minime veſca ſeu ſterilis, Lob. Icon. Radice nititur ſatis craſſa, cortice ruffo aſtringente obductâ, multis hinc inde enatis fibris capillatâ; ſarmentis vero ſuis per terram ſerpentibus, tenuiſſimarum fibrarum productione multas denuo radices agens: folia humi fuſa habet, tripartita, in ambitu ſerrata, molli lanugine ſupra ſubtuſque caneſcentia, ex hirſutis pediculis duas uncias longis, ad exortum gemina utrinque mucronata membranula eleganter alatis: coliculus teres, hirſutus, uno aut altero folio tripartito ſtipatus, ſextantalis: floſculum ſuſtinet pulchellum, candidum, inodorum, pentapetalum, ex calyculo decem mucronatis, hirſutis folliculis donato: in medio ſtaminula plurima; ſemina ex capitulis, Pentaphylli capſulis omnino ſimilibus, (unde neutiquam hæc ſterilis à Fragifera ſilveſtri differt niſi fructu non pulpoſo) atque omnino quoad florem & capſulam ſeminalem & ſemina convenit cum pentaphyllo & pentaphyl-

pentaphylloide proinde pentaphylli ſpecies Fragariæ ſterilis ſpeciebus in hoc capite contentis adjunximus. Naſcitur in aridioribus & graminoſis agrorum & ſilvarum limitibus, etiam aliquando in humectis pratis reperitur: fructum fert Phœniceum injucundi ſaporis.

6. *Fragaria* ſterilis ſilveſtris ſericea ſeu incana, nobis. Incana pentaphylli effigie aut Leucas Dioſcoridis, *Ad.* Lob. Fragariæ affinis ſericea incana, C. B. P. & Prod. Radice eſt nigricante, ex qua folia plura, Fragariæ ſilveſtris ſimilia, ſed longe minora, unguem humanam vix excedentia, craſſa, utrinque incana, molli & ſericea lanugine tecta, in tres lacinias uſque ad pediculum diviſa & ſuperne crenata: ramulos habet breves, reclinatos, flores ſuſtinentes, parvos, luteos, ſtellatos; quibus capitulum calyce quinquefoliato ſuſtentatum, minutum ſemen continens, ſuccedit. Hanc à Dom. Albino accepit Caſp. Bauhinus, qui eam in Granadæ ſaxoſis collegit; nos copioſe in ſilvis adjacentibus Pictavio reperimus.

7. *Fragaria* Helvetica nana, Park. Fragaria minima ſeu nana flore luteo, nobis. Cauliculis nititur hæc curtis, imo cuiuſlibet hujus claſſis brevioribus, vix quatuor uncias excedentibus, quibus tergemina adnaſcuntur folia, cum cauliculis ipſis humi ſtrata: in ſummis cauliculorum naſcuntur flores ſingulares utplurimum, lutei & majores quam pro proportione plantæ; fructum nondum viderat Geſnerus. Provenit in montibus Helveticis. Omnes hæ Fragariæ ſpecies florent ineunte æſtate ac ante mediam æſtatem fructum perficiunt ſuum. Nomina ſatis ſuperque patent ſupra

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Coqui authore Trago ex Fragis pulticulas utiliſſimas conficiunt, quæ ob refrigeratoriam vim inflammatione laborantibus rectius, quam ſuccus, exhibentur, aqua è fragis diſtillata præſtantiſſimo eſt remedio interius quibuſvis jecoris & pulmonis aliiſque totius corporis inflammationibus ſitique reſtinguendæ; ad eadem fraga ipſa commanſa faciunt, aqua fragorum diſtillata & ratione bibita cor confortat, vitia thoracis expurgat, morbum arcuatum diſcutit, ſanguinem purgat & emendat. Aqua fragorum ulceribus oris & anginæ gargarizatu anxiliatur: eadem faciei ruborem & maculas tollit collutu: ulcera tibiarum hac aqua ablui & purgari debent, linteolis in ea madefactis & ſemper in illis impoſitis, nonnulli ad oculos collyria ex fragis conficiunt, nam ſal illis admiſcent poſteaque diſtillant: alii fraga cum ſale æneo vaſe recondunt ac per triduum cellæ vinariæ committunt quoad in viridem aquam mutentur, ea poſtea ad oculorum ſuffuſionem utuntur. Succus igitur fragorum expreſſus ad multa utilis. Fragariam calidam & ſiccam in ordine ſecundo tradit Fuſchius. Alii frigidam & ſiccam in primo ordine. Fructus inquit Cæſalpinus refrigerant & humectant, picrocholis & ſiticuloſis conveniunt, ſed copioſiore cibo caput tentant & inebriant: aqua ex fructibus maturis diſtillata bibitur ad ſanguinem contemperandum iis qui ſcabie & lepra laborant.

F R A G A R I Æ

affines pentapetalæ, pentaphyllum ſeu heptaphyllum.

§. 3. PENTAPHYLLUM ſeu HEPTAPHYLLUM ſive TORMENTILLA.
Flore pentapetalo luteo, albo & purpureo, & tetrapetalo luteo.

Πεντάφυλλον (*quod nomen à numero foliorum habet, item &* ἑπτάφυλλον) *Dioſcorides l.* 4. *c.* 42. *propoſuit, cui folia ſint Menthæ, quina ſingulis pediculis aliquando ſeptena, raro plura, in ambitu ſerrata, flores ex candido palleſcentes habet, auri æmulos: radice ſubrubra, oblonga, &c. ſic & Theophraſto* 9. *Hiſt.* 14. πεντάφυλλον *ubi Gaza quinquefolium & quinquepetam vertit. Et Plinius l.* 25. *c.* 9. *quinquefolium nulli ignotum eſt. Græci vocant Pentapetes ſive Chamæzelon ſive Pentaphyllon.*

HEPTAPHYLLON ſive TORMENTILLA.

Tormentilla *quod radicis pulvis cum aluminis & Pyrethri momento, cavis dentium inditus dentium tormentum ſive cruciatum ſedet: quam alii Pentaphyllis, alii Biſtortis adnumerant: ſunt qui Chryſogonum Dioſcoridis ſuſpicantur; Heptaphyllon, id eſt ſeptifolium à quibuſdam, à foliorum numero, nominatur.*

Pen-

Pentaphyllum ſeu Heptaphyllum pro nota generica habet hanc, quod ſemper quina aut ſeptena producat folia ſive ſit majus ſive minus, cujuſcunque magnitudinis aut coloris, & quina petala (id eſt folia in flore:) in hoc convenit cum Fragaria ſterili, ſicut etiam capſula ſeminali ex 5. foliolis hirſutis compoſitâ, plurima minuta ſemina ruffa ſeu ſubfuſca in ſinu continente.

Pars TABULÆ XIX.

Pentaphyllum ſeu Heptaphyllum
- *Majus rectum*
  - *Luteum*
    - 1. *Montanum*
      - *Flore*
        - *Majore, nobis. Quinquefolium majus Theophraſti, Tab.*
        - *Minore, nobis.*
    - 2. *Canadenſe flore luteo majore folio ſaturatius virente, nobis.*
  - 3. *Albopallidum ſeu flore ochroleuco petalis ſingulis cordatis, nobis.*
  - 4. *Rubrum paluſtre, nobis. Quinquefolium paluſtre,* Cam.
- *Minus*
  - *Rectum flore albo*
    - 5. *Subtus incanum, nobis. Pentaphyllum album, Matth.*
    - 6. *Hirſutum, nobis. Quinquefolium alterum flore albo, Cluſ. Hiſt.*
  - *Procumbens flore luteo*
    - 7. *Vulgare radiculas emittens ex geniculis, nobis. Pentaphyllum vulgatiſſimum, Park. Quinquefolium* 1. *Cluſ.*
    - 8. *Incanum radiculas in terram demittens, nobis. Quinquefolium* 3. *Cluſ. Hiſt.*
    - 9. *Lanuginoſum radiculas ex geniculis in terram demittens, nobis. Quinquefolii 4ti 1a ſpecies, Cluſ. Hiſt.*
    - 10. *Magis villoſum foliis profundius ſerratis, nobis. Quinquefolium 4ti 2da ſpecies, Cluſ. Hiſt.*
    - 11. *Foliis profunde ſectis ſubtus argenteis, nobis. Quinquefolium Tormentillæ facie, Ger.*
    - *Tetrapetalo*
      - 12. *Viride, radiculas in terram demittens, nobis.*
      - 13. *Tormentilla, nobis. Tormentilla vulgaris, Park.*

Explicatio partis Tab. decimænonæ.

1. P*Entaphyllum* ſeu potius Heptaphyllum majus luteum montanum flore majore, nobis. Quinquefolium majus Theophraſti, Tab. Quinquefolium alterum vulgare, Dod. Pentaphyllum majus erectum, Cam. Park. J. B. Chabr. Huic ſunt caules cubitales & altiores, plures, duri, rigidi, recti, teretes, ſubrubentes, villoſi circa ſummum, in aliquot alas modo longas, modo breves diviſi: folia hirſuta Alceæ fere æmula, variante diviſura quintuplici, ſeptuplici, ſingulis ſegmentis profunde ſerratis: flores odore Agrimoniæ, quinis petalis obtuſis conſtantes, colore luteo pallido, nunc intenſiore, nunc dilutiore, albo interdum; ſingulis floribus deciduis ſuccedunt capſulæ calyculatæ, in margine plurifariam diviſæ, in quarum fundo continentur plurima minutiſſima ſemina rotunda, fuſca aut ſubruffa: flore eſt aliquando majore, aliquando minore; folia etiam gerit majora, minus laciniata, aliquando minora & magis laciniata.

2. Eſt & Canadenſe humilius cujus folia ſaturatius virent, floſculos magnos luteos & conſequenter capſulas majores aliorum more gerit.

3. *Pentaphyllum* ſeu Heptaphyllum albopallidum ſeu flore ochroleuco petalis ſingulis cordatis, nobis. Hæc Heptaphylli ſpecies eſt humilior, cujus folia ſunt dilutius virentia, hirſutiora; & flores ſulphurei ſeu albopallidi ſunt coloris cum deliquio cordis forma in medio uniuſcujuſque petali.

4. *Penta-*

4. *Pentaphyllum* ſeu Heptaphyllum majus rectum rubrum paluſtre, nobis. Quinquefolium paluſtre, Cam. Hort. Eyſt. Pentaphyllum vel potius Heptaphyllon flore rubro, J. B. Chabr. Pentaphyllum paluſtre, Lob. Icon. Ger. Pentaphyllum rubrum, Lugd. Hiſt. Quinquefolium paluſtre ſive aquaticum, Tab. Hoc Pentaphyllum ſeu Heptaphyllon paluſtre rubrum valde prolixas habet radices, fœcundo reptatu luxuriantes, rubentes, lignoſas, fibris capillatis aliquot donatas: folia habet quina aut ſeptena Pentaphylli vulgaris, non eo ordine ſita, ſed in alis ſeparatis diſpoſita, ſubtus incana, hirſuta, ſuprema parte viridantia, profunde per ambitum ſerrata, pediculo non admodum longo nixa, quorum unum in vaginam amplam degenerat, caulem amplectentem: caulis flores gignit magnos, amplos, rubentes, ex quinque vulgariter, nonnunquam ſex petalis compoſitos, cum concoloribus apicibus & turbinato capitulo, Fragariæ ſterilis æmulo.

5. *Pentaphyllum* minus rectum ſubtus incanum flore albo, nobis. Pentaphyllum majus flore albo, Eyſt. Pentaphyllum album, Matth. Ad. Lob. Pentaphyllum ſeu Quinquefolium 1. Cluſ. Hiſt. & Pan. Quinquefolium ſilvaticum majus flore albo, Ger. Quinquefolium majus candidum, Fuch. Quinquefolium album majus alterum, C.B.P. Hoc folia habet multa, Quinquefolio vulgari ſimilia, in quinque partes uſque ad pediculum diviſa, in ambitu minime ſerrata ut illa, ſed extremis duntaxat oris, ſubtus incana lanugine pubeſcentia, guſtu initio gummoſo & emplaſtico, deinde nonnihil amaricante: aliquot ſub his oriuntur cauliculi exiles, & tenues, dodrantales & ſurrecti, in ſummo ternos & quaternos flores proferentes, Pentaphylli vulgaris ſimiles, ſed prorſus albos, quibus excuſſis apparet calyx lanugine obductus, ſemen continens planum Ranunculi fere æmulum, in rudimentum Fragi congeſtum: radix craſſiuſcula, nigricans, in ambitu ſeſe diffundit, & multis fibris donatur.

6. *Pentaphyllum* minus erectum hirſutum flore albo, nobis. Quinquefolium minus alterum flore albo, Cluſ. Hiſt. & Pan. Hoc ex eadem radice, quæ nigra eſt, multos cauliculos proferre ſolet, foliolis hirſutis, ſecundum radicem confertim naſcentibus, forma ſuperioris ſimilibus onuſtos, graciles non humi fuſos ſeu procumbentes, ſed rectos, & ſummo faſtigio multos floſculos prioris ſimiles, albos; eſtque ſuperioris ſpecies, ſed per omnia minor.

7. *Pentaphyllum* minus procumbens flore luteo vulgare radiculas emittens ex geniculis, nobis. Pentaphyllum vulgatiſſimum, Park. Pentaphyllum ſive Quinquefolium vulgare repens, J. B. Chabr. Quinquefolium majus, Dod. Quinquefolium, Ger. Quinquefolium majus, Fuch. Lugd. Pentaphyllum Dioſcoridis, Tab. Hoc non ſecus ac Fragaria flagellis ſuis cubitalibus, teretibus, hirſutis & rubentibus ſerpit: folia minora Fragariæ, quinquepartita, magna, hirſuta, ſingulis ſegmentis in ambitu altis inciſuris ſerratis donata, pediculis quadrantalibus innixa, guſtu viſcido: flores Potentillæ, lutei, quinque petalis conſtant, latiuſculis apicibus in medio croceis, quinque foliis virentibus, in ſingulis pediculis palmo longioribus inſidentibus; capſulæ ſuperveniunt exiguæ, minutis ſeminibus repletæ, quæ, cum pericarpio ſpoliantur, acetabulo florem tegente proteguntur: radix longa craſſitudine culmi, colore rubro, ſapore aſtringente & exſiccante, exſiccata quadrata evadit, quod notatu dignum, adde quod clemata ejus adeo avide terram appetunt, ut viſa fuerint deſcendere à ſummo muro ſecus eundem ſpacio 8. pedum & amplius quærentia terram, atq; in eadem reperta, ibidem radicantia.

8. *Pentaphyllum* minus incanum Alpinum flore aureo radiculas in terram demittens, nobis. Quinquefolium Alpinum repens aureum, C. B. P. Quinquefolium 3. Cluſ. Hiſt. & Pan. Minus hoc Quinquefolium ex radice fibroſa & nigricante ramos promit, humi ſe ſpargentes & ſubinde alias oblongas fibras agentes; qui rami ſummo capite multa folia proferunt, Pentaphylli vulgatioris fere ſimilia, in quinque profundas inciſuras diviſa (quarum ſingulæ inſtar vulgaris Quinquefolii per oras ſerratæ ſunt) molliora tamen, aliquantulum incana & ſplendentia, aſtringentis guſtus; ex horum medio cauliculi exeunt palmares, multifidi, qui pro plantæ exilitate ſatis magnis floribus præditi ſunt, eleganti plane & aureo colore, multis intus croceis ſtaminibus: capſula ſeminalis & ſemina ibidem contenta, aliorum Pentaphyllorum more in Fragi rudimentum congeſta, fuſca ſunt & exilia.

9. *Pentaphyllum* minus lanuginoſum flore luteo radiculas ex geniculis in terram demittens, nobis. Quinquefolium minus repens lanuginoſum luteum, C. B. P. Quinquefolii 4ti 1a ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Huic minori Pentaphyllo multa exeunt ab una radice capita ramoſa, humi fuſa, aliquot foliis, Pentaphylli vulgaris & elatioris forma ſimilibus prædita, hoc eſt quæ quinque foliolis, in ambitu ſerratis, mollique lanugine pubeſcentibus, conſtant, ſed non ut illa incanis; guſtu initio exſiccante, deinde linguam vellicante; ex iis capitibus prodeunt dodrantales cauliculi, ſimilibus, ſed minoribus foliis ornati, geſtantes in ſummo multos

B b flores

flores, luteos, elegantiſſimos, quinque petalis ut ſuperiores conſtantes, medium florem occupantibus multis luteis ſtaminulis: ſemina multa in caput veluti Fragi rudimentum congeſta, fuſca: radix longa, dura, ſatis craſſa, foris nigricans & tenuibus fibris donata eſt: ſed & rami illi humi fuſi plerumque fibras agunt & vicina occupant.

10. *Pentaphyllum* minus magis villoſum flore aureo foliis altius ſerratis, nobis. Quinquefolium minus repens aureum, C. B. P. Quinquefolii 4ti 2a ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Eſt hoc Pentaphyllum minus ſuperiore nono, frequenter humi fuſum ſimiliter, cujus cauliculi non virent ſed purpuraſcunt, & graciliores ſunt: folia anguſtiora magis villoſa, in oris magis ſerrata: flores etiam ſaturatius aurei coloris, cætera conveniunt & prius nonum & hoc.

11. *Pentaphyllum* foliis profunde ſectis ſubtus argenteis flore luteo, J. B. Chabr. Quinquefolium folio argenteo, C. B. P. Quinquefolium petræum majus, Tab. Quinquefolium Tormentillæ facie, Ger. Hujus radix in numeroſa capita dividitur, rubens, lignoſa, ſatis craſſa, ex quibus ſingulis caules recti attolluntur, rigidi, robuſti, ſemipedales, lanugine alba penitus obducti, quâ deraſâ rubri apparent: folia partim â radice longis pediculis appenſa oriuntnr, partim ex caule, ſubtùs penitus incana & villoſa, ſuperius viridantia, in quinque primarias lacinias breves diviſa, quarum unaquæque rurſus ſubſecatur: caulis in multos ſurſum verſus dividitur ſurculos, tenues ſeu ramuſculos exiles, quibus flores inſident ſatis magni pro tenuitate plantæ, lutei, è calycibus laciniatis, albidis, lanuginoſis itidem, exeuntes.

12. *Pentaphyllum* minus viride flore aureo tetrapetalo radiculas in terram ex geniculis demittens, nobis. Hæc Pentaphylli minoris ſpecies convenit cum 7. 8. & 9. in hoc, quod cauliculi ejus per terram ſtrati radiculas fibroſas in terram dimittant, at ab illis differt numero petalorum quibus ſolummodo accedit ſequenti, Tormentilla authoribus dicto: ideo hoc Tormentillæ adjunximus propter conformitatem in numero petalorum; & hoc Pentaphyllum & Heptaphyllum Tormentilla dictum aliquando, ſed rariſſime, ex millibus unum florem producit pentapetalum.

13. *Pentaphyllum* aut potius Heptaphyllum flore aureo tetrapetalo Tormentilla dictum, nobis. Heptaphyllum, Fuch. Tur. Lon. Geſn. Hort. Tormentilla ſilveſtris, C. B. P. Tormentilla vulgaris, Park. Tormentilla Trag. Matth. Dod. ut. Ad. & Icon. Lob. Lugd. Tab. (cui & conſolida rubra) Ger. Eyſt. J. B. Chabr. Tormentilla hæc oritur ex radice craſſa, tuberoſa, pollicem magnitudine ſuperante, alias recta, alias in obliquum acta, rubente, fibroſa, ſeu ex tubere fibras emittente (ſapore aſtringente) ex qua viticulos plures emittit, humi fuſos, nonnihil ſubinde erectos, ſemicubitum longos, hirſutos rubeſcentes, tenues, in quibus ex intervallis ad ſingula genicula exeunt, folia caulem ambientia Pentaphylli more, paululum hirſuta, ſed diviſura ſeptemplici: flores lutei, parvi, tetrapetali: hoc illi ſolummodo & Pentaphyllo minori 12mo ſupra explicato familiare inter Pentaphylla aut Heptaphylla omnia hujus claſſis. In hujus cauliculo obſervatur aliquando adnatum tuberculum ſeu tuberoſum excrementum, concretione pomorum quercinorum inſtar, in cujus antris ſtabulantur vermiculi ſeu teredines, hoc illi, cum multis aliis diverſorum generum ſtirpibus eſt commune, ut poſtea clarius innoteſcet in deductione ſingularum.

LOCUS & TEMPUS.

1. Pentaphyllum *ſeu potius Heptaphyllum majus luteum montanum flore majore, nobis. Pentaphyllum majus erectum, Cam. Park. J. B. Chabr. Hoc provenit in pleriſque Italiæ & Galliæ Narbonenſis locis, circa ſcrobium & agrorum margines; exit vero in Auſtriæ ſilvis ac minus humentibus pratis. Quod flore eſt candido in Apenniuo monte, teſte Cluſio. Floret Maio & Julio; ac menſe Auguſto perficit ſemen. Eſt & alia hujus varietas minor, cujus folia quina aut ſeptena ſunt anguſtiora & magis denticulata, & eſt Quinquefolium Theophraſti minus, Tab.*
2. Pentaphyllum *Canadenſe minus foliis ſaturatius virentibus floribus luteis & capſulis majoribus, nobis. Vel ex nominis prolatione indigitantur ipſius natales; floret ineunte æſtate, & ſub ejuſdem exitum ſemina perficit.*
3. Pentaphyllum *ſeu Heptaphyllum albopallidum ſeu flore ochroleuco petalis ſingulis cordatis, nobis. Ibidem reperitur cum primo, eademque anni tempeſtate floret & ſemina perducit ad maturitatem.*
4. Pentaphyllum *ſeu Heptaphyllum majus rectum rubrum paluſtre, nobis. Quinquefolium paluſtre, Cam. Hort. Eyſt. Sileſiæ putridis montium delectatur locis, ad piſcinas & palludes fruticans reperitur. Floret Junio, atque verſus finem Auguſti ſemen ſuum perficit.*

5 Penta-

5. Pentaphyllum *minus rectum ſubtus incanum flore albo, nobis. Pentaphyllum majus flore albo Eyſt. Pentaphyllum ſeu Quinquefolium* 1. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Provenit non modo in colle illo nemoroſo ſupra Manderſtorf, opidulum tepidarum aquarum ſcaturigine nobile, ſed etiam in omnibus illis montoſis ſilvis, quæ à Danubio procurrentes ad Alpes uſque pertingunt, & in ſiccioribus etiam pratis, uno ab urbe Vienna miliari; in Moravia præterea, atque in montibus ultra Dravum amnem, & in Pannonia interamni. Floret Aprili & Maio; ac ſequentibus menſibus maturatur ejuſdem ſemen, interdum denuo Autumno floret.*

6. Pentaphyllum *minus erectum hirſutum flore albo, nobis. Quinquefolium minus alterum flore albo, Cluſ. Hiſt. & Pan. Hoc eruebat Car. Cluſius inter ſaxa & ſcopulos, ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis. Floret ſub finem Junii, interdum Julio & Auguſto, prout juga illa maturius aut ſerius à nivibus ſunt libera.*

7. Pentaphyllum *minus procumbens flore luteo vulgare radiculas ex ſingulis geniculis emittens, nobis. Pentaphyllum vulgatiſſimum, Park. Provenit paſſim in agris, campis & hortis. Floret ſub initium æſtatis & per totam æſtatem durat; ſemina maturat, niſi impediatur nimia aviditate ſeſe propagandi radicibus ſuis, ex ſingulis geniculis ortis.*

8. Pentaphyllum *minus incanum Alpinum flore aureo radiculas ex geniculis in terram demittens, nobis. Quinquefolium* 3. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Creſcit hoc ſimiliter in ſummis Auſtriacarum Alpium jugis quæ tamen herboſa ſunt. Floret ſub Junii finem, in hortis citius.*

9. Pentaphyllum *minus lanuginoſum flore luteo radiculas ex geniculis demittens, nobis. Quinquefolii* 4^{ti} 1^{a} *ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Nihil illo vulgatius, ſecundum vias in locis ſiccis & nudis Pannoniæ, Auſtriæ inferioris, Moraviæ & Bohemiæ. Florere incipit ineunte propemodum Vere, & ſub initium æſtatis ſemen perficit, tardius in hortis noſtris.*

10. Pentaphyllum *minus magis villoſum flore aureo foliis altius ſerratis, nobis. Quinquefolii* 4^{ti}. 2da *ſpecies, Cluſ. Hiſt. & Pan. Ibidem cum priore naſcitur, atque eodem tempore floret & ſemina maturat.*

11. Pentaphyllum *rectum foliis profunde ſectis ac ſubtus argenteis flore luteo, J. B. Chabr. Quinquefolium petræum majus, Tab. Quinquefolium Tormentillæ facie, Ger. In aggeribus & ſecus arva, macro & arenoſo ſolo, floret Maio & Junio; Julio & Auguſto perficitur ejuſdem ſemen.*

12. Pentaphyllum *minus viride flore aureo tetrapetalo radiculas in terram ex geniculis demittens, nobis. Hoc provenit in agris, ſecundo lapide ab urbe Oxonio, prope pagum dictum Cowley & prope Beſorſleigh, & alibi in circumjectis illic locis.*

13. Pentaphyllum *ſeu potius Heptaphyllum flore aureo tetrapetalo radice tuberoſa, Tormentilla dictum nobis. Tormentilla, Matth. Dod. ut. In colliculis ſabuloſis & pratis eminentioribus herboſis tamen, ſilvis & opacis, non raro in apricis naſcitur, ſed ejus radix ac omnes partes tunc minores ſunt. Floret æſtate utplurimum, & conſtanter* 4. *petalis flos ejus aureus donatur, ex myriade una aut altera quinis petalis onuſta reperitur. Jam ſatis hic conſtat de Natalibus & tempore florendi omnium horum Pentaphyllorum. Nomina in explicationibus recenſentur.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

7. Pentaphyllum *minus procumbens vulgare flore luteo radiculas ex geniculis emittens, nobis. Pentaphyllum vulgatiſſimum, Park. Hujus extractum rite paratum in dyſenteria commendatur. Radix ex aceto decocta cancro ulcerato exhibetur. Camerarius ait eſſe ſiccæ temperaturæ, quare utrinque, id eſt intus & extra corpori prodeſt, maxime contra omnes fluxiones. Herba Pentaphyllum cocta cum melle & aqua ulcera oris ſanat, gingivis medetur: trachiæ arteriæ ſcabritiem gargarizatu & collutione lævigat: cocta in aceto ulcera ſerpentia cohibet, fiſtularum inquit Tragus & cancri, aliaque manantia & putrida ulcera ſanat: Alvi profluviis, dyſenteriæ, inteſtinorum lapſui, igni ſacro & vulneribus, remedium conveniens eſt.*

4. Pentaphyllum *majus rectum rubrum paluſtre, nobis. Quinquefolium paluſtre, Cam. Hujus radicis decoctum dentium dolores in ore detentum mitigat: putreſcentia oris ulcera ſiſtit: ad tonſillarum & aſperæ arteriæ inflammationes conducit: contra alvi profluvia & dyſenterias auxiliatur. Cocta cum aceto radix herpetas cohibet, ſtrumas diſcutit, œdemata & aneuriſmata reprimit. Foliorum ſuccum aliquot diebus continuis epotum morbum ait Dioſcorides ſanare regium: folia vero cum hydromelite aut diluto vino ac exiguo pipere contra febrium circuitus bibi tradiderunt quidam, quod vanitate non caret.*

13. Pentaphyllum *aut potius Heptaphyllum flore aureo tetrapetalo, Tormentilla nobis dictum. Tormentilla vulgaris, Park. Radix hujus eſt potenter reſiccans, & ex eorum quæ tertii ſunt* ordinis

ordinis numero, & partium tenuium: caliditatis quam minimum tenet, aſtringentis facultatis particeps; poteſt ad eadem omnia quæ Quinquefolii ſeu Pentaphylli radix; ſed & eadem efficacius præſtat. Adverſus peſtilentes morbos magni eſt uſus, fortiter enim putredini adverſatur, & ſudores movet; additur idcirco antidotis & compoſitionibus eò facientibus: ſanguinis undiquaque eruptiones eadem ſupprimit. Decoctum radicis, aut aridæ pulvis cum conveniente liquore propinatus idem poteſt. Siſtit vero & radix ſuperfluentia muliebria profluvia non modo intra ſumpta, ſed & foris, ſive in balneo, aut alio quovis adhibito modo. Ventriculum humore madentem roborat atque reſiccat: adverſus alvi fluores & dyſenterias utilis eſt. Datur & ruptis ex alto dilapſis, quibus eſt ſuſpicio aliqua internum aliquod viſcus lapſum eſſe. De Pentaphyllo ſiliquoſo Proſp. Alpini alibi dicetur cum à fine ultimo neutiquam pertineat ad hoc genus, ut clarius infra patebit in Hallucinationibus.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 326. col. 2. pla. VII. Qinquefolium Lupini folio, C.B.P. Pentaphyllon ϑερμόφυλλον, Thal. Non eſt Pentaphyllon pentapetalon, nec à flore, nec à capſula ſeminali uti docuimus ſupra in Hallucinationibus pag. 89. de Lupino, nec eſt Lupinus peregrinus Pentaphyllos C. B. P. pag. 348. col. 2. pl. v. aut Lupinus Arabicus ſive Pentaphyllon peregrinum Ponæ Ital. ſicut clare ſatis docuimus pag. 89. Hiſtoriæ hujus noſtræ univerſalis; ergo cum nec ſit Quinquefolium pentapetalon Lupini folio, nec Lupinus, male pro alterutro ponitur, atque bis repetitur primo pro Quinquefolio, ſecundo pro Lupino, ideo lapſus eſt Caſp. Bauhinus. Nos à conformitate cum florum, tum capſularum ſeminalium & ſeminum cum Tarraraira Georgii Marcgravi, & Trifolio Luſitanico flore purpureo ſiliqua longa Park. in App. has tres plantas ad idem genus reducemus, ſicuti illic innuimus. Vide Prælud. Botan. noſtr. pag. 409.

Pag. 326. col. 1. pl. III. Tormentilla Alpina folio ſericeo, C. B. P. Heptaphyllon, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Qinquefolium Alpinum, Tab. Pentaphyllum argenteum, Ang. Cum hæc planta omnibus ſuis partibus eſſentialibus flore & ſemine, imo foliorum compoſitione, accedat Alchimillæ, recte concludo cum doctiſſimo Fab. Columna eſſe Alchimillam & propterea inter ſuæ ſortis Alchimillæ ſpecies fuiſſe collocandam, non antem inter Pentaphylla Heptaphyllave; nec Tormentilla à Caſparo Bauhino, nec Pentaphyllum Heptaphyllumve ab aliis authoribus denominari debuit, ſed Alchimilla.

---

§. 4. PENTAPHYLLOIDES.

PEntaphylloides ſic dictum Johanni Bauhino & nobis, & aptius mea ſententia quam cæteris authoribus ante nos ſcribentibus, qui Pentaphylli aut Quinquefolii nomen male adaptant hiſce ſequentibus plantis, cum folia quina Pentaphylli aut Quinquefolii in unum concurrant centrum, pediculi ſcilicet ſummitatem, atque folia in hiſce numero incerto coſtæ mediæ plura è regione adhærent, uno majore extremum claudente; cum à fine ultimo flores producant pentapetalos, capſulas ſeminales, & ſemina, Pentaphyllorum aut Heptaphyllorum more, iiſdem ſubjungentur peragrapho diſtincto hoc 4.

Pars TABULÆ XX.

Pentaphylloides
- *Majus erectum* — *Flore*
  - 1. *Albo foliis alatis & hirſutis, nobis. Pentaphylloides erectum, J. B. Chabr.* ⊙
  - 2. *Luteo ternis foliis Fragariæ inſtar hirſutis, nobis.* ⊙
- *Minus ſupinum ſeu procumbens* — *Foliis alatis*
  - 3. *Geranii ſupini inſtar, nobis. Pentaphyllum ſupinum Potentillæ facie, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 4. *Argenteis & ſerratis flore luteo, nobis. Argentina, Dod. ut. Lob. Ger.* ⊙
- 5. *Maximum rectum fruticoſum Eboracenſe, nobis.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæ.

1. P*Entaphylloides* majus erectum flore albo, foliis alatis & hirſutis, nobis. Pentaphylloides erectum, J. B. Chabr. Quinquefolium fragiferum, C. B. P. Quinquefolium fragiferum 5. Cluſ. Hiſt. Quinquefolium fragiferum 6. Tab. Pentaphyllum fragiferum, Ger. Park. Hoc radice præditum eſt craſſiuſcula, lignoſa, cortice ſaturatius rubente tecta, ſtrenue aſtrin-

ſtringente, ex qua pediculi plurimi prodeunt palmares, quibus anneƈtuntur terna, quaterna, folia, binatim ſeu conjugatim e regione diſpoſita, hirſuta, ſerrata, Fragariæ quoad hirſutiem & conſiſtentiam foliorum æmula, longe tamen minora, coſtæ extremum claudit unicum folium impar, cæteris duplo majus: inter folia hæc ſic conſtruƈta & per terram ſtrata caulis naſcitur cubito altior, hirſutus, qui ſuperius in aliquot ramuſculos divaricatur, ad quorum genicula naſcuntur quaterna, aut terna folia minora, hirſuta & ſerrata itidem, quemadmodum inferiora; ſummis ramuſculorum cimis innaſcuntur flores pentapetali, ſatis ampli, albi, in quorum medio proveniunt plurima ſtaminula lutea, quemadmodum videre eſt in cæteris ſuæ ſortis; quibus fatiſcentibus ſuccedunt in capſulis conformibus cæteris ſuæ claſſis multa ſemina arida, cingentia ſtilum nutritivum, incluſa ſubjeƈtis radiatim 5. foliolis viridantibus, hirſutis, quæ continent capitulum ſeminibus aridis, ruffis, oblongis plenum, & pulpa humida vacuum. In hortis cultis folia multo ſunt majora, quaterna, quina, ſingulis pediculis aut coſtis annexa, Paſtinacæ latifoliæ aliquatenus ſimilia, atque inter hæc majora intercedunt minuta quædam folia veluti in Agrimonia.

2. *Pentaphylloides* majus ereƈtum flore luteo ternis foliis Fragariæ inſtar hirſutis, nobis. A numero, ſitu & contextu foliorum, ſub initium, dum folia per terram ſtrata gerit, Fragariam perfeƈtam quivis diceret, ſed poſtquam caules ſuos pedales & ſeſquipedales emiſerit hirſutos & lignoſos, in quorum ſummo faſtigio proveniunt floſculi pentapetali lutei, capſulas ſeminales & ſemina multa ſubruffa ibidem contenta, pulpa humida veſca orbata, poſt ſe relinquentes, quibus ſeſe manifeſtat accedere Pentaphyllo à fine ultimo, à foliis vero Fragariæ; ideo denominabitur Pentaphylloides majus reƈtum flore luteo ternis foliis, Fragariæ inſtar hirſutis, ſumendo genus à nobiliore parte, ſcilicet flore, capſula ſeminali & ſemine, ſed terna folia Fragariæ ſpeciem determinarent.

3. *Pentaphylloides* minus ſupinum ſeu procumbens foliis alatis Geranii ſupini inſtar, nobis. Pentaphyllum ſupinum Tormentillæ facie, Lob. Icon. Lugd. Pentaphyllum Potentillæ facie, Cluſ. Hiſt. & Pan. Ger. Park. Quinquefolium ſupinum fragiferum repens, Tab. Quinquefolio fragifero affinis, C. B. P. Pentaphylloides ſupinum, J. B. Chabr. Quinquefolium 3. ſerpens, Dod. Folia plurima pediculis ſeu coſtis mediis longis, ex radice craſſiuſcula, longa, multorum capitum, anneƈtuntur conjugatim ſeu binatim ex oppoſito, ſingula ſerrata ad Geranii ſupini folia accedentia; caules palmares inanes, numeroſi, gerunt flores parvos, luteos, pentapetalos, ex longis ſatis pediculis ortos, quorum ſingulis deciduis ſuccedunt capitula parva, continentia (reliquorum minorum Quinquefoliorum more) ſemina multa exilia, fuſca, ſicca ſeu ſine pulpa.

4. *Pentaphylloides* minus ſupinum ſeu procumbens foliis alatis argenteis & ſerratis flore luteo, nobis. Potentilla, Brunf. Matth. Fuch. Cæſ. Lugd. (cui & Argentina ſilveſtris) Caſt. Thal. Park. Potentilla ſeu Argentina, J. B. Chabr. Argentina, Dod. ut. Ad. Lob. Ger. Anſerina, Trag. Tab. Tanacetum agreſte, Brunf. Ex radice palmari & longiore, tenui, ſubaſtringenti, folia promit pinnata, majora, Agrimoniæ ritu (intercedentibus minoribus foliis inter interſtitia majorum) in ambitu ſerrata, ſuperne glabra, argentea, inferne hirſutie candicante veſtita, folia inquam ſicciore & aſtringentiore ſapore, quam radix, prædita ſunt; cauliculos nudos ſpargit, qui more Fragariæ radicant in terram defixi, alios pediculos breves inter foliola attollit, ſimplices, quibus flores inſident pentapetali Pentaphylli more, lutei; fruƈtus etiam Pentaphylli fruƈtui ſimilis. Anſerinam vocant Germani, quod hac anſeres in cibo deleƈtentur. Huc, illuc protenditur reptatu viticulorum, quemadmodum Fragaria & Pentaphylla quædam.

5. *Pentaphylloides* reƈtum fruticoſum Eboracenſe, nobis. Caules protrudit hic ſubfrutex bipedales & aliquando altiores, lignoſos, cortice coloris ad fuſcedinem vergentis donatos, qui corticem exteriorem pelliculamve ſingulis annis exuunt, adeo ut plures cuticulas laciniatim adhærentes, eodem tempore æſtivali ſcilicet conſpicias; hi rurſus in plures ramos ſurſum verſus dividuntur, in quorum cimis ſinguli aut bini aliquando terni producuntur flores pentapetali, lutei, Argentinæ florum, tum quoad figuram, tum quoad colorem æmuli; quibus ſingulis deciduis ſuccedunt ſingula capitula, granulatim ex aridis ſeminibus conflata, aliorum Pentaphyllorum & Heptaphyllorum florum more: atque ex ſingulis geniculis nunc à dextra, nunc à ſiniſtra exeunt pediculi unciales, ſuſtinentes folia diverſimodi conſtruƈta, quatuor vulgo in inferiore pediculi parte concurrentia in idem centrum, nunc terna, aliquando bina, ex oppoſito cingentia pediculi inferiorem partem, atque in extremitate pediculi ſurſum verſus terna folia junguntur ſimul concurrentia, ſuperne viridia, paululum rugoſa, inferne

ne incanâ lanugine pubeſcentia, tota lignea ſubſtantia guſtus eſt ſubdulcis; radix etiam lignea fibris undique ſcatet; flores inquam ſunt lutei, pentapetali, Argentinæ florum omnino æmuli, cito evanidi & rarius diſpoſiti, novis tamen indies (fatiſcentibus primis) ſuccreſcentibus, quorum ſingulis calyx ſubſtituitur Pentaphyllorum more, ex quinque foliis acuminatis ſeu mucronatis, lanuginoſis, rudimentum ſeminis poſt decidua ſtaminula (prout in Pentaphylli aut Heptaphylli ſpeciebus) granulatim in ſe continentibus. Reperitur ad ripam meridionalem fluvii *Tees* infra vicum *Thorp* dictum, aliiſque variis locis, nec minus frequenter infra cœnobium Athelſtani vulgo *Egleſtone-Abbey* in agro Eboracenſi. Hanc plantam ſatis raram nobis communicavit ex agro Eboracenſi Thomas Lawſon, plantarum in illis regionibus ſeptentrionalibus provenientium indagator diligentiſſimus; atque ejuſdem plantæ ramulos aliquot exſiccatos ad nos attulit Thomas Willeſell ſedecim abhinc annis, dum nobis inſerviebat. Hac hora qua hæc exaramus & prelo committimus, floret eadem in horto Botanico publico Univerſitatis.

LOCUS & TEMPUS.

1. Pentaphylloides *erectum, J. B. Chabr. Naſcitur in Leytenberg locis umbroſis, in media ſilva ſupra Manderſtorf ſita, quo loco duntaxat aliquot abhinc annis Cluſius obſervaverat. Naſcitur eodem teſte in Pannonia non modo in ſilvis cæduis Pannoniæ ſed etiam in gramineis campis. Floret Maio; ſemina paulo ſerius matureſcunt effluuntque. Supra Paterſtorf etiam in ſilvis ſecundo fere à Vienna urbe miliari obſervabatur.*
2. Pentaphylloides *majus rectum flore luteo ternis foliis Fragariæ inſtar hirſutis, nobis. Semina hujus nobis fuere communicata ex Virginia aut Cannada, ſed ubi ſpeciatim proveniat nobis nondum innotuit. Floret æſtate ineunte; atque eadem finiente maturantur ſemina.*
3. Pentaphylloides *ſupinum ſeu procumbens foliis alatis Geranii ſupini inſtar, nobis. Pentaphyllum ſupinum Tormentillæ facie, Lob. Icon. Lugd. Pentaphyllum Potentillæ facie, Cluſ. Hiſt. & Pan. Frequens reperit in agro Viennenſi Carolus Cluſius, in extremis pratorum marginibus & ſecundum ſilvas in Sileſiæ locis montium gramineis. Nos prope Blæſas primo ab urbe lapide, ad oram ſilvæ Blæſenſis, paſſim in margine ſtagni dicti* L'eſtang de piſeau. *Floret æſtate atque verſus ejuſdem finem, ſtagno præ calore æſtus multum exſiccato, illic ſemina matura collegimus quaternis abhinc luſtris.*
4. Pentaphylloides *minus ſupinum ſeu procumbens foliis alatis, argenteis & ſerratis, flore luteo, nobis. Potentilla, Matth. Fuch. Argentina, Dod. ut. Ad. Lob. Ger. Anſerina Tragi, Tab. Paſſim reperitur in humidis & circa loca aquoſa, in pratis humidis potiſſimum juxta flumina, quorum nulla amantior frequentiorque alumna. Æſtate dum floret colligi debet. Propter nimiam aviditatem ſeſe propagandi radiculis novellis, ex geniculis caulium demiſſis in terram, raro ſemina ſua perficit. De nominibus diverſorum authorum (hiſce ſupra dictis aſſignatis) ſatis & ſufficienter in ſingulis explicationibus diximus.*
5. *Hujus natales ſupra patent in explicatione ipſius plantæ.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Pentaphylloides *erectum, J. B. Chabr. Herba, radix & ſemen cum hujus tum reliquorum hujus Tabulæ, ſiccandi ac aſtringendi vim obtinent.*
4. Pentaphylloides *Argentina, Potentilla ſeu Anſerina. Cum folia ejus & radix (inquit Fuchſius) aſtringant, temperamento à Pentaphyllo nihil differre videtur; quare radix tertio ordine deſiccat, minimumque caliditatis habet: ſanguinem undequaque effluentem reprimit; menſes mulierum ſiſtit; Hæmoptoicis ac Dyſentericis utilis; valet & ad alias alvi fluxiones, quocunque tandem adhibeatur modo; pulvis aridæ abraſa, intertritigines etiam jumentorum inſperſus ſanat: prodeſt & hoc modo cruentis vulneribus: decoctum ex aqua mobiles dentes firmat, & gangrenarum ac oris ulceribus conducit, & cum Quinquefolii temperamentum habeat, ejus etiam facultates retineat neceſſe eſt, ergo ad omnia valet, ad quæ Quinquefolium ex Dioſcoride. Aqua Anſerinæ diſtillata rubentibus oculis utilis eſt, ſi linteolis in ea madefactis imponatur, hac ratione maculas quaſvis extergere, fluxiones & dolores ſedare dicitur. Hujus ſtillatitiam aquam ad lentigenes omnes, maculas, fuſcumque colorem ſole contractum delendum Anglæ mulierculæ adhibent. Si in aceto decoquatur Anſerina firmat commotos ac mobiles dentes laxaſque gingivas, ſi in aceto coquatur, & os ſæpe colluatur dentium dolores mulcet: collapſam columellam reſtituit: datur utiliter potui ſanguinem rejicientibus. Omnes hæ*

ſpecies

ſpecies Pentaphylli & Heptaphyli, imo Tormentilla, Argentina, & ſi quæ aliæ hujus farinæ detegantnr ſpecies eandem poſſidentes notam eſſentialem, id eſt florem pentapetalum, cui ſuccedunt granulatim plurima ſemina, ſine pulpa humida, ſive arida in capſulis, ex quinque foliolis aut pluribus virentibus conflatis, iiſdemq; gaudent viribus, ſive folia habeant terna, quina, ſena, & utplurimum ſeptena, aliquando in quibuſdam novena, à fine ultimo eodem debent revocari itidem atque ſimul locari, non obſtante tanta diverſitate nominum à diverſis authoribus iiſdem aſſignatorum.

PENTAPHYLLIS

AFFINES, PES LEONIS, ſive ALCHIMILLA.

CAPUT XVII.

PEs leonis *à forma foliorum*: *vulgo* Alchimilla, *quod Alchimiſtarum præconiis celebrata ſit.* Nota generica conveniens Alchimillæ eſt hæc, folium habet quaſi Malvæ in octo aut novem angulos obtuſos ſeu plicas diviſum, floſculi ſunt herbidi, umbellatim congeſti; ex multis petalis & ſtaminulis herbaceis conflati, quibus ſuccedunt capſulæ continentes multa ſemina minuta, *lutea*, papaverino ſemini ſimilia.

1. *Alchimilla* perennis viridis major foliis ex luteo virentibus, nobis. Alchimilla, Trag. Dod. ut. Ad. Lob. Tab. Ger. Eyſt. Alchimilla vulgaris, Cluſ. Hiſt. Cam. Hort. Alchimilla major vulgaris, Park. Pes leonis ſive Alchimilla, J.B.Chabr. Stellaria, Matth. Lugd. Caſt. Leontopodium, Brunf. Droſera & Droſium, Ψιάδιον à rore foliis inſidente, Cord. in Hiſt. Prior hæc & major Alchimilla ex radice minimi digiti magnitudine, aut pollicari craſſitudine plurimis fibris donata, ſtrenue aſtringente ac deſiccante provenit: caules ſurgunt aliquot tenues, teretes, hirſuti, ramoſi, dodrantales & pedales, quibus inſidunt floſculi herbacei, umbellatim congeſti, quorum ſinguli octonis conſtant petalis majoribus, totidem minoribus, alternatim poſitis, in quorum medio apiculi lutei: ſemen minutum, luteum, ſemini papaverino ſimile: folia alia majora ſtatim à radice oriuntur, longis pediculis, ſeſquipalmaribus, hirſutis; alia minora cauli pediculo brevi aut nullo adhærent, interceptâque folii continuitate reliquo pediculum ambiunt, ut ab eo perforentur, cæterum folio Malvæ Alchimilla major accedit, folium inquam ex luteo vireſcens, infra hirſutum, in octo aut novem angulos obtuſos ſeu plicas diviſum habet, ſingulis nervis à pediculo prodeuntibus in ſingulos angulos, concinne in ambitu crenatos.

2. *Alchimilla* perennis viridis minor, nobis. Hæc vulgari ſuperiori majori in omnibus accedit niſi partium parvitate, eſt enim triplo majore in omnibus minor.

3. *Alchimilla* perennis incana, argentea ſeu ſericea ſatinum provocans, nobis. Alchimillæ genus alterum, Cæſ. Pentaphyllum ſeu potius Heptaphyllum argenteum flore muſcoſo, J. B.Chabr. Tormentilla Alpina folio ſericeo, C. B. P. Cæteri omnes authores præter Cæſalpinum appellando hanc plantam aut Pentaphyllum aut Heptaphyllum aut Tormentillam male nomina ſua eidem adaptarunt. Vide Hallucinationes paragraphi præcedentis de Pentephyllo: ibi reprehenditur Caſp. Bauhinus quod perperam collocaverit cum Tormentilla, & authores reliqui quod male nominaverint Pentaphyllum aut Heptaphyllum.

4. *Alchimilla* annua minima hirſuta foliis inferne albicantibus, nobis. Alchimilla minima montana, Col. Percepier Anglorum ſeu Polygonum Selinoides, Park. Percepier Anglorum Lobelii, Ger. Chærophyllo nonnihil ſimilis, C. B. P. Hæc parvula Alchimillæ ſpecies annua eſt, ad ſummum ſemipedalis longitudinis, ab radice minima flavicante fibrillis parum diviſa: cauliculi ei ſunt plures rotundi, tenues admodum, hirſuti, parum rubentes aliquando, verſus terram reclinati: folia ima puſilla, alternatim diſpoſita & cauli adhærentia, hirſuta, viridi dilutiore colore, inferne albidiora, tripartita, Ameos vel extremi Apii foliis primis ſimilia. Alchimillæ ſive Stellariæ majori congener & affinis eſt planta, foliorum alis, utriculis, & ſeminibus ibidem contentis, ſimilis; folliculi ſeu utriculi inter foliorum & caulis ſinus coacervati, ut in cæteris antedictis.

LOCUS

LOCUS & TEMPUS.

1. Alchimilla *major vulgaris,Park. Leontopodium, Brunſ. Collium & montium amans eſt, imo deſcendit ad prata, in quibus feliciter provenit. Maio & Junio flores emicant herbidi, cum apicibus luteis; Julio & Auguſto perficiuntur ſemina.*
2. Alchimilla *perennis viridis minor provenit in montium locis humidioribus ; floret & ſemina perficit eadem tempeſtate anni cum majore.*
3. Alchimilla *perennis incana argentea ſeu ſericea ſatinum provocans, nobis. Alchimillæ genus alterum, Cæſ. In celſioribus montium jugis, gelidiſque cautibus occurrit, quales ſunt Sabaudiæ in Auſtenſi valle, in monte* l'eſperon *dicto in Gallia Narbonenſi, in montibus etiam Genevæ vicinis. Floret Maio & Junio; ac Julio & Auguſto ſemina maturantur.*
4. Alchimilla *annua minima hirſuta foliis inferne albicantibus, nobis. Alchimilla minima montana, Col. Percepier Anglorum, Lob. Ger. Provenit paſſim in arvis ſabuloſis, glareoſis, imo in pratis & novalibus. Fabius Columna in pratis Valvenſium reperit. Floret ineunte Junio & ſub finem Julii matura conſpiciuntur ſemina poſt exſiccationem totius Plantæ. De nominibus ſatis luculenter dictum in explicatione ſingularum ſupra, idcirco nil inſuper hic addemus.*

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Folia & radix Alchimillæ majoris adſtrictionem vehementem participant, exſiccant enim: aptiſſima vulneribus glutinandis, vulnera ejus decocto utiliter lavantur, linteum in eo madefactum commode illis imponitur. Mulierum mammas impenſe laxas, linteum ejuſdem decocto intinctum & impoſitum duras ſolidaſque efficit. Decoctum ejuſdem epotum interanea vulnera rupturaſque glutinat, & quod dictum mirum eſt, tota ejus plantæ in glutinando vis eſt, ut ramices inteſtinorum, in pueris potiſſimum, ſanare poſſit. Herba ipſa & radix in vulnerariis potionibus adjunguntur pulveribus emplaſticis & unguentis, ſiſtit alba mulierum profluvia, facitque ad conceptionem, ſuperfluas humiditates exſiccando. Datur ejus pulvis ex vino aut jure cochlearis menſura, 15, aut 20. diebus, mulieribus quibus adempta concipiendi facultas, à nimia uteri humiditate, ob quam injectum ſemen contineri non poteſt.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

ALchimilla minima montana, Col. Percepier Anglorum, Lob. Ger. Chærophyllo nonnihil ſimilis, C.B.P. pag. 352. col. 2. pl. 111. Graviter Lapſus eſt hic Caſparus Bauhinus, cum Chærophyllum ſit umbella foliis plurifariam diviſis, & ſemine roſtrato longo, lævi, donata; atque Percepier Anglorum Lob. Ger. eſt Alchimilla à flore & ſemine, ergo Percepier Anglorum Lob. Ger. Chærophyllo nihil ſimilis potius, quam nonnihil ſimilis ut vult Caſp. Bauhinus. Vide Specimen noſtrum umbelliferarum pag. 88. de Chærophyllo, ibi diffuſe ſatis hanc Hallucinationem deduximus.

EPIMEDIUM.

Eπιμήδιον *Dioſcoridi l. 4. c. 19. caulis eſt non magnus, Hederæ foliis denis aut duodenis, neque ſemen, neque flores proferens: radicibus tenuibus, nigris, gravis odoris, guſtu inſipido. Idem habet Plinius l. 27. c. 9. ubi aliqui Epimedium, alii Epimenidium legunt: quibuſdam Epipetron ejuſdem lib. 21. c. 15. de quo nil niſi quod nunquam floreat, imitatus Theophraſtum 7. Hiſt. 8. cui Epimetrum penitus flore caret.*

Epimedium eſt planta tetrapetala ſiliquoſa ternis, potius ter ternis, foliis, longis pediculis pendentibus, donata, Hederæ æmulis, ſpinulis in ambitu cinctis: florem fert, ex quatuor petalis cruciatim diſpoſitis, luteopallidis, conflatum, quæ immediate inſiſtunt totidem petalis atropurpureis, paulo minoribus iiſdem ſubſtratis, quibus ſuccedunt ſiliquæ tenues, unciales, atque hiſce notis ab omnibus ſiliquoſis tetrapetalis facile diſtinguitur primo intuitu floris, qui duplex conſpicitur unus alteri ſubſtratus,

Epimedium inter eas ſtirpes quæ locis exeunt riguis venit numerandum, quod authoribus Dioſcoride & Plinio in humidis naſcitur; caulis eſt huic haud magnus, Hederæ foliis ternis & ter ternis, pluribus aliquando, multis aculeis quaſi in margine cinctis, neque florem

rem, neque fructum ferens, ut ait Plinius imitatus Theophraſtum. Radice eſt tenui, nigra, gravis odoris: flores fert in ſummo caulis plures, ſemiuncialibus pediculis innixos, qui conſtanter ex quatuor petalis, cruciatim diſpoſitis, luteopallidis, conſtant, quibus immediate ſubſternuntur totidem atropurpurei, prædictis luteopallidis minores, quibus, tam ſupra quam infra ſitis, fatiſcentibus ſuccedunt ſiliquæ tenues, unciales, an bivalves (quod maxime ſuſpicamur) cum ſepto medio dirimente duplicem ſeriem ſeminum, aliarum plantarum tetrapetalarum more; an ſine ſepto medio, ut cernitur in Chelidonio majore & Fumaria Canadenſi ſempervirenti Cornuti, hucuſque obſervare non potuimus: folia, inquam, hujus ſunt ampla, terna, ter terna, longis pediculis innitentia, ſuntque Hederæ foliorum figura, lata ad baſin, verſus mucronem acuminata, duriuſcula, & dilutius virentia, ac per circumferentiam profundius ſerrata, & quaſi in tot aculeos deſinentia: inter hæc folia ex geniculis caulium exſurgit pediculus teres ac palmaris, raro folia ſua ſuperans, perquam elegantes progignens floſculos tetrapetalos, integros verſus fundum, exterius quadripartitos, flaveſcentes; inverſa parte totidem diviſionibus, quatuor ſcilicet, oritur floſculus obſcure ruber aut atropurpureus, ſtriis rectis, candidis, diſcurrentibus, variegatus: radix multas in obliquum propagines emittit fibris inferius demiſſis; eſt tenuis, nigra, gravis odoris. Dicitur Epimedium ab omnibus authoribus, ſoli Anguillaræ Lunaria quorundam nominatur.

LOCUS & TEMPUS.

Naſcitur in humidis pleriſque Bohemiæ locis, & in pratis circa Bononiam & Vincentiam. Cæſalpino dicitur planta in Liguriæ montibus proveniens. Floret Aprili & Maio; ſiliquas proferentem ſub finem Maii obſervavimus in horto publico Univerſitatis: antequam ſiliquas ad maturitatem perducere potuerit, tota planta carpta & ablata à male feriato ſcholaſtico, qui mira pulchritudine floris duplicati allectus carpſit, ut libro ſuo chartaceo plantarum exſiccatarum inſereret.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Dioſcorides primo (quem ſequuntur omnes pene authores) aſſerit Epimedium neque flores, neque ſemen ferre: hoc falſum reperimus, in hac planta flores ſæpius, ſiliquas rarius obſervavimus; at in humidis & umbroſis ſatis feliciter fructificat ineunte Vere, non tamen in hortis, præcipue ſi in aprico horti loco conſeratur. Non poſſum ſatis mirari facilitatem tot doctorum hominum, qui nimia credulitate ducti, ex authoritate Theophraſti, Dioſcoridis & Plinii obtrudunt poſteris plurima mendacia; nec veritatem rei examinant. Dioſcorides primo (quem ſequuti ſunt plurimi viri docti in Botanicis) attribuit Filici folia ſine caule, ſine flore, ſine fructu; & ejuſdem authoritate Cæſalpinus capillaribus plantis (id eſt Filici, Polypodio, Capillo vero Veneris, Adianto, Polytricho, Rutæ murariæ, Scolopendrio ſive Linguæ Cervinæ) denegat flores & ſemina, cum clare conſtet cuilibet examinanti, omnes Capillares, flores & conſequenter ſemina pulviſculi inſtar in dorſo pinnarum ferre, atque ſibi ſimiles ex ſemine producere, uti comprobatum ex ſatione illius pulviſculi collecti ex dorſo Linguæ Cervinæ in Horto Botanico publico Univerſitatis biennio abhinc à Jacobo Bobert. Ergo non obſtante decreto veterum, & aſſenſu neotericorum Botanicorum, ipſis mordicus ſine ratione, ſine experientia, adhærentium, concludimus Capillares omnes flores ferre & ſemina, ex quibus propagantur: ſi tempore florendi microſcopium adhibeatur, floſculi minutiſſimi, & poſt Autumnum exactum ſemina pulviſculi inſtar, clare apparebunt. Epimedium cum florem ſatis viſibilem, & propter contextum rarum & mirandum, gerat Maio, & ſiliquam ſemiuncialem in ſe continentem ſemina, non ei denegandi ſunt flores, nec ſemina, propter authoritatem veterum, aut aſſenſum neotericorum Botanicorum; ſed tentent, examinent & probent Botanici curioſi dicta cum veterum tum neotericorum; ubi hallucinati ſunt, corrigantur cum illi, tum hi, ne poſteri in iiſdem periclitentur ſcopulis, ſequendo ipſorum ſcripta ſine debita examinatione rerum ipſarum.

Nota Epimedium à nobis inadvertenter in hoc loco ſculptum fuiſſe: cum ſit planta ſiliquoſa tetrapetala, pertinet ad ſiliquoſas tetrapetalas plantas explicandas in Sectione ſequenti tertia. Inſuper notandum nos Pentaphyllum ſeu Hexaphyllum & Pentaphylloides ſubjunxiſſe Trifolio fragifero ſeu Fragariæ propter conformitatem in floribus & ſeminibus; item & Alchimillam propter folia plurima, in idem centrum concurrentia, ſubſtituimus Pentaphyllo ſeu Heptaphyllo. Quicunque prædictas omnes inter plantas, quarum floribus ſingulis ſuccedunt plurima ſemina, à nobis undecima Sectione collocandas diſpoſuerit, fortaſſe melius eaſdem collocaverit.

APPENDIX AD LEGUMINA.

CAPUT XVIII.

VICIA.

1. VIcia ſilvatica maxima Piſo ſilveſtri ſimilis, J. B. Chabr. Omnium Viciarum quotquot hactenus videre licuit, maxima eſt hæc, multorum cubitorum; foliis ad Viciæ ſæpium accedentibus, multo majoribus, & Piſo ſilveſtri reſpondentibus, ſeſquiuncialibus, unciam latis, modice obtuſis: flores longiſſimi, numeroſi, purpuraſcentes, extremum occupant, ſubſequentibus ſiliquis pari cum Piſorum magnitudine, compreſſioribus, latis, glabris: radix craſſa, nodis intercepta, reptatrix, perennis, caulium complurium propagine fertilis. Vicia hæc ſilvatica olim à Johanne Bauhino reperta circa Tigurum, & poſtea eandem reperit copioſe circa fontem admirabilem Bollenſem, flore & ſiliquis prægnantem menſe Auguſto, & inter *Veil* & Baſileam cum ſiliquis, menſe Novembri.

2. Viciæ parvum genus folio longo, Jo. Bauh. Cubitalem Monſpelio allatum dedit ramum Caſparus Bauhinus anguloſum, foliis alatis, coſta in capreolos faceſcente, onuſtum: ſingularia folia ſeſquiuncialia, graminea, vix culmum lata, in acumen deſinentia: floſculi longo ſurculo peculiari hærent multi, oblongi, (cujus coloris non fit mentio à Johanne Bauhino) quos ſequuntur ſiliquæ Craccæ ſiliquis minores, nonnihil longiores, longis pediculis innixæ. Remittantur ad Viciæ claſſem pag. 60. Hiſt. noſtræ Univerſalis.

Herba viva ſeu ſentiens vel Mimoſa foliis alatis caule ſine impare extremum coſtæ claudente.

INter miranda Dei dona vegetabilibus conceſſa, quæ ſunt innumera, nullum mirabilius contemplationi humanæ ſeſe offert plantâ mimoſâ, quæ ſentiens ſeu ſenſitiva dicitur, quòd hujus plantæ leguminoſæ πλαγιοκαύλυ ſeu alatæ foliola coſtæ mediæ hærentia, quæ plurima ſunt ex adverſo annexa, levi tactu, quaſi ſenſu affecta, fugiunt rem tangentem, atque quadam veluti averſatione illico ſeſe comprimunt, & quaſi ex inſtante complicando actutum conjunguntur, aut pediculum coſtamve, cui annectuntur, una cum ipſis demittendo verſus terram, inſtrumentum tangens fugere conantur, unde planta mimoſa viva ſeu ſenſitiva authoribus dicitur. Hujus non ita pridem plurimæ fuere ſpecies diverſæ detectæ, quarum Icones exhibebimus hic in hac Appendice ad Legumina, mutuatas ex authoribus qui de plantis exoticis ſcripſere.

Nota igitur generica plantæ mimoſæ ſeu ſenſitivæ eſt, quod ſit herba ſiliquifera bivalvis πλαγιόκαυλος, id eſt plurima foliola conjugatim ſeu binatim hinc inde è regione coſtæ mediæ adnaſcuntur ſine impare extremum claudente, hoc illi cum quibuſdam aliis Leguminibus ſupra allatis eſt commune; ſed nota ſpecifica (generica, ſi mavult lector) qua ab omnibus aliis Leguminibus alatis ſiliquiferis diſtinguitur, eſt hæc, quod folia tactu illico comprimantur, aut pediculi foliorum, in quibuſdam itidem verſus terram deprimantur. Herba mimoſa eſt ſpinoſa, aut non ſpinoſa; ſpinoſa, cujus & caules & ſiliquæ ſpinis undique cinguntur; non ſpinoſa, cujus cum caules tum ſiliquæ ſpinis omnino deſtituuntur; quæ vel ſiliquas habent longas, tenues & mucronatas, raro diſpoſitas; vel curtas, latas & plures ex uno centro ortas.

1. Herba viva, Hiſt. Lugd. Acoſtæ. Herba ſentiola, id eſt ſenſifica Luſitanis, Linſc. par. 4. Indiæ Or. c. 17. Nonnullis Aſiæ locis planta quædam invenitur, vulgo herba viva nuncupata, à circumforaneis illis *Joques* appellatis Herba amoris, ab Arabibus & Turcis *Suluc*, & à Perſis *Sulique*. Exilem habet radicem, à qua ſupra terram exiliunt octo ramuli (coſtæ potius) duos digitos longi, foliis utrinque è regione digeſtis & inter ſe reſpondentibus onuſti, quæ utplurimum ad Ervi folia accedunt, nec diſſimilia foliis Polypodii, ſed longe tenuiora, utrinque lævia, & grato virore oculos paſcentia, uti Tamarindorum folia: è medio capite radicis proſiliunt pediculi, quatuor foliis vix longiores, florem ſinguli ſuum ſuſtinentes flavum,

aſpectu

aſpectu pulcherrimum, minorum Caryophyllorum floribus ſimilem, ſed ſine odore. Naſcitur nonnullis Aſiæ locis calidis & humidis.

2. Herba mimoſa minor ſpinoſa foliis latioribus ſiliculis plurimis villoſis in capitulum congeſtis, nobis. *Inquiri* aut *Caaeo* Indis indigenis dicitur, in mediocrem altitudinem attollitur, caulibus donatur ſtriatis, quadratis, viridibus, qui frequentiſſimis ſpinis ſunt muniti: ad latera per intervalla hinc inde à læva & à dextra extenduntur ramuli longiuſculi, itidem ſpinoſi, quilibet autem in extremitate habet utplurimum 4. folia, duo è regione oppoſita, ſeſquidigitum longa, inferius albis pilis veſtita, ſuperius lævia, & viridia, non ſerrata: ad ſingulos illos ramos proveniunt tres aut quatuor pediculi breves, & in iis capitulum conſpicitur rotundum, villoſum, album, cui aliquid purpurei admixtum eſt, conflatum ex pluribus floribus, poſt quos deciduos ſequuntur ſiliculæ in orbem diſpoſitæ, longis pilis albis veſtitæ; in quibus ſemen continetur nigrum.

3. Herba mimoſa major fruteſcens ſpinoſa foliis anguſtis & pediculis non per paria ſtantibus ſed in orbem collectis, nobis. Hæc mimoſa planta eſt fruticoſa & ad mediocrem altitudinem attollitur; folia habet prorſus anguſta, imo multo anguſtiora cæterarum Mimoſarum foliis; coſtæ quibus foliola illa anguſta hærent ſeſquidigitum longæ ſunt, non per paria ſibiinvicem oppoſitæ, ſed in orbem coactæ, ſex, ſeptem aut octo numero, foliola tamen anguſta illis adhærentia, ſunt ſibiinvicem appoſita, ut in reliquis ſpeciebus: color ligni ſimilis illi *Silva d'agoa* dictæ, uti & flos; ſemen continetur in ſiliculis parvis teretibus, hiſpidis, fuſcis, quarum multæ ſimul conjunguntur prout in ſuperiore, figura ſpongiæ rotundæ Roſarum, quælibet autem ſilicula, coacervans pilulam, habet tria grana & totidem tubercula: ſemen autem eſt coloris olivacei paulo obſcurioris, rotundum & paulo etiam compreſſum inſtar Lentium, ſed minus; ſiliculæ etiam ſponte deſiliunt, atque ſemina ſua ſingulæ fundunt. Hæ duæ ſpecies conveniunt quoad ſiliculas hiſpidas, & villoſas, multas in unum capitulum congeſtas; deinde utraque ſpecies ſpinulis armatur, ſola magnitudine & poſitione coſtarum foliorumque iiſdem annexorum latitudine & anguſtia à ſeinvicem differt. Procedamus nunc ad Mimoſas ſiliquis longis, bivalvibus & mucronatis etiam donatas.

4. Herba Mimoſa λεπτομακροκέρατος caulibus & ſiliquis ſpinoſis, nobis. Mimoſa ſpinoſa de Pernambuca, Jacob. Zanoni. Aſcendit ad altitudinem duorum brachiorum, & caulem habet verſus radicem, penna anſerina craſſiorem, palleſcentem, tenuem, firmum & fractu contumacem: ramos producit cum in inferiore, tum ſuperiore parte quadrangulares, undique ſpinis rubris armatos: in ſingulis geniculis nodos ſeu ocellos producit, ex quibus emanant coſtæ ſemipedales; quibus è regione hinc inde adnaſcuntur 10, 12, aut 15, nunc plura nunc pauciora folia alata, valde accedentia foliolis Acaciæ Americanæ. Icon noſtra omnia folia ſimul compacta & uni coſtæ conjuncta refert, & folium integrum ex ſuis alatis foliolis conſtans ejuſdem eſt magnitudinis cum folio naturaliter creſcente in hortis. Longitudinaliter ſecundum folium unumquodque tranſcurrit nervus vix conſpicuus. Hujus herbæ Mimoſæ ſpinoſæ folia vel leviſſimo tactu, cum ſubito motu (viſu mirum) deorſum verſus ruunt unà cum coſtà ſeu pediculo cui innituntur, & conantur fugere aut declinare cum ſubita quaſi averſatione inſtrumentum tangens; in hac ſpecie non ſolummodo folia indicant quaſi vitam ſenſitivam, ſed pediculus cui inſiſtunt folia, ſeſe deprimit & incurvat verſus terram, ex immediata conjunctione, imo cognatione quam habet cum foliis; atque ſimiliter etiam, ſicut in inſtante, pediculi cum foliis terram verſus ſeſe præcipitant: ſic idem pediculus unà cum foliis paulatim & lente recuperat priſtinum ſtatum, adeo ut ab oculis aſtantium non poſſit motus in recuperatione priſtini ſtatus animadverti aut percipi, niſi cum tempore, & hoc iiſdem contingit non ſolum quando manu tanguntur, ſed & qualibet materia interpoſita tangente, imo volatu avium aut agitatione venti, occidente ſole, aut nebulis obſcurato eodem, ingruente etiam pluvia contrahitur hæc planta Mimoſa in ſe, & ſic perſeverat clauſa uſque ad ejuſdem ſolis ortum. Flores non bene obſervavi, inquit Jacobus Zanoni, quia nec bene expandebantur propter frigoris primo Autumno adventum. Facile diſtinguitur hæc Mimoſæ ſpecies à reliquis deducendis; ſiliquis nempe, quæ ſunt longæ, quadratæ & ſpinis obſitæ non minus quam caules ipſi, quæ exſiccatæ coloris ſunt ſtraminei, & ex longo rotundantur; ſemina parum cavata, & in ſummo longitudinaliter diviſa, figura ſimilia grano Tritici noſtratis. Cùm ſiliquæ, tum ſemina, æqualis magnitudinis ſunt cum imaginibus ſeu Iconibus 1, & 2. in Tab. 1. Mimoſarum à nobis exhibitarum in App. ad Legumina: radicem habet hæc Mimoſa dilute luteam, rotundam, tenuem, longam, diviſam in plures alias minores, quæ funduntur in plurimas tenuiſſimas fibras, ſaporis moderate acuti ſine amaritudine, ac odoris

odoris eſt acutiſſimi, veluti Allium, & quando recens collecta offendit non ſolum odoratum & caput, ſed & reſpirationem tanta vi impetit, ut oporteat eandem fugere, ne graviter aſtantes offendantur facultate ſua penetrativa; guſtata enim relinquit in ore maximam ariditatem.

5. Herba Mimoſa non ſpinoſa λεπτομακροκέρατος ſeu ſpuria de Pernambuca, nobis. Mimoſa ſpuria de Pernambuco dicta Italica, Zanoni. Præcedenti 4[tæ] herbæ Mimoſæ λεπτομακροκεράτῳ propter conformitatem in ſiliquis mucronatis hanc ſubjunximus; accedit priori & ſequenti altitudine & foliorum ſimilitudine, ſed recedit ab ipſis quia ejus folia tacta non ſe comprimunt prædictarum more. Hæc à multis annis variis Italiæ locis familiaris fuit, adeo ut advena & peregrina non jam habeatur planta in illis regionibus; proinde acquiſivit nomen Mimoſæ Italicæ. Hæc differt à prioribus duabus plantis Mimoſis ſupra allatis, primo parvitate totius plantæ, præcipue foliorum; deinde folia tacta non ſe comprimunt; tertio ſiliquis longis tenuibus mucronatis & abſque ſpinis diſtinguitur à quarta, cujus ſiliquæ ſunt tenues, longæ etiam, ſpinoſæ, ſicut caules ipſius; atque à ſequente, primo intuitu ſiliquarum ejuſdem, quæ ſunt compreſſæ, latæ, nigræ, ſeminaque compreſſa nigra in ſe continentes: intra foliorum & caulium ſinus ſeu alas oritur pediculus triangularis, brevis ſatis, uncialis, & aliquando longior, in cujus ſummitate paulatim apparet globulus rotundus, conflatus ex pluribus capitulis minoribus, granulatis, ejuſdem formæ & figuræ cum Mimoſæ antecedentis capitulis, quibus apertis producuntur flores parvi, contexti ex ſtaminulis, quæ leviter palleſcunt, in quorum ſingulorum medio (raro unica ſola) frequentius duæ, tres aut quatuor ſiliquæ ſimul conjunctæ, quæ creſcunt ad longitudinem ſeſquiuncialem, & ad craſſitiem quæ obſervatur in Icone quinta, in qua ſiſtuntur ad vivum non ſolum ſiliquæ, ſed ſemina & etiam folia. Hæc planta Mimoſa niſi obſtarent rigor & frigus hyemis, fortaſſis conſervari poterit toto anno. Folia hujus Mimoſæ tacta, non ut prædictæ folia in ſe comprimuntur, nec ullo modo ſentiunt; ſed ſole occidente operiuntur & eodem pariter oriente aperiuntur, quod huic cum multis πλαγιοκαύλοις ſeu Leguminibus alatis eſt commune.

6. Herba Mimoſa non ſpinoſa πλατυκέρατος ſeu βραχυπλατόλοβος de Jamaica Patavina dicta, nobis. Mimoſa de Jamaica dicta Patavina, Jacob. Zanoni. Hæc herba Mimoſa ad brachialem & ſeſquibrachialem altitudinem aſcendit; in omnibus partibus communibus valde accedit prædictis duabus, atque quartæ ſimilior in reſtrictione ſeu compreſſione, niſi quod tardius ſeſe moveat, atque in caule principali ſeu majore multa folia, præcipue verſus terram, porrigat, quibus extenditur herba ipſa, & ſi aliquod horum terram attigerit, etiamſi denſe proveniant, maxime in caulis parte inferiore, radiculas in terram demittit; in hiſce caulibus ſunt denſi nodi ſeu ocelli, ex quibus proveniunt multi rami rotundi, qui creſcunt ramis prioris ſimiles, cortice tenui tecti, qui facile ſeparatur à parte lignea; coloris eſt dilute viridis, prope terram & ſuperius rugoſus, ſed totus lucidus & tactui aſper, propter multas extuberantias quæ eminent in ſuperficie: rami plicati difficulter rumpuntur, & rupti conſpiciuntur pleni medullæ viridis, circumvallati portione tenui, lignea, alba: folia ſunt alata conjugatim ſeu binatim coſtæ mediæ adhærentia, ſuperioris inſtar, ſed numero plura; ex alis foliorum naſcuntur alii ramuſculi minores, gerentes in ſummis caput granulatum viride, quod poſtea flaveſcit & aſſimulatur Rubo antequam matureſcat, in quo proveniunt granula, quæ poſtea aperta, ſunt loco capſularum florum, conflata ex quatuor aut quinque denticulis, qui ſiccati cedunt ſuperioribus eo modo qui raro obſervatur, niſi in cimis floridis, nec hoc exprimitur à pictore; in medio multa apparent filamenta & ſtamina lutea, quæ poſtea albeſcunt & in ſummis gerunt apices minutos, rotundiuſculos, coloris obſcuri & odoris tenuis, qui paulatim florendo circundant reliquum capitis, quibus deciduis ſuccedunt ſiliquæ, quas videre non licuit Jacobo Zanoni præter rudimenta, etiamſi hæc herba Mimoſa ſit præcedenti habitior & validior; appropinquante menſe Octobri aut Novembri & adventante frigore ſeu aere frigido exſiccatur omnino. Siliquas habet compreſſas, tumidas abſque pilis, protuberantes ubi apparent ſemina, eaſque ad 10. ſimul conjunctas & ex communi pediculo ortas, coloris caſtanei extra, & intus argentei coloris; in ſingulis conſpiciuntur ſemina 10, uvarum acinis ſimilia, ſed minora, aliquantulum compreſſa, lucida, perdura, coloris etiam caſtanei: radix craſſa digitum tranſverſum plus aut minus, ſecundum tempus benignum, calidum & ſiccum; ſeſe dividit in multas alias radiculas longas, fibroſas, obſcure luteas, ſapore acri, mordicante: folia ſunt muſcilaginoſa & pinguia, ſed ſapore imperceptibili; rupta & maſticata intra dentes reddunt materiam viſcidam, odoris ſupra dictæ, ſed tenuioris. Omnes hæ ſpecies Mimoſæ ſeu ſenſitivæ inter miranda naturæ poni debent judicio multorum doctorum,

&

& Mimoſæ dicuntur quia, ut ſuperius diximus, quaſi ſenſu donari conſpiciuntur, ſi vel leviter tangantur, qualibet re ipſis admota, illico ſeſe contrahunt & cauſam tangentem averſari obſervantur, proinde herbæ Mimoſæ ſenſitivæ ſeu vivæ nomen jure obtinuere. Theophraſtus dum agit de plantis provenientibus circa Memphim, unam hujus generis proponit plantam, naſcitur, inquit, peculiaris quædam materia circa Memphim (per ὑλυμα materiam intelligunt alii, virgultum alii, ex textu Græco) non foliis, vel ramis, vel tota forma proprietatem ſortita, ſed affectione quæ accidit; quippe facies ejus ſpinoſa, foliumque Filicibus non abſimile, ſed cum ramulos quivis tetigerit, folia quaſi hebitata conſidere pro tempore aliquo, poſt reviviſcere rurſuſque vivere affirmantur. Et hæc videtur eſſe Æſchinomine Apollodori ſequacis Democrati, à quo ſic Plinius ſecundum verſionem Dalechampii pag. 617. l. 24. c. 17. Adjecit Apollodorus ſectator ejus Æſchinominen, quoniam appropinquante manu folia contraheret. Omnino perditam eſſe hanc plantam in Ægypto credidere Bellonius & Alpinus cum illius neutiquam meminere, & Guillandinus confitetur ſe in Ægypto diligenter eandem ſed fruſtra ſcrutatum fuiſſe; ego, inquit, iſtam diu multumque in Ægypto circa Memphim Heliopolim, Tanaim & Alexandriam, quæſitam nunquam offendere potui. Idem affirmat Bodæus à Stapel. Nulla ſpecies herbæ Mimoſæ ſatis mirandæ invenitur in Aſia, neque in Malabar, ut notat Acoſta lib. de Aromatis. Vide cætera pag. 101, & 102. Hiſt. noſtræ Univerſalis Oxonienſis. Hæc à nobis hic dicta eodem referat lector, ubi habentur Temperamentum & Vires.

SENNA.

Sennam quidam Dioſcoridis Delphinium, alii Pelecinum, alii Peplium, alii Empetron, alii Alypon: alii Theophraſti Cercidem ſive Coluteam 3am, alii Colyteam 1am eſſe putant: at rem novam veteribus Græcis & Latinis ſcriptoribus indictam, & à Mauritanis primo propoſitam, à Serapione ſub Sene, à Meſue, qui domeſticam & ſilveſtrem facit, ſub Senna cenſemus; cujus ex Græcis ſolus Actuarius meminit.

Senna eſt planta leguminoſa πλαγιόκαυλος producens ſiliquas propendentes raro diſpoſitas, latas & compreſſas, adeo, ut ſuperior membrana inferiori cohæreat, ſuntque tumidæ ubi apparent ſemina vinaceis acinis ſimilia, atque his notis facile Senna à cæteris Leguminibus ſiliquis propendentibus diſtinguitur. Eſt duplex, Alexandrina foliis acutioribus; & Italica foliis obtuſioribus.

1. *Senna* Alexandrina, ſive foliis acutis, C. B. P. Folia orientalia officinarum. Sena Alexandrina, Matth. Ad. Cam. Trag. Geſn. Hort. Senna orientalis, Bellon. Tab. Ger. Sena Ægyptia ſive Alexandrina Syriacave quæ præſtantiſſima, Lugd. Senna, vel Σένα Græcis, foliis eſt Glycyrrhizæ inſtar alatis, ſed eadem habet oblongiora & in acumen vergentia, omnibus ſuis partibus eſt vulgari ſeu Italica tenerior.

2. *Sena* Italica, ſive foliis obtuſis, C.B.P. Sena Italica, Trag. Tab. Ger. Cam. ep. Sena, Matth. Fuch. Dod. Lob. Lugd. Sena altera dicta media, Bellon. Sena communis & vilior, Geſn. Hort. Sena noſtras, Cæſ. Hæc Sena ſecunda foliis etiam conſtat alatis, ſed prioris multo obtuſioribus, craſſioribus aut ſubpinguibus, Fabarum recentium ſapore, caule cubitali, à quo ramuli exeunt flexibiles: flores ei emicant aurei, veluti Coluteæ veſicariæ, è ramuſculis prominentes, tenui pediculo nitentes, purpureis intercurſantibus venulis, quibus ſuccedunt folliculi falcati reniformes (ut in ſuperiore) cujus ſuperior membrana inferiori cohæret: in ſingulis ſemina plura continentur ſubvireſcentia, vinaceis acinis ſimilia; ut dicam paucis, in multis conveniunt & hæc & prior, ſed foliorum forma præcipue differunt. Nomina ſatis patent ſupra.

LOCUS & TEMPUS.

Loci indigitantur vel prolatione nominum, prior ex Alexandria Ægypti ad nos Europeos convehitur, altera ſeritur in Hetruria in agro præſertim Florentino, in campis illic.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Sena Alexandrina in maximo eſt apud Europeos uſu, aperit, alvum citat, digerit, concoquit, excalefacit, attenuat, educit bilem, tum atram, tum flavam, ac etiam pituitam, quod ſane experi-

experientia comprobatur. Mundat cerebrum, jecur, lienem, pulmonem, atque omnes corporis ſenſus; viſcerum obſtructiones aperit. Optima eſt in univerſum medicina morbis omnibus diuturnis, & melancholicis, ideoque deliriis, amentiæ, reſolutioni nervorum, phthiriaſi, cephalalgiæ, ſcabiei, pruritui & epilepſiæ. Cor etiam roborat, præſertim ubi iis commiſceatur medicamentis, quæ ad cordis affectus ſunt idonea. Eſt præterea Sena clemens, & nullius incommodi medicamentum, adeo ut dari poſſit pueris ætate tenellis, tum etiam utero gerentibus. Fit ex foliis vinum vindemiæ tempore, quod potum ea omnia præſtat; citra violentiam ac noxam purgat. Folia, inquam, Sennæ ſeminibus Aniſi, Carui, Fœniculi, Coriandri, carminativis dictis, leviter pulverizatis & additis, vel lenientibus medicamemtis, ut pulpa Caſiæ, Tamarindorum, ſyrupo Roſarum pallidarum aut florum Perſicorum contemperatis, & mixtis decocto Sennæ, optime purgant. Datur in pulvere, ſed tutius & jucundius dilutum ejus exhibetur. Laudant Arabum plerique folliculos Senæ, at noſtri Europei folia magis commendant: folliculi etenim niſi maturi flatus gignunt, & tortiones ventris adferunt; ſæpe autem illos ante maturitatem colligi contingit. Senæ Alexandrinæ pulvis exhibetur cum Caſiæ pulpa à ſcrup. ij ad ſcrup. iv. folia autem in vino, ſero lactis, aut aliquo alio vehiculo ſeu liquore à drach. ij. ad drach. iv. per noctem infuſa, additis ſeminibus carminativis prædictis, & liquore percolato, & ad Unc. vj. vel vij. purgant tuto & jucunde. Mirum inquit Braſſavolus anno 1538. caninam appetentiam Ferrariæ fuiſſe morbum epidemicum, & potius fuiſse ex atra bile os ventriculi occupante, quam ex acida pituita. Omnes autem quos curavit (curavit autem multos) ex infuſione Senæ ſanitati reſtituti ſunt. Poterint folia coqui cum prunis aut paſsulis, hujus decoctionis ſumat patiens, alvum liberam habebit. Referantur ad Cap. 3. de Leguminibus ſiliquis propendentibus donatis.

Nil ſive Anil, Indigo ſive Indica.

NIl, vel potius Nir, Arabibus eſt color cæruleus, qui Luſitanis tam Anir quam Anil dicitur: Arabes quoque dicunt Nil; Hiſpanis Azul, vulgo Anil & Indigo ſeu Indica dicitur. Anil eſt Herba fruticoſa ex una radice plures producens ſurculos, in altitudinem ſex palmorum aſcendentes, digitum minorem craſſos, coloris cinericei: folia habet ſimilia Ciceris: flores exiguos è candido rubicundos, cum quibuſdam ſiliculis coacervatim pendulis è caulis ſummitate, quæ ſimiles ſunt vermiculis, quos vocamus aſcarides, craſſiuſculæ ſunt & plenæ ſemine nigro, quod non male Legumini comparatur. Licet Marcgravio videtur frutex lignea conſtans ſubſtantia, eſt tantum herba biennio ſummo cum vigore & viribus integris vigens.

LOCUS & TEMPUS.

Naſcitur ſponte locis calidis tam planis quam montuoſis Indianis, facile coli poſſet in Hiſpania locis calidis, imprimis Alandaluziæ aut ſimilibus. Serendum foret ſemen in terra bene fracta atq; ſubacta, qualem Lactucæ amant, menſe Januario, ſi terra fuerit humida aut rigua; ſin vero horum aliquid deſideratur Septembri aut Octobri, dein tempore opportuno transferendæ eſſent plantæ & commodis intervallis diſponendæ. Denique danda opera ut zizania ſupprimantur ne tenellas plantas ſuffocaverint. Hæc Fran. Xemenes tradit in commentariolo ſuo de plantis novæ Hiſpaniæ. Colitur in America, Braſilia, & Inſula Barbados ſub ſereniſſimi D. D. noſtri Caroli ſecundi ditione. Nec poſſum pati quin mercatores illic habitantes per multos annos redarguam, qui hujus plantæ cæruleum, Indigo dictum, inter publicas merces Europeis exponunt, nondum eo curioſitatis provecti, ut vel perfectam ejus Iconem cum floribus & ſiliquis delineandam & ſculpendam curare dignati ſint, cum nec exacta ejus Icon cum floribus & ſiliquis, imo nec exacta deſcriptio mihi apud Indiæ ſcriptores hucuſque apparuit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Anil ſive Indigo nonnihil amaricat, eſtque acute calidum & ſiccum ſecundo gradu; pulvis ejuſdem medetur plagis veteribus, ſi ante urina abluantur. Folia contuſa & emplaſtri vice applicata, dolorem capitis dicuntur mitigare, maxime in infantibus, etiam in aqua macerata & cerebro applicata.

Modus conficiendi cæruleum, Indigo dictum.

Anil ſeu Indigo quod Mexicani dicunt *Mohuitli* & *Tlecohuilli*, Hiſpani autem Azul, ſic conficitur. Indunt primo indigenæ Mexicani aliique Americani folia decerpta æneo vaſi, pleno aqua modice calida vel tepida (licet quidam magis probent frigidam) & valde verſant, donec aqua tingatur, & aquam bene tinctam ſeu (ut cum Chymicis loquar) impregnatam ſufficienter compererint, eam dein effundunt in aliud vas ſive ollam aut cacabum, cui in ſuperiore parte eſt foramen, è quo aqua magis pura & clara delabitur; turbida autem & quæ ſubſtantiam foliorum exhauſit, aut quæ bene impregnata eſt ſubſidet, ea porro percolatur per ſaccum cannabinum, & ſpiſſior ſubſtantia formatur in paſtillos ſeu pilas, & pilulæ exponuntur ſoli, atque poſtea patinis compoſita imponuntur prunis ardentibus ut indurentur & ſiccentur, atque hac ratione paratæ ſunt ad uſum tinctorum, ut colore cæruleo poſſint lanam, pannum atque ſericum tingere. Referatur ad cap. 3. inter Legumina ſiliquis propendentibus donata.

Aſtragalus perennis foliis hirſutis caule recto aphyllo flore ochroleuco odoratiſſimo, nobis. Hæc nova Aſtragali ſpecies perennis plurima edit folia, alata, hirſuta, & per terram ſtrata, binatim ſeu conjugatim ῥάχι ex adverſo adhærentia, uno impare extremum coſtæ claudente: ex meditullio foliorum, per terram ſic ſtratorum, oriuntur cauliculi, hirſuti itidem, pedales & altiores, ſuſtinentes plurimos flores luteopallidos ſeu ochroleucos, fragrantiſſimi odoris, ad longitudinem trium unciarum in ſummis caulium ſpicatim digeſtos, quorum ſingulis ſuccedunt *ſiliquæ ſingulæ* gemellæ, craſſæ admodum, triquetræ, vix unciam longitudine ſuperantes, harum ſingulæ bina vel terna continent ſemina, oſſa ſeſamoidea referentia, ſeminibus cæterorum ſuæ ſortis craſſiora: planta eſt perennis. Refer hunc ad cap. 5. ſupra.

Trifolium pratenſe degenerans in quadrifolium Phæum ſeu fuſcum, nobis. Quadrifolium Phæum fuſcum, Ad. Lob. Lugd. Quadrifolium hoc fuſcum eſt Trifolii pratenſis albi varietas tantum, quæ foliis maculatis fuliginei aut fuſci coloris, aliquando ternis, ſed ſæpius quaternis, quinis, nonnunquam ſeptenis, donatur: nam flores & ſiliculas bivalves (ſi quas fert, quod raro contingit propter rependi nimis avidum ſtudium) omnino conformes gerit cum Trifolio pratenſi vulgari albo, differt autem ſolo numero & colore foliorum; numerus contingit à luxuriante naturâ, color primo obvenit à mixtura terræ, ſalis & ſulphuris, quæ colorem hunc obſcure ex viridi fuſcum induxerunt foliis primi in pratis reperti, inter alia vulgaria Trifolia pratenſia alba ſic adumbratis: ob raritatem coloris & numerum quaternarium foliorum, à primo obſervante revulſum ex pratis & in hortum tranſlatum & ibidem cultum, felicius & plenius nutritum, eundem retinens colorem quem in pratis poſſidebat, non ſolum quaterna, ſed & quina, ſena, producere obſervabatur folia, cumque radicibus ſeſe augebat; ita planta multiplicata in horto Edvardi Morgan & inde tranſplantata in hortos matronarum nobilium, ab ipſis conſervatur ſumma cum confidentia, quaſi ſummo eſſet auxilio contra febres purpureas liberorum. Multoties alibi colitur propter gratum ſatis & omnino diverſum aſpectum & numerum foliorum, quibus tantum diſtinguitur à Trifolio vulgari pratenſi albo, cum quo adhuc convenit in partibus eſſentialibus, ſclicet flore, ſiliqua & ſemine. Referatur ad cap. 7. inter Trifolia.

Trifolium argenteum clypeatum, Alpin. de Exot. Trifolium hoc elegantiſſimum Creticum, parvum, humi procumbens, ac fere per terram ſtratum, ternis donatur foliis obtuſis: flores producit plurimos in capitulum congeſtos, albos quaſi argentei coloris, inodoros, ſapore modice acri, quorum ſingulis ſuccedunt capſulæ maxime ad antiquos clypeos Venetos accedentes, quinque pinnas in ſingulis capſulis monſtrantes, videlicet quatuor in ſuperiore parte minores & breviores, & quintam in inferiore longiorem; in harum ſingularum fundo unicum reperitur ſemen nigrum. Planta eſt annua. Floret æſtate, & paulo poſt ſemina perficiuntur. Referatur ad cap. 7. inter Trifolia.

Trifolium aſphaltion Canadenſe, Cornut. Trifolium hoc ad cubiti altitudinem attollitur, virgas habet tenues, junceas, atropurpureas, quæ ſtatim παραφυάδας, hoc eſt ramulares propagines emittunt; ſummitates in plures deducuntur, à quibus folia Loto arbori ſimilia prodeunt, acutiora tamen & anguſtiora, qualia ὀξύφυλλα Dioſcorides nominare conſuevit; leviter etiam hirſuta ſunt ac veluti oleoſa pinguedine obſita (ex uno longiore pediculo naſcuntur) quæ diffracta, aut ex attritu non olent, verum cum levius attrectantur oleoſus hic humor digitis apprimitur, moleſtus gravitate odoris, qui quidem in novella planta Rutæ eſt, in adultiore hirci aut bituminis: ramorum extrema flores occupant purpurei, ejuſdem formæ cum cæteris Trifoliis leguminoſis:

noſis: florum petala intus alba ſunt, licet à tergo purpurea: floribus deciduis ſuccedunt ſiliquæ digitum longæ, hirſutæ paululum (quemadmodum folia) oleoſæ virides, extremo purpureæ, in quarum capacitate conduntur ſemina lata, oblonga, medio ſinu excavata, ut Faba purgatrix: radix longa, fibroſa, inſigni fervore prædita eſt, ac fere pari acrimonia linguam mordicat, quâ Anemone. Annua eſt planta & non niſi ſatione perennat. Odoris & coloris præſtantia, locorum in quibus provenit ratione, contingit ex Theophraſti ſententia, τὸ δὲ ὅλον ὥσπερ ἐλέχθη καὶ ἡ εὐοσμία καὶ ἡ εὐχροία παρὰ τοὺς τόπους ἐστίν, ut habetur c. 6. l. 6. Hiſt. Cauſam hujus rei eſſe arbitror quòd hæc Trifolii ſpecies apud nos velut extorris vivat, ac proinde ſicut in juſtam magnitudinem vix adoleſcit, ita neque completam fructus ejus maturitatem, neque vividum caulis & flores ejus adipiſcuntur colorem. Quicquid gignitur à natura, imo in maxime diſtantibus locis eodem modo producitur, quia ut natura ubique eadem eſt, ita etiam vires ſuas æqualiter ubique diffuſas eſſe demonſtrat. Referatur ad cap. 7. inter Trifolia.

Lotus Cretica ἱεραζόν, Hon. Belli Ep. 5. ad Cluſ. Trifolium ſive Lotus ἱεραζόν edulis ſiliquoſa, J. B. Chabr. Lotus Cretica edulis, Park. Loti hæc ſpecies eſt edulis, in foro Cydoniæ eſtur ejus fructus: ſiliquæ antequam dureſcere incipiant venales illic reperiuntur, à pueris & feminis libentiſſime eduntur, ſuccoſæ ſunt & dulces, Piſi recentis guſtu: multos tenues caules à radice profert: folia Trifolii, anguſta, craſſiuſcula aliquantulum, & mucronata, terna ſemper in caulis extremitate ſimul conjuncta, bina ad pediculi exortum: flores Piſi inſtar, quibus ſuccedunt ſiliquæ rotundæ, ad extremum falcatæ, ac pro ratione plantæ, magnæ. Inter ſegetes invenitur, & in marginibus agrorum frequentiſſime paſſim in Creta. Refer ad cap. 13. de Loto herba.

Finis Sectionis ſecundæ, Partis ſecundæ.

PLANTARUM

Legumina ſcandentia capreolis.

1. Piſum majus, Dod, Ger.



2. Piſum umbellatum, C.B.P. & Ger.



3. Piſum ramulare hilo nigro, nobis.



4. Piſum pulchrum folio anguloſo, I.B.



ſum ſpontaneum perenne repens humile, nobis.



6. Piſum ſpontaneum nanum inter triticum, nobis.





Auſpiciis Nobiliſsimi & Honoratiſsimi D. Iohannis Vicecomitis Mordaunt.



Legumina ſcandentia capreolis.
Tab: 2da Sec. de 2.
1. Lathyrus arvenſis rad. tuberoſa repente, nobis.
9. Lathyrus Bœticus fl. luteo, park.
2. Lathyrus Syl. luteus fol: Viciæ, C.B.P.
3. Lathyrus latifolius, C.B.P. Clymenum, Math.
4. Lathyrus anguſtifolius alter, I.B.
6. Lathyrus ſativus minor ſemangulaſo, nob.
7. Lathyrus arvenſis ſiliquis piſi minoris, nobis.
8. Lathyrus arvenſis ſiliquis hirſutis, nobis.
VIRTUTE NON VI
Auſpiciis Nobiliſsimi & Honaratiſsimi D. Georgii Berkley, Baronis De Berkley, et antiqui ſtemmatis Berkley-orum Gentis principis.
Franc. Batler delin.
Fred. Hen. Van hove ſculp.

Legumina ſcandentia capreolis.




Legumina ſcandentia capreolis.
Tab. 4ta Sect. 2dæ
1. Vicia perennis multiflora cærulea ſepium, nobis.
2. Vicia perennis maxima dumetorum, nobis.
3. Vicia maxima Romana folio ſerrato et integro, nobis.
4 & 6. Vicia luteo-pallida ſiliquis hirſutis craſsis erectis, nobis.
7. Vicia lutea fol. Convolvuli minoris, C.B.P.
12. Vicia major sativa vulgaris, nobis.
11. Vicia ſyl. sem. nigro et variegato, nobis.
14. Vicia pratenſis verna s. præcox sem. hexaedro, nobis.
15. Vicia minor segetum ſiliquis pluribus hirſutis, C.B.P.
16. Vicia minor segetum ſiliquis paucis glabris, C.B.P.
Auſpiciis Nobiliſsimi & Honoratiſsimi D. Jacobi Bertie Baronis Norreys de Rycott &c.

Tab. 5. sect. 2. **LEGUMINA SCANDENTIA CAULICULIS, NON CAPREOLIS.**



Legumina non ſcandentia ſiliquis propendentibus.

1. Orobus annuus receptus herbariorum, lob. Ger.



2. Orobus Creticus ſemine maj. obtuſo triangulo, C.B.P.



3. Cicer arietinum, Dod.



5. Orobus ſylvaticus ſeu Venetus, Cluſ. hiſt.



6. Orobus ſylvaticus Viciæ folijs, C.B.P. Pannonicus 2. Cluſ.



8. Sophera, Securidaca Ægyptiaca, Park.



9. Seſban Ægyptiacum, ſ. Securidaca Ægyptiaca articulata, Park.



10. Securidaca vera, Cluſ. hiſt.



11. Stella leguminoſa, lob. lugd.



Auſpiciis Nobiliſsimi viri D. Caroli Howa
illuſtriſs. Principis, Northfolciæ Ducis, fratr
Germani; plantarum rariorum in vil
ſua, prope Darkin Cultoris ſolertiſs

Legumina non ſcandentia ſiliquis erectis.



1 & 2. Faba major et minor.



3. Lupinus albus, Park.



4. Lupinus luteus, Tab. flavo fl. Cluſ. hiſt.



6. Lupinus cæruleus minor Virginianus perennis repens, nobis.



5. Lupinus peregrinus cæruleus maj. villosus, C. B. P.



7. Lupinus ſyl. anguſtifolius fl. cæruleo, Eyſt.



8. Glycyrrhiza vera ſiliquosa, s. Germanica, C. B. P.



9. Galega vulgaris, C. B. P.



10. Orobus ſyl. purp. vernus, C. B. P. Pannonicus I. Cluſ. hiſt.



11. Orobus ſyl. anguſtifolius Aſphodeli radice, C. B. P.



Auſpiciis Nobiliſs. & Clariſs. Viri D. Roberti Boyle, illuſtrium Comitum de Burlington, & de Orory fratris germani, rerum naturalium indagatorum Coryphæi.

Legumina non ſcandentia ſiliquis erectis.

1. Orobus Bœticus lanuginoſus radice ampliſsima, nobis.




2. Orobus Syriacus hirſutus magno flore, nobis.



3. Orobus Alpinus claviculatus magno flore nobis.



4. Arachidna s. potius Aracoïdes, Hon. Belli I. B.



5. Orobus ſiliqua et pediculis brevibus, nobis. Aſtragalus Dioſc.dis I. B.



6. Glaux Hiſpanica, Cluſ. hiſt.



7. Hedysarum argenteum Creticum, Proſp. Alpin de exot. Park.




8. Herba mimosa s. planta ſensibilis maj. et minor.



9. Tribulus terreſtris, Dod.





Auſpiciis Nobiliſs. viri D. Radolphi Montacuti, unici & hæredis Nobiliſs. D. Ed. Montacuti Bar. de Boughton in Comitatu Northamp. Antiqui ſtem. familiæ Montacutorum Principis.

Legumina ſiliquâ Gemellâ donata.

1. Aſtragalus ſpicatus Americanus ſcandens rad. tuberoſa, nobis. 2. Aſtragalus ſpicatus pannonicus purpureus, nobis. 3. Aſtragalus perennis monſp. fl. Cæruleo, I. B.



8. Aſtragalus perennis procumbens fl. ochroleuco, nobis. 9. Aſtragalus perennis ſiliqua Gemina Veſicam referente, nob. 10. Aſtragalus monſp. annuus procumbens fl. ochroleuco, nob.



11. Aſtragalus annuus rectus fl. ochroleuco, nobis. 6. Aſtragalus annuus, peregrinus ſiliquis utrinq; ſeræ ſimilib, nobis. 12. Aſtragalus annuus ſiliquis et fol. hirſutis, nobis. 13. Tragacantha, lugd. et lob.



Auſpiciis D. Iohannis Cotton Equitis Baronetti Nepotis Clariſs. V. D. Roberti Cotton Antiquarii Digniſsimi & M.S. Orientalium Colectoris avidiſsimi, cujus indefatigabilis Diligentia ultra impenſa ex ipſius Bibliotecæ inſpectione cernitur.



Legumina siliquis articulatis donata.
Tab.10. Section 2da major.
1. Ferrum equinum ſiliquâ singulari, C.B.P.
2. Ferrum equinum ſiliquâ multiplici, C.B.P.
3. Ferrum equinum capitatum ſ. comoſum, Col.
4. Polygala dumetorum fl. vario, nobis.
7. Colutea ſcorpioides prima elatior, Clus.
9. Colutea humilior siliquis craſsis, nobis.
10. Colutea, s. polygala Valentina 1.a Clus.
6. Colutea s. polygala Enneaphyllos, nobis.
13. Ornithopodium majus, C.B.P.
14. Ornithopodium minimum ολυγοκέρατον, nobis.
15. Ornithopodium αἰγοκέρατον, nobis.
Auspiciis D. Kingsmil Lucy Equitis Baronetti


Legumina siliquis articulatis et echinatis donata.
Tab. ij, Sect. 2dæ
Polygala dumetorum minor pallide cærulea, nobis,
5.ta Tab.læ 10.mæ
1. Scorpioïdes Bupleuri folio corniculis aſperis minus contortis, nobis.
II
III
IV
5. Scorpioïdes portulacæ folio, Park.
7. Onobrychis articulato sem. aspero clypeato, nobis.
9. Onobrychis Canadensis triphyllos articulato sem. triquetro, nobis,
10. Onobrychis maj. fructu echinato minore, nobis.
11. Onobrychis minor fructu echinato majore, nobis.
12. Onobrychis fructu orbiculato, peltato, Acaciæ adinſtar, nobis.
13. Glycyrrhiza sem. echinatis in capitulûm congeſtis, nobis,
Auspiciis D. Hugonis Cholmly Equitis Baronetti.


Legumina trifoliata ſ. trifolia leguminoſa.
Sect. 2. Tab. 12.
1. Trifolium bituminoſum maj. et minus.
2. Trifolium pratenſe album.
6. Trifolium pratenſe purpureum.
1. vide Tab. 13.
Trifolium lagopöides montanum, 3. cluſ.
2. Trifolium Alpinum anguſtifol. cluſ.
3. Trifol: lagopöides trifolij pratenſis folio.
12.
Trifolium lagopöides fl: ochroleuco.
4. Trifolium lagopöides pennatum.
5. Trifol: lagopöides fruticoſum, Ebenus Cretica, I.B.
Auſpiciis D. Guilielmi Farmor Equitis Baronetti
de Eston-Neston in Comitatu Northamptoniæ.


Legumina trifoliata s. trifolia leguminoſa.
Tab. 13, Sect. 2dæ
6. vide Tab. 12 & 13.
Trifolium lagopoides anguſtifol. & rotundifol. hirsut. nobis.
7. vide Tab. 12 & 13.
Trifolium lagopoides minus fl. ruberr.
8. vide Tab. 12 & 13.
Trifolium lagopoides arvenſe humile.
1. & 2.
Trifolium lupulinum luteum maj. & min9.
9. vide Tab. 13.
Trifolium ſtellatum purp. Monſp. I B
10. Tab. 13.
Trifolium Glomerulos oblongos proferens ex Geniculis, I B.
11. Tab. 13.
Trifolium Glomerulis personatæ Cherleri, I B.
4. Tab. 13
Trifolium capitulo Glome=rato rigido, I.B.
12. Tab. 13.
Trifolium pratense Salman=ticum, Cluſ.
5. Tab. 13
Trifolium nodiflorum, nobis.
14. Tab. 13.
Trifolium fragiferū, Ger.
15. Tab. 13. Trifolium vesicarium am=pullatum, nobis.
Auſpiciis D. Franciſci Arundell armigeri de Stoke Bruerne in agro Northamptoniæ.


LEGUMINA TRIFOLIATA S. TRIFOLIA LEGUMINOSA.
Tab. 14. Section 2.
Trifolium ſpicatum minus fl. minore dilutè purpureo, nobis, reſer ad Tab. 12.
4. Trifolium pratenſe caule fiſtuloſo, foliis ſubtùs maculatis flore ochroleuco, nobis. reſer ad Tab. 12.
5. Trifolium ſubterraneum tri cum Gaſtonium, nobis. reſer ad Tab. 12.
1. Trifolium Glycyrrhizites Park. dulce montanum, monſpelienſibus.
2. Trifolium Americanum, Dod.
3. Trifolium Peltatum Creticum, C.B.P.
4. Abſus, Proſp. Alpin.
5. Trifolium aculeatum Creticum, I.B.
7. Trifolium lotus ſyl. ex cod. Cæsareo, Dod.
8. Trifolium corniculatū, Luſitanicum fl. rubro Park
9. Trifoliū luteum Creticum, Park.
11. Trifolium ſ ca feſtucacea altera, Park.
Fr. Barlow, delin. Burghers ſculp.
Auſpiciis D. Roberti Long, Equitis Baronetti, ſcaccarii Auditoris, Regis a ſecretioribus conſiliis.

LEGUMINA TRIFOLIATA *seu* TRIFOLIA LEGUMINOSA.

trifolia cochleata seu medicæ cochleatæ.



Dav. Loggan ſculp. Fr. Barlow delin.

Auſpiciis D. Arthuri Chicheſter Equitis Aurati et m.ʳⁱ a ſecretioribus Conſiliis in Hibernia.



LEGUMINA TRIFOLIATA ſeu TRIFOLIA LEGUMINOSA.
Tab.16. Section.2.
MEDICÆ FALCATÆ.
1. Medica falcata ſilveſtris ſiliqua tortili cornuta diverſorum colorum, nobis. Vide Medicas varias Cochleatas in Tab. XV.
2. Medica falcata ſativa ſiliqua cornuta magis tortili flore violaceo, nobis. Fœnum Burgundi a cum Ad. Lob.
3. Medica annua ſiliqua falcata ſtriata, nobis. Lunaria radiata Italorum, Lob.
4. Medica frutescens incana ſiliqua falcata plana, nobis. Cytiſus Maranthæ, Matth. Lob.
MELILOTUS.
1. Melilotus ſiliculis pendentibus curtis candida major, nobis.
2. Melilotus ſiliculis pendentibus curtis Lutea vulgaris officinarum, nobis.
4. Melilotus ſiliculis pendentibus curtis Lutea magno ſeminis pericarpio rugoso albo, nobis.
5. Melilotus Lutea minor ſiliculis majoribus ſpicatim & denſé diſpoſitis, nobis.
8. Melilotus Lutea minima hirſuta procumbens ſpica breviore ſemine renali nigro denſiſſime diſposito, nob. Trifolium agrarium, Dod.
9. Melilotus minima recta Lutea ſiliquis craſsis curtis in capitulum congestis radiatis ſemine Fœungræci, nobis.
10. Melilotus major odorata violacea, nobis. Trifolium odoratum alterum &c. Dod. Lugd.
11. Melilotus Lutea major corniculis reflexis ſpicatim ortis, nob. Melilotus Italica Fuch. 12. Syriaca minor procumbens ſive Alchimelech, Alpin.
13. Melilotus Syriaca ſeu Chalepenſis major coronata ſiliquis biuncialibus recurvis, nobis.
MIHI PARTA TUERI
sonmans deli.
burghers ſculp.
Auspiciis D. Nicholaii l'Estrange de Hunſtanton in agro Norfolciano Equitis Baronetti antiquissimæ familiæ suæ principis.

Legumina trifoliata, s. Trifolia leguminoſa.

Tab. 17. Sect. 2.




LEGUMINA TRIFOLIATA ſiue TRIFOLIA LEGUMINOSA.
LOTUS PENTAPHYLIOS.
Section 2. Tab. 18.
1. Lotus annua ολιγοκέραλος ſiliquis ſingularibus binis terniſve, nobis.
2 Lotus annua ολιγοκέραλος incana Narbonensium, nobis.
6. Lotus ολιγοκέραλος τετραγόνολοβος perennis Monspeliensis fl. luteo, nobis.
7. Lotus τετραγόνολοβος annua Cretica flore coccineo, nobis.
4. Lotus Cretica lutea ſiliquis longis erectis, nobis.
5. Lotus ολιγοκέραλος Cretica Lutea ſiliquis binis curvis propendentibus, nobis.
8. Lotus πολυκέραλος annua procumbens ſiliquis ornithopodii, nobis.
10 & 11. Lotus πολυκέραλος ſiliquis glabris & hirsutis, nobis.
9. Lotus πολυκέραλος ſiliquis recurvis pedes corvinos referentibus, nobis.
13. Lotus πολυκέραλος hirsuta ſiliquis tenuibus curtis erectis, nobis.
14. Lotus πολυκέραλος incana alba ſiliquis crassioribus curtis erectis, nobis.
15. Lotus πολυκέραλος incana ſiliculis ſubrotundis erectis, nobis.
16. Lotus πολυκέραλος incana fl. viridi, nobis.
Auspiciis D. Gulielmi Bridgman Armig. & status Subsecretarii.

Tab. 19. sect. 2.

Trifolium fragiferum s. fragaria eisq; affinia pentaphylla.





3.
QUINQUEFOLIIS AFFINES & ALCHIMILLÆ EPIMEDIUMQUE. Tab. 20. Sect. 2.
Pentaphylloides ſupinum potentillæ facie, nobis. ſupinũ, I.B.
1. Pentaphylloides erectum, I.B. Pentaphylloides erectum fragiferum, nobis.
2. Pentaphilloides erectum ſragariæ folio, nobis.
2.di ſpecies minor. Pentaphylloides procumbens incanum fragariæ folio, nobis.
4. Pentaphylloides incanum Tanaceti folio, nobis. Potentilla s. Argentina, I.B.
3. Alchimilla ſericea argentea vel incana, nobis. Pentaphyllum argenteũ fl. muscoso, I.B.
1. Alchimilla major viridis vulgaris, nobis. maj. vulgaris, Park.
4. Alchimilla montana minima, Col.
5. Epimedium, dod. lugd.
Burghers ſculp.
Auspiciis D. Leolini Ienkins Equitis aurati, ſupremæ Angliæ & Hiberniæ Admiralitatis Curiæ locũ tenentis & Præsidis, Curiæ prærogativæ Magistri.



Vicia minor fl. rubro fructu vario, nobis.



Vicia fl. orchroleuco ſiliquis hirſutis erectis, nobis.



Vicia fl. rubro fructu albo Piſi minoris inſtar, nobis.



Vicia maritima fl. albo longo, nobis.



Vicia fl. ochroleuco ſiliquis hirſutis propendentibus, nobis.



Orobus ſyl. noſtras tuberosâ rad. nobis. Aſtragalus ſylvaticus, Ger.



Cicer coccineum nigrâ maculâ notatum, nobis. Abrus Ægyptiis. Cor. 2. India Orientalis.



Fœnum Græcum ſiliquis in capititulum congeſtis, nobis. Ononis fl. pallido, Berardi.



Ononis perennis purpurea ſpicata, nobis mitior 1. Clus. hiſt.



Ononis fol. rotundis ſerratis, nobis. Cicer ſyl. 3. Dod.



Anthyllis Helvetiæ, nobis. Aſtragaloides Helvetiæ, Park.



Auſpiciis D. Henrici Coventry D. noſtro Carolo 2. ſtatus Secretarii principalis.

LEGUMINA & TRIFOLIA. appendix ſection. 2.dæ Tab. 22.

Aſtragalus flore ex cæruleo purpurascente, nobis. Onobrychis 2. Clus. hiſt. Tab. Ger.



Aſtragalus ſpicatus fl. pallidis, nigris radiis notatis, nob. Onobrychis 3. Clus.



Astragalus fl. Tragacanthæ floribꝰ viciæ maj. e. cæruleo purpuraſc, nob. Onobrychis 4. Clus.



Genistaspartium ſpinosum foliis Lenticulæ fl. ex cæruleo purpuras: centibꝰ, nob. Erinacea, Clus. hist. lugd.



Trifolium aſphaltion Canadense, Corn.



Trifolium Italicum ſive Melilotus Italica corniculis incurvis, I. B.



Trifolium Alpinum Rhæticum aſtragoloides, I. B.



Trifolium majus fl. elegantissimo rubro, nobis. majus 3. Clus. hist.




Nil, Anil, Glaſtum Indicum, Park. vide Tab. 24.




Anil, G. Marcg. vide Tab. 24.



Scorpioides ſolis viciæ, nobis.





Auspiciis D Henrici Savile Armigeri & Regis Caroli 2 Cubicularii.

LEGUMINA.

1. Herba viva Lugd. Acoſtæ. Herba Sentiola id eſt ſenſifica Luſitanis Linsc. part. 4. Indiæ Orientalis.



2. Herba mimosa minor ſpinosa fol. latioribus siliculis villosis, nobis. Inquiri ant Caaeo Indis indigenis, Georg. Marcgr.



3. Herba mimosa major frutescens ſpinosa fol. anguſtis capsulis seminalibus hirsutis & in capitulum collectis, nobis.



4. Herba mimosa λεπτομακροκέφαλος caulibus & siliquis ſpinosis, nobis. Mimosa ſpinosa de Parnambuca, Zanoni.



Herba mimosa non spinosa λεπτομακροκέφαλος eu Mimosa ſpuria de Parnambuca dicta Italica, Zanoni.



6. Herba mimosa non spinosa πλατυκέφαλος seu βραχυπλατολοβος Iamaica Patavina dicta, Zanoni.



Burghers ſculp.

Auspiciis D. Iohannis Northleigh Generosi ex agro Devoniensi & Collegii Exon. Socii Commensalis.


1. Senna Alexandrina ſive foliis acutis C.B.P. Sena Alexandrina, Trag. Cam. Ep. & Hort. Sena Orientalis Bellon. Ad. Lob. Cæs. Tab. Ger.
2. Senna Italica ſive foliis obtuſis C.B.P. Sena Italica, Trag. Tab. Ad. Lob. Ger. Cam. Ep. Hort. Sena, Matt. fuch. Dod. ut. Lob. Lugd. Sena noſtras, Cæs.
1. Nil ſive Anil, Cam. Anil ſive Indigo, Gali ſive Nil, Linsc. part. 4. Indiæ Orientalis, Ameri, Hort. Malabarici.
2. Colinil, Hort. Malabarici.
Aſtragalus perennis foliis hirſutis caule recto aphyllo flore othroleuco odoratiſſimo, nobis.
Trifolium degenerans in Quinquefolium Phæum fuſcum, nobis. Quadrifolium Phæum fuſcum, Ad. Lob. Lugd.
Trifolium Argenteum clypeatum, Proſp. Alpin. de exot.
Trifolium glutinoſum ſaxatile Argenteum flore Luteo odorato, Zanoni.
Lotus Cretica
Hon. Belli, Epis. 5. ad Clus.
Burghers ſculp.
Auſpiciis D. Henrici Norwood. Armigeri in
Gloceſtrienſi, non pridem ſubgubernatoris


Lathyrus minimus perennis αμφικάρπος seu supra infraq terram siliquas gerens, nobis. pag. 53. pl. 5.
2. Tragacantha Granatensis foliis incanis caducis flore albo, nobis. Tragacantha altera, Clus. Hist.
3. Tragacantha humilior floribus luteis, C.B.P. Tragacanthæ 2. Genus Ranwolfii Lug.
5. Tragacantha humilior ſpecioſior densius ramiſicata, nobis. Tragacantha altera seu Poterium densius ramificatum, Proſp. Alpin. de exot.
6. Tragacantha Cretensis aut Idensis nigra tota Echinata, nobis. Tragacantha altera, Prosp. Alpin. de exoticis.
7. Tragacantha tota ſpinosa & Echium referens, unde Echinus herbaceus dicta, nobis. Tragacantha altera humilior & spinoſior Echinus dicta, Proſp. Alpini, de exot.
Onobrychis major annua siliculis asperis articulatis, undulatim (id eſt autrorsum & retrorsum) junctis flore purpuro rubente nobis.
5. Melilotus lutea spicâ densius disposita ſemine minore, nobis.
6. Melilotus lutea ſpicâ rarius dispositâ semine majore, nobis.
Pentaphylloides maximum rectum fruticosum Eboracense, nobis. pag. 192 & 193. pl. 5.
Pentaphyllum minus procumbens viride flore luteo tetrapetalo radiculas in terram demittens, nobis. pag. 188 & 190. pl. 12.
Burg. ſculp.
Auspiciis D. Iohannis Holman Equitis Baronetti in agro Northamtoniensi.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Univerſalis Oxonienſis
PARTIS II. SECTIO III.

De ſiliquoſis tetrapetalis bivalvibus ſepto medio membranaceo diſterminante in ſingulis ſiliquis duplicem ſeriem ſeminum.

SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ BICAPSULARES.

CAPUT I.

§1. BRASSICA.

Braſſica Theophraſto 1. Hiſt. 19. inter olera eſt, quæ ἀπὸ τοῦ βοράζειν, *à vorando. Dioſcoridi l. 2. c. 14.* Κεράμβη, *quaſi* Κορᾶμβλη, *quod oculorum pupillas lædat, dicitur. Theophraſto &* ῥάφανον *dici, in Rhaphano infra monebimus.*

Genera: Dioſcoridi ſativa, ſilveſtris, & maritima. At Theophraſto 7. Hiſt. 4. alia criſpa, alia lævis, alia ſilveſtris. Plinius cum l. 19. c. 8. Braſsicæ Cauliumve tria genera ex Catone c. 157. enumeraſſet, plura adhuc eſſe refert, Cumanam, Aricinam, Pompeianam, Sabellicam, Lacuturrem. At l. 20. c. 9. Græcos in tres ſpecies diviſiſſe ſcribit; Criſpam, quam Selinada, à ſimilitudine foliorum Apii vocarint; alteram lævem latis foliis quæ Caulodes quibuſdam; tertiam proprie Crambem appellatam.

Recentioribus differentiæ ſunt pro foliorum colore, criſpitudine, denſitate, aliiſq; qualitatibus. Aliis enim color viridis, aliis candicans, aliis purpuraſcens. Criſpitudo & lævitas, tam in candida, quam in viridi (quam nigram vocant) rarius in purpurea, reperitur. Summa genera ſunt ſativa, ſilveſtris & maritima; ſativa, alba & rubra &c.

Deducta explicatione plantarum ſiliquoſarum papilionacearum, ſeu Leguminum in præcedente ſecunda Sectione, jure affinitatis & cognationis ſiliquoſarum plantarum cum ſiliquoſis, ſiliquoſæ tetrapetalæ bivalves hanc ſequentem tertiam Sectionem ſibi vendicabunt.

Nota generica qua omnes plantæ in hac Sectione tertia contentæ afficiuntur, eſto hæc: omnes donantur flore tetrapetalo (id eſt ſinguli flores conſtant quatuor petalis ſeu foliis in floribus, cujuſcunque magnitudinis aut coloris ſint;) ſecundo ſingulis floribus tetrapetalis ſic conflatis, ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ bivalves (id eſt duplici tunica afficiuntur ſiliquæ, hinc una, illinc altera, quemadmodum videre eſt in ſiliquoſis leguminoſis ſeu papilionaceis) ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum, quæ communem habent matrem ipſa nutrientem, ſeptum ſcilicet prædictum nutritivum, quod poſt ſemina ad perfectionem perducta exſiccatur, & fit membrana pellucida, alba, inutilis, quemadmodum tunicæ ipſæ. Ita & floribus & compoſitione diverſa ſiliquarum, diſtinguuntur ſiliquoſæ tetrapetalæ à ſiliquoſis papilionaceis ſeu leguminoſis, etiamſi conveniant, quod ſint ſiliquoſæ & bivalves, diverſo tamen modo conſtructæ.

Plantas ſiliquoſas tetrapetalas dividemus, vel in culinarias (quæ ſunt calidæ & acres) ſiliquis tenuioribus ſeu gracilioribus donatas; vel in culinarias radice & ſiliquis craſſioribus præditas; vel deniq; in recreativas, gratum odorem ſuffundentes. Exordium à ſiliquoſis tetrapetalis culinariis, calidis & acribus, ſiliquis tenuioribus affectis, ſumemus, quarum Braſſica erit prima. Noſtra ætas non paucas Braſſicas obſervavit, vel colore, vel forma differentes. Quædam enim folio ſeſſili patulæ ſunt, aliæ contracto capitatæ, albidæ; nonnullæ rubræ, nigræ quædam, ſeu ſaturo potius colore virentes. Theophraſtus tria genera Braſſicæ ſtatuit οὐλόφυλλον, ſive criſpum unum: alterum λειόφυλλον ſive læve: tertium ἄγριον ſive ſilveſtre, & hoc vulgo κεράμβη dicitur.

dicitur. Quibus à neotericis additur κράμβη θαλάσσια Braſſica marina, quæ eſt vera Braſſicæ ſpecies, repens & monoſpermos; præter marinam Dioſcoridis quæ eſt Convolvuli ſpecies, ut ſupra demonſtravimus cap. 2. Sectionis primæ hujus Hiſtoriæ, inter ſcandentes campanulatas lacteſcentes, & ideo à fine ultimo non huc pertinet.

TABULA I.

- *Braſſica*
  - *Sativa*
    - *Capitata ſeu clauſa*
      - *Penitus* — *Capite*
        - *Simplici*
          - 1. *Alba, nobis. Lacuturris, Plinii.* ☿
          - 2. *Rubra, nobis. Rubra, Dod. Tab. Ger.* ☿
        - 3. *Multiplici, nobis. Polycephalos, Lugd.* ☿
      - *Non penitus* — *Sabauda*
        - 4. *Hyberna, nobis.* ☿
        - 5. *Criſpa, nobis.* ☿
    - *Non capitata ſeu aperta*
      - *Vulgaris*
        - 6. *Alba vel viridis, nobis. Alba vulgaris, Lugd.* ☿
        - 7. *Rubra, nobis. Rubra, Tab. Ger.* ☿
      - *Fimbriata*
        - 8. *Major ſeu tophoſa, nobis. Tophoſa, J. B. Chabr. Criſpa & nigra, Dod.* ☿
        - 9. *Minor ſeu pumila, aut Anglica minima, nobis. Anglica minima, Ad. Lob.* ☿
      - 10. *Cauliflora, ſeu florida botrytis, nobis. Cauliflora, C. B. P.* ☿
      - 11. *Aſparagodes criſpa, nobis. Aſparagodes Dalpii, Lugd.* ☿
      - 12. *Gongylodes, nobis. Caulorapum, Lob. Obſ. & Icon. Lob. Cam. Ep. Tab.* ☿
    - *Apii folio*
      - 13. *Lato, nobis. Braſſica ſelinisia latifolia, Tab.* ☿
      - 14. *Anguſto, nobis. Braſſica ſelinisia anguſtifolia, Tab.* ☿

TABULA II.

- *Braſſica*
  - *Silveſtris*
    - *Major* — *Maritima*
      - 15. *Arborea, ſeu procerior ramoſa, nobis.* ⊙
      - 16. *Repens multiflora alba monoſpermos, nobis. Marina ſilveſtris multiflora monoſpermos, Ad. Lob. & Icon. Lugd.* ⊙
    - *Minor*
      - 17. *Crambe dicta, Dod.* ☿
      - 18. *Spinoſa Cretica, C. B. P. Prod. & Matth. Ed. Bauh.* ☿
      - *Perfoliata flore*
        - 19. *Albo, nobis.* ☿
        - 20. *Purpureo, nobis.* ☿
      - 21. *Napobraſſica dicta, nobis. Napobraſſica, C. B. P.* ☿
      - *Foliis*
        - 22. *Circa radicem Cichoraceis aſperis, glabris caulibus adhærentibus, nobis. Sinapi album, Lugd.* ☿
        - 23. *Integris, per terram ſtratis, & caulibus adhærentibus aſperis, nobis. Turrita vulgatior, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 24. *Alpina ſupina folio Bellidis, nobis. Turritis Alpina minor, C. B. P. & Prod.* ⊙

Explicatio Tab. 1.

1. BRaſſica capitata alba, C. B. P. Braſſica capitata albida, Dod. Lugd. Hæc candida eſt, quæ Lacuturris Plinii; eſt & viridis, quæ Tritiana; caule nititur craſſo: folia initio fundit ampla, lata, ex albo virentia, craſſis coſtis albidioribus diſtincta, proceſſu temporis interna folia in globi aut capitis formam arctiſſime contrahit, quæ propter defectum aeris candidiſſima evadunt, externis adhuc latis, amplis, & ſatis virentibus: capitulis Vere diſſolutis caulis aſſurgit ramoſus, floſculos tetrapetalos luteos ſuſtinens, quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, bivalves, ſepto medio dirimente duplicem ſeriem ſeminum, hinc unam, illinc alteram, arcte ſepto medio adhuc viridi adhærentium, & inde ſuccum nutritivum attrahentium, donec ſemina perfectam maturitatem adepta ſint, quibus perfecte maturis exſiccantur geminæ valvulæ, & tunc membrana alba pellucida apparet, non ſolum in hiſce Braſſicæ ſpeciebus, ſed & in

in omnibus ferme ſpeciebus hujus Sectionis, quod cuilibet examinanti nobiſcum apparet. Videat & obſervet lector Botanicus ſiliquas paſſim aſſculptas plantis, ſpecifice adhibitas per totam Sectionem, atque percipiet ſingulas ſiliquas apertas cum duplici tunica & ſepto medio, in quibus nutriebantur ſemina, hinc inde, in duplici loculamento.

2. *Braſſica capitata rubra, C. B. P. Dod. Tab. Ger.* Hæc in omnibus convenit cum priore, niſi colore foliorum, quæ una cum coſtis rubent; caput globoſum utplurimum minus eſt prioris.

3. *Braſſica capitata polycephalus, Lugd. Braſſica ex capitulis pluribus conglobata, C.B.P.* Hæc radice, caule, capitulis conglobatis, prædictis par & ſimilis; at magnitudine capitum prioribus cedit. Prodigioſa quidem naturæ laſcivientis, ut ita dicam, oſtentatione, ſpectatu digna, non ut ſuperiores caput unum profert, ſed plura, alia ab aliis diſcreta, in unum tanquam acervum congeſta, è venoſis tamen foliis conglobata, alia majora, alia minora, inuſitata quadam & rara ſpecie. Quidam id terræ libertati adſcribunt, cui ſemen plenius & felicius nutritum creditur, quæ tam copioſum alimentum præbet, ut gignendis atque nutriendis tot capitibus ſufficiat; nec minus adſcribendum ubertati terræ ſeu ſoli, ſed præcipue magis ſemini majori meliuſque nutrito: idem obſervare licet in fructibus arborum, ſeu nucleorum numero, & in multiplicitate petalorum à ſemine ortorum, in herbis multis diverſorum generum, in hac noſtra Hiſtoria plantarum digeſtis. Hujus capita 50 aliquando, ovorum magnitudine, enumerantur.

4. *Braſſica alba capite oblongo non penitus clauſo, C. B. P. Braſſica Sabauda hyberna, Lob. Icon.* Nec minus ſpecioſa hæc Braſſica 4[ta], quam Sabaudam recentiores nominant: à ſeſſili capitatâ rubrâ diſſidet tantum colore & capitulo patulo aliquantulum, ſeu minus clauſo, & floribus albis; admodum ſub frigoris habitudine aeris eſt impatiens, quare non tam feliciter apud ſeptentrionales provenit, ubi reliquæ Braſſicæ frequentiſſime coluntur & eduntur: ad maritima, plurima & frequentiſſima in Italia & Sabaudia colitur, unde ei nomen. Caule & foliis, adeoque tota, inter Braſſicas albas candidior teneriorque videtur: folia quoque ſatis ampla ſunt, atque rotunda, per ſe diutius virentia, candidis venis intermixta, quædam etiam modice criſpa, ac vario contortu nonnihil rugoſa: foliorum quoque pediculis brevibus auriculæ quædam foliaceæ adhærent: flores tetrapetali, albidi, quos non niſi tepidiore ſole illuſtrata terra profert; quippe uti dictum algidi frigoris impatiens, minus arcto foliorum implexu glomerem longiorem & minorem efformans. Siliquæ & ſemina ſunt ut reliquarum ſuæ familias. Lautior hæc, quippe tenerior, dilicatioribus expetita, in eorum potiſſimum gratiam, qui ejus norunt bonitatem, menſis imponitur.

5. *Braſſica alba criſpa, C. B. P. Braſſica Sabauda criſpa, Tab. Ger. Braſſica Sabauda, Dod.* Hujus folia ſunt rotunda, rugoſa valde, ac ita quidem rugis inæqualia ſunt, ut ſingula ex veſicis aut valvulis quibuſdam conſimilibus congeſta videantur, ſupra extuberantibus atque prominentibus, ſubtus cavis, brevibus pediculis adhærentia: color foliorum ex luteolo & albo viret, quæ palide viridantibus coſtis quoque intertexta ſunt, eadem etiam in denſum globum coguntur, ſed parvum & candicantem, dum extremitates exterius virent: flores lutei: ſiliquis & ſemine cæteris ſuæ farinæ ſimilis eſt hæc Braſſica. Hyemem non fert.

6. *Braſſica ſativa alba vel viridis vulgaris aperta lævis, nobis. Alba vel viridis, C. B. P. Braſſica vulgaris ſativa, Dod. Lob. Ger.* Hæc eſt *Braſſica lævis Theophraſti & Plinii*, cui & *Caulodes*. Hujus folia ſunt magna, lata, expanſa, & patentia uſque, in ſaturato virore, rubore nigricantia: caulis qui è medio foliorum Vere ſurgit, foliolis ramoſis ornatur. Floſculos profert luteos: ſiliquas oblongas, quales ſunt *Rapi*, & ſemina rotunda ejuſdem æmula: radix fibris firmatur.

7. *Braſſica ſativa rubra aperta lævis, nobis. Braſſica rubra, Dod. Braſſica Cumana ſive rubra, Dod. Gall.* Hæc crebro in hortis rubro colore ex cæſio viſitur, cui nunc coſtæ carinæve in dorſo medio foliorum rubent ſolæ, nunc & carinæ & reliqua foliorum albeſcunt aut vireſcunt & reliqua foliorum tunica purpurante, oris interdum fimbriatis & criſpantibus decorantur.

8. *Braſſica fimbriata, C. B. P. Tophoſa, J. B. Chabr. Tab. Ger. Criſpa & nigra, Dod. Criſpa, Lugd.* Huic folia anguſtiora & longiora antecedentis foliis, ad coſtam uſque mediam ſemel atque iterum profundius inciſa, per margines vero admodum criſpa; quæ adverſa parte bullis ſeu quaſi ampullis numeroſis protuberantibus, in averſa parte concavis paſſim ornantur, tota quaſi nigreſcunt aut potius ſaturate magis virent.

9. *Braſſica fimbriata pumila, C. B. P. Braſſica Anglica minima, Ad. Lob.* Reperitur hic in Angliæ hortis Braſſica puſilla ſeu Braſſicula tota nivea, præter extremas oras lacinioſas

 fim-

fimbriataſque, plicis criſpantibus & undulis rugoſis, purpureis & latis aſperas, ad corollas ſeu olfactioriola nectenda propter varium colorem viſu digniſſima. Tenella hæc Braſſica in hortis Angliæ & Galliæ colitur, dum tenella adhuc eſu ſatis grata, ſi cum bubulina & vervecina elixetur.

10. Braſſica cauliflora, C.B.P. Dod. Cam. Ep. Florida botrytis, Lob. Icon. & Obſ. Pompeiana aut Cypria, Dod. Gall. Lugd. Cam. Ep. Folia habet hæc cubitalia, longiora multo quam Braſſica vulgaris, nec tam lata, dilute virentia, colore magis glauco, exteriora præſertim, nervis candicantibus conſpicua; nulla magna laciniarum diviſura per ambitum, longiuſcula diſtantia denticulata & veluti ſerrata: medium inter folia in caput glomeratur, ſed mollius, minus denſo foliorum incubitu formatum, ex quo flores denſiſſimo ſtipatu prodeunt exigui, pallidi aut candicantes, velut in umbella poſiti, qui cum cauliculis ſuis (Aſparagorum more) tenellis teneritudine & gratia certare videntur: atque ob id lautioribus tantum patinis expeti obſervabantur ab initio, ſed jam paſſim vulgares ſunt, ſi mangonio & cura ſerantur & educentur. Erucæ huic concolores ſæpe eandem depaſcuntur, ut pro Braſſica cauliflora Braſſicæ cadaver relinquant. Obſervavimus paſſim in peregrinationibus noſtris, per Galliam factis, erucas peculiares herbas quaſdam affectantes & ſibi appropriatas rodere manducareque, inde ex diverſis erucis diverſi papiliones emanarunt.

11. Braſſica aſparagodes criſpa, C. B. P. Epiphyllitis Dal[pii], Lugd. Criſpa prolifera, Tab. Ger. Folia hujus modo laciniata, modo plana, modo expanſa, vel tota virent, vel venæ & coſtæ rubent. Satis quidem miranda hæc Braſſica quam Aſparagodem eſſe dicunt Herbarii, cujus mentio fit in Geoponicis Caſſiani Conſtantino attributis. Caulis huic & rami & radix cæterarum in omnibus ſunt æmula; folia ſunt laciniata & frequentiſſimis diviſuris inciſa, qualia ſunt Braſſicæ criſpæ, quæ nonnunquam tota virent, nonnunquam venis per ipſa folia diſperſis & media coſta rubent. Huic vero id peculiare eſt & inſigne quod ex foliis eorumque præcipue coſtis & venis lateralibus foliola multa brevia, toroſa & criſpata, naſcuntur: floret ſuo tempore & ſemen edit, non aliter quam in reliquis Braſſicis, ex caule vel ſtipite, quorum foliolorum cum Aſparagis ſimilitudo fecit ut hanc Braſſicam aſparagωdem Græci vocaverint. Hi tenelli aſparagi in jure aliquo pingui, ut capi aut vervecinæ, eduntur.

12. Braſſica Gongylodes, C. B. P. Braſſica caule Rapum gerens, Dod. Caulorapum, Lob. Obſ. Cam. Ep. Tab. Rara admodum ſpecies Braſſicæ hæc eſt, quæ patulis foliis glomerem nullum facit, verum quo ſolo ſigno facile ab aliis ſeparetur, eſt brevis caulis, cui foliorum coma ſubeſt, & in Rapum eſculentum extuberat. Variat Rapo rotundiore & longiore, hæc Caulorapum rotundum, illa Caulorapum longum dicitur, Tab. Ger. Dicitur Dalechampio Braſſica rapoſa γογγυλοκράμβη. Colitur in hortis Italiæ à monachis.

13. Braſſica lato Apii folio, C. B. P. Braſſica ſelinifia latifolia, Tab. Hæc Braſſica folia habet criſpa diſſecta uſque ad coſtam mediam, adinſtar Apii latifolii, unde primo aſpectu à Braſſica ſelinifia anguſtifolia, foliis diſſectioribus diſcernitur hæc Braſſica.

14. Braſſica anguſto Apii folio, C. B. P. Braſſica ſelinoides, Dod. Ger. Braſſica ſelinifia anguſtifolia, Tab. Braſſica Apiana criſpa, Cam. Ep. Braſſica tenuifolia laciniata, Lob. Icon. & Obſ. Folia habet præcedentis longiora, profundius inciſa, uſque ad mediam etiam coſtam, prima facie folia Apii tenuifolii referentia, unde utrique & priori & huic nomen: caules edit utraque hæc Braſſica ſelinifia tricubitales, quorum cymis innaſcuntur flores tetrapetali, lutei, quos ſequuntur racematim ſiliquæ bivalves, continentes ſemina, duplici ſerie, ſepto medio pellucido ſeparata, aliarum Braſſicarum more.

15. Braſſica maritima arborea ſeu procerior ramoſa, nobis. Hæc reliquis procerior eſt, & ſtipite veluti arboreſcit alto 3. aut 4. cubitorum, craſſo, viridi dum eſt recens; cortice aſpero adulta, imâ parte verrucoſo, in ramulos plurimos brachiato in ſuperiore parte, ſeu divaricato; caulem cingunt folia fortuito poſitu lata, ex viridi rubentia, aut rubore obſcuriore perfuſa, non ſine obductu nebulæ cujuſdam glaucæ, crebro multarum venarum decurſu rugoſa, patula, ſinuataque: flores lutei caulium ſummis ramis inhærent, quos ſiliquæ excipiunt bivalves, palmares, in quibus continentur ſemina rotunda, ruffa. Hujus folia patula manent expanſa poſt ſemen perfectum; hyemem perfert, ac ſæpe culta in hortis arboream acquirit proceritatem, ac ita durat in aliquot annos poſtquam ſemina pluries annuatim copioſe effuderit; ſæpe etiam laterales producit ramulos, quorum folia novella hyeme exeunte culinis potiſſimum expetita: eadem recentia foliola Vere edita in acetaria veniunt. Hanc Braſſicam in rupibus calcoſis verſus Doveram anno 1657. & poſtea anno 1660. perſeverantem obſervavimus, etiam ad plures annos cùm Londini in horto Edvardi Morgan, tum in horto publico

lico Univerſitatis, durantem poſtquam ſingulis annis ſemina ſua copioſe ediderit. Maritimam appellavimus, quia in prædicto loco offendimus; arboream ſeu proceriorem, propter altitudinem, & ramoſam, propter numeroſam ramulorum copiam quos gerit, quæ omnia indicant ipſam ſpecifice differre à reliquis ſilveſtribus, præcipue ſilveſtri Dioſcoridis, ſeu ſilveſtri Crambe dicta Dodonæi. Braſſicæ omnes hæ ſpecies mirum in modum ludunt, & in ſeinvicem ſatione tranſmutantur; nam ex Braſſica ſativa aperta, ſeu vulgari alba & rubra, in agro bene ſtercorato & ſale abundante procreantur Braſſicæ capitatæ albæ & rubræ, atque ex earundem ſeminibus in agro ſterili, ſabuloſo & glareoſo ſatis, recuperant priſtinum ſtatum, id eſt, fiunt Braſſicæ apertæ in hortis ſilveſtribus, & ſtercore deſtitutis, adeo ut ex ſeminibus Braſſicæ capitatæ albæ & rubræ ad oram ſeu marginem ſilvæ Blæſenſis conſpexerimus Braſſicam apertam provenire, ad altitudinem decem cubitorum. Braſſicæ itidem Tophoſæ ſemina ex Italia ad Reverendiſſimum in Chriſto patrem Henricum Compton Epiſcopum Londinenſem tranſmiſſa, Braſſicam produxere Tophoſam & in Horto ſuo Oxonienſi, & in horto publico Botanico Univerſitatis, ſed hujus ſemen denuo ſatum degeneravit in vulgarem apertam lævem. Idem dicendum de Braſſica florida Botryte, cujus ſemen recens ex Italia ad nos miſſum, Braſſicas floridas produxit, ſed ſemen ejuſdem hic in Anglia collectum & ſatum, degenerat in Braſſicam longifoliam & apertam, quod experientia omnibus compertum; ſed nulli magis quam Richardo Baal hortulano Bramfordienſi, qui ingentem ſeminis Braſſicæ floridæ copiam collegit in horto ſuo, quod vendidit Hortulanis, complurimis in ſuburbanis Londini locis vulgo dictis **the Neat-houſes** degentibus, atque hi cum ſumma cura & induſtria eadem ſemina terræ à multis annis bene ſtercoratæ commiſerunt, quæ Braſſicas ſatis magnas, longifolias, apertas, ipſis produxere: quare prædicti hortulani animadvertentes ſe oleum & operam perdidiſſe, id eſt, induſtriam, curam, labores, & magnos ſumptus impendiſſe ſine quæſtu, imo cum maximo detrimento & diſpendio temporis & pecuniarum, ipſi prædicto Baal in foro Veſtmonaſterienſi litem intenderunt, atque ex ſententia non ſolum Judicum illic ſedentium condemnatus, ut ipſis pecunias quas accepiſſet, reſtitueret, ſed inſuper mulctatus fuit idem Baal, ut ob jacturam temporis, diſpendium & uſum terræ recompenſaret prædictos hortulanos. Braſſicæ Sabaudæ tam hybernæ quam æſtivæ ſemina recenter ex Italia ad nos tranſmiſſa feliciter proveniunt hic in Anglia, ſed ſemina ejuſdem collecta hic degenerant in Braſſicam apertam. Braſſica aſparagoides aliquando copioſe foliola criſpa ex coſtis & venis foliorum protrudit, aliquando nulla, imo in vulgarem criſpam degenerat. Sic quilibet veteranus hortulanus permutationes & degenerationes Braſſicarum ex una in alteram obſervare facile poterit.

16. Braſſica maritima major repens multiflora alba monoſpermos, nobis. Braſſica marina ſilveſtris multiflora monoſpermos, Ad. Lob. Icon, Lugd. Ger. Radice conſtat hæc longe lateque in arenoſis ad oram maritimam plagæ ſeptentrionalis repente; folia ei ſunt craſſa, lata, lætiore aſpectu, fimbriis undulatis pleriſque multis contextis, ſub exortum è terra nigricantibus, quæ quia ipſa planta in arenoſis maritimis neglecta & inculta, hiſpidiora ei multo ſunt folia, recentia tamen adhuc pro cibis à pauperibus maris accolis toleranda: ex foliorum meditullio ſeu gremio protruduntur cauliculi bini, terni, ſuſtinentes in ſummis faſtigiis plurimos pedicellos ſeu ramuſculos, ſingulos ſingulos flores albidos tetrapetalos craſſos gerentes, quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ breviores, craſſiuſculæ, quarum unicuique ſingulare ſeu unicum ineſt ſemen. Provenit in oris maritimis cum Galliæ ſeptentrionalis, videlicet Neuſtriæ, Armoricæ, tum Angliæ & Hiberniæ, præcipue verſus inſulam *Thanet* & prope Colcheſtriam, aliiſque maritimis Angliæ locis, ubi incolæ maritimi pro olere eſitant, ipſam ſativæ ineunte Vere præferentes. A nobis Braſſica maritima: quam Dioſcorides hoc nomine deſignat, recentiores Soldanellam marinam appellant, quæ à teſſera generica conveniente Convolvulis Convolvulus propriè dictus eſt, uti videre eſt in Hallucinationibus Caſp. Bauhini aliorumque Authorum à nobis obſervatis ad finem cap. 2. Sectionis 1. hujus Hiſtoriæ.

Explicatio Tabulæ ſecundæ.

17. Braſſica ſilveſtris Crambe dicta, Dod. Silveſtris 1ª ejuſdem, ſilveſtris Dioſcoridi dicta, omnino ſunt ſimiles, niſi quod poſterior ſit hirſutior, albidior, & ſapore amarior: folia ſiquidem, flores, ſiliquæque ſatis inter ſe reſpondent. Naſcitur in præruptis maritimis locis, ut ait Dioſcorides: reperitur in Zelandiæ altioribus juxta mare tumulis arenoſis. Eſt & Braſſicæ rubræ ſpecies, quam Dodonæus ponit prò omnium minima, eſt fere ſilveſtri ſimilis,

 caulibus

caulibus & foliis ſilveſtrem primam refert, niſi quod ea minora habeat. Vix in cibos admittitur, ſed ſeminis tantum gratia ſeritur, ex quo exprimitur oleum, quod vulgo olei ex Naporum ſemine expreſſi nomine venundatur, *Huile de Navette* Galli vocant. Hanc quibuſdam eſſe Catonis Braſſicam Dodonæus exiſtimat, quæ Crambe proprie dicitur. Neutiquam dubitandum eſt, quin oleum ex ſeminibus cujuſlibet Braſſicæ, aut Rapi, Napive, mola truſatili poſſit exprimi.

18. Braſſica ſpinoſa, C. B. P. Prod. Matth. Ed. Bauh. Hanc ſic deſcripſit Bembus. Ramulus eſt ſine foliis, aut ſaltem obſcuris, prope caulis exortum; in ſummo caulis faſtigio ſpinæ tenues conſpiciuntur, cauli concolores, digiti articuli unius longitudine, ita ut videantur folia in has ſpinas deſiviſſe, cum in ſummitate nulla obſerventur folia. Caulis lignoſus quaſi craſſus in ramulos duos, alterum palmo majorem, alterum minorem, rotundum, lævem, ſtriatum, dividitur: circa quos folia biuncialia longitudine, & ſemiunciam lata, per ambitum leviter ſinuata, quibus & minora interjiciuntur: ramuli in ſpinas acutas unciales & minores abeunt. Ramulum unum Patavii in horto Bembiano à D. Camerario; alterum ex horto D. Alpini privato accepit Caſp. Bauhinus, Iconem quam exhibet in Prod. & in editione ſua Matthioli, eandem nos damus in App. ad Sectionem tertiam. Manca eſt deſcriptio & Icon ideo nobis ſuſpecta.

19. Braſſica campeſtris flore albo, C. B. P. Braſſica ſilveſtris perfoliata, Dod. Perfoliata ſiliquoſa, J. B. Chabr. Folio conſtat omnino latiore, lævi, indiviſo, formæ oblongæ & latæ ſatis, caulem quodammodo amplectente, perfoliatæ omnino plantæ ſimili: cujus cauliculi teretes, tenues, inanes, floſculos initio proferunt candidos, quos ſequuntur ſiliquæ tenues, oblongæ & anguloſæ. In campis ſponte gignitur in Hiſpaniis, teſte Car. Cluſio, tum vero in nonnullis Auſtriæ locis. Floret æſtivis menſibus, atque interea etiam ſemina perficit. Silveſtris Crambe dicta, calida & ſicca eſt, quia amara extergens quoque; κράμβη ἄγρια à Dioſcoride dicitur, Latinis Braſſica ſilveſtris, & à quibuſdam Braſſica ruſtica.

20. Braſſica campeſtris perfoliata flore purpureo, C. P. B. Braſſica campeſtris altera, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Virgæ hujus firmiores ſunt, nec tam ramoſæ, quarum folia in ſummo aliquantulum ſerrata ſunt, reliquis autem notis à priore non differt quoad folia, quæ ſunt pariter fervido guſtu: flores prioris floribus ſimiles itidem, majores tamen, Leucoi aut Heſperidis floribus magnitudine pares, colore vero Lunariæ Græcæ, purpureo videlicet, quos cornicula ſequuntur prioribus ſimilia, ſimilia pariter ſemina continentia; radix tam in hâc, quam in priore, licet dura, fibriſque quibuſdam prædita ſit, vivax tamen non eſt, ſed prolato ſemine perire ſolet. Frequens eſt utrumque hoc genus, & prius flore albo, & hoc purpureo, in Regno Murciano ad Eliocratem urbem vulgo *Lorca* dictam, in arvis & ſecundum vias ubi Martio florebat; ſed & primum genus ſponte creſcens obſervavit Car. Cluſius magna copia in arvis non longe Vienna Maio florens. Non dubium quin harum Braſſicarum campeſtrium facultates valentiores ſint, quam Braſſicarum cultarum, propter acrimoniam. Hoc obſervare licet in omnibus ſilveſtribus herbis, non ſolum in hac Sectione diſpoſitis, ſed & alibi paſſim, quod ſint majoris energiæ ſeu poteſtatis ac virium, quam hortenſes, quarum proprie virtutes deſtruuntur à redundante ſucco, ex agro bene ſubacto & ſtercorato extracto.

21. Braſſica ſilveſtris Napobraſſica dicta, nobis. Napobraſſica, C. B. P. & Prod. Radicem habet Napo aut Carotæ pene ſimilem, multis fibris ſeu villis ſcatentem, ut barbata aut piloſa dici poſſit, prima radix ſemper tuberoſior & longior, quæ Napum imitatur, conſpicitur ex hac caulis ſeſquicubitalis, lævis, rotundus, qui in ramos brachiatus exſurgit: ad radicem una cum pediculis oblongis exiliunt folia palmaria, Braſſicæ ſilveſtris modo, rotunda, inque profundas lacinias diviſa, quæ vero in caule oblonga ſunt, anguſta, ſinuata, pediculis carentia: flores lutei intentioris coloris, quam in vulgari ſilveſtri, qui in caule palmum excedente inordinate pediculis inſident, quibus ſiliquæ anguſtæ unciales ſuccedunt. In locis frigidioris agri Norvici, montanis potiſſimum, & verſus Bohemiam colitur, & ab incolis *Dorſen* vel *Dorſchen* appellatur. Radix ejus eſui apta eſt, quare aliqui eam ut Braſſicam floridam condiunt: pauperes eam minutim ut Rapas concidunt; ſic per hyemem in cella in arena, vel ad cibum, vel ad ſemen ſequentis anni aſſervant. Aliquando radix propter nimiam æſtatis ſiccitatem & loci anguſtiam, lignoſior evadit, quare poſt ſationem in area ſpatioſa plantanda eſt.

22. Braſſica ſilveſtris foliis circa radicem cichoraceis aſperis, caulibus autem adhærentibus planis ſeu glabris, nobis. Braſſica ſilveſtris Cordi, Lugd. Braſſica ſilveſtris longifolia, Thal. Hujus folia confertim per terram ſtrata ex radice promuntur, binas uncias longa, ſemiunciam lata, ſucculenta, hirſuta & aſpera, ſaturatiore colore viridi prædita, inter quæ bipedalis

dalis & altior aliquando promitur caulis, quem inordinate ambiunt folia, alternatim provenientia, glabra, & circa exortum latiora, binis auriculis donata, deinde in mucronem deſinentia: in ſummis caulibus ad longitudinem dodrantalem circa caulem eundem ſurſum verſus confertim naſcuntur multi exigui flores, quatuor petalis albis conſtantes, quibus infra diſcuſſis alii ſuperius apparent; quibuſque ſucceſſive ſuccedunt longiuſcula cornicula, cingentia caulem, qui ſenſim veluti in metæ formam ſeſe attollit: in ſingulis corniculis tenuibus, bivalvibus, duplice ordine continentur hinc inde à dextris & ſiniſtris plurima puſilla ſemina, ruffa & acria: radix huic eſt alba, multis fibris ornata, quæ tamen vivax non putatur Car. Cluſio. Sponte provenit in pleriſque Auſtriæ collibus lapidoſis, & paſſim in aridis & neglectis Galliæ locis. Floret Maio & Junio; & Julio & Auguſto maturum eſt ſemen.

23. Braſſica ſilveſtris foliis integris & hiſpidis, C. B. P. Braſſica ſilveſtris foliis integris per terram ſtratis & in caulibus hiſpidis, nobis. Turritis vulgatior, J. B. Chabr. Park. Turrita vulgatior, Cluſ. Hiſt. Hæc Braſſicæ ſilveſtris ſpecies diſtinguitur à priore, quod tam folia humi rotatim ſub exortum fuſa, quam caulibus adhærentia, aſpera ſeu hirſuta habeat, saturatius virentia, minora: flores, ſiliquæ, & ſemina, conformia prioris; caulis itidem adeo denſe ſiliquis veſtitus ad palmarem & ampliorem longitudinem in metæ formam etiam ſeſe attollens, ut Turritis aut Turritæ nomen ſit adepta. Provenit in ſepibus, in aggeribus & muris terrenis.

24. Braſſica ſilveſtris minor ſeu Turritis ſupina folio Bellidis, nobis. Hæc à ſuperioribus duabus, caulibus procumbentibus, & folio omnino Bellidis ſimili, facile diſtinguitur. Natales & nomina apparent in explicationibus, quare feſtinemus ad Temperamentum & Vires Braſſicæ.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Braſſica omnis reſiccantem & reſtringentem facultatem habet, ſimul & nitroſam quandam vehementius abſtergentem qualitatem poſſidet, hanc autem ſuccus aut decoctum ejus ſibi vendicat. Subſtantia ſive Braſſicæ corpus aſtringentem & reſiccantem vim retinet. Deponit enim Braſſica decoctione nitroſam hanc qualitatem, quæ ſucco ac humido ejus inſidet, quam omnem aqua, in qua primo decoquitur, ad ſe pertrahit, quam ob cauſam decoctum ejus alvum movet, veluti ſuccus ſi bibatur; abjecto primo jure in quo Braſſica decocta eſt, alvum ſiccat & aſtringit, alimentum autem corpori præbet exiguum, & ſuccum ingenerat non probum, utpote craſſum, melancholicum; minus tamen craſſum aut vitioſum, quæ albidæ ſunt, quæ idcirco & aliis præſtant. Cato tamen criſpam maxime commendat, ſed huic albidæ cognitæ non fuere. Obſcuritate viſus laborantibus comeſtam hanc auxiliari Dioſcorides author eſt. Cymam ejus acriorem ſtomacho utiliorem, & ad urinam ciendam validiorem eſſe: ſale autem conditam ſtomacho inimicam eſse & alvum conturbare: crudam ex aceto manſam lienoſis prodeſſe idem ait. Plinius ſpleneticis in vino albo per dies 40. exhibendam ſcribit: fertur & Braſſicam ante alium cibum ſumptum ebrietatem arcere, neque inebriari poſse eum, qui Braſſicam crudam præſumpſerit, poſtea vero ſumptam crapulam etiam diſcutere; cujus cauſa, naturale Braſſicæ cum Vite diſſidium, quod tale eſt, ut ſi quando in arvis appropinquaverit Viti, aut ſtatim tabeſiat, aut Vitis ſarmenta tabefaciat; aut ſi dum coquitur vinum inſtilletur, de cætero non coquatur, ac color ejus corrumpatur, ut in Geoponicis Caſſii Dioniſii Uticenſis ſcribitur. Athenæus tamen arcendi ebrietatem potentiam, non foliis, ſed ſemini Braſſicæ adſcribit. Conferunt vero folia omnibus iuflammationibus ac œdematis cum polenta trita ac impoſita, cum ſale carbunculos rumpunt. Succus Braſſicæ (authore Dioſcoride) cum Iride intra ſumptus, alvum mollit; cum vino epotus, viperarum morſibus adverſatur; idem cum Fœnugræci farina podagricis ac articulorum doloribus impoſitus prodeſt; tum ulceribus ſordidis ac vetuſtis: caput purgat naribus infuſus: cum loliacea farina ſubditus, menſes movet. Plinius ſuccum cum vino auribus infuſum ſeu inſtillatum auditus tarditati prodeſſe refert: aquâ in qua decocta eſt Braſſica nervos articulosve mire adjuvari ferunt; tum & vulnera recentia ac vetera etiam carcinomata, quæ multis aliis remediis, ſanari poſſunt, ſi hac foveantur. Braſſica omnibus oleribus ante ſtat, eam eſto ait Cato vel coctam vel crudam, ſi edas, in acetum intingito, mirifice coquit, alvum bonam facit, lotiumque promovet, ac ad omnes res prædictas ſalubris eſt. Braſſicæ laudes inquit Plinius longum eſſet exequi, cum Cryſippus medicus volumen integrum ei dicaverit, per ſingula hominis membra digeſtum. Ante omnes autem Pythagoras & Cato eam non parcius celebrarunt. Cujus ſententiam vel eo diligentius proſequi par eſt, ut noſcatur qua medicina uſus ſit annis 600. Pop. Romanus. Cato criſpam maxime probat, deinde lævem grandibus foliis, caule magno. Prodeſt percocta tabidis, ſi frequenter ab iis edatur. Succus ex melle coctus viſum clarificat, angulis

tantum

tantum oculorum illitus. Caulium medulla ex cremore amygdalino decocta, & cum melle in eclegmate parata, datur lambenda, magna utilitate, anhelosis. De Braſſica Baptiſta Fiera ſic cecinit.

Jam veniat folio Chryſippi Braſſica criſpo,
 Vel patulo & lævi, vel glomerata coma.
Prima ſalutifera, & ventrem lenire parata,
 Bullierit modico ſi tamen igne, placet.
Omnibus ardor ineſt gravior, tum & eſca ſecundis,
 Ne capiti noceant vina ſuperba premunt.
Extumidam referant veſicam, ægrumque lienem,
 Hepar & obſtructum femineumque femur.
Arida Socraticam pareret ni Braſſica bilem,
 Jure erat in morbis omnibus illa ſatis.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 112. col. 2. pl. vi. Braſſica ſilveſtris ramoſa tota pene glabra, C.B.P. Turrita major, Cluſ. Hiſt. Turritis major, Ger. Park. Primo Carolus Cluſius hic erravit, appellando hanc plantam tetrapetalam, Turritam, & conſequenter etiam reliqui neoterici tranſcriptores ex ipſo: non eſt Braſſica ſilveſtris, ut vult Thalius & eum ſequutus Caſp. Bauhinus; cum enim ſiliquas producat compreſſas, atque ſemina ibidem contenta compreſſa, Leucoiorum more, debet denominari Leucoium à nota ſua eſſentiali conveniente cum Leucoio, non autem Braſſica aut Turrita ſic dicta, quia & Braſſica & Turrita ſeu Turritis ſemina edunt rotunda, non compreſſa, ut clare infra demonſtrabimus in capite de Leucoio ſiliquoſo: porro Caſparus Bauhinus dum hanc plantam totam pene glabram aſſerit, contrarium cuilibet intuenti ſtatim apparet: nam revera eſt tota pene hirſuta.

Pag. 112. col. 2. pl. vii. Braſſica ſilveſtris 1 Cordi, Lugd. Non eſt ſynonyma Sinapi albo eidem, ſed eſt eadem cum Braſſica ſilveſtri, Dod. ſeu Crambe dicta; ergo male confundit Caſp. Bauhinus Sinapi album Lugd. cum Braſſica ſilveſtri 1. Cordi, ejuſdem Hiſt. Lugd.

---

§2. RAPUM.

Rapa quaſi Ruapa, quod è terra eruatur, Varroni l. 4. ling. lat. at veriſimilius à Græco ῥάπυς, Athenæo l. 9. c. 2. γογγύλη Dioſcoridi l. 2. c. 134. à rotunda orbicularive radicis figura. Genera Theop. l. 7. hiſt. 4. ait alios diverſitatem generis putare, alios negare, ſed mare tantum feminaque differre, & ambas ex eodem ſemine naſci, ſed ut effeminentur raras deponendas: nam ſi denſe poſitæ ſint, omnes maſculeſcere: at 7. Hiſt. 6. Rapæ ſilveſtris meminit. Sic Dioſcorides, ſativum & ſilveſtre agnoſcit. Plin. l. 18. c. 13. Græcos ſequutus, duo prima fecit genera, maſculum, femineumque, & modum eas ſerendi ex eodem ſemine. Species vero omnium tres (addit) aut enim in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globulari; tertiam ſpeciem ſilveſtrem appellavêre in longitudinem radice procurrente, & l. 19. c. 5. Medici, maſculini ſexûs faciunt in his rotunda: latiora vero concava feminini.

Dividimus in ſativam & ſilveſtrem: illam in longam & rotundam, ſive feminam & marem: rotundam, in ſeſſilem & orbiculatam. Raparum ſolum in India tam ferax eſt, ut eæ in viis quoque publicis ſponte proveniant: ita ut cum Indi in nonnullis locis agros frugibus conſituri eſſent, propter ingentem Raparum propaginem, ab inſtituto ipſis deſiſtendum fuerit, Joſeph. Acoſta l. 4. c. 18. Græci quidem γογγύλης aut γογγυλίδος vocabulum à figura, quæ plerumque rotunda eſſe ſolet, detorſerunt; nam quod in rotunditatem circumactum eſt γόγγυλον, hoc eſt στρόγγυλον dixerunt. Hippocrates γογγύλης vocabulum pro globulis orbiculiſve qui devorantur, ut catapotia uſurpavit. Rapa in aliquibus terris tam magna gignitur, ut plus quam centenas libras pendeat. Ad librarum 30. pondus nos ſæpius innumera Rapa vidimus in Ananienſi agro, inquit Matthiolus, & ex ipſo Johannes Bauhinus.

Rapa pro nota generica, quâ à cæteris Braſſicæ ſpeciebus diſtinguitur, hanc habet, quod folia ejus aſperiora & hirſutiora producat per terram ſtrata; at quæ in caulibus conſpiciuntur lævia ſunt: deinde radix tuberoſa eſt (id eſt uniformis ſubſtantiæ, quæ ſecta pomi aut Pyri inſtar apparet) ſive ſit longa, ſive rotunda ejus radix, ſive alba, ſive lutea, ſive rubra: floribus, ſiliquis bivalvibus, & ſemine convenit cum Braſſica. Eſt calida & acris planta cujus radix inſervit culinæ; quicunque Braſſicam tuberoſam dixerit Rapum, per me non ſtabit.

Pars TABULÆ II.

- *Rapa*
  - *Sativa*
    - *1. Rotunda, C.B.P. Mas Theophraſti, Plinii. Rapum ſativum orbiculatum, Lugd.* ☿
    - *2. Oblonga ſeu femina, C. B. P. Rapum oblongum, Trag. Oblongius, Dod.*
      - *Album* ☿
      - *Flavum* ☿
      - *Rubrum* ☿
      - *Nigrum* ☿
  - *3. Silveſtris, C. B. P. Matth. Lugd. Tab. Ger.* ☿

Explicatio partis Tab. ſecundæ.

1. R*Apa* ſativa rotunda, C. B. P. Rapum ſativum orbiculatum, Lugd. Rapum ſativum rotundum, J. B. Chabr. Rapum rotundum majus & minus, Ger. Rapa mas Theophraſti & Plinii. Rapum Dioſcoridis. Rapi folia per terram ſparguntur ampla, ad Braſſicæ rubræ quodammodo accedentia, atrovirentia, aſpera & hirſuta rugoſaque, ad coſtam fere laciniata, ſaporis holeracei, fervidi & acris guſtando: caules cubitales & ſeſquicubitales, quorum cymis inſiſtunt flores ramatim, lutei, tetrapetali; ſemen continetur rotundum, ruffum, in ſiliquis bivalvibus Braſſicæ proximum: radix ſeſſilis in ventrem ampliſſimum, capite humano interdum paulo minorem, extuberat; tenuem radiculam & ab ea plurimas minutas fibrillas alimentum ſucturas demittens; carne conſtat candida uniformi, firma ſatis, ſapore (cruda adhuc) calido & acri, magis minuſve vegeto prædita, convenit ſapore cum Braſſica ſilveſtri, unde nos quaſi concluderemus Braſſicam ſilveſtrem tuberoſam eſſe, & ideo Rapum eidem Braſſicæ hic ſubſtituimus. Braſſica, Rapum, Napus, Sinapi & Rhaphanus adeo ſunt ſimilia, ut prima eruptione vix diſcerni poſſint; conveniunt etiam viribus & facultatibus, à fine ultimo, id eſt à modo florendi & ſiliquas & ſemina producendi; ideo apte mea ſententia ſimul diſponuntur & collocantur in tabulis noſtris cognationis & affinitatis.

2. *Rapa* ſativa oblonga ſeu femina, C. B. P. Rapa femina Theophraſti & Plinii. Rapum oblongum, Trag. Oblongius, Dod. Hoc Rapum convenit foliis, floribus, ſiliquis & ſemine cum priore Rapo rotundo; radices autem habet longas binos aut ternos palmos, in terram deſcendentes, craſſitudine Staphylino luteo, Carota vulgo dicto, pares, cibo propter inſignem quâ præditæ ſunt dulcedinem gratiſſimæ. Planta eſt bima: nam ſecundo poſt ſationem anno ſicut & Braſſica ſemen maturat. Naſci ex eodem ſemine marem & feminam ſeu rotundam & longam ab Authoribus affirmatur, ſed ut effeminentur raro deponere ſeu ſerere oportet; nam ſi denſe ponantur ſeu ſerantur, omnes Rapæ maſculeſcunt. Quo terra pinguior & magis bene ſtercorata, eo majores conſpiciuntur. Aliquando 30. libras pendentes reperiuntur, quod partim à ſolo, partim à ſemine bene nutrito contingit, ſicut in Raphano aliiſque radicibus tuberoſis. Habentur quæ foris & intus flaveſcunt, ſic & Bernæ conſpiciuntur radices quæ abſolute nigræ, utplurimum rotundæ, rarius oblongæ, quæ vulgatis dulciores ſunt.

3. *Rapa* ſilveſtris, C. B. P. Rapum ſilveſtre, Matth. Lugd. Tab. Ger. Hoc per omnia minus, ſponte in ſterilibus & ſilveſtribus reperitur. Eſt hoc Rapum ſilveſtre frequentiſſimum apud Flandros & Germanos, qui ſerunt hoc præcipue ut folia pabulo cedant bobus. Luxuriat enim tanto foliorum numero, ut radix non jam tuberoſa aut rapoſa, ſed exilis, nec ventrioſa uſpiam ſit, propter folia inceſſanter commanſa; alioquin Rapæ ſativæ rotundæ aut turbinatæ ſimilis, ſed primo intuitu diſcretu facilis, folio criſpiore, rugoſiore uberioreque, & radice minore & tenuiore.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Rapi cocta radix, inquit Dioſcorides, alit, inflammationem ſeu flatum parit, humentem & fluxam carnem creat, Venerem, quatenus flatuoſum alimentum eſt, ſtimulat. decocto podagræ pernioneſque foventur, contritoque Rapo atque impoſito juvantur; ſi excavatæ radici roſaceum ceratum addigatur & ferventi cinere eliqueſcat, exulceratis pernionibus proficiet. Cymæ ejus decoctæ manduntur & urinam cient. Rapum muria conditum minus alimenti præbet, ſed multo magis appetentiam recreat. Radix Rapæ excalefacit & humectat. Semen vero ejuſdem calidum & ſiccum; cum autem ſit amarum abſtergit, aperit, digerit, at flatus gignit. Conſtat experimento ſemen valere ad variolas, morbillos, nam potum ſemidrachmæ pondere morbillos, & variolas ad cutim expellit. Valet, inquit Schroderus, ſemen Rapi longi ad faciliorem ſcabiei

 mor-

morbillorum & variolarum eruptionem; nam humores ad cutim propellit drachmæ pondere potum.

Rapum ſilveſtre, teſte Dioſcoride, additur medicamentis, quibus ad detergendam cutem in facie totoque corpore utuntur, præſertim quæ ex Lupini aut Ervi, Tritici, aut Lolii farina fieri ſolent.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 90. Radices variæ quibus Indi veſcuntur. Omnes hæ radices, quamvis quodammodo tuberoſæ ſint, male à Caſparo Bauhino ex variis authoribus Indiæ Occidentalis & Orientalis ſcriptoribus allatæ, huc inſeruntur; alio ergo à fine ultimo (neglecta tuberoſitate radicum) debent ſingulatim amandari & propriis ſuis claſſibus adaptari, quod poterit quilibet præſtare Botanicus, qui modum florendi & capſulas ſeminales ſeminaq; producendi obſervaverit. Deinde Caſp. Bauhinus inadvertenter pag. 92, & 93. interjecit Rapunculos ſeu Campanulas, Trachelia ſive Cervicarias, inter Rapam & Napum Rapiſtrumve &c. disjungendo tetrapetalas ſiliquoſas à Tetrapetalis ſiliquoſis. Campanulæ ſive Rapunculi, Trachelia ſive Cervicariæ, alio pertinent, non obſtantibus radicibus in quibuſdam tuberoſis.

---

§. 3. NAPUS.

ΒΟΥΝΙΑΣ *Dioſcoridi l. 2. c. 136. ſignificatione à tumente figura deducta, quare Rapis hoc nomen magis competere, ſunt qui velint:* γογγύλης *ſpecies Galeno.*

Differentias duas in medicina Græcos ſervare Plinius l. 20. c. 4. ſcribit, alterum Bunion, alterum Buniada vocantes; ſunt qui Buniadem, Napum ſilveſtrem eſſe velint. At l. 19. c. 5. Naporum genera quinque facit, ubi legendum eſt Raphanorum, cum ex Theophraſto 7. Hiſt. 4. deſumpta ſint, ubi τῶν ῥαφανίδων *genera quatuor dicit.*

Napus { *1. Sativus Bunias, Fuch. Lugd. Bunias ſive Napus, Ad. Lob.* ☿
2. Silveſtris, C. B. P. J. B. Chabr. Bunias ſilveſtris, Lob. Icon. ☿ }

1. *NApus* ſativus Bunias, Fuch. Lugd. Bunias ſive Napus, Ad. Lob. Napus, Matth. Dod. Caule aſſurgit cubitali & altiore, multis alis concavis: folia parte infima pinnis caulem ramoſque amplectuntur, pediculis deſtituta, aut iis membranaceis hærentia, & inferiora quidem ſinuata, ſuperiora vero non item, in acumen enim definunt: flores lutei Braſſicæ: ſemen quoque ſimile, in ſiliquis aliquatenus longis; at radix reperta eſt minus in ventrem extuberans, altiuſque demiſſa, ſapore acriuſculo, carnis compactioris candidæ. Quia autem Napi in Raporum genere eſſe videntur & Rapo ſimiles, & foliis & radice Rhaphanos referunt, caule etiam, floribus, ſiliquis & ſemine, Rapum æmulantur; ideo opinor Galenum inter Rapam, quæ γογγύλις vocatur, & Napum, qui βουνίας dicitur, nullum ſtatuiſſe diſcrimen. Napi omnino Rapis ſunt congeneres, denſiores tamen, acriores & minores. Inveniri perhibentur Napi luteo & croceo colore in Bordveldiano Brunſvicenſis Ducatus agro, quibus præcipua laus & authoritas attribuitur. Βουνίας non βούνιον clivos, colles, ſaxa & ſaxoſa verrucoſave amat loca.

Napus ſilveſtris, C. B. P. J. B. Chabr. Napus agreſtis, Turn. Napus ſilveſtris, Dod. Lugd. (cui & βουνίας) Bunias ſilveſtris, Lob. Icon. Hujus flores, ſiliquæ & ſemina Napi ſativi proxima ſunt: folia crebrius diſſecta, laciniataque, nullis itidem pediculis cauli annexa: verum radix ſilveſtrem naturam ſapit, minor, & pollicis articulum parùm ſuperans, turbinata, ſaporis acris. A ruſticis tamen quædam herba colitur Rapo, Radiculæve ſimilis, quam *Navetam* appellant Galli, foliis Rapi lævioribus, poſt adoleſcentiam Erucæ modo laciniatis; cubitali ſcapo, aut interdum altiore; radice minuſculâ: floribus eidem proximis: nec eam crebro frondium avulſu coercent agricolæ, quo minus in caulem erigatur, quod in Rapis fieri certum eſt ut in radicem incrementa capeſſant, ſed in ſcapum attolli patiuntur, nam uberiore ſeminis proventu non mediocrem quæſtum faciunt. Semen hujus calefactum truſatilibuſque molis preſſum, magnam olei vim remittit, quo, non modo ad opſonia, ſed ad lumina quoque lucernarum utuntur. Aviculas etiam caveis recluſas, cardueles, miliarias, frigillas & id genus alias ſimiles, ſemine hujus aucupes paſſim alunt. Autumno ſeritur ſeminis cauſa. A-

prile floret, ſuccreſcente ſemine copioſiſſimo. Ex ſemine inquam oleum extunditur pauperum culinis inſerviens, aviculæ etiam eo paſcuntur uti ſupra dictum. Semina Rapi, Napi, & Braſſicæ ad prædictos uſus ſimiliter uſurpantur, quare Rapum & Napus radicibus tuberoſis ſolummodo à Braſſica diſtinguuntur; floribus, ſiliquis bivalvibus & ſemine, imo odore & ſapore, ſed acriore, cum iis conveniunt.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
CAPUT II.
SINAPI.

S*Inapi,* σίνηπι *Dioſcoridi l. 2. c. 184. & Theophraſto 7. Hiſt. 3, & 6.* παρὰ τὸ σίνεσθαι τὰς ὄπας, *oculos enim lædit: dicitur etiam Theophraſto* νάπυ, *quaſi immite, ob vehementem ejus acrimoniam: & Athenienſes Napy appellaſſe Plin. l. 19. c. 3. author eſt, Sinapi nominans.*

Unius Dioſcorides & Theophr. meminere, at Plinius genera tria facit: unum gracile, alterum ſimile Rapæ foliis, tertium Erucæ.

Nota generica deſignans Sinapi à cæteris tetrapetalis ſiliquoſis bivalvibus, eſt, quod inter cæteras has ſuæ ſortis bivalves, ſemina edat fervidiſſimi & acerimi guſtus; palatum enim & partes circumjectas calore ſuo activo accendit ejus ſemen tritum, adeo ut nares oculoſque petat, ex illis ſi copioſe ori ingeratur lacrymas elicet. A cæteris culinariis ſequentibus ſiliquoſis calidis & acribus diſtinguitur etiam ramorum multiplicitate & altitudine. Variis modis Sinapi nobis dividendum venit: à ſeminis pelliculæ colore exteriore, eſt vel album, vel rubrum, vel nigrum: à ſiliquis, eſt ſiliqua hirſuta, vel planâ eâque brevi, vel longa, vel longiſſima: à foliis, eſt Rapi, Apii, aut Erucæ folio diverſimodi conſtructum.

TABULA III.

Sinapi
- *Sativum*
  - *Rapæ folio,* — *1. Siliqua plana, ſemine ruffeſcente, nobis. Sativum prius, Dod. Sinapi hortenſe, Cord. in Dioſcor.* ☿
  - *2. Apii folio ſiliqua hirſuta, ſemine majore* { *Albo,* / *Rubro,* } *nobis. Sativum alterum, Dod. Ger.* ☿
- *Silveſtre*
  - *Semine rubro minore*
    - *3. Erucæ folio, nobis. Sinapi Erucæ folio, C. B. P. Silveſtre, Dod.* ☿
    - *4. Monſpeſſulanum lato folio ſinuato & laciniato, flore luteo minimo, ſiliqua longiſſima, nobis. Siliqua longiſſima, J. B. Chabr.* ☿
    - *5. Geneven ſe folio lato ſinuato tantum, flore majore, nobis. Silveſtre Genevenſe, J. B. Chabr.* ☿
    - *6. Monſpeſſulanum minus ſiliquâ aſperâ hirſutâ, nobis. Parvum ſiliqua aſpera hirſuta folio Erucæ minoris, J. B. Chabr.* ☿
  - *7. Semine nigro majore* — *Nobis. Rapiſtrum arvorum, Ger. Park.* ☿

Explicatio Tab. 3.

1. SInapi Rapæ folio, C. B. P. Sinapi ſativum prius, Dod. (Sinapios tres ſunt ſpecies; ſativæ duæ, & tertia ſilveſtris ſecundum veteres; nos ſilveſtrium aliquot ſpecies veteribus incognitas ex neotericis adferemus) ſativo huic primo folia ſunt Rapæ ſimilia, aſperiora tamen, ſed minora: caulis Sinapi rotundus, aſper & hirſutus, bicubitalis vel altior, ramulis aliquot brachiatus; circa quos floſculi multi conſpiciuntur ordine digeſti, colore lutei tetra-

 petali,

petali, valde odorati, quos ſequuntur ſiliquæ bivalves, planæ, quarum ſingulæ duplici ſerie ſeminum onerantur, ſepto medio pellucido albo (dum ſemina ſunt matura) diſterminante duplicem ſeriem illam: in ſiliquis ſic conſtructis latet ſemen utplurimum, rubrum, ſeminibus cæterarum Sinapios ſpecierum ſimile: colore intus luteo ſunt omnium ſemina, cujuſcunque coloris ſit pellicula exterior, guſtu acria, ac mordacia. Hoc in agris & hortis ſeritur, ſicut & ſequens ſativum. Floret ineunte æſtate, atque verſus ejuſdem medium ſemina ejus maturantur.

2. *Sinapi* Apii folio ſiliqua hirſuta ſemine albo aut rubro, nobis. Sinapi ſativum alterum, Dod. Hoc foliis & caulibus ramoſis, utriſque aſperis, conſtat: primum & tertium floribus luteis refert: ſemen hujus album ſeu rubrum majus, latens in ſiliquis hirſutis, interiore medulla ex luteo vireſcente, quod ſimiliter non parum acre ac mordax eſt. Sativa hæc altera ſpecies folia protrudit Apii latifolii inſtar, & etiam in agris & hortis colitur. Floret & ſemina perficit eodem tempore cum antecedente.

3. *Sinapi* Erucæ folio, C. B. P. Silveſtre, Dod. Lugd. Hoc Sinapi ſilveſtre à ſativis prædictis duobus præcedentibus, quippe minoribus, proceritate differt. Obſervavimus ad margines foſſarum humidarum aſcendere ad altitudinem quinorum aut ſenorum pedum, cujus itidem rami arboreſcere videbantur. In ſummis ramis floculos quoque luteos gerebat: quos ſequebantur ſiliquæ teretes, glabræ, breves, arcte caulium ramis adhærentes, pauciora minuta ſemina rubra in ſe continentes, nec minoris acrimoniæ quam prædictorum ſativorum ſemina. Hoc ubique ſponte naſcens obſervavimus in viis communibus, præcipue ad earum margines, & in petroſis, aſperis, & ruderatis locis, in dumetis & ſepibus, quandoque in humentibus. Diligunt omnia (ut inquit Palladius) aratam & (ſi fieri poſſit) congeſtitiam terram: gaudent humore, & ideo felicius ad margines foſſarum proveniunt. Seruntur ab Agricolis ineunte vere, & ſemina perducunt ad maturitatem Junio & Julio. Dum ſemen tritum & muſto mixtum, dicitur à fervore intenſo Sinapios, muſtum ardens; unde Gallis & Anglis aliiſque gentibus *Muſtard* appellatur.

4. *Sinapi* ſilveſtre Monſpeſſulanum lato folio ſinuato & laciniato, floſculo luteo minimo ſiliqua longiſſima, J. B. Chabr. Per hujus caules ſeſquicubitales, nonnihil ſtriatos, teretes fere, ſolidos, folia conſpiciuntur Dentis leonis forma reſpondentia cum magnitudine, tum laciniata diviſurâ, glabra, aut nullis certe affatu dignis pilis donata, odore & ſapore acri prædita: flores lutei parvi: ſiliquæ dein oriuntur denſiſſimæ & longiſſimæ, admodum acri ſemine refertæ. An Cæſalpini altera Irionis ſpecies amplior, in dubium vocatur. Floret, & ſiliquas fert circa Monſpelium menſe Martio locis ſiccis.

5. *Sinapi* ſilveſtre Genevenſe, J. B. Chabr. Sic dicitur ſpontaneum quoddam genus Sinapios, Genevæ à Johanne Bauhino obſervatum, cui ex radice ſimplici, alba, ligneſcente, multi ſtatim exoriuntur caules prope terram, nonnihil hirſuti, ramoſi; per quos folia Erucæ ſimilia apparent, diviſura non minus frequenti diſſecta, verum latitudine Monſpeſſulano cedentia, diviſura etiam diverſa; ſunt enim tantum ſinuata, at Sinapi Monſpelienſe folia habet & ſinuata & laciniata: Monſpelienſis ſiliquæ duplo ſunt longiores; flores vero minores Genevenſis floribus, cujus flores Monſpeſſulani floribus ſunt majores: ſiliquæ ex pediculo mediocriter longo graciles, tres uncias longæ, ſemen bipatentibus valvulis claudunt tenuiſſimum, ruffum, duplici ſerie, in duplici loculamento contentum, ſepto medio utramque ſeriem, hinc unam, illinc alteram, partiente. Vide & hujus & ſequentis ſexti Iconem in App. ad hanc tertiam Sectionem.

6. *Sinapi* Monſpeſſulanum ſiliqua aſpera hirſuta, J. B. Chabr. Statim è radice lignoſa folia exeunt frequentia, ſimilia fere Erucæ minoris foliis, acria; interque hæc folia caules aliquot palmares, aut etiam aliquando in fertiliore ſolo cubitales, in ramulos aliquot diviſi: floribus Sinapios hujus luteis parvis decidentibus ſiliquæ ſuccedunt bivalves, crebræ, unciam longæ, teretes, aſperæ, aliquæ ſecundum caules ramoſve aſcendentes, aliæ longæ ab iis abſcedentes & veluti recta foris protenſæ, ſemen claudentes minutiſſimum, ſaturate ruffum. Inveniebatur Autumnali tempore à Johanne Bauhino inter Monſpelium & montem dictum *Eſperon*. Nos parvum (inquit Johannes Bauhinus) obſervavimus; magnum obſervabat gener Cherlerus in udis foſſulis, inter Monſpelium & Thermas Ballarucanas.

7. *Sinapi* arvenſe præcox ſemine nigro, nobis. Rapiſtrum flore luteo, C. B. P. Rapiſtrum arvorum, Ad. Lob. Thal. Hiſt. Lugd. Ger. Park. Lampſana vera, Lugd. Huic Sinapi ſemine nigro exeunt folia lata, oblonga, aſpera, veluti Rapi aut Napi: aliquando diviſa & ſinuata, aliquando non: cauliculi ejus tenues, hirſuti, pedales & altiores in agro fertili, ſecundum ramulos, floſculos exiguos, tetrapetalos, colore ſubluteos gerunt; quibus ſubveniunt ſiliquæ bival-

bivalves, tenues, oblongæ, glabræ, ſubnigricantes; in quibus latent ſemina duplici loculamento diſtincta, ſepto membranaceo ſeparata, nigra, ferventia ac acria guſtui, veluti Sinapi ſiliqua hirſuta, ſed amariuſcula: radix non magna. Hoc frequenter in agris, dum requieſcunt & non aratro proſcinduntur, ſponte naſcitur; non minus tamen ſecus vias, prope veteres muros & in aliis incultis & aſperis locis floret. Sub finem Martii reperitur in flore & in provectam uſque æſtatem durat florens, & ſemina perficiens. De Nominibus, Loco & Tempore in titulis ſupra ſatis dictum. Accedamus ad Sinapios Temperamentum & Vires.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Ex Sinapios ſemine condimentum conficitur, quo ad ciborum intinctus utuntur omnes gentes fere. (Utrumque Sinapi ſativum ſeu hortenſe σίνηπι κηπαῖον *dicitur, reliqua* σινήπιος ἀγρίου *nomine inſigniuntur, & Sinapios ſilveſtris illi imponitur nomen.) Sinapi commanducatum pituitam elicet, dentium dolores mitigat, tritum naribus impoſitum ſternutamenta cit, & feminas ab utero ſtrangulatas excitat: epilepticis prodeſt, lethargicis deraſo capite emplaſtri modo imponitur, cum ficis admiſtum & donec locus rubeſcat admotum iſchiadicis utile eſt: ad omnes diuturnos ex frigida cauſa dolores confert: conducit, cum ex alto aliquid in ſuperficiem corporis attrahendum eſt. Extrahentibus emplaſtris nec non ſcabiem extenuantibus utiliter admiſcetur. Alopeciis impoſitum auxiliatur. Sugillita, cum adipe, melle & cerato delet: cum aceto contra lepras & feras impetigines illinitur, tum & contra ſcorpionum & ſerpentum ictus. Breviter Sinapios ſeminis magna vis eſt, non modo ad nares, ſed & ad cerebrum etiam penetrans: quod facile percipitur, quando nimium condimenti ex Sinapi cum cibo aſſumitur, mox enim nares impetuntur cerebro etiam conſentiente. Fit autem ex Sinapios ſemine trito quovis modo condimentum quo Germania, Belgium, Anglia, Scotia, aliæque Septentrionales gentes frequenter utuntur (proinde ſapiunt ut ait Johannes Lodovicus Vives) utplurimum cum aceto, quandoque vero cum vino muſto, unde (ut diximus) ab ardore quaſi muſtum ardens & ſecundum hoc etymon Gallis, Germanis, Britannis* Muſtard *dicitur, ſed pura aqua humectatum vehementius ferit & magis calefacit. Palladius vero condimentum ex Sinapi componere docet, cui, præter acetum, mel & oleum adduntur: Sinapios ſemen inquit ad modum ſextarii unius & ſemiſſis redigere curabis in pulverem, cui mellis pondo quinque, olei Hiſpanici lib.* 1. *aceti acris ſextarium* 1. *miſcebis & omnibus iterum diligenter tritis, &c. Columella alium habet condiendi Sinapi modum, quem vide ſi vis, apud ipſum.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 99. col. 2. pl. iv. Sinapi ſiliqua hirſuta, C. B. P. Sinapi alterum ſativum, Lob. Sinapi alterum ſativum ſiliqua hirſuta eſt idem cum Sinapi agreſti Apii aut potius Laveris folio, Lob. ergo male ponitur Sinapi ſiliqua hirſuta à Caſparo Bauhino pro diſtincta ſpecie à Sinapi Apii aut Laveris folio.

Pag. 99. col. 2. pl. vi. Sinapi umbella purpurea, C. B. P. Sinapi alterum agreſte noſtras, Colum. Phytob. Hujus ſiliquæ exſiccatæ flaveſcunt, ac tactæ valvulas intorquent & ſemina ejaculantur, quod Naſturtio convenit pro nota generica, ergo eſt Naſturtium, & per conſequens male inter Sinapios ſpecies à Caſp. Bauhino collocatur.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
CAPUT III.
ERYSIMUM.

Ἐρύσιμον *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 188. *aliis* ἀπὸ τοῦ ἐρείκειν, *foliorum multiplici ſectione: aliis quaſi* ἐρείτιμον, *quod eſt pretioſum: aliis* ἀπὸ τοῦ ἐρεύειν, *quod ob ſuam caliditatem trahendi facultate præditum ſit, dictum: nam Sinapis ſapore eſt, & multis Sinapis ſilveſtris ſpecies eſt; Plin. l.* 22. *c.* 25. *Irio, Eryſimum Græcis: ubi Eryſimon Dioſcoridis, cum Eryſimo fruge Theophraſti* 8. *Hiſt.* 1. *&* 4. *cauſ.* 16. *(Gaza Trionum vertit) confundit.*

Eryſimum cum ſit planta ſiliquoſa tetrapetala calida & acris, ſed in remiſſiore gradu, quam Sinapi, cumque utplurimum Eryſimum minus ſit, atque tenuioribus ſiliquis & conſequenter minutioribus ſeminibus donetur quam Sinapi, iiſdem nominibus diſtinguitur à Sinapi, cum quo majorem habet affinitatem quam cum ſequentibus in hac Sectione contentis herbis.

Pars TABULÆ III.

Eryſimum —
1. *Vulgare, C. B. P. Irio, Matth. Hiſt. Lugd.* ☿
2. *Polyceration vel corniculatum, C. B. P. Irio alter, Matth.* ☿
3. *Latifolium majus glabrum, C. B. P. Irio Apulus alter lævi folio Erucæ, Col. Eryſimum latifolium Neapolitanum, Park.* ☿
4. *Montanum Irionis vulgaris folio* λεπτομακροκέρατον, *nobis. Rapiſtrum ſilveſtre Irionis folio* μακρολεπτοκέρατον *Col.* ☿
5. *Minimum annuum hirſutum, nobis. Eryſimo ſimilis hirſuta planta, C.B.P. & Prod. Park.* ☿

Explicatio partis Tab. 3.

1. E*Ryſimum* vulgare, C. B. P. Eryſimum Tragi juxta muros proveniens, J. B. Chab. Eryſimum ſive Irio, Ad. Lob. Dod. Irio, Matth. Lugd. Cæſ. Eryſimum hoc vulgatius Sinapis ſilveſtris ſpecies Geſnero habetur, eſt ramoſum, durum, foliis ab utraque parte profundius inciſis: ſinapi ſilveſtre, cui in multis accedit, refert: cauliculi, tum & ramuli divaricati, tenues ſunt, lenti admodum & obſequioſi ſeu flecti faciles; quibus arcte in ſummis hærent floſculi minutili, lutei, tetrapetali: quos ſequuntur ſiliquæ teretes, tenues, bivalves & unciales, denſe ſecundum caules adhærentes; in quibus ſingulis, ſemina plura exigua duplici ſerie latent, ſepto medio ſeparata, aliarum tetrapetalarum ſiliquoſarum hujus claſſis more; ferventi guſtu, Sinapios ſeminibus quaſi accedentia. Provenit in locis ſaxoſis juxta rudera, ſecus ſemitas, & in aliis incultis & deſertis locis. Floret Maio & Junio; ſemina Julio & Auguſto perficit.

2. *Eryſimum* polyceration vel corniculatum, C. B. P. Eryſimum alterum Italicum, Ad. Lob. Irio alter, Matth. Lugd. Cam. Eryſimum alterum Matthioli ſiliquis parvis quibuſdam Dentilaria alia, J. B. Chabr. Lentas cubitoque longiores virgas, verſus terram reclinatas, profert hoc Eryſimum ſecundum: folia inferiora quidem Irionis Tragi foliis aliquomodo ſimilia, profunde ad nervum ſeu coſtam uſque mediam diſſecta, reliqua quæ per ramos uſque ad cymas crebra, leviter laciniata, ſeu potius ſinuata, unciam plus minus longa; ex quorum alis floſculi lutei, tetrapetali emicant, quibus delapſis ſuccreſcunt ſiliquæ crebræ, modice in arcum curvatæ, ſemiuncia longiores, plures ex eodem geniculo ortæ, bivalves, duplicem ſeriem ſeminum rufforum perparvorum continentes, reliquarum tetrapetalarum ſiliquoſarum hujus Sectionis more: radix alba ligneſcit, paucis fibris donata. Abundat prope mare Venetorum; & dicitur Geſnero Dentilaria alia, quod ſiliquulas fere dentibus ſimiles arcte per caulem emittat. Cherlerus aſſerit copioſe creſcere circa Monſpelium. Floret exeunte Vere & ſemina perficit æſtate.

3. *Eryſimum* latifolium majus glabrum, C. B. P. Irio Apulus alter lævi folio Erucæ, Col. Eryſimum latifolium Neapolitanum, Park. Foliis exit parvis, oblongis, per terram in orbem ſtratis, Erucæ ſilveſtris vulgaris modo, ſed adulta in profundiores lacinias dividuntur numero 6. aut 7. Erucæ ſativæ minora, ad Irionis hirſuti folia magis accedentia, & fere ſimilia, ſed huic lævia virentia ſunt, & foliorum ſummum anguſtius habent: caulem edit utplurimum unicum (nonnunquam plures) bipedalem, cæteris craſſiorem, lævem, rotundum, ſolidum, candicantem (ſicut foliorum nervos) foliis multis alternatis veſtitum, ex quo petioli multi emanant foliis referti anguſtioribus paucioribuſque laciniis diviſis, longiore & anguſtiore cacumine, odore gravi, ſapore amaro, palato ſtatim acri: in ſummis virgis flores proveniunt multi ſimul longitudinaliter ſecus caulem congeſti, tenues admodum & lutei, Irionis vulgaris modo; hi ſiliquas per caulium cacumen diſpoſitas proferunt copioſas, duas uncias & amplius longas, tenues, rotundas, extuberante intus ſemine copioſo utrinque in ſingulis valvulis minuto, flavo, ſalſo, & acri ſapore. Differunt hujus ſiliquæ ab alterius vulgaris ſiliquis longitudine & poſitu, hæ autem non hærent arcte cauli, deinde non obliquas habent alas ſeu ramulos, ſed rectas, & elatas in longiore ſpica; & ſiliquis denſius diſpoſitis conſpiciuntur: folia acriora ſunt ſemine: radix candida, guſtu admodum fervido. Eodem tempore cum cæ-

teris floret, Aprili menſe. Cerinolæ in Apulia frequens à Fab. Columna obſervabatur. Paſſim circa Londinum, & circa pagum dictum *Chelſey* ſecundo ab urbe lapide, copioſe provenientem obſervare licet, imo in ipſis ruderibus Londini poſt incendium quod incepit ſecundo die Septembris anno Dom. 1666. poſt octimeſtre ſpatium adeo denſe pullulavit paſſim, ut facile ſicut Triticum aut Secale demeti potuerit à quovis meſſore. Hoc vidimus & obſervavimus ſicut videre eſt pag. 498. Prælud. noſtrorum Botanicorum. Floret ineunte Vere, & uſque ad mediam æſtatem floret & ſemen perficit, ex quo deciduo germinat ineunte Autumno & per hyemem durat, ut maturius ſequente verna tempeſtate & floreat & ſemen producat. Præter numeroſam copiam hujus Eryſimi latifolii majoris glabri memoratam & tam abundanter, imo redundanter, poſt conflagrationem Londini anno 1666. in ipſis hujus Regni Metropolis ruinis inter rudera repertam, ut alibi à nobis dictum in Præludiis noſtris Botanicis verſus finem dialogi illic; biennio poſt peſtilentiali morbo ſæviente Londini, omnes ad unum cujuſdam familiæ, qui in paupere tigurio, non longe ſito à palatio *Divi Jacobi*, degebant, vix quinquaginta paſſibus ab ædibus dictis **Barkſhire-houſe** interierunt; relictam domunculam vacuam intrarunt alii pauperes, qui peſte itidem ablati; tandem milites qui excubias prope portam prædicti palatii *Divi Jacobi* agebant, ſuarum rerum ſatagentes, ne aliis infectis daretur pernoctatio aut habitatio ibidem, ædiculas ſeu tiguriolum incendio facto ſolo æquarunt. Quo facto metu univerſalis calamitatis liberati, ſecuriores & à periculo tutiores ſeſe judicabant. Poſt annum integrum iter illac facientes obſervavimus aream, cui tiguriolum inædificatum fuerat, totam tegi ac tam denſe operiri Sophia Chirurgorum ſeu Naſturtio tenuifolio, ac ſi de induſtria ex ſatione contigiſſet, nec unquam tam denſe provenire alicubi animadverti; unde jam concludo calidas & acres has plantas tetrapetalas ſiliquoſas ex cinere combuſtorum, ſali & calci miſtorum, produci ſponte ſine ſemine, neque unquam mihi in uno loco tanta congeries Sophiæ Chirurgorum tam denſe provenientis obvia fuit, cum ne vel una aut altera ſtirps in omnibus locis adjacentibus reperiri à nobis poterat. Obſervamus itidem Leucoium luteum vulgare provenire feliciter in tectis & muris, ruderibus & ruinis turrium, palatiorum, templorumque, nec alibi in campis, agris, ſilvis, pratis, aut neglectis aut derelictis arvis, vigere aut provenire animadvertimus. Rationem exquirendam aliis impræſentiarum relinquemus, proſequamur interim Tabulas, earumque diſpoſitionem.

4. *Eryſimum* montanum Irionis vulgaris folio λεπτομακροκέρατον, nobis. Rapiſtrum Irionis folio, Col. Hoc Eryſimum acri radicis guſtu, foliorum ſapore & diviſura, magis Irioni accedere videtur. A longis admodum, quas profert multas & tenues, ſiliquis λεπτομακροκέρατον denominatur: radice nititur ſatis longa, omnibus tenuiore, longiſque fibris diviſa atque candicante: foliis eſt Eryſimo vulgari æqualibus, aliquando minoribus in ſterilioribus locis, in lobos ternos binoſve diviſis, cacumine acuto Irioni multum ſimilibus, ſed majoribus, ex viridi albicantibus, hirſutis, mollibus, præſertim caulem ambientibus, quæ longe tenuiora, longioribus lobis & cacumine prædita, ut lobi duas uncias longi, cacumen vero palmum: caule bicubitali, aliquando altiore, aliquando ab radice fruticoſo, alis multum diviſo, hirſuto, aſpero, ex quo ſemipedales & interdum breviores alternatim eriguntur ſiliquæ, admodum tenues, craſſo cacumine, ſemina intus ab utroque latere hinc inde continentes minuta, non multum acria, obſcure flaveſcentia, quæ ſucceſſerunt in ſummis alis, floribus luteis, tenuibus, tetrapetalis, coacervatis, exilientibus ex calicibus parvis, ex quorum ſingulis emanat unica ſiliqua longiſſima (uti dictum ſupra) deficiente flore minutiſſimo. Floret Maio & Junio; ſiliquas autem perficit æſtate. Provenit juxta ſemitas ſaxoſas vel macerias, atque ædificia montana Æquicolorum, etiam & in viâ quæ à villa Mercato ad Capucinorum Cœnobium ducit, & circa ipſam ſacram Capucinorum ædem eruiſſe meminit Fab. Columna, ſemenque collegiſſe.

5. *Eryſimum* minimum annuum hirſutum, nobis. Eryſimo ſimilis hirſuta non laciniata alba, C. B. P. & Prod. Hæc provenit ex radice oblonga, alba, lignoſa & fibroſa, caulis modò unus, modò plures cubitales, aliquando pedales tantum, ſubrubentes, ſtriati, hirſuti, & aliquando in ramulos brachiati exſurgunt: folia plura ad radicem humi ſtrata, pediculis utplurimum carentia, ſeſquiunciam longa, aſpera, hiſpida, ſubalbicantia, per ambitum crenata, rarius laciniata, & quæ in caule minora ſunt, eumque baſi latiore cingunt; ſecundum ramulorum longitudinem veluti in ſpicâ floſculi albi, tetrapetali, pedicellis inſident, qui in ſiliquas oblongas, ſtrictas, ſemen minutum duplici ſerie continentes, abeunt. Provenit locis ſaxoſis, ruderibus & muris, ut Baſiliæ prope mœnia ad arcem Monchaſtem. Primo Vere floret, Monſpeſſuli quoque in ruderibus umbroſis, ſed per omnia minor, ſæpe in agris arenoſis

noſis inter ſegetes. Vitioſa eſt figura Dalechampii ſub Aizoo telephio in Hiſtoria Lugd. quod aliò pertinet. Sine pilis enim exhibet cum caules tum folia, hæcq; etiam ſine crenis, etiamſi in deſcriptione ait folia paululum inciſa, craſſa, hirta, quæ in ipſius Icone omittuntur à ſculptore. Icone exhibitâ à Caſp. Bauhino in Prodromo melius exprimitur pilis ſcatens, quin & folia ſunt crenata, ut cernere eſt in ipſa planta, ſatis cuilibet ineunte Vere obviâ. De Loco & Tempore, Nominibuſque authorum diverſis, ſatis ſupra dictum in uniuſcujuſque explicatione.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Græci ἐρύσιμον vocant: nonnulli χαμαίπλιον Chamæplium. Irionis ſeu Eryſimi ſemen guſtu Sinapi aut Naſturtio apparet ſimile, ita Galenus ait, facultate igneum eſt & excalefactorium: eſt vero ſimul extenuans. Facit ad thoracis rheumatiſmos, ſuppurationes, tuſſes, icterum & coxendicis dolores cum melle delinctum. Ubi autem in eclegmate uti eo expedit, præſtat aqua maceratum refrigerari, aut linteo involutum & maſſa piſtoria oblitum aſſari. Bibitur & adverſus mortifera venena, addit Dioſcorides, quod cum aqua & melle cataplaſmatis in modum impoſitum oculis proſit, cancris, parotidibus, duritiis à mammarum, teſtiumque inflammationibus. Lobelius & Pena tantas attribuunt Eryſimi ſeminibus dotes, quæ aſthmaticis & farctui Pulmonum vocique raucæ etiam diuturnæ & prope invictæ, adeo præſenti ſunt remedio, ut fidem ferme ſuperet. Eſt enim inquiunt moderata tenuis ſubſtantiæ ac incidentis cum humidis abſtergentibus permixtio; cujus beneficio craſſæ pituitæ citra exſiccationem nimiam inciduntur & inciſæ propter flatum nonnihil commixtum non magno conatu expectorantur & abſterguntur, arteriacum igitur eſt laudatiſſimum, nempe unum & idem præparans & educens: exempla ſuccurrunt quamplurima. Phonaſeos fuiſſe inquit Pena multos tum juvenes tum ætatis provectæ, quibus jam amiſſa voce & ſpiritu, limpida ſonoraque vox pauculis diebus reſtituta fuit, uno Eryſimo, opera eximii Rondeletii, qui primus uſum monuit; ſyrupus autem de Eryſimo efficaciſſimus, cujus beneficio juvenculæ decennio raucedine laborantes percuratæ fuerunt. Syrupus ſic conficitur ex Rondeletio. Recipe Eryſimi totius recentis antequam cauleſcat M. ß. Rad. Helenii, Tuſſilaginis, ſucco adhuc prægnantium, Glycyrrhizæ, an. unc. ij. Boraginis, Cichorei, Capillorum Veneris an. M. 1. ß. florum Cordialium, Anthos, Stæchados vel Betonicæ, an. M. ß. ſeminis Aniſi unc. vj. paſſularum mundatarum, unc. ij. inciſis & contuſis omnibus fiat decoctio S. A. in ſufficiente quantitate aquæ Hordei, Hydromelitis, addendo unc. v. ſucci prioris ad lib. ij. vel iij. expreſſo liquore diſſolve ſacchari q. ſ. fiat ſyrupus quo (rite purgato corpore medicamento minorativo) diu & continuo uti debet Phonaſius patiens.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 101. col. 2. pl. v. Eryſimum anguſtifolium majus, C. B. P. Rapiſtrum ſilveſtre Irionis folio Colum. & pag. 95. col. 2. pl. v. Rapiſtrum Italicum, ſiliquis longiſſimis, C. B. P. Rapiſtrum montanum ſive ſilveſtre Irionis folio, Colum. Bis repetitur pag. 101. & pag. 95. Ergo non poteſt eſſe & Eryſimum & Rapiſtrum, proinde erravit Caſp. Bauhinus.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
CAPUT IV.
NASTURTIUM SILIQUOSUM.

NAſturtium κάρδαμον *Dioſcoridi l. 2. c. 185. Theophraſto 7. Hiſt. 1. quaſi* καρήδαμον *quod caput calore ſuo & acrimonia tentet vel* ἀπὸ τῆς καρδίας, *quod cordatos faciat; vel in ſyncope cardiaca dicta, plurimum valeat. Latinis Naſturtium,* (quaſi Naſitortium) *à naribus torquendis; quod odore & ſeminis acrimonia ſternutamenta provocet: hinc Plinio l. 19. c. 8. (& Varroni) à narium tormento velut torporem excitans.*

Genera

Genera Theoph. 4. Hiſt. 7. plura eſſe dicit. Dioſcorides tantum Naſturtium Babylonicum optimum eſſe ſcribit. Plinio l. 20. c. 13. Eſt hortenſe ſive ſativum latioribus foliis, (quippe quod, ſiliculoſum, aliò amandabimus ad ſibi ſimiles) *eſt & ſilveſtre: illud album, hoc nigrum, ubi de ſemine eum loqui cenſemus. Nos (relicto hortenſi impræſentiarum) dividimus in pratenſe, aquaticum & montanum.*

Quartum genus ſiliquoſarum tetrapetalarum culinariarum eſt Naſturtium, cujus nota generica, qua ab Eruca diſtinguatur, aſſignatu perquam erit difficilis; hoc unum Naſturtii ſiliquis maturis proprium, quod tactæ cum ſubita agilitate aperiantur, & ſemina actutùm evibrent, quod non convenit Erucis. Naſturtium nobis erit duplex habita ratione involucri, thecæve ſeu capſulæ ſeminalis; eſt vel ſiliquoſum, vel ſiliculoſum; de ſiliquoſo nunc in hoc primo membro inter ſiliquoſas culinarias calidas & acres, de ſiliculoſis Naſturtiis infra in ſecundo membro de ſiliculoſis culinariis calidis & acribus tractabimus. Naſturtium ſiliquoſum eſt vel annuum, vel perenne; annuum eſt aut album, aut purpureum, aut luteum; perenne eſt aut pratenſe, aut aquaticum, aut montanum.

TABULA IV.

Naſturtium
- *Annuum*
  - *Flore*
    - *Albo*
      - 1. *Minimum, foliis ex altera parte crenatis colore atroviridi, nobis. Sium minimum, Proſp. Alpin. de Exot.* ☿
      - *Alpinum*
        - 2. *Inſipidum, C.B.P. Cardamine inſipida, Col.* ☿
        - 3. *Minus Reſedæ foliis, nobis. Naſturtium Alpinum minus Reſedæ foliis, C.B.P. & Prod.* ☿
        - 4. *Minus Bellidis folio, nobis. Plantula Cardamines alterius æmula & Sinapi pumilum album, Cluſ. Hiſt.* ☿
    - 5. *Purpureo Neapolitanum agreſte, nobis. Sinapi alterum agreſte, Col.* ☿
    - 6. *Luteo minimo, ſilveſtre tenuiſſime diviſum ſeu Naſturtium* μυριόφυλλον, *nobis. Sophia Chirurgorum, Ad. Lob. Dod. Ger. Park.* ☿
- *Perenne*
  - 7. *Pratenſe magno flore*
    - *Simplici*
      - *Albo*
      - *Dilute purpureo*
      - } *Flos cuculi, Brunſ. Dod. Cardamine ſimplici flore, Cluſ. Hiſt.* ☉
    - *Pleno* ☉
  - *Aquaticum*
    - 8. *Supinum flore albo, nobis. Siſymbrium aquaticum, Matth. Cæſ, Caſt.* ☉
    - 9. *Majus amarum, nobis. Naſturtium aquaticum amarum, Park.* ☉
    - 10. *Erectum folio longiore, nobis. Naſturtium aquaticum Italicum, Park.* ☉
    - 11. *Minus, nobis. Siſymbrium aquaticum minus, Cam. Ep. Cardamine 4ta Dal^ri Hiſt. Lugd.* ☉
  - *Alpinum ſeu Montanum*
    - 12. *Paluſtre rotundifolium radice ſerpente, nobis. Naſturtium Alpinum paluſtre rotundifolium, Zanoni.* ☉
    - 13. *Trifoliatum, nobis. Naſturtium Alpinum trifolium, C.B.P. Cardamine trifolia, Lob. Icon. Lugd.* ☉

Explicatio Tab. 4.

1. N*Aſturtium* minimum annuum flore albo, nobis. Sium minimum, Proſp. Alpin. de Exot. Sium minimum, noli me tangere dictum, ſive impatiens Naſturtii ſilveſtris folio, Park. Eſt herbula hæc pedalis & aliquando altior in fertili ſolo, fruticat recto caule, foliis Erucæ ſilveſtris proximis, minoribus tamen, ex una parte crenatis, colore atroviridibus, ex caule majore plures ramuli exeunt, in quibus, ut in ſilveſtri Eruca & in Naſturtii ſpeciebus, utrinque ex oppoſito multæ ſiliquæ parvæ, tenues, longæ, Eryſimi Neapolitani aut Na-

 ſturtii

ſturtii tenuifolii lutei ſiliquis ſimiles & proximæ: ſemina in ſe habent minuta ex albido lutea, quæ matura continuò & aćtutùm è tactis ſiliquis ejaculantur, & eadem ſemina ejaculata in orbem prope longe ſparſim novellas plantas producunt. Hoc illi cum multis aliis Naſturtii ſpeciebus familiare, ſi quis ſiliquas maturas manu comprehendere conatur illico adinſtar animalis indignati ſemina cuncta magno cum impetu in manum, plantæ ſiliquas comprehendentem, imo & in faciem aliaſque corporis partes ejaculantur, atque ex inſtante evibrantur, non aliter quam fit in planta Balſamina femina lutea, & rubra perſicæfolia, noli me tangere ob id dictis. Certe longe mirabilius videtur, quod nos ſæpe conſpeximus, hanc herbam habentem in ſiliquis ſeu thecis ſemina matura, ſi manus alicujus qui fingendo ſe velle attingere propius accedat, etſi vere quidem non attingat, omnia ſemina matura magno impetu ejaculari in hominem appropinquantem, ita ut multis ex repentina cum ſiliquarum apertione, tum ſeminum ejaculatione, non levem inducat timorem: quibus profecto dubitari poſſit an hæc plantula ad Æſchionominen, tantopere olim ab Apollodoro magno celebratam, quadantenus accedat, de qua antiquitas an animal eſſet dubitavit, quia veluti indignabunda ſemina in illos qui ipſam attingere conantur, vel etiam attingere fingunt, evibrat. Hæc ex ſubacri ſapore & non injucundo foliorum, præſertim cruda, in acetariis eſt receptiſſima. Calida & ſicca ſupra ſecundum ordinem, uti ſunt congenera ſua Naſturtia omnia. Humores craſſos incîdit extenuatque, aperit, digerit. Urinam ſemina movent, & foliorum uſus Venerem auget, ſicut Eruca, deperditam reſtituit. Annua eſt hæc plantula, ſed tamen ſuis ſeminibus ſic longe lateque circum circa caulem evibratis, prolem ſuam ubique locorum feliciter propagando perpetuitatem nanciſcitur; præſertim in loco humido & opaco, quo maxime delectatur, & in quo libentius luxuriat. Reperitur prope Londinum primo lapide ab Eccleſia *Divo Ægidio* dicata, eundo ab Eccleſia verſus pagum dictum *Hamſted* in humidis illic pratis ſecus foſſas: floret exeunte hyeme & ſemina perficit Maio. Floret denuo Autumno fervidiore, intervenientibus frequentibus imbribus quibus delectatur, quemadmodum tota cohors hujus familiæ.

2. *Naſturtium* annuum Alpinum inſipidum, C. B. P. Cardamine inſipida Franciſci Gregorii, Col. Alpinæ Cardamines inſipidæ nomine hanc plantulam inſignivit idem Franciſcus Gregorius Capucinus, qui eam inter *Roſennahim* iter habens *Abling* verſus, ſupra pontem quendam reperiſſe nunciavit arenoſo aliquantulum loco, quam recentem ſuo guſtui inſipidam & inodoram cognovit. Radice conſtabat admodum brevi, tenui, multis fibris præditâ: caule pollicari longitudine, inciſuris ſeu potius ſinubus Chondrillæ aut Sinapios agreſtis dicti, fructu echinato & anguloſo. Hoc Campoclarenſes pro Lampſana in cibo utuntur, uti dicemus in capitulo de Lampſana Apula veriore Fab. Columnæ; folia parum aſpera & hirſuta ſunt, ſicuti caulis, qui tenuis, dodrantalis; in ſummo, ramis aliquot diviſis & alternatim poſitis, ſiliquas in longis petiolis elatas profert, & exiles admodum digitali longitudine, ſed magnas reſpectu plantæ; in quibus exiguum ſemen minutum ut punctum inſcriptum: flores in ſummo parvi, tetrapetali, qui ſuccreſcente caule abeunt in ſiliquas bivalves, duplicem ſeriem ſeminum hinc inde in ſe continentes, membrana tenui pellucida eandem diſtinguente. Floret ineunte æſtate, & per totam æſtatem floret, & ſemina perficit.

3. *Naſturtium* Alpinum minus Reſedæ foliis, C. B. P. Prod. Ex hujus radice alba, tenui & oblonga, cauliculi leves, tenues, recurvi communiter, indiviſi, palmoque minores prodeunt, foliis, longis pediculis inſtar Reſedæ vulgaris præditis, in lobos tres, vel quinque ſubrotundos diviſis: flores in cauliculorum ſummis albi, mediocris magnitudinis; quibus ſiliquæ ſtrictiſſimæ, ſeſquiunciales, ſuccedunt. In Rhætorum Alpibus Julio florens reperitur. Verum ex Helvetiorum Alpibus & Pyrenæis longe minus habemus (ut inquit Caſp. Bauhinus) ita ut tota planta abſque radice uncias tres non ſuperet.

4. *Naſturtium* Neapolitanum agreſte flore purpureo, nobis. Sinapi alterum agreſte, Col. Phytob.. Hoc radice firmatur parvâ, tenui, fibroſa, parum ſub terram deſcendente, albida; ex qua foliola exeunt Chelidonii majoris inciſura, viridia hirſutie aſpera, atque extremum folium non retuſum ut Chelidonii majoris, ſed acutum & minus ejuſdem folio: caulis anguloſus eſt, atque nullis alis dividitur: flores edit purpureos, umbellatos fere, tetrapetalos, quibus ſubſtituuntur ſiliquæ alternatim & frequenter cauli hærentes, rectæ ſeu verſus cœlum tendentes (ex quibus ſpica confici videtur ſiliquarum, duorum digitorum ad ſummum longitudine) Sio minimo Proſperi Alpini pares, quæ cum exſiccari incipiunt, flaveſcunt, atque flante vento vel aliquo illas tangente diſrumpuntur ab imo, atque intortis utrinque valvulis ſemina jaculantur flava, Cardamines vel Naſturtii prioris more, parva, guſtu

guſtu acria, ſicuti etiam folia. Floret Martio & Aprili; & Maio & Junio ſemina perficit. Niſi caute & advertenter ſemina colligit ejuſdem cultor, non colliget, quia manus ipſius evadent. Provenit in agro Neapolitano in valle *Divæ Mariæ vitæ*, inter Rubos, Cynocramben, Dentes leonis & Ranunculos, nova & elegans hæc planta.

5. *Naſturtium* ſilveſtre tenuiſſime diviſum ſeu Naſturtium μυελόφυλλον flore luteo minimo, nobis. Sophia Chirurgorum, Ad. Lob. Dod. Ger. Park. Naſturtium Seriphium ſeu Sophia Chirurgorum, J. B. Chabr. Caules promit hoc cubitales, rotundos, duros: folia vero circa hos ampla, ſed tenuiſſime in complurima exigua ſegmenta diviſa, Abſynthii tenuifolii haud multum diſſimilia, tenuiora tamen, (unde non inepte mea opinione Naſturtium μυελόφυλλον dici poteſt, à fine ultimo, flore tetrapetalo & ſiliquis bivalvibus, odore & ſapore inſuper Naſturtio conformibus; neutiquam Abſynthium dici debet à tenuitate foliorum, quia folia non ſunt de eſſentia generica, ſed ſpecifica plantarum, quemadmodum paſſim demonſtrabimus) colore albida & quaſi cinere obducta, præcipue in aridis: floſculi ad ſuperiores virgularum partes ordine digeſti, gignuntur perquam exigui, pallide lutei, tetrapetali aliorum more: quibus ſuccedunt ſiliquæ parvæ, tenues, oblongæ, unciales; in quibus continentur minuta ſemina ſubrubentia, duobus loculamentis diſtincta, aliorum hujus claſſis more: radix dura, lignoſior, candidaque demittitur in altum, nonnullis ipſi adhærentibus fibris. Ab ineunte Vere, Maio, Junio, ad Julium & Auguſtum floret & ſemina perficit in Autumnum uſque. Provenit in maceriis, locis ruderatis, lapidoſis, ac non raro arenoſis, aliiſque incultis, ſed maxime delectatur in ſummis murorum, dirutorum ædificiorum ruderibus calce conſtructis, ubi ſemel nata ex ſemine deciduo ſingulis recurrentibus annis facile pullulat. Eſt foliis aliquando latioribus, aliquando tenuioribus, coloris nunc dilutius, nunc ſaturatius virentis.

6. *Naſturtium* pratenſe magno flore ſimplici, nobis. Cardamine altera ſimplici flore, Cluſ. Hiſt. Naſturtium aquaticum ſimplici flore, Eyſt. Flos cuculi, Brunf. Dod. Huic Naſturtio tam in pratis & ſilvis humentibus, quam in aquis, provenienti Flos cuculi pro nomine imponitur, quod florem Aprili & Maio, quo tempore apparere & cantare ſolet cuculus, protrudat. Folia ei exeunte hyeme ex radice exeunt rotundiuſcula, in oblongis pediculis: inter quæ exilit caulis tenellus, dodrantali altitudine, nunc plus nunc minus, circa quem foliola coſtæ mediæ adhærentia apparent tenuia, Erucæ foliorum diviſura. Hoc obſervatu dignum quod coſtæ mediæ foliorum hujus per terram ſtratæ, præcipue in humidis locis radiculas fibroſas agant, atque novellas producant plantulas, hoc ſæpius obſervavit Jacobus Bobert; qui inſuper tripartitis foliorum coſtis eas terræ bene humenti commiſit, & radices egêre, quod in paucis aliis obſervare licet. Flores in ſummo caulis plurimi, candidi, & aliquando dilute purpurei aut modice purpuraſcentes conſpiciuntur, parvis Leucoï floribus ſimiles, ſatis magni pro proportione plantæ, nam ſuperant cætera omnia Naſturtia magnitudine florum; hiſce evanidis ſuccedunt exiguæ ſiliquæ unciales, bivalves, ſemina minuta in ſe continentes, duplice ſerie diſpoſita, hinc unâ, illinc alterâ: radix fibroſa, inque multos annos durans. Naſcitur non tantum in aquis, ſed in locis humilioribus, & quæ creberrime non modo cœleſti pluvia, ſed & rivulorum & redundantium ſtagnorum aquis irrigantur, in humidis & umbroſis pariter ſilvis reperitur. Eſt tantum Siſymbrii alterius ſpecies quædam, eique facultate & temperamento ſimilis, acris quoque & calida. Inter myriades nonnunquam reperitur unum aut alterum flore pleno, & cum ſit planta perennis repens in pratis & humidis locis, in hortos tranſlata ſeſe propagat, ut multæ aliæ ſpecies diverſorum generum tranſlatæ in hortos eandem plenitudinem florum retinent. Dicitur Naſturtium pratenſe ſilveſtre flore pleno, J. B. Chabr. Naſturtium flore pleno, C. B. P. Naſturtium aquaticum flore pleno, Eyſt. Cardamine altera flore pleno, Cluſ. Hiſt.

7. *Naſturtium* aquaticum ſupinum flore albo, nobis. Naſturtium aquaticum & 2. Trag. Dod. Lon. Siſymbrium Cardamine, Fuch. Lugd. Siſymbrium aquaticum, Matth. Cæſ. Caſt. Sion Cratevæ Erucæfolium, Ad. & Icon. Lob. Naſturtio aquatico huic caulis eſt craſſus, longus, & inanis: folia multa, oblonga, & virentia, ex pluribus in rotunditate oblongis compoſita & petiolo ſeu coſtæ adhærentia: flores juxta alarum & caulis ſuperioris partes particulatim prodeunt albi ſeu ſubalbidi: ſiliquæ deinde unciales, rotundæ, tenues, in quarum ſingulis ſemina parva lutei coloris, duplici ſerie & duplici loculamento, ſepto medio interveniente, continentur: pro radicibus ſunt fibræ tenues & candidæ, eidem qua parte aquis innaſcitur pluribus locis geniculatim adhærentes. Invenitur in fontium limpidiſſimorum rivulis & aliis locis puras aquas habentibus, etiam in impuris ſtagnis gignitur feliciter.

Floret ineunte æſtate & per totam æſtatem ſemen maturatur. Hybernis menſibus menſis ad epulas acetariorum loco infertur. Tota herba ſaporem Naſturtii refert, unde ei nomen. Dioſcoridi dicitur σισύμβριον ἕτερον, Siſymbrium alterum Latinis: aliis quia guſtu κάρδαμον καρδαμίνην hoc eſt Naſturtium repræſentet: ab aliis vero Sium.

8. *Naſturtium* aquaticum majus & amarum, C. B. P. Naſturtium aquaticum amarum, Park. Siſymbrii alterius ſpecies altera, Thal. Hoc provenit amplius & majus; primo folia habet inferiora rotundiora, minuſque acuminata, acuta ſatis quando cauleſcit; facile diſtinguitur à præcedenti ſola intenſa amaritudine, adeo ut nulli edule niſi folia ejus bulliantur in aqua, prima ejecta, & denuo coquatur in ſecunda ut tollatur ejuſdem amaritudo, & ſic edi poteſt. Hoc provenit in Germania indifferenter cum antecedente (aſſerente ſic Thalio) à quo ſola amplitudine & amaritudine (inquam) differt.

9. *Naſturtium* aquaticum erectum folio longiore, C. B. P. Naſturtium aquaticum Italicum, Park. Siſymbrium aquaticum alterum vel minus, Cam. Ep. Matth. Naſturtium hoc aquaticum erectum differt à primo aquatico, quod caules edat rectos, alatos, folia particularia coſtæ hærentia, crenata ſeu dentata ſunt in margine, Apii foliorum quodammodo æmula; cùm folia, tum ſemina mitiora & jucundiora palato ſunt, ſi maſticentur; nec ejus radix repit, ſicut prioris Siſymbrii alterius ſpecies altera Thalii.

10. *Naſturtium* aquaticum minus, C. B. P. Siſymbrium aquaticum minus, Cam. Ep. Cardamine 4ta Dalpii, Lugd. Siſymbrium Cardamine dictum hirſutum minus flore purpureo, J. B. Chabr. Ex radice tenui, fibroſa, Naſturtium minus hoc oritur; ſiliquæ longæ: caules raro palmares, aliquando minores, in partes quinque Reſedæ vulgaris modo dividuntur: flores obtinet albos, in ſummo comantes, quibus ſuccedunt ſiliquæ longæ, anguſtæ, exiguo & ſubacri ſemine refertæ. Variat ratione loci, in aquaticis nempe planis majus, in Vinetis riguis Vilenſibus milliari Baſileâ longe minus reperitur; provenit etiam in Alpibus, locis humidis. Floret ineunte æſtate & verſus ejuſdem finem ſemina ſua maturat.

11. *Naſturtium* Alpinum paluſtre rotundifolium radice ſerpente, nobis. Naſturtium Alpinum paluſtre rotundifolium, Zanoni. Radice conſtat hoc Naſturtium rotundâ, durâ, tuberoſa, aſpera, exterius ſubrubente, multis fibris ſcatente, cortice ablatu contumace tectâ, quæ major & viridis ſurſum verſus pennam anſerinam craſſitudine excedit, at deorſum verſus minor & fibroſa albeſcit: ex radicibus ſic conſtructis proveniunt folia ſubrotunda, paululum ſinuata, in margine parum crenata, aut dentata, ſpiſſa, membranea, lævia, modicùm lucida, præcipue prima è terra exeuntia, quæ multis ſcatent nervulis à pediculi centro in circumferentiam decurrentibus, ut conſpicere licet in Sanicula montana rotundifolia minore C. B. P. ſeu Sanicula montana minore Cluſ. Pan. quæ innituntur petiolo ſtriato ruptu facili, relicto intus filamento nervoſo: ex meditullio horum foliorum, à radice ortorum, protruditur caulis dodrantalis, ſucco plenus, terram verſus viridis; cui alternatim ad ſingulas alas adhærent folia ſimiliter rotunda, ſed multo minora: in ſummis caulium ramis pullulant menſe Maio plurimi flores albi, tetrapetali aliorum more; quos ſequuntur ſiliquæ breves, bivalves, continentes ſingulæ duplicem ſeriem ſeminum, ſepto membranaceo exſiccato duplicem illam ſeriem ſeminum dirimente: ſiliquæ prædictæ ſunt tenues, ab initio virides, at exſiccatæ colorem mutant; aperiuntur Julio, & ſi tangantur illico ſemina per terram ſpargunt aliorum ſuæ ſortis more: ſemina ſunt imperfecte rotunda, flava, lucida, fervidique guſtus, ut etiam cæterorum omnium ſemina. Reperitur in loco aperto, ubi paſcuntur pecora, in territorio Modenenſi, prope fontem jugem aquæ limpidæ & frigidiſſimæ, qui ab indigenis paſtoribus *Baccara* appellatur, & propter ſitum hujus plantæ juxta fontem Baccaram ipſa Baccara nuncupatur, ex citatione Jacobi Zanoni, ſed melius retinebit nomen cujus fert teſſeram.

12. *Naſturtium* Alpinum trifoliatum, nobis. Naſturtium Alpinum trifolium, C. B. P. Cardamine trifolia, Lob. Icon. Lug. Tab. Ger. Cardamine Alpina trifolia, Cluſ. Hiſt. Iberidi Fuchſii affinis Cardamine Alpina, J. B. Chabr. Hoc parvulum Naſturtium nigricantibus per terram coſtis ſerpit, quibus terna ſemper ejuſdem coloris perpetuo folia innituntur, circa pediculum anguſtiora, per oras latiora, & quaſi orbiculata, in ambitu parum aut nihil crenata, initio tenella, & viridia, deinde dura, membranacea, nigricantia, acidulo primum guſtu, poſtea acri; cauliculi teretes inter folia erumpunt, ex purpura nigricantes, palmares, nullis aut rariſſimis (quæ ternis etiam eidem pediculo inhærent) foliis præditi: flores extremis ramis inſident candidi, tetrapetali, Cardamines pratenſis, quam Fuchſius Iberidem nuncupavit, floribus perſimiles, ſatis magni pro tenuitate plantæ: hiſce ſuccedunt toroſæ & oblongæ

oblongæ ſiliquæ ſive cornicula Dentariarum corniculis fere ſimilia, ſed minora; ſemine etiam ſimili licet minore referta: radix ſumma tellure ſerpit, & ſubinde parvas candidaſque fibras agit, ſic ut facile ramulis terra obrutis pangi poſſit. Invenitur in ſilvoſis montibus nudo ſolo potius quam herboſo, ad Abietum & præaltarum arborum radices, tota hyeme etiam virens. Floret Junii initio, in cultis vero hortis etiam Aprili; & Maio ſemina maturat.

13. *Naſturtium* minus Bellidis folio, C. B. P. Plantula Cardamines æmula & Sinapi pumilum album, Cluſ. Hiſt. & Pan. Unico hæc plantula aſſurgit caule, ſed ſtatim à radice ſupra ſolum multis alis diviſo, hirſuto & aſpero virente, rotundo, pedalis longitudinis; inferna folia qualia ſunt pronunciare (inquit Car. Cluſius) non poſſum, quia jam in ſemen magna ex parte evaſerat plantula hæc, cum eandem obſervaveram; quæ tamen ſub alis cauli inhærebant tenuia erant & multifida, Naſturtii vulgaris & legitimi foliorum pene æmula, tenuiora tamen, & viridia, acri guſtu ut Naſturtium. Extremis ramis floſculos fert multos, quatuor petalis palleſcentibus conſtantes, ſpicæ in modum congeſtos, in quibus totidem ſtamina; hiſce evaneſcentibus ſuccedunt ſiliquæ breves, duabus valvulis conſtantes, cum lingula prominente, non quidem ſurſum erectæ ut reliquarum Cardaminarum congenerum, ſed deorſum inflexæ, in quibus latet Naſturtioli Alpini ſeminis æmulum ſemen, de quo inter ſiliculoſas: radix eſt ſingularis, candicans, ſatis craſſa, non tamen vivax, ſed quæ ſingulis annis perit: eodem loco, eodemque tempore cum Naſturtiolo Alpino capſula Naſturtii hortenſis vulgaris, nempe Martio, florentem hanc plantulam & ſemine prægnantem inveniebam, inquit Car. Cluſius, quo Alyſſum Galeni, Valentino videlicet regno, & quia pleraſque notas cum Naſturtio habet, Naſturtii nomen appoſite ſatis indidit Carolus Cluſius: ex guſtu facultates Naſturtio perſimiles habere cum Cluſio concludimus nos itidem.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

5. Naſturtium *ſilveſtre tenuiſſime diviſum ſeu Naſturtium* μυελόφυλλον *flore luteo minimo, nobis. Sophia Chirurgorum, Ad. Lob. Dod. Ger. Park. Eſt (authore Fuchſio) facultate reſiccans & aſtringens, non poteſt eſſe particeps alicujus frigiditatis, ut vult idem Fuchſius, cum ſit planta calida & acris. Semen hujus aſſumptum ventris fluores ſiſtit, adverſus dyſenterias commendatur, ſanguinis profluvia reprimit, unde à Chirurgis & Medicis caſtrenſibus in magno uſu antiquitus fuit ejus ſemen contra dyarrhœas & dyſenterias militum humi cubantium, ex cujus humoribus & vaporibus prædicti morbi initium ſumpſere; ideo maximopere ſemen hujus ſicut & cæterorum hujus familiæ Naſturtiorum poterit deſiderari, & uſurpari adhuc in caſtris tanquam idoneum medicamentum poſt purgationem unam aut alteram ex Rheo adminiſtratam, quia compeſcit liquiditatem humorum & caliditate ſua reducit inteſtina & ſtomachum ad proprium ſuum tonum metrumque.*

7. Naſturtium *aquaticum ſupinum flore albo, nobis. Siſymbrium Cardamine, Fuch. Lugd. Siſymbrium aquaticum, Matth. Sion Cratevæ Erucæfolium, Ad. & Icon. Lob. Facultatem habet calidam & ſiccam ad ſtomacacen quam Germani* Schorbeck, *Angli* Scurvy & Scorbut *nuncupant. Ejus decoctum in vino aut lacte aliquot diebus continuis epotum multum huic morbo prodeſt. Urinam provocat, calculum & arenas conterit ac expellit, renibus & veſicæ utile eſt. Eſtur, inquit Dioſcorides, crudum, urinas movet, purgat lentiginem & ephelim tota nocte impoſitum, matutinoque tempore detractum. Ex Simone Pauli, Recipe magnam copiam Naſturtii aquatici, contunde in mortario marmoreo; exprime manibus ſuccum, in quo portio aliqua fermenti ſolvatur, ut ſuccus conſiſtentiam ſapæ dilutioris acquirat, & hoc ſucco & Naſturtio manibus expreſſo, ſeu glebis & pilis Naſturtii fiat quaſi ſ. ſ. ſ. pinſentur omnia fortiter manibus aut piſtillo, reponantur in convenientem locum per octiduum, dein S. A. per B. Mariæ diſtilletur ſpiritus, cujus uſus ut hybernis menſibus ſcorbuto laborantibus illius cochlear unum itemque alterum propinemus. Et hac ratione ex Chelidonio, Beccabunga, Cochlearia, Trifolio fibrino ſeu Trifolio paludoſo, ſi libuerit, ſpiritum elicietis: nam ſi his herbis ob fermentationem calidam affuderitis, oleum (quod dicitur) perdetis & operam, cum non niſi proprio ſucco interveniente fermentari geſtiunt. Naſturtii omnes ſpecies cum ſint calidæ & acres plantæ, iiſdem pollent viribus, quædam magis, quædam minus, ſecundum gradus intentionis & remiſſionis caloris.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 103. pl. 1. Naſturtium latifolium C. B. P. Pl. 11. Ibidem, Naſturtium hortenſe vulgatum C.B.P. & pag. 104. col. 1. pl. 111. Naſturtium hortenſe criſpum C.B.P. male hic & confuſe à Caſparo Bauhino inter Naſturtia ſiliquoſa collocantur, cum non ſint ſiliquoſæ, ut cæteræ hujus primi membri, & capitis hujus, ſed ſiliculoſæ; ergo inter ſiliculoſas plantas ad ſecundum membrum hujus Sectionis amandari & relegari debuerunt.

Pag. 104. col. 2. pl. v. Naſturtium petræum foliis Burſæ paſtoris, C. B. P. Naſturtium petræum, Tab. Ger. Pag. 105. col. 1. pl. 11x. Naſturtium pumilum vernum, C. B. P. Cardamine puſilla ſaxatilis montana diſcoides, Colum. & ibidem pl. 1x. Naſturtium Alpinum capſula Naſturtii hortenſis, C. B. P. Naſturtium Alpinum, C. B. P. Chabr. Ibidem col. 1. pl. 1. Naſturtium ſilveſtre Oſyridis folio, C. B. P. Thlaſpi anguſtifolium minus, Dod. Ger. Ibidem col. 2. pl. 111. Naſturtium ſilveſtre Erucæ affine, C. B. P. Eruca Naſturtio cognata tenuifolia, Lob. Naſturtium Valentinum, Cluſ. Hiſt. Omnes hæ ſpecies Naſturtii male hic collocantur inter Nalturtia ſiliquoſa, binis valvulis longis donata, cum ſint tantum ſiilculoſæ plantæ ſeu binis valvulis curtis donatæ; debent igitur amandari & referri ad ſiliculoſas ſecundo hujus Sectionis membro collocandas, id eſt inter Burſas paſtoris, Thlaſpi, Drabas, Cochlearias, & id genus alias.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
CAPUT V.
ERUCA.

ERuca, quod vellicando linguam quaſi erodat: εὔζωμον Dioſcoridi l. 2. c. 170. & Theophraſto 1. *Hiſt.* 9. *ob ſuavitatem, quæ ei in condiendis obſoniis ineſt, Plinio l. 20. c. 13.*

Genera duo Dioſcoridi, ſativum & agreſte, cujus ſemen pro Sinapi in Iberia utuntur: & Plin. l. 20. c. 13. Erucæ ſilveſtris meminit. At Theophraſtus 7. Hiſt. 4. Erucæ generis differentias omnino deeſſe voluit.

Erucæ haud facilè aſſignari poteſt nota generica ipſi peculiaris qua diſtinguatur à cæteris ſupra allatis, idcirco ſpeciatim ipſas ſpecificas deducemus Erucas. Eſtq; vel annua ſiliquis bivalvibus, eaq; alba, cærulea, aut lutea: vel perennis lutea, quæ eſt recta aut procumbens; vel maritima annua flore dilute violaceo ſiliquis fungoſis toroſis unicum ſemen oblongum, vel articulatis plurima ſemina continentibus, vel lutea ſilveſtris Monſpeſſulana ſiliqua quadrangula echinata. In omnibus paſſim ſtirpibus obſervamus notam genericam à natura datam, conſtante & invariabili ejuſdem naturæ ordine ſemper eandem eſſe, & eodem modo ſe habere, ſed in omnibus generibus quoad folia diverſo modo ludit eadem natura; imo mille modis diverſimode conſtruuntur folia, non ſolum plantarum ejuſdem generis, ſed & plantarum toto cœlo genere differentium, ergo nec à conformatione ſeu ſtructura, nec à numero foliorum plantæ generice ſunt nominandæ, aut ad genera reducendæ; ſed à fine ultimo, id eſt modo florendi, & capſulas ſeminales & ſemina producendi, genera ſumma peti debent. Hoc paſſim hauſimus ex libro naturæ, natura ipſa finem non variante. Obſervamus plurimas plantas diverſorum generum ſimilia omnino aliquando producere folia, ut ſub exortum è terra à ſeinvicem (etiamſi ſint à fine ultimo longæ diverſæ) vix diſcerni queant ſolo viſu, propter foliorum ſimilitudinem, niſi guſtus, odoratus & tactus vocentur in opem; ſed ſimul ac hujuſmodi ſtirpes foliis omnino accedentes, florentes, capſulas ſeminales & ſemina fundentes à quovis Botanico mediocriter verſato conſpiciuntur, (non obſtante ſimilitudine foliorum) genera ſua produnt. Quis quæſo divinaret Erucam Tanaceti foliis, hic à nobis exhibendam, primo intuitu foliorum eſſe plantam à Tanaceto diverſam, aut Millefolium Tanaceti folio à Tanaceto, aut Bellidem Tanaceti foliis diſtinctam à Tanaceto, antequam cauleſcant, flores, capſulas ſeminales & ſemina ferant prædictæ plantæ; ſed ſi flores, ſemina, eorumque involucra produxerint, viſus ſine guſtu aut olfactu in auxilium vocatis diſcernit has tres plantas genere diverſas, foliorum autem ſtructurâ & compoſitione omnino ſimiles, ad Tanacetum à foliis reduci non debere; ſed unamquamque ad genus ſuum, cujus fert teſſeram revocari; idem de aliis eſto judicium. Eruca Bellidis folio & Eruca Tanaceti folio in hac Tabula exhibitæ, primo intuitu foliorum (quamvis ſub eodem genere militent à floribus, ſiliquis & ſemine, juncto odore & ſapore) quemvis viſu fallerent, ſed folia & hic & alibi inſerviunt ad ſpecies tantum determinandas, non autem ad genus conſtituendum.

TABULA V, & VI.

- *Eruca*
  - *Siliquis bivalvibus*
    - *Flore*
      - *Albo*
        - *Annua*
          - 1. *Major ſativa, nobis. Eruca ſativa, Matth.* ☿
          - 2. *Chalepenſis caulibus & ſiliquis hirſutis foliis inferioribus maculis nigris notatis, nobis.* ☿
          - 3. *Hirſuta Hieracii aſperi folio, nobis. Lampſana Apula Dioſcoridis & Plinii, Colum.* ☿
          - 4. *Romana ſive gentilis ſiliqua anguſta folio lato, flore albo* (perperam vel luteo) *J.B. Chabr.* ☿
        - 5. *Perennis* { *Alpina radice repente, Zanoni.* ⊙
      - 6. *Cæruleo* { *in arenoſis naſcens, nobis. C. B. P. & Prod.* ☿
      - *Luteo*
        - *Annua*
          - *Silveſtris*
            - 7. *Latifolia folio integro, nobis. Myagrum 2. Tab.* ☿
            - 8. *Anguſtifolia folio integro, nobis. Eruca Auſtriaca anguſtifolia, C. B. P.* ☿
          - 9. *Monſpelienſis ſeu vinealis minima, nobis. Eruca Monſpelienſis flore luteo minimo, J. B. Chabr.* ☿
          - 10. *Inodora, J. B. Chabr.* ☿
        - *Perennis*
          - *Latifolia ſeu Barbarea*
            - 11. *Major & vulgaris, nobis.* ⊙
            - 12. *Minor flore*
              - *Simplici, nobis.* ⊙
              - *Pleno, nobis.* ⊙
          - 13. *Montana repens Sii foliis, nobis. Sium alterum aquaticum tenuifolium montanum, Colum.*
          - 14. *Maxima Canadenſis, nobis. Eruca maxima Canadenſis, Cornut. Maxima Americana, Park.* ⊙
          - 15. *Latifolia, C. B. P. & Prod.* ⊙
          - *Silveſtris*
            - 16. *Major vulgatior ſeu fœtens, nobis. Silveſtris, Matth. Lob. Dod. Tab. Ger.* ⊙
            - 17. *Minor ſeu paluſtris procumbens & repens, nobis.* ⊙
          - 18. *Bellidis foliis, nobis.* ⊙
          - 19. *Tanaceti foliis, nobis. Eruca Indica Tanaceti foliis, Zanoni* ⊙
  - *Siliquis fungoſis annua*
    - *Maritima*
      - 20. *Anglica ſiliquulâ toroſâ rotundâ foliis craſſis latioribus, nobis. Cakile Serapionis, Lob. Obſ. Lugd.* ☿
      - 21. *Italica ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimili, C. B. P. & Prod.* ☿
      - 22. *Ægyptiaca foliis latioribus craſſis, ſiliqua toroſa minore, nobis. Sinapi marinum Ægyptium, Proſp. Alpin.* ☿
    - 23. *Chalepenſis flore dilute violaceo ſiliquulis articulatis, nobis.* ☿
    - 24. *Monſpeliaca ſiliqua quadrangula echinata, nobis. Sinapi echinatum, J. B. Chabr.* ☿

Explicatio

Explicatio Tab. 5.

1. E*Ruca* major ſativa annua flore albo ſtriato, J.B. Chabr. Eruca ſativa, Matth. Ad. Lob. Dod. Lugd. Radice tenui, alba, lignoſa donatur, ſapore acri: caules ſunt ſubhirſuti, cubitales & ſeſquicubitales: folia Sinapi albi minora, tenera, glabra, ejuſdem cum radice ſaporis: flores tetrapetali, dilute albidi, ſtriis nigricantibus picti, quales Sinapi albi, Trago. Ex calycibus hirſutis ſiliquæ brevibus pediculis exeunt glabræ, quales in Sinapi ſiliqua glabrâ, ſed longiores & quadrangulæ, à lateribus ſe aperientes, per membranam mediam diſtinctæ, cui adhuc viridi hinc inde adhærent multa ſemina matura flava, majora quam in Sinapi jam dicto, minus tamen rotunda. Erucam dixere quod erodat, nam ſi deguſtaveris, os & linguam ſatis acriter vellicabit: alii ſic appellatam putant quod urendi licentiam nanciſcatur, quaſi dicas Urucam, U in E verſâ.

2. *Eruca* Chalepenſis caulibus & ſiliquis hirſutis foliis inferioribus maculatis, nobis. Hæc caules protrudit cubitales & ſeſquicubitales in multos ramos brachiatos, hirſutos, quorum ſummis faſtigiis innaſcuntur flores ſatis ampli, tetrapetali, albi, ſtriis nigris picti; folia per terram ſtrata, maculis inſigniuntur nigris: floribus deciduis ſuccedunt ſiliquæ curtæ, quadrangulares, hirſutæ; atque hiſce notis quam facillime ab Eruca ſativa diſtinguitur, cujus nec caules nec ſiliquæ ſunt hirtæ, ſed glabræ, nec folia maculis nigris diſtinguuntur. Hujus elegantiſſimæ Erucæ ſpeciem nobis communicatam habuimus ſeminibus Chalepo ad nos miſſis, cum pluribus aliis ſeminibus rarioribus à *Roberto Huntington*, penum noſtrum Botanicum non ſine improbo labore ſingulis annis augente.

3. *Eruca* hirſuta Hieracii aſperi folio, floribus albis, nigris lineis depictis, nobis. Lampſana Apula Dioſcoridis & Plinii, Colum. Rapiſtrum flore albo nigris lineis depicto, C. B. P. Hæc planta Erucæ ſativæ omnino æmula eſt, primo quippe aſpectu quemlibet falleret, foliis, caule ac flore omnino illi ſimilis;differt autem foliorum duritie atq; nervorum aſperitate in inferna parte verſus caulem: radice vero eſt candidâ,craſſa longâ, ſilveſtris Rhaphani modo, acri ſapore: folia emittit in terram jacentia, dura, virentia, parum hirſuta, nervis aſpera, magnitudine & diviſura Erucæ ſativæ, Rhaphani vel Napi, quorum folia inter ſe ſimilia ſunt, ſapore oleraceo: caules edit plures bipedales fere, alis diviſos, ſed ſumma alarum folia circa flores oblonga ſunt Raphani modo, non ut in Eruca utrinque inciſa, & in hoc ab illo etiam differt: flores in ſummo albi, lineis nigris depicti, Erucæ ſativæ modo, magnitudine atque poſitu aſſimiles, ut ab illis Erucam quilibet facile conjicere poſſit: ſiliquis vero differt, quas non Erucæ modo breves & ventricoſas profert, ſed longas & tenues; radices Rhaphani ſilveſtris æmulas, minus tuberoſas, atque ſapore gratiores edit. Floret Martio & Aprili; atque Maio perficitur ejus ſemen. Foliorum ſapor magis herbaceus, quam acris, radicis vero ut Raphani; ideo foliorum uſus aptus, cum ſit holeraceus. Indigenis eſt cibus, herbis enim facile veſcuntur Lampſanam appellantes. Hanc maxime Plinii deſcriptioni quadrare cenſemus, inquit Fab.Columna: inter ſilveſtres Braſſicas & Lampſana eſt, pedalis altitudinis, foliis hirſutis, Napi ſimillimis, niſi candidior eſſet flore; & Dioſcorides de Raphano ſilveſtri loquens, illius folia magis Lampſanam repræſentare ait, cum variis notarum defectibus ſcateant, tum genere, tum foliorum effigie, florum colore, guſtu ac uſu.

4. *Eruca* Romana ſive gentilis ſiliqua anguſta folio lato, J. B. Chabr. Hanc herbam calidam & acrem, Erucæ flore albo ſimilem accepit J. Bauhinus Norimberga à D. Doldio pro Eruca Romana ſive gentili. Foliis eſt latis Erucæ ſativæ flore albo modo: caulibus hirſutis; at ſiliquæ diverſæ admodum à cæteris, ſunt enim tenues valde, & longæ: flores in ſicca planta albicant. Colunt in hortis Romanis.

5. *Eruca* Alpina radice ſerpente, Zanoni. Ex radice hujus Erucæ craſſâ, fibris ſcatente, proſiliunt multa folia, ſuperne obſcure viridia, inferne ſubalbida, undique lucida, carnoſa, craſſa, multum ſinuata: ex quorum medio proveniunt plures caules, fractu faciles, verſus terram cortice albicante tecti, qui ſurſum verſus vireſcunt;ex horum ſingulis geniculis,quæ ſunt ſatis frequentia, præcipue in inferiore parte verſus terram, exit folium cæteris per terram ſtratis ſimile, ſed minus minuſque inciſum, atq; per ſingula genicula alternatim diſponitur, cauli duabus auriculis folioſis adhærens: ex alis inter caulem & folia aliquando exiliunt quaterna, aut quina foliola, unciali pediculo innixa, paulo cæteris minutius inciſa, imo quaſi criſpata, concurrentia in unum & idem centrum, pediculi ſcilicet ſummitatem, atque in caulium cimis naſcuntur plurimi floſculi albidi, tetrapetali, quorum ſingula petala in extremo ſunt bifida, cum

cum ſtaminulis multis tenuibus luteis in medio petalorum: ſingulis floribus evaneſcentibus ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, bivalves, continentes duplicem ſeriem ſeminum flavorum, ſepto medio membranaceo ſeparatam. Provenit in montibus ſaxoſis territorii Bononienſis & Modenenſis, præcipue in monte Cimone inter ſaxa illic.

6. *Eruca* ſilveſtris latifolia folio integro flore luteo minore, nobis. Myagrum alterum Thlaſpios effigie, Lob. Icon. Lugd. Myagrum 2. Tab. Eryſimum 3. eidem. Camelina, Ger. Eruca ſilveſtris anguſtifolia, eidem. Chamelina ſeu Myagrum alterum amarum, Park. Myagro affinis planta ſiliquis longis floribus parvis luteis, J. B. Chabr. Eruca hæc nobis & aptius dicta quam Myagrum, ut poſtea monſtrabimus cap. de Myagro, caulem emittit erectum, in multos ramulos ſurſum verſus furcatum & divaricatum, foliis longis latioribus ſequentis 7mæ & dilute viridibus ornatur, non parum accedentibus Leucoi ſilveſtris Cluſii foliis, unde non raro ab Herbariis pro ipſo ſumitur hæc Eruca; differt tamen, quod hujus folia ſunt anguſtiora minuſque viridia: in cymis caulium denſe admodum proſiliunt floſculi plurimi, minores, dilute lutei, tetrapetali, Leucoi ſilveſtris Cluſii floribus aliquantulum, imo duplo minores, quibus ſingulis dilapſis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ, tenues, longæ, plurima ſemina flaveſcentia guſtu amara continentes, quæ ſepto medio membranaceo duplice ordine ſeparantur; in ſingulis ſiliquis exſiccatis, ſemine deciduo, apparet ſeptum medium pellucidum, album, ſicut in univerſa caterva ſiliquoſarum tetrapetalarum plantarum hujus Sectionis: radix eſt tenuis, lignoſa, ſingulis annis periens & ſeſe ſemine deciduo ſingulis annis renovans. Semen hujus in plurimis Angliæ locis contra vermes puerorum uſurpatur, quod tuſum & potui cujuſlibet liquoris miſtum, adminiſtratur pueris, quorum ſtomacho & inteſtinis vermes ſunt infeſti, unde à mulierculis indigenis abuſive Worm-ſeed appellatur.

7. *Eruca* ſilveſtris anguſtifolia folio integro flore luteo, nobis. Eruca Auſtriaca anguſtifolia, C. B. P. Eruca ſilveſtris anguſtifolia, Lob. Lugd. Silveſtris anguſtifolia flore luteo, J. B. Chabr. Ex inflexis cubitalibus caulibus, flores promit luteos Erucæ ſilveſtris: cornicula ſiliquarum Sinapi ſunt aut Naſturtii ſilveſtris, ubi ſemen in duplici utriculo latet hinc inde acre: folia anguſtiora integra ſine crenis aut denticulis, Erucæ ſilveſtris foliis concoloria, Tarchonis fere paria, quæ Erucam aut Drabam ſapiunt, quibus idcirco affinis putatur planta.

8. *Eruca* Monſpelienſis flore minimo luteo, J. B. Chabr. Eruca vinealis parvo flore luteo, nobis. Hanc Monſpelii florentem circa æſtatem in quibuſdam muris obſervavimus, inquit J. Bauhinus: foliis accedit ad Erucam luteam ſilveſtrem, quæ in noſtra Icone non bene in acumen deſinunt: flores ſunt tetrapetali, minimi, lutei: ſiliquæ unciam longæ. Provenit inter vineas circa Blæſas, cujus cauliculi ſunt palmares & ſeſquipalmares, non recti, ſed ſupini, in terra ſabuloſa & arenoſa Solonienſi. Floret Maio & Junio, ſemina perficit æſtate mediâ, & aliquando tardius.

9. *Eruca* inodora, J. B. Chabr. Eruca hæc inodora radice nititur longâ, ſimplici, cum paucis fibris ligneſcente, ſatis gracili: caulis cubitum æquat, ramoſus: folia dodrantalia, Erucæ luteæ ſilveſtris quodammodo fere diviſura, quanquam inferiora Jacobææ pene more lateſcant: flores ex luteo pallidi, & tetrapetali ſunt, reliquarum quarundam modo: ſiliquæ uncias duas longæ, graciles, bivalves, ſemina duplici ſerie, hinc una, illinc altera, continentes, ſepto medio nutritivo duplicem ſeriem illam ſeparante. Nullum ego odorem ſive ſaporem inſignem in hac planta animadverti, (inquit Johannes Bauhinus) qui florentem invenit Julio in terra argilloſa Vitium, quæ ſunt ultra Rhenum *Burkheim* generoſi Baronis à *Schwende*, uno milliari ab urbe *Briſſaco*. Quamvis omnes fere hæ ſiliquoſæ tetrapetalæ calidæ & acres guſtui ſunt, hæc Eruca tamen item & Naſturtium inſipidum recedunt à regula, quoniam ſunt plantæ ἄποιοι: ibidem tamen ſunt collocandæ, quia conveniunt in fine ultimo, id eſt floribus tetrapetalis, & ſiliquis bivalvibus cæterarum ſuæ fortis ſtirpium æmulis.

10. *Eruca* cærulea in arenoſis naſcens, C. B. P. & Prod. Hæc ex radice ruffeſcente, oblonga, tenui, leviter fibroſa, caules plures palmares, rarius ſeſquipalmares, ſtriatos, hirſutos, ramulis aliquot brachiatos, emittit: folia ad radicem per terram ſparguntur, Erucæ vulgaris inſtar ſinuata & quaſi circumroſa, hirſuta, aſpera, ſeſquiuncialia, ſed etiam breviora & anguſtiora, quæ in caule rariora ſunt, minus ſinuata, & aliquando integra: floſculi tetrapetali, eleganter cærulei vel purpureo-cærulei, filamentis brevibus donati, ramulorum extremis inſident; quibus ſiliquæ bivalves, oblongæ, tenues & læves, ſemen minutum ſubruffum & acre includentes, ſuccedunt. Provenit apud nos, ait J. Bauh. locis arenoſis, ut iis quæ Byrſa aluit: ſic quibuſdam locis in muris reperitur, imo etiam altiſſimis jugis & petris circa Delſpergam & Lauffen Rauracorum. Floret ineunte æſtate; atque media ejuſdem tempeſtate ſemina perficit.

 11. *Eruca*

11. *Eruca* latifolia lutea ſeu Barbarea major, nobis. Herba ſanctæ Barbaræ, Fuch. Barbarea, Dod. Naſturtium paluſtre hybernum, Thal. Eruca hæc Barbarea dicta Rapum aut Napum foliis æmulatur, quæ tamen lævia & glabra & obſcure viridia ſunt, non aſpera: caulis eſt rectus, ſtriatus, cubitalis & aliquando altior, cujus è medio, fere ad faſtigium uſque, ramuli flores promunt luteos; quos ſequuntur ſiliquæ longæ, tenues, teretes, in quibus exiguum & colore ruffum latet ſemen, duplice ordine, ſepto membranaceo diſtinctum: radix mediocriter craſſa & oblonga eſt. Provenit ſecus vias ac ſemitas & ad margines foſſarum, imo in foſſarum imis aqua hyberno tempore ſcatentium, viret. Floret ineunte æſtate, & media ejuſdem tempeſtate ſemina perficit ſua.

12. Datur & hujus alia ſpecies diſtincta, cujus folia ſunt minora, frequentius ſinuata, caules pares, ſiliquæ craſſiores, & ſemina grandiora, minus fuſca & quaſi ſubalbeſcentia: etiam planta eſt perennis, & ab Eruca Barbarea vulgo dicta prædictis notis quam facillime diſtinguitur; hujus flos conſpicitur in hortis plenus. Vide florem plenum appictum unà cum ſiliquá craſſiore, Tab. 5ta.

13. *Eruca* montana repens Sii foliis flore luteo, nobis. Sium alterum aquaticum luteum tenuifolium montanum, Colum. Hæc repit cauliculis, per genicula (aquaticarum ſtirpium more) multis capillamentis iiſdem hærentibus, villoſis: foliis utrinq; longis petiolis in lobos diviſis, ut in vulgari Creſſione, Cæſ. vulgo dicto Sio, vel ut à Matthiolo Siſymbrio, ſed amplius per oras dentatis, minoribus multo, & anguſtioribus, ex quorum finibus alæ exeunt in ſummo, denſis botris, parvis admodum, onuſtæ, qui in luteos flores parvos dehiſcunt, eorumq; defluentium locum occupant ſiliquæ tenuiores vulgaris, eodem modo diſpoſitæ, bivalves, aliarum hujus claſſis more: in hiſce extuberat ſemen minutum, præ maturitate maturante ſiliqua deciduum, parum acre guſtu, colore flavicante. Provenit in excelſis montium planis, inter Marerii Comitatus Æquicolorum fines & Tornempartis, quodam torrentis alveo ſaxoſo, æſtate ſiccato. Septembri menſe hanc invenit Fab. Columna inter ſaxa repentem hyeme, etiam æſtate durantem atque ſe propagantem. Aprili cauleſcit, Maio floret, & Junio perficitur. Oritur & in aliis montanis aquoſis locis iiſque frigidis.

Explicatio Tabulæ ſextæ.

14. *Eruca* maxima Canadenſis, Cornut. Eruca maxima Americana, Park. Inter dendrolachana hæc Eruca peregrina numerari poteſt; ſiquidem hominis proceritatem implet potiſſimum quando radix ejus, quæ fibris aliis conſtat, lætiori ſolo cohæret: ſilveſtres enim plantæ, qualis hæc Eruca, & Canadenſes omnes, quo levi magis & ſubacta terra differuntur, eo magis incrementum capiunt. Numeroſis caulibus adoleſcit rotundis, & tomento quodam aſperiori veſtitis, quod undique folia exornat, uti Lyſimachiæ, longa, acuta in ambitu crenis æqualibus ſerrata, tenui lanugine obſita; guſtu ſubacido initio, tandem ſubacri, ut conſuetum Erucis omnibus: floſculi in cimis caulium mira fœcunditate luxuriant, Junio ac Julio menſibus lutei ſunt & tetrapetali, in quorum medio aliorum hujus claſſis more ſtaminula & piſtillum hæret, quod, collapſo poſtmodum flore, in ſiliquam efformatur longiuſculam, rectam, ſeminibus exiguis turgentem, ſapore dulcibus, maturis, Auguſto & Septembri deciduis.

15. *Eruca* latifolia, C. B. P. & Prod. Hæc caule eſt cubitum excedente, albo, craſſo, ſtriato, ramoſo: foliis glabris, pallide virentibus, ad radicem pedalibus, profundis inciſuris laciniatis, per quorum medium nervus latus excurrit, quem utrinque foliorum laciniæ biunciales, alarum inſtar, triangulares, corroſæ, figuræ diverſæ, inferne & ſuperne continuæ, cingunt: quæ vero in caule breviora ſunt, & horum quædam Érucæ vulgaris foliis ſimilia, ſuprema vero anguſta & parum ſinuata: in caulis ſummo flores ſatis magni, aurei, tetrapetali, ſtaminibus in medio plurimis donati; quibus ſiliquæ bivalves, oblongæ, ſtrictiſſimæ, curvæ, denſe diſpoſitæ, duplici loculamento diſtinctæ, ſuccedunt. An forte Eruca 3ia Anglica Camerarii dubitat Ja. Cornutus. Floret & ſemina perficit eâdem tempeſtate anni, quâ cæteræ hujus generis.

16. *Eruca* ſilveſtris major vulgatior fœtens, nobis. Eruca ſilveſtris, Matth. Lob. Dod. Tab. Ger. Eruca ſilveſtris vulgatior, Park. Eruca ſilveſtris major lutea caule aſpero, C. B. P. Hæc caule foliiſque ſativa minor eſt; flores lutei: ſiliquæ tenuiores, cætera reſpondent: Eruca hæc erratica fœtida foliis eſt quoq; ſativæ foliis anguſtioribus, frequentioribus inciſuris laciniatis; guſtu acriore ſapidioreque, ſapore ingrato & quaſi fœtido: caulibus numeroſioribus: floribus luteis: corniculis in novella fere planta numeroſis, ſurſum ſpectantibus, bivalvibus, duplicem ſeriem ſeminum ſubruffeſcentium in ſe continentibus, ſeminibus Sinapis ſilveſtris ſimilium, quæ acria ſunt, amariuſcula & linguam vellicantia.

17.

17. *Eruca* ſilveſtris ſeu paluſtris minor procumbens & repens luteo parvoque flore, nobis. Eruca ſilveſtris, Fuch. Eruca paluſtris minor, Tab. Eruca aquatica, Ger. Sinapi paluſtre, Ger. non emaculati. Radice conſtat hæc lignoſâ, repente: caules habet pedales per terram reclinantes: folia ſunt ei laciniata, aut profunde inciſa, veluti ſilveſtris fœtidæ folia: flores gerit vivide luteos, quibus ſuccedunt ſiliquæ plures, breves, bivalves, duobus ordinibus ſemina in ſe continentes, ſepto medio aliarum more prædictos binos ordines ſeparante: radix longe repit per terram ſe diffundens.

18. *Eruca* Bellidis folio, nobis. Hæc Eruca nondum hucuſque deſcripta, caules edit pedales & altiores aliquando; in quorum cymis proveniunt floſculi lutei, tetrapetali, Erucæ ſilveſtris fœtidæ floribus magnitudine pares; quibus ſuccedunt ſiliquæ ſpicatim quaſi digeſtæ, longiores & craſſiores ſiliquis Erucæ ſilveſtris fœtidæ; deinde ejus caules non ſunt, ut Erucæ ſilveſtris fœtidæ, recti, ſed reflexi. Hiſce nominibus diſtinguitur ab Eruca ſilveſtri fœtida, ſed præcipue foliis adeo Bellidis majoris foliis ſimilibus, ut dum per terram adhuc ſternuntur in orbita, circa radicis caput, quilibet, antequam caulescat, flores & ſemina producat, audacter aſſereret eſſe Bellidis majoris ſpeciem; ſed ſi guſtum in opem advocaverit, tunc facillimum erit, ſicut in ſequente Eruca Tanaceti foliis, judicare à ſapore calido & acri Erucis familiari, & hanc & illam eſſe Erucæ ſpecies, ſimilitudine foliorum ipſis ſpecificam adjudicante determinationem, quemadmodum frequenter in aliis generibus obſervare licet per totam & univerſalem ſtirpium ſeriem.

19. *Eruca* Tanaceti foliis, nobis. Eruca Indica Tanaceti foliis, Jacobi Zanoni. Eruca hæc folia profert multa per terram ſtrata, viridia, Tanaceti foliis quoad diſpoſitionem & diviſuram haud abſimilia; ex quorum gremio exit caulis ſeſquipedalis qui ſurſum verſus in multos ramuſculos finditur, inque horum cymis proveniunt floſculi multi tetrapetali, quibus pereuntibus ſingulis ſuperveniunt ſingulæ ſiliquæ biunciales, bivalves, ſpicatim longis petiolis cauli adhærentes, ſepto medio membranaceo duplicem ſeriem ſeminum diſterminante. Tota planta guſtui calida & acris eſt, quemadmodum reliquæ Erucarum ſpecies. Antequam hæc planta caulescat, cauleſque & ſiliquas producat, folia ejuſdem adeo foliorum Tanaceti ſunt æmula, ut niſi guſtus in opem vocetur, difficile erit terminatu ſub quo genere militare debeat; flores vero tetrapetali, & ſiliquæ bivalves, ſepto medio membranaceo ſeparatæ, juncto ſapore calido & acri, indicant ſtatim hanc plantam ad ſiliquoſas tetrapetalas referri debere, non vero ad Tanacetum à ſimilitudine foliorum Tanaceti folia referentium.

20. *Eruca* maritima Anglica ſiliqua fungoſâ toroſâ rotundâ foliis craſſis latioribus, nobis. Cakile Serapionis, Lob. Obſ. Lugd. Cauliculos protrudit multos, partim procumbentes, partim erectos; quibus annectuntur ad ſingula genicula folia diviſa, Erucæ aut potius Senecionis facie, ſpiſſa, craſſa, atque in ſummis caulium proveniunt flores tetrapetali, dilute purpurei, quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, breves, fungoſæ, vix trientem unciæ excedentes, rotundæ, toroſæ, continentes ſingulæ unicum ſemen Tritici magnitudine, aut paulo majore. Provenit ad oram maritimam Angliæ, verſus Cantium, Suſſexiam, & Inſulam meridionalem Angliæ, Vectim dictam; neque ſolum ad oram maritimam Angliæ, ſed ad Neuſtriæ, Armoricæque litus maritimum provenit.

21. *Eruca* maritima Italica ſiliquâ haſtæ cuſpidi ſimili, C. B. P. & Prod. Eruca maritima Italica, Park. Naſturtium maritimum, Hiſt. Lugd. Hæc folia habet ſpiſſa, craſſa itidem, ſed anguſtiora, quæ verſus radicem tenuius ſunt diſſecta ſeu diviſa: caules erigit longiores prædictæ caulibus, qui onerantur foliis ad ſingula genicula minoribus & minutius diviſis; in ſummis caulibus cernuntur flores tetrapetali, dilute purpurei, quibus ſuccedunt ſiliquæ breves, fungoſæ, quatuor angulis exterius donatæ, binis obtuſis, & binis acutis, ſingulis ſingulis ſibiinvicem oppoſitis, & in mucronem acutum terminantibus, quæ perfecte cuſpidem haſtæ referunt; unde ei nomen ſpecificum à Caſp. Bauhino inditum, quo facile diſtinguitur à Cakile Serapionis Lobelii & Hiſtoriæ Lugdunenſis. Semine exſiccato abrumpitur ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimilis, & poſt ſe relinquit capſulam fungoſam petiolo adhuc innitentem, lunæ creſcentis formam referentem, cavam, figura mirabili & huic peculiari, cui dum recens adhuc fuit inſerebatur ſiliquæ pars inferior convexa, quaſi per ginglymon immerſa baſi concavæ, cui ſiliqua connectebatur. Provenit in ora maritima Italiæ prope Venetias, & Magolonam in Gallia Narbonenſi. Floret ſub initium æſtatis in calidis regionibus, tardius apud Septentrionales, ibidemque paulo poſt ſemina perficit.

22. *Eruca* maritima Ægyptiaca foliis latioribus craſſis, ſiliqua fungoſa minore, nobis. Sinapi marinum Ægyptium, Proſp. Alpin. de Exot. Planta hæc ex una radice longâ, gracili, lignoſa, alba, caule uno aut altero aſſurgit rotundo, rubeſcente, macropiperis craſſitie, oblique

ſurſum non recto in aerem acto, cui alternatim inæqualibus intervallis folia adhærent, petiolis ſatis longis innitentia, craſſa, pinguia, ſuccoſa, Erucæ vulgaris colore, Jacobææ foliorum inſtar ſinuata; in caulium cymis exeunt plurimi floſculi dilute purpurei, aut potius violacei, ut in Leucoiis, parvi admodum & tetrapetali; quibus deflorescentibus ſuccedunt ſiliquæ perbreves, fungoſæ, in acutum mucronem deſinentes; in quorum ſingulis ſingula continentur ſemina rotunda, guſtui acerrima, ad Rutæ odorem inclinantia. Similis videtur hæc planta Erucæ maritimæ Myconi, non eſt tamen eadem à foliis latioribus, quæ nihil amaritudinis præbent, ſed ſolum acrimoniam, quæ non Rutæ eſſe videtur, ſed Sinapi; potius Erucæ maritimæ, cum & foliis craſſis, ſpiſſis, pinguibus, ſed præcipue ſiliquis monoſpermis, conformis eſt antedictis Erucis maritimis; idcirco eandem huc revocavimus ad conſortes Erucas maritimas.

23. *Eruca* Chalepenſis flore dilute violaceo ſiliquis articulatis, nobis. Hæc Eruca aſcendit ad altitudinem ſeſquipedalem & bipedalem; caulem unicum edit penna anſerina multo craſſiorem verſus terram, qui in plurimos ramuſculos ſeſe findit: folia habet craſſa, ſpiſſa, & ſinuata, reliquarum maritimarum Erucarum Cakile dictarum more: flores producit ſecundum ramulos dilute violaceos, tetrapetalos; quibus defluentibus in inferiore ramuſculorum parte, & ſuccreſcentibus aliis in eorundem ſuperioribus partibus, ſuccedunt ſiliquæ ad pedalem & ſeſquipedalem longitudinem uſque ad ſummas cymas, curtæ, articulatæ, uno aut altero articulo junctæ, in quibus latent ſemina oblonga, ruffa, calida & acria guſtui. Hujus itidem ſemina Chalepo ad nos miſſa liberalitate indefeſſi noſtri benefactoris prædicti *Roberti Huntington.*

24. *Eruca* Monſpeliaca ſiliqua quadrangula echinata, C. B. P. Prod. Park. Sinapi echinatum, J. B. Chabr. Hæc Eruca ex radice ſemipalmari, craſſiuſcula, leviter fibrata, albicante, caules protrudit ad exortum purpuraſcentes, ternos, quaternos, aliquando plures, pedales, aliquando altiores, rotundos, ſtriatos, ſubaſperos, in ramos brachiatos: folia ſunt ad radicem humi ſparſa, pauca, oblonga, anguſta, ſinuata, hirſutie aſpera, bina ternave ſimul juncta, in caulibus præſertim floribus ſiliquiſque onuſtis pene nulla, oblonga, leviter ſinuata: in ſummis caulium (ſpicæ admodum ſimilibus) exſurgunt petiolis ſatis longis innitentes floſculi lutei, tetrapetali; quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ quadrangulæ in apicem acutum rigidumque ſpinis deſinentes, quæ per maturitatem duriſſimæ ſunt, quarum quælibet latera quatuor obtinet, quæ ad formam alarum percæ piſcis elevata, in medio ſinum oſtendunt ſpinulis undique raro armatum; ſiliquulis per medium tranſverſim diſſectis, capſulæ diſjunctæ, ſeparatæ & diſtinctæ conſpiciuntur; in quarum qualibet unicum continetur ſemen ruffum, cochleæ inſtar, convolutum, acuminatum & acre guſtui. Provenit in ſegetibus circa Monſpelium; floret Martio & Aprili, & æſtate ſemina perficit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Eruca *ſativa cruda, ut ait Dioſcorides, coitum largiore cibo concitat: ipſius quoque ſemen ejuſdem eſt effectus: urinas movet, concoctionem juvat, alvoque eſt accommodata. Semine Erucæ in condiendis obſoniis utuntur, quod uti diutius perennet, aceto lacteve ſubactum in paſtillos digerunt, atque ita reponunt. Erucæ facultatem & uſum medicum Plinius explicat his verbis, Multo diverſæ eſt quam Lactuca naturæ, conciliatrix Veneris, idcirco conjungitur cibis ut nimio frigore par fervor immixtus temperamentum æquet, & alio in loco, Erucæ ſemen ſcorpionum venenis & muris aranei medetur. Beſtiolas corpori innaſcentes & omnia vitia cutis in facie, cum melle illitum arcet: lentigines ex aceto, cicatrices nigras reducit ad candorem cum felle bubulino. Foliis, ut author eſt Matthiolus, coctis, additoque ſaccharo, tuſſientibus pueris propinatur juſculum, quod tuſſim ſedat: ſemen contuſum ex vino potum lumbricos interimit, tumentem lienem minuit. Folia contuſa palpebris impoſita viſum acuunt: ſemen cum melle miſſum maculas omnes & nævos faciei illitu tollit, efficacius vero (uti dictum) addito felle bovino. Sunt qui pro certo, inquit Camerarius, aſſerunt multos annos ab apoplexia & ejuſmodi affectibus immunes ſeſe præſtitiſſe, pulvere ex Erucæ ſeminis & Cymini partibus æqualibus non ſolum ſupra dictorum authorum, ſed & Poetarum etiam teſtimonio Eruca ſtimulandæ Veneri nata videtur.*

Martialis.	-Et Venerem revocans Eruca morantem.
Columella.	Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,
	Excitet ut Veneri tardos Eruca maritos.
Idem.	-Eruca ſalax fœcundo provenit horto.
Salacem Ovidius nominavit.	Nec minus Erucas jubeo vitare ſalaces.
Item Laurentius Lippius.	Devorat Erucas, qui cupit eſſe ſalax.

10. *Eruca*

10. Eruca *Barbarea dicta, valde calefacit & reſiccat, utpote ſapore acris & Naſturtio facultate aſſimulatur. Acetariis vero additur, hyeme præſertim cum Naſturtii copia deeſt, in quibus quod illud poteſt, prodeſt. Medetur & eadem ſcorbuto non minus quam Naſturtium aquaticum ſupinum ſeu Siſymbrium alterum vel Cardamine Dioſcoridis. Semen quoque calidum & ſiccum adeoque tenuium partium ut urinas evocet, & cohærentes calculoſas arenulas diſſolvat ac expellat.*

22. Eruca *maritima Ægyptiaca foliis latioribus craſſis ſiliqua fungoſa minore, nobis. Sinapi marinum Ægyptium, Proſp. Alpin. de Exot. Hæc planta maritima calida eſt & ſicca tertii ordinis, validæ acrimoniæ videtur, ejuſque ſemina trita ob acrimoniam efficaciſſima ſunt, quæ vino epota ad movendam urinam inſerviunt, quod craſſos humores incidant extenuentque; datur & ejus aqua ſtillatitia ex tota planta elicita ad movendam urinam, darique etiam ad flatulentos dolores quamcunque corporis partem vexantes poteſt. Nonnulli folia & germina in acetariis edunt, atque etiam eadem decocta ad ſtomachum roborandum.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 99. col. 1. pl.* x. *Eruca maritima Italica ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimili, C.B.P. & Prod. Cakile Serapionis, Lob. Lugd. Eruca maritima & Naſturtium eidem. Hanc tribus figuris exhibuit author Hiſtoriæ Lugdunenſis, quarum una Erucam Italicam ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimili repræſentat, reliquæ duæ Erucam Cakile Serapionis dictam nobis offerunt. Caſparus Bauhinus duas diſtinctas Erucæ maritimæ ſpecies confundit & pro una eademq; Eruca eaſdem ponit. Cakile enim Serapionis, Lobelii, & Hiſtoriæ Lugdunenſis, ſiliquam producit fungoſam in medio toroſam & rotundam; at Eruca maritima ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimili, C.B.P. ſiliquam itidem fungoſam & toroſam, non rotundam, ſed quatuor angulis præditam profert, binis nempe obtuſis & binis acutioribus, cuſpidem haſtæ referentibus: deinde Eruca Cakile Serapionis Lobelii folia habet latiora minuſque ſinuata, at Eruca ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimili, C. B. P. & Prod. folia habet anguſtiora, magiſque diſſecta, quod cuilibet clare apparet ipſas plantas intuenti, earumque ſemina examinanti. Nos in promptuario noſtro ſeminali utriuſque prædictæ ſpeciei ſiliquas hac hora qua hæc committimus prelo reſervamus; unde concludimus Caſparum Bauhinum ſui oblitum fuiſſe, qui etiamſi novam Iconem ſculpendam curaverit, ipſe non attulit diſcrimen inter ſuum Cakile maritimum ſiliqua haſtæ cuſpidi ſimili, & Cakile Serapionis Lobelii, quæ, ut ſupra monſtravimus in explicatione, ſunt duæ diſtinctæ ſpecies Erucæ maritimæ, ut apparet ex intuitu Iconum à nobis exhibitarum in Tab. 6. Utriuſque ſiliqua fungoſa ſemen oblongum in gremio ſuo producit, recens flaveſcens, adultum rubrum, calidum & acre cæterarum Erucarum more.*

Pag. 99. col. 2. pl. XII. *Eruca Monſpeliaca ſiliqua quadrangula echinata, C. B. P. & Prod. Sinapi echinatum Monſpelienſe, Hiſt. Lugd. Author Hiſtoriæ Lugdunenſis figuram fictitiam & vitioſam nobis proponit ſub Sinapi echinato, nec ejuſdem deſcriptio valet, nam florem ei attribuit pentapetalum cum ejus flos reliquarum hujus claſſis ſtirpium more ſit tetrapetalus; inſuper ſiliquas Cucurbitæ quaſi lagenariæ forma perperam à pictore primo, deinde à ſculptore exhibitas, vitioſas & mendoſas in medium profert. Conſulat lector plantam ipſam vigentem, & obſervabit Iconem fictitiam & vitioſam pag. Hiſt. Lugd. 647.*

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
CAPUT VI.
DRABA SILIQUOSA.

D*RABAM*, δράβω *Dioſcorides l. 2. c. 186. ipſi Thlaſpi ſubjungit, unius* (quæ huc non pertinet, quippe ſiliculoſa, remittatur ad ſiliculoſas plantas, de quibus in ſecundo membro hujus Sectionis agemus) *facta mentione.*

Quemadmodum in capite 4to. de Naſturtio monuimus duplex eſſe Naſturtii genus, unum ſiliquoſum, de quo egimus ſupra hujus Sectionis capite quarto; & alterum ſiliculoſum de quo infra inter ſiliculoſas: ita duplex Drabæ nobis occurrit genus, unum ſiliquoſum, de quo nunc; & alterum ſiliculoſum, de quo infra pariter inter ſiliculoſas tractabimus. Draba pro nota generica habeto hanc, quod folia ejus utplurimum ſint hirſuta aut incana, convenit cum cæteris ſuæ ſortis quod ſit planta calida & acris, ſiliquoſa, tetrapetala, ſepto medio membranaceo ſeparante duplicem ſeriem ſeminum prædita. A ſiliquis bivalvibus, longis, facile

cile diſtinguuntur Drabæ ſiliquoſæ, à Drabis ſiliculis curtis ſeu ſiliculoſis. Draba ſiliquoſa à colore floris, eſt vel lutea, alba, aut cærulea.

Pars TABULÆ VII.

- *Draba ſiliquoſa*
  - *Lutea*
    - 1. *Maxima ſiliquis ſtrictiſſimis, nobis. Lutea ſiliquis ſtrictiſſimis, C. B. P. Arabis quorundam, Cam. & Hort.* ⊙
    - 2. *Eryſimi floribus & ſiliquis, nobis. Sinapi & Thlaſpi media provincialis planta, Hiſt. Lugd. Ad. & Icon. Lob.* ⊙
  - *Alba*
    - *Perennis*
      - 3. *Repens ſucculento folio, nobis. Draba 3ia ſucculento folio, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 4. *Repens & procumbens folio villoſo, nobis. Draba 2da, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 5. *Annua præcox planta Drabæ ſiliquoſæ ſimilis, nobis. Aizoon Telephium Dalei. Lug.* ☿
  - *Cærulea*
    - 6. *Folio virenti craſſiuſculo, nobis. Leucoium marinum parvum folio virente craſſiuſculo, J. B. Chabr.* . ☿

Explicatio partis Tabulæ ſeptimæ.

1. DRaba lutea ſiliquis ſtrictiſſimis, C. B. P. Draba lutea, J. B. Chabr. Arabis quorundam, Cam. & Hort. Draba hæc ex radice valida & longiſſima, colore ſubalbido, & ſapore non minus acri quam Naſturtium, caules promit complures, ultra humanam longitudinem, graciles tamen & circa ſummitates in aliquot ramulos divaricatos, qui non umbellam efformant, ſed ſpicatim ſine ordine naſcuntur, ſuſtinentes floſculos copioſos, minutos, luteos, tetrapetalos; quibus ſuccedunt longæ ſtriatæque ſiliquæ unciales, includentes duplici ordine ſemina tenuia, fulva, acria: caules veſtiunt folia oblonga, triuncialia, acuminata, crenata, in mucronem acutum deſinentia, & per oras longe inæqualiore ambitu laciniata ſpectantur: caules inquam emittit ex radice ſatis craſſa quatuor aut quinque pedes altitudine ſuperantes, rectos: flores fert minimos luteos, tetrapetalos, (quibus foliola anguſta pariter ſerrata interſeruntur) quos ſequuntur ſiliquæ longæ, tenues: radice inquam conſtat magna, lignoſa cum odore tum ſapore mordicante, & nares feriente, acri etiam, & linguam vellicante, diu ſub terra durante, cujus caules aliquando proveniunt lati ad uncias binas ternaſve, luxuriante natura; hoc non ſolum illi, ſed & multis aliis ſtirpibus eſt commune, ut Bætæ, Hieracio Sabaudico, aliiſque multis per univerſum ſtirpium genus. Hæc una cum foliis totaliter ſupra terram perit, reſtibili radice, ex qua ſingulis annis & caules & folia denuo proveniunt. Floret æſtate, & poſt menſem unum aut binos ſemina perficit. Sponte provenit prope Tubingam juxta fluvium *Neccar* circa *Heidelbergam* & *Bornin*, in agro Rhætico inter Helveticos.

2. *Draba* lutea Eryſimi flore & ſiliquis, nobis. Draba Eryſimi flore & ſiliquis, C. B. P. & Park. Sinapi & Thlaſpi, media provincialis planta, Hiſt. Lugd. Ad. Lob. & Icon. Hæc plantula ſiliquoſa tetrapetala, folia edit hirſuta, candida, ex radice denſe pullulantia, leviter in ambitu dentata, pediculis longiuſculis innituntur quaterna, quina, ſummitati quæ uniuſcujuſq; pediculi præcipue verſus terram; alia in ſuperiore cauliculi parte inſiſtunt binatim tantum, inter quæ oritur cauliculus infirmus, brachiatus in ramulos foliolis anguſtis raro diſpoſitis ornatos, quibus inſiſtunt floſculi plurimi, minimi, lutei, tetrapetali; quos ſequuntur ſiliquæ tenues, longæ, duplici ſerie continentes ſemina minuta rubra: radix tenuis, candida, ſingulis annis folia uti dictum, protrudit, quæ per totam hyemem durant. Creſcit prope Monſpelium. Floret ineunte æſtate & ſemina paulo poſt perficit. Provenit inquam non procul à *Divæ Magdalenæ* fano & in cautibus illis Galloprovinciæ fama celeberrimis: flores illic promit luteos, Eryſimi æmulos: folia albida & hirſuta, leviter laciniata ad ſummum & imum, nec ſiliquas Eryſimi diſpares, ſapore Buniadis, Napi aut Barbariæ.

3. *Draba* ſiliquoſa alba repens, C. B. P. Park. Draba altera, Lob. Icon. Draba 3ia ſucculento folio, Cluſ. Hiſt. Arabis ſeu Draba altera, Lob. App. Lugd. & Eruca muralis eidem. Draba altera repens, Ger. Draba hæc frequentibus ramis prædita eſt ex eâdem radice prodeuntibus, tenuibus, deinde in caput extuberantibus; ex quo aliquot folia quaſi in orbem diſpoſita prodeunt

prodeunt craſſa, ſucci plena, atra viriditate ſplendentia, paululum ſinuata in lateribus, acri guſtu & illico linguam vellicante; ex horum medio pedalis aut major exit caulis gracilis, quem per intervalla ambiunt, & ampleƈtuntur folia ſequentis quartæ minora, & ad petiolum latiora: flores ſpicæ inſtar ſupremum caulem ambiunt ut in ſequenti, albi, tetrapetali, quorum ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ teretes & longæ, duplici pariter ordine ſemen planum, puſillum, ruffum continentes: radix tenuis & repens late ſub terram ſe diffundit, & novellas plantas ſingulis annis producit; vivax & tota hyeme virens eſt. Creſcit in declivi montis *Hernalben* ſupra *Zeehof* villa Cœnobii Groningenſis, ubi ſero floret, at in hortos tranſlata maturius cum ſequente, nonnunquam etiam exeunte hyeme.

4. *Draba* alba ſiliquoſa, C. B. P. Alba ſiliquoſa minor, Park. Draba 2da, Cluſ. Hiſt. Draba 1ma repens, Ger. Multos ex eâdem radice ramulos humi fuſos profert hæc Draba, qui terra obruti aut ſub illa ſeſe condentes, atque etiam in ſumma tellure ſerpentes, ſubinde fibras agunt: ii deinde ſummo capite numeroſa producunt folia villoſa, Drabæ præcedentis forma & figura ſimilia, ſed minora, nonnihil in ambitu dentata, ſubacidi initio guſtus, deinde acris: ex horum medio cauliculi exeunt palmares, nonnunquam majores, recti, teretes, virentes, hirſuti, aliquot minoribus foliis latiore baſi eos ampleƈtentibus donati: flores in extimis cauliculis ſpicæ in ſpeciem naſcentes, albidi, tetrapetali, quos ſingulos decidentes ſequuntur (ut in cæteris hujus farinæ ſtirpibus) ſiliquæ planæ, oblongæ, duplici ſerie puſillum ruffum ſemen continentes: radix candida fibroſaque eſt, ex qua ad cauliculorum exortum alii naſcuntur ramuli, ſimilibus foliis prædìti, in latera ſe diffundentes. Invenitur in Tauro monte. Floret maturius ſuperiore, ſcilicet exeunte Martio aut ineunte Aprili.

5. *Draba* ſiliquoſa ſimilis planta præcox annua, nobis. Planta ſiliquoſa Burſæ paſtoris ſimilis, C. B. P. Aizoon Telephium Dalpii. Hiſt. Lugd. Piloſella ſiliquata major, Thal. Plantula hæc ſiliquoſa tetrapetala, omnino diſſimilis Burſæ paſtoris, quæ eſt ſiliculoſa planta; ſiliquas enim profert bivalves, oblongiuſculas, tenues, teretes, ideo aptius mea opinione Drabarum claſſi aſſociatur quam Burſæ paſtoris generi, ut præſtitit Caſparus Bauhinus. Radice conſtat parva, candida, modice fibratâ: foliis humi circa radicis ſuperiorem partem jacentibus, & eam in orbem quaſi circumdantibus (ut cernere eſt in Aizoo ſempervivo majore) oblongis, nonnihil inciſis, craſſis ſatis, hirtis, Portulacæ foliis ſimilibus, in caule paucis, & ſingulatim geniculis adhærentibus; caule nunc ſingulari, nunc multiplici, in ramuſculos diviſo, dodrantali; flore tetrapetalo, candido; cui ſuccedit ſemen in ſiliquis ſemiuncialibus, exilibus, duplici ordine, ſepto medio membranaceo ſeparatis. Plantulæ hujus ſapor ab initio fatuus, deinde acris, ut in cæteris ſiliquoſis tetrapetalis. Provenit in agris frumentaceis humidis paſſim circa Oxonium. Floret ineunte Maio; & æſtate ſemina perficit.

6. *Draba* cærulea annua folio virente craſſiuſculo, nobis. Leucoium marinum parvum folio virente craſſiuſculo, J. B. Chabr. (non eſt Leucoium ut vult Johannes Bauhinus, & ejus ſimia Chabræus, quia nec ſiliquas nec ſemina habet compreſſa, plana, quæ determinant Leucoi genus à cæteris ſiliquoſis bivalvibus tetrapetalis.) Hæc parvula Draba annua caules habet tenues, palmares, quibus ad ſingula genicula adnaſcuntur folia rara, quædam uncia paulo longiora, nonnihil ſinuoſa, craſſiuſcula & ſucculenta, glabra, virentia; flores illi magni pro proportione plantæ, violacei; quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ tenues, ſemiunciales, aliquando longiores, aliquando breviores, duplici ordine ſeminum, ſepto medio mebranaceo diſtinƈtæ, continentes ſemina minuta, ruffa. Hanc habuit Johannes Bauhinus à Johanne Meyer ſtirpium ſtudioſiſſimo; ubi ſponte proveniat ignoratur, at in hortis noſtris exeunte Vere floret, & ſemina ad maturitatem perducit. Ramulus hujus figuratur inter Leucoia, expunge & huc revoca.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 109. col. 1. pl. 1. Draba umbellata vel Draba major capitulis donata, C. B. P. Draba Dioſcoridis, Colum. Arabis ſive Draba, Matth. Ad. Lob. (cui & Naſturtium Babylonicum) Lugd. ibidem col. 1. pl. 111. Draba minor capitulis orbicularibus, C. B. P. Draba minor, Cluſ. Hiſt. Hæ duæ Drabæ, cum ſint plantæ ſiliculoſæ tetrapetalæ, debuere à Caſparo Bauhino amandari ad ſiliculoſas, ſecundo membro hujus Sectionis explicandas, non autem hic collocari cum Drabis ſiliquoſis. Nota Johannem Bauhinum pag. 939. col. 2. pl. 11. duas exhibuiſſe figuras Drabæ, quarum una Drabam ſiliquis ſtrictiſſimis indigitat, altera Drabam ſiliculis curtis, quæ eſt Draba Dioſcoridis ſeu Draba flore albo, Arabis quorundam Cam. Ep. & Hort.

Pag. 110. col. 2. pl. 11x. Draba flore cæruleo galeato, C. B. P. & Prod. Male hæc planta denominatur Draba à Caſp. Bauhino, cum nec ſit planta tetrapetala ſiliquoſa, nec ſiliculoſa bivalvis ſepto medio dirimente duplicem ſeriem ſeminum; ſed ex ipſo Caſparo Bauhino floribus conſtat galeatis, ut in Orchide, radice Aſclepiadis ſimili, guſtus fervidioris aromatici &c. Eſt enim Rapuntii ſpecies galeato flore cæruleo: lacteſcit & florem producit quaſi galea-

tum

tum, integrum in fundo, quinquefariam in margine diviſum, cui ſuccedit theca ſeminalis tricapſularis, continens ſemina minuta, pellucida, ruffa. Nos ſic deſcripſimus Prælud. Botanicorum noſtrorum pag. 300.& 301. ſub nomine Rapuntii, appellando Rapuntium Soloniense urens violaceo quaſi galeato flore minore. Rapuntium galeatum ſeſe declarat primo, ex ſucco lacteo emanante ex qualibet parte rupta, deinde florem producit violaceum minorem, integrum in fundo, quinquefariam in margine partitum, cui ſuccedit capſula triangularis, aliorum Rapunculorum more, continens ſemina multa, tenuia, pellucida, ruffa: quibuſdam Rapunculis galeatis convenit in omnibus his partibus, videlicet Rapuntio Americano flore coccineo, quod flos Cardinalis dicitur Fabio Columnæ in Hiſtoria ſua Mexicana, & Rapuntio Virginiano majori flore quaſi galeato cæruleo majore, a nobis exhibendo in Sectione quinta. Tota planta percalida eſt, & maſticata linguam urendo pungit, quod convenit cum Rapunculis; radicibus eſt Aſclepiadis multis ſimul junctis: caules emittit pedales & altiores: quibus ad genicula ſingula alternatim adnaſcuntur folia oblonga, ſerrata, & in mucronem acutum deſinentia: in ſummis caulium faſtigiis, eorumque alis naſcuntur flores quaſi galeati, minores, violacei cæruleive prædictorum Rapunculorum more. Creſcit paſſim in humidis ericetis & ſylvis annoſis in agro Solonienſi & Pictavienſi. Floret æſtate in Autumnum uſque, & tunc ſemina perficit. Vide infra caput de Rapunculis in Sectione quinta noſtra hujus operis.

SILIQUOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares.

CAPUT VII.

RAPHANUS.

RAPHANUS *vel ſativus eſt, vel ſilveſtris; ſativus* Ῥαφανὶς *(quaſi radix perſpicua) Dioſcoridi l. 2. c. 137. poſterioribus dicitur* ῥάφανος, παρὰ τὸ ῥαδίως φαίνεσθαι *quod ex ſato ſemine ſtatim oriatur. Theophraſtus utraque quidem voce uſus eſt, ſed quem Raphanum vocamus, ipſe* ῥαφανῖδα *appellavit: at* ῥάφανον, *ipſam Braſſicam nominavit; quæ cauſa erroris fuit Plinio, dum l. 19. c. 15. ſcribit, Græcos Raphani genera tria feciſſe, foliorum differentia &c. quæ de Braſſica intelligenda, cum ex Theophraſto 7. Hiſt. 4. deſumpta ſint. Latinis radix (* ῥίζα *Theophraſti) quod cæteras amplitudine corporis ſuperet, vel quam pauciſſimis magnitudine cedat: ſiquidem in frigidis locis, quibus gaudet, ſicuti in Germania, infantium puerorum magnitudinem æquet, teſte Plinio l. 19. c. 5. &c.*

Cum hoc in loco non eſt noſtri inſtituti de Raphano ſativo agere, quem Radiculam κατ᾽ ἐξοχὴν nominat maxima pars authorum, cum ſiliquas non producat bivalves ſepto medio membraneo diſterminante duplicem ſeriem ſeminum, ſed ſiliquas ſpongioſas ſeu fungoſas provenientes ex floribus tetrapetalis proferat: ad finem ſiliquoſarum bivalvium Raphani ſativi doctrinam rejiciemus, & hoc capite agemus tantum de Raphano ſilveſtri, quia eſt planta ſiliquoſa bivalvis ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum in ſiliquis admodum curtis.

Pars TABULÆ VII.

Rhaphanus	*Minimus*	1. *Repens luteus foliis tenuiter diviſis, ſeu Raphanus minimus repens luteus Naſturtii vulgaris hortenſis folio, nobis.* ⊙
	2. *Major*	*Hortenſis ſeu Ruſticanus, C. B. P. Ger. Park. Raphanus ruſticus, Cam. Lugd.* ⊙
	Aquaticus	3. *Foliis in profundas lacinias diviſis, C. B. P. & Prod. Raphanus aquaticus, Tab. Ger.* ⊙
		4. *Alter foliis ſerratis, nobis. Aquaticus alter, C. B. P. & Prod. Rapiſtrum aquaticum, Tab. Ger.* ⊙

Explicatio partis Tab. 7.

1. R*Aphanus* minimus repens luteus foliis tenuiter diviſis, ſeu Raphanus minimus repens luteus Naſturtii vulgaris hortenſis folio, nobis. Propter omnimodam cum Raphano ſilveſtri ſeu aquatico conformitatem, hanc plantulam huc inſeruimus; florem enim fert tetrape-

tetrapetalum luteum; ſiliqulam aut curtam ſiliquam bicapſularem, Raphani ruſticani aut paluſtris more fert: radicem etiam edit longe lateque repentem, ut Raphanus ruſticanus aut aquaticus paluſtriſve, quin & uda humidaque amat loca: quæ omnia ſe declarant Raphani ſilveſtris ſpeciem: folia autem gerit tenuiter diviſa Naſturtii hortenſis modo; flores autem luteos, tetrapetalos, amplos ſatis pro tenuitate plantæ, caulibus vix palmaribus, aut ſeſquipalmaribus innixos gerit; poſt quos deciduos ſequuntur ſiliquæ bivalves,ſeu bicapſulares, curtæ, vix ſemiunciales, terna, quaterna ſemina acria, mordacia, in ſe continentes, ſi quando gerant ſemina; nam hoc omnibus innatum plantis, quæ longe lateque repunt aut reptant, quod raro ſemina perficiant, quia natura non poteſt ſimul & ſemel duobus finibus eſſe intenta, & propagationi plantæ cujuſvis & ſeminibus & radicibus, uti ſæpius ſupra à nobis dictum.

2. *Raphanus* ruſticanus, C. B. P. Ger. Park. Raphanus vulgaris & ruſticanus, Matth. Major aut Armoracia, Brunf. Trag. Geſn. Hort. Raphanus ruſticus, Cam. Lugd. Raphanus ſilveſtris Dioſcoridis, l. 2. c. 138. & Raphanus ſilveſtris ſeu Armoracia Plinii. Raphanis magna ſeu Raphanus magnus, Dod. Raphanus hic ruſticanus grandia profert folia, longa, lata, acuminata, crenata, ſaturato colore virentia, Hippolapathi foliorum quodammodo æmula, ſed paulo membranaceora & duriora, ſeu aſperiora, caulem (quando promit) tenuem, in cujus faſtigio apparent floſculi plurimi, albidi, tetrapetali, ſatis exigui pro magnitudine plantæ, quæ eſt ſatis grandis; quibus ſuccedunt, ſed raro, ſiliquæ curtæ, exiguæ, bivalves, vix granum Avenæ majoris longitudine excedentes: radix magna, albida & late repens eſt, guſtu admodum acris & mordax. Humentibus hortorum locis gaudet, atque illic melius quam in aridis proficit, gigni & in pratis humidis Fuchſius author eſt. Hortos urit. Maio quandoque hujus flores apparent, ſiliquis poſt ſuccedentibus; ſed hoc valde rarum eſt, ut teſtatur Petrus Creſcentius; in promptu cauſa eſt, quod nimia aviditate rependi radicibus ductus hic Raphanus ruſticanus, ſicut & alii aquatici teneantur. Florentem Maio Genevæ & Montbelgardi in pago *Courcelle* Julio & Auguſto circa pontem *Vaujaucourt* obſervavit Johannes Bauhinus, & prope Baſileam in ſilvis vidit Caſparus Bauhinus.

3. *Raphanus* aquaticus foliis in profundas lacinias diviſis, C. B. P. & Prod. Raphanus ſilveſtris officinarum aquaticus, Lob. Raphanus aquaticus, Tab. Ger. Raphanus ſilveſtris & Raphanus paluſtris, Lugd. Radicula ſilveſtris, Dod. Hic paluſtris ſeu aquaticus Raphanus foliis eſt brevioribus,anguſtioribus crebrioribuſque inciſuris diſſectis, propemodum veluti Erucæ, ſed multo quam illius majoribus: cauliculi tenues ſunt, pedales vel altiores: floſculi exigui, lutei, tetrapetali; ſiliquæ curtæ, parvæ, minutum quoque ſemen in ſe continentes: radix digitum quandoque craſſa, oblonga, alba, ſapore acris, mordax vivaxque. Juxta ſcrobes ac foſſas, aquas habentes ſponte naſcitur, & pluribus annis vivit: flores ejus Junio menſe potiſſimum vigent. Radix Februario, aliquando Martio effoditur & ſativæ loco infertur ac editur.

4. *Raphanus* aquaticus alter foliis ſerratis, nobis. Aquaticus alter, C. B. P. & Prod. Rapiſtrum aquaticum, Tab. Ger. Caulem emittit tripedalem, aliquando altiorem, in ramulos tenuiter diviſum, glabriores multo cæterorum ſuæ familias, ad quorum genicula naſcuntur folia coſtis aſperis prædita, profundius ſinuata, ſerrata verſus eorundem partem inferiorem: in ſummis alis proveniunt flores albidi, tetrapetali, cum ſtaminulis luteis in medio ſingulorum: radice conſtat longa, flexili, fibris ſcatente.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Raphanus *ruſticanus, C. B. P. Ger. Park. Radix hujus admodum eſt acris (ut & ſemen, quando haberi poſſit) calida tertio, & ſicca ſecundo ordine. Radicis hujus contuſæ admodum frequens apud Germanos pro condimento uſus eſt: valent ejuſdem radices ad quæ ſativæ, ſed vehementiores ſunt. Oxymel in quo triduum maduerint cortices vomitum excitat, & adverſus quartanas commendatur; quin & cortices ipſi in aceto macerati, ſi cum exiguo mellis edantur, deinde aqua bibatur tepida, vomitione expurgant. Herbæ folia cum vino decocta additoque modico oleo, ac cataplaſmatis modo impoſita, jecinoris ac lienis duritias molliunt, pectini vero admota urinæ ſtillicidio auxiliantur. Iiſdem pollent viribus & ſilveſtres ſeu aquatici Raphani ſecundum majus & minus; quandoquidem ſunt plantæ calidæ & acres, & eundem florendi, capſulas ſeminales & ſemina producendi habent modum, iiſdemque gaudent natalibus, cur non iiſdem pollere debent viribus, cum nullus inter ipſos mutet aliquid horum?*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 96. col. 1. pl. 1. Raphanus major orbicularis vel rotundus, C. B. P. & ibidem col. 2. pl. 111. Raphanus minor oblongus, C. B. P. ibidem pl. iv. Raphanus Creticus, C. B. P. & Prod. Omnes hi Raphani cum ſunt tetrapetalæ plantæ, calidæ & acres, non ſunt tamen ſiliquoſæ bivalves, ſepto medio membraneo ſeparante duplicem ſeriem ſeminum donatæ, ſed ſiliquis conſtant craſſis, fungoſis, inordinatim ſemina ſatis magna in ſe continentibus, ergo non debent huc inſeri inter ſiliquoſas bivalves plantas, ſed amandari ad earum finem, inter ſiliquoſas, à regula ſiliquoſarum bivalvium recedentes, & non conjungi cum Raphano ruſticano & Raphanis aquaticis paluſtribuſve, ejuſdem inter ſe ſymboli, teſſeræve, uti ſupra dictum.

SILIQUOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares fragrantes.

LEUCOIUM SILIQUOSUM BICAPSULARE NON BULBOSUM.

CAPUT VIII.

ΛΕΥΚΟΙΟΝ *Dioſcoridi lib. 3. c. 138. id eſt Viola alba, non ratione florum, ſed potius à canitie cinericeove foliorum colore: quamvis differentiam in floribus oſtendat, ſiquidem aut cærulei, aut albi, aut purpurei, aut lutei reperiantur. Plin. l. 21. c. 6. Violas luteas & albas agnoſcit.*

LEUCOION duplex eſt, vel bulboſum hexapetalon tricapſulare, quod eſt Narciſſi ſpecies, de quo infra in Sectione quarta inter conſortes Narciſſos; vel ſiliquoſum tetrapetalum bivalve ſeu bicapſulare duobus loculamentis diſtinctis continens ſeriem ſeminum planorum compreſſorum, de hoc, in hoc capite agemus, inter ſibi ſimiles, videlicet ſiliquoſas tetrapetalas bivalves. Leucoium ſiliquoſum bivalve tetrapetalum habet pro nota generica hanc, quod flores producat quatuor diſtinctis & ſeparatis petalis donatos, cujuſcunque magnitudinis aut coloris; atque ſingulis floribus ſic conſtructis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ, bivalves, ſeu bicapſulares, longæ, compreſſæ, continentes duplicem ſeriem ſeminum planorum & compreſſorum, diverſorum colorum. Sic ergo & à ſiliquis compreſſis, & ſeminibus planis pariter compreſſis, à cæteris hujus familias quam facillime diſtinguitur. Leucoium ſiliquoſum quinquefariam dividendum nobis venit à diverſa facie foliorum & capſularum: vel eſt Leucoium hortenſe folio incano floribus diverſorum colorum: vel eſt maritimum incanum floribus pariter diverſorum colorum, vel luteum folio hirſuto, vel folio viridi: omnes hæ Leucoii ſpecies ſiliquis donantur longis, compreſſis: vel denique ſiliquulis afficiuntur curtis, duplicem ſeriem ſeminum compreſſorum itidem in ſe continentibus, ſepto medio membraneo dirimente duplicem illam ſeriem ſeminum hinc unam, illinc alteram.

Leucoium (λευκόϊον) notum eſt ſi quidem Dioſcoridi fides habenda eſt, ſed eſt in florum colore, & foliorum textura naturaliumque ſitu differentia: nam à colore florum eſt vel albus, vel ruber, purpureus aut cyaneus multis modis, ſtriis, quandoque maculis diverſimode notatus: vel luteus, qui eſt vel flore minore, hocque vel ſimplici, vel pleno; vel majore, eoque vel pallide luteo, vel ſaturato quaſi aurantiaco colore, flavo & fuſco mixto. Quod ad cæruleum in textu Dioſcoridis attinet, Hermolaus & Marcellus verbum negant, & cæruleo abundare exiſtimant, putantque adſcititium eſſe, ideoque extirpandum. Marcello (inquit Matthiolus) Dioſcoridis interpreti ſubſcribendum puto, qui Leucoium cæruleum hoc loco accreviſſe ſuſpicatur, vetuſtiſſimi Dioſcoridis Longobardicis literis ſcripti teſtimonio nixus, in quo de cæruleo Leucoii colore nullum plane verbum legebatur. Suſpicionem hanc augent eamque comprobant Oribaſius & Serapio, quos item id verbum non habere comperit in ſimplicium cenſu, cum alioquin reliqua Dioſcoridis referant. Utut ſit, nos aſſerimus cum Cæſalpino & reliquis, nondum nobis adhuc viſum, ideo dari haud facile affirmamus, cum nec in Italia, Gallia, nec hic apud nos ſeptentrionales uſpiam apparuerit; alibi eſſe poſſe non negamus, cum non una omnia fert tellus; late enim patet naturæ vis & admirabilis ejus majeſtas, quia poteſt multa quandoque variare, & quæ nobis noſtro orbi Europeo & ſeculo negaverit, aliis dediſſe.

TA-

TABULA VIII.

- *Leucoium ſiliquoſum bicapſulare*
  - *Hortenſe incanum*
    - *Flore ſimplici, colore*
      - *Unico*
        - 1. *Majus*
          - *Albo.* ☿
          - *Cinereo.* ☿
          - *Purpureo.* ☿
          - *Rubro.* ☿
          - *Coccineo.* ☿
          - *Violaceo*
            - *Dilutiore.* ☿
            - *Saturatiore.* ☿
          - *Livide rubente melancholico.* ☿
        - 2. *Minus*
          - *Candido.* ☿
          - *Rubente.* ☿
          - *Punicante.* ☿
      - 3. *Variegato ex*
        - *Purpureo*
          - *Puniceo.* ☿
          - *Violaceo.* ☿
        - *Candido & Luteo.* ☿
        - *Cæruleo & Luteo.* ☿
        - *Cæruleo & Candido.* ☿
        - *Albo*
          - *Rubris vel purpureis ſtriis notato.* ☿
          - *Purpureis maculis notato.* ☿
    - 4. *Flore pleno, colore*
      - *Unico*
        - *Purpureo*
          - *Dilutiore.* ☿
          - *Saturatiore.* ☿
        - *Purpuro-violaceo.* ☿
        - *Albo.* ☿
        - *Rubro.* ☿
      - *Variegato*
        - *Sanguineis maculis ſignato.* ☿
        - *Purpuro-violaceo lineis viridibus diſtincto.* ☿
        - *Albo ſanguineis maculis notato.* ☿
        - *Purpureis maculis ſignato.* ☿
  - *Marinum incanum*
    - *Annuum*
      - 5. *Latifolium, nobis. Leucoium maritimum latifolium flore cæruleo purpuraſcente, J. B. Chabr.* ☿
      - 6. *Procumbens minus, nobis. Viola marina repens, Hort. Eyſt.* ☿
      - 7. *Inodorum flore parvo pallidiore, nobis. Silveſtre inodorum flore parvo pallidiore. Eyſt.* ☿
      - 8. *Sinuato folio, nobis. Maritimum majus, Cluſ. Hiſt.* ☿
      - 9. *Anguſtifolium, nobis. Maritimum anguſtifolium, C. B. P. Marinum minus, Cluſ. Hiſt.* ☿
    - *Perenne*
      - 10. *Sexatile Thymi folio hirſuto flore cærulo-purpureo, nobis. Lithoreoleucoium minimum Valvenſium, Col.* ⊙
  - *Folio hirſuto*
    - *Flore*
      - *Luteo*
        - 11. *Terreſtre majus Erucæ folio, nobis. Leucoium terreſtre majus, Col.* ☿
        - 12. *Alpinum altum, nobis. Luteum montanum, Pon. Ital.* ☿
      - 13. *Purpureo dilutiore ſeu Leucoium maritimum foliis & ſiliqua hirſutis, hac tribus apicibus in ſummo donata, nobis.* ☿
      - 14. *Albo ſiliquis uno verſu diſpoſitis & reflexis, nobis. Braſſica ſilveſtris foliis & integris & hiſpidis, C. B. P. Turrita vulgatior, Cluſ. Hiſt. Park. J. B. Chabr.* ⊙

- *Leucoium ſiliquoſum bicapſulare*
  - *Folio viridi*
    - *Flore*
      - 15. *Albo odoratiſſimo, folio lucide ſplendente, nobis. Rarius flore albo odoratiſſimo Camerarii, Eyſt.* ☿
      - *Luteo minore*
        - *Hortenſe*
          - 16. *Simplex vulgare ſeu murale, nobis.* ⊙
          - 17. *Multiplex ſeu pleno flore, nobis. Leucoium luteum flore multiplici, Dod.* ⊙
        - 18. *Silveſtre, nobis. Leucoium ſilveſtre, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - *Luteo majore*
        - *Simplici*
          - 19. *Foliis tuberculis obſitis, nobis. Flos Keiri maximus, Eyſt.* ⊙
          - 20. *Nobis. Flos Keiri ſimplex medius, Eyſt.* ⊙
          - 21. *Grandiore folio ſerrato, nobis.* ⊙
        - *Pleno*
          - 22. *Simpliciter, nobis.* ⊙
          - 23. *Ex aureo & fuſco variegato, nobis.* ⊙

Explicatio Tabulæ octavæ.

§. I. LEUCOIUM SILIQUOSUM BICAPSULARE *HORTENSE FOLIO INCANO.*

1. L*Eucoium* incanum majus, C. B. P. Leucoium candidum majus, Dod. Leucoium album Matth. Lob. Obſ. Lugd. Tab. Ger. Leucoium album purpureum & violaceum, Park. Leucoium purpureum roſeum & album hyemale ſeu diu durans, J. B. Chabr. Leucoium flore albo ſimplici, Eyſt. λευκοῖον & λεῦκον ἴον, id eſt Viola alba, non tam florum colore, quam quod caulis & foliorum color ſit albus; tomento enim ſeu lanugine obducuntur: folia unciam aut ſemiunciam lata, palmum unum aut duos longa, tota albent, obfuſco mucrone incana, molli que lanugine pubent: caulis cubitalis & ſeſquicubitalis, lignoſus, in multos ramos fiſſus, incanus ſimul & tomentoſus: flores extremis ramulis hærent, ex oblongo calyce piloſo erumpentes, tetrapetali, colore vel albo, vel coccineo, vel ſaturatiore violaceo præditi: quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ palmum circiter longæ, compreſſæ, tribus apiculis in ſummo donatæ, duos ſeminum compreſſorum & planorum verſus continentes, quæ ſunt orbiculata, nigra, circulo albo cincta, ruffa, ſapore acriuſculo: radice conſtat lignoſa, alba.

2. *Leucoium* aliud eſt valde parvum anguſtum florens. Florent omnes æſtate & ſemina eodem tempore perficiunt. Eſt & incanum minus, C. B. P. Leucoium candidum minus & annuum Dod. A priore non forma, ſed magnitudine ſola differt: caules foliaque habet ſimilia, ſed per omnia minora: flores etiam non unius coloris, ſed vel candidos, vel rubentes, vel punicantes, uti majoris: ſiliquas & ſemina etiam ſimilia, lata, plana: radicibus nititur fibroſis, quæ eodem anno quo ſatum eſt hyeme pereunt.

Leucoium floris colore livide rubente melancholico, Eyſt. Facie & florum formâ à Leucoiis ſupra allatis parum differt, niſi livido obſcuro purpuraſcente colore florum, melancholicis ſolenni & familiari, unde Beſlerus, author horti Eyſtettenſis, ſic nominatum voluit.

Habetur & idem flore multiplici plenove ex ſatione ſeminum ſimplicis plenius & melius nutritorum, quod eſt flore albo, vel cinericeo. Idem habetur purpureum, vel rubrum, C. B. P. Cam. quod eſt Leucoium flore rubro ſimplici, Eyſt. Flore eſt rubente, ex purpura-puniceo, violaceo, ex cæruleo-purpureo; in ſumma ob colorem dilutiorem & ſaturatiorem differentiæ aliquot ſunt: hinc Viola matronalis purpurea, alia punicea, Fuch. Tur. Lugd. Viola tricolor petrea, Ger. Obſervatur flore candido & luteo, violaceo & luteo, violaceo & candido; aliquando tamen totus luteus, vel totus albus occurrit.

3. *Leucoium* incanum majus variegatum ſimplici flore, C. B. P. Hoc varium eſt, & permixtum maculis ex albo rubris, vel purpureis, aut quaſi ſtriis inæqualibus notatum: hinc 1. Leucoium variegatum album rubris maculis notatum, Eyſt. Bry. 2. Leucoium variegatum purpureis maculis, Eyſt.

Ex

Ex ſemine majoris Leucoii bene in ſiliquis nutrito & poſtea ſato proveniunt Leucoia diverſorum itidem colorum flore pleno. Primo Vere florere incipiunt omnes prædictæ ſpecies, & majorem requirunt curam Leucoia flore pleno (quia omnem vim & alimentum impendunt in floribus plenis producendis) ne hybernis menſibus offendantur. Dicitur Leucoium incanum majus multiplex, C. B. P. Leucoium multiplici flore, Dod. Leucoium ſeu Viola purpurea flore pleno, Lob. Icon. Flos eſt vel ſaturatioris, vel dilutioris purpurei, vel purpuro-violacei, vel albi coloris: hinc 1. Leucoium flore rubro pleno, Eyſt. 2. Leucoium flore purpureo pleno, Eyſt. 3. Leucoium ſive Keiri purpuro-violaceum pleno flore, Swer. 4. Leucoium flore pleno albo, Eyſt. Bry.

4. *Leucoium* incanum majus variegatum pleno flore, C. B. P. Leucoium ſive Keiri, Viola purpurea variegata, Swer. & hoc varium eſt, 1. Leucoium purpureum variegatum ſanguineis maculis ſignatum, Bry. Leucoium purpureum variegatum flore pleno, Eyſt. 2. Leucoium ſive Keiri violaceo-purpureum pleno flore lineis viridibus diſtinctum, Swer. 3. Leucoium album pleno flore ſanguineis maculis ſignatum, Eyſt. 4. Leucoium album pleno flore purpureis maculis ſignatum, Eyſt. Ex ſatione & mangonio mille modis ludit natura in producendis varietatibus e ſeminibus deſumptis ex eadem planta, non minus in hiſce quam in aliis multis generibus.

§. 2. LEUCOIUM SILIQUOSUM BICAPSULARE *MARITIMUM FOLIO INCANO.*

5. L*Eucoium* maritimum latifolium annuum, nobis. Maritimum latifolium, C. B. P. Marinum alterum latifolium, Lob. Icon. Lugd. Marinum latifolium, Ger. Park. Leucoium maritimum latifolium flore cæruleo purpurante, J. B. Chabr. Foliis eſt latioribus, rigidioribus, hirſutioribus, profunde laciniatis, quæ ſurſum verſus perforantur à caulibus: flores ex cæruleo purpuraſcunt tetrapetali, in caulibus ſeſquipalmaribus & dodrantalibus; quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ bivalves ſeu bicapſulares Leucoii lutei vulgaris Keiri dicti multo breviores & tenuiores, & rotundæ, ſemina oblonga, rotunda, in ſe continentes; unde concludimus non eſſe verum Leucoium.

6. *Leucoium* maritimum procumbens, nobis. Leucoium maritimum repens, C. B. P. Viola marina repens, Hort. Eyſt. Cauliculis ſurgit hoc pedalibus, infirmis, atque idcirco facile humi procumbentibus, in plurimas alas diviſis: foliis conſtat Leucoi vulgaris incani figura è dilute virore albicantia; floſculi tetrapetali, qui in carneo colore modice rubent, quibus emarcidis, conſpicuæ exoriuntur ſiliquæ bivalves, paululum compreſſæ, planis & compreſſis ſeminibus, duplici loculamento contentis, refertæ.

7. *Leucoium* ſilveſtre inodorum flore parvo pallidiore, Eyſt. Radices oblongiuſculas & albeſcentes in terram demittit hoc Leucoium, è quarum capite numeroſa expanduntur folia, oblonga, ſubincana, inſtar Leucoii marini majoris IV. Tabernæmontani, varie inæqualiterque in ambitu circumroſa, aut quaſi ſinuata: caulis inde unus atque alter aſſurgit, nonnunquam cubitum æquans, nonnunquam pedalis, in ſummitate faſciculatim gerens floſculos parvos, pallidiores, inodoros, Leucoii lutei vulgaris æmulos, ſed minores, flavopallidos; quibus in longis, anguſtis, ſurrectis ſiliquis ſuccedunt ſemina flaveſcentia, minuta, plana, compreſſa, aliorum ſuæ ſortis more.

8. *Leucoium* maritimum ſinuato folio, C. B. P. Leucoium maritimum majus, Ad. & Icon. Lob. Lugd. Cam. Cluſ. Hiſt. Marinum purpureum, Ger. Leucoium marinum majus purpureum, Tab. Huic caulis eſt pedalis, interdum major, ramoſus admodum, & humi procumbens: folia longa, craſſa, mollia, canentia, & quodammodo lanuginoſa, Cichorei aut Erucæ modo diviſa, & veluti præmorſa: flores ſecundum ramulos odorati, tetrapetali, dilutioris purpuræ, ad vini rubri fæcem quodammodo tendentes: hiſce ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ longæ, craſſiuſculæ, planæ, compreſſæ, duplicem planorum & compreſſorum ſeminum ſeriem, intercurrente membrana media, continentes: radix multifida, ſed non perennis; poſtea enim quam planta flores & ſemina protulit (quod altero plerumque à ſatu anno, interdum & tertio fieri ſolet) perit. Floret æſtate, atque ſemina paulo poſt perficit. Eſt & flore albo, quod eſt Leucoium maritimum candidum, C. B. P. Marinum majus, Cluſ. Hiſt. Keiri marinum flore candido, Lob. Icon.

9. *Leucoium* maritimum anguſtifolium, C. B. P. Marinum minus, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Ad. Cam. Tab. Ger. Anguſtifolium, Lob. Leucoium ſilveſtre anguſtifolium, Dod. Hoc dodrantales, teretes,

retes, & ſatis firmos habet cauliculos, in plures ramulos diviſos: folia prioris ſimilia, mollia item & incana, minora tamen, tenuiora & minus diviſa: flores in ramulis floribus ſuperioris multo minores, tetrapetali, coloris pulcherrime rubentis, quandoque pallide rubri, & dum matureſcere incipiunt magis ſaturi, quales ſunt Leucoii rubri vulgaris flores, odorati, ſed minus quam ſuperioris: quibus ſuccedunt cornicula oblonga, exili & nigro ſemine, circulo albo cincto, duplici ordine digeſto, plena. Floret Julio & Auguſto eodem quo ſatum eſt anno, deinde totaliter perit. Naſcitur utrumque, & hoc anguſtifolium & ſuperius majus in mediterranei maris litoribus, & in Hiſpania & Gallia Narbonenſi, ſed minus multo frequentius.

10. *Leucoium* marinum ſaxatile Thymi folio hirſuto cæruleo-purpureum, C. B. P. Lithoreoleucoion minimum Valvenſium. Col. Propter affinitatem hujus cùm in floribus tetrapetalis, tum in ſiliquis bivalvibus ſeu bicapſularibus, cum Leucoiis, & natalem locum, ad differentiam aliarum ſpecierum λιθορεωλεύκοιον minimum appellavimus, inquit Fabius Columna. Planta eſt exigua, grata oculis propter florum copiam, colore purpuro-cæruleo venuſtorum, quos menſe Maio profert ex cæruleo purpureos variegatos, medio quid lutei aut candidi habentes, ſtaminulis intus parvis: ſiliquas, illis deficientibus, è medio calyce folioſo profert parvas, breves, craſſas, in apicem longum deſinentes, in quibus ſemina continentur exigua, ruffeſcentia, copioſa, æſtate perfecta: folia ſunt brevia, magnitudine Thymi durioris, hirſuta, colore cinerea ſicuti tota planta, alternatim viticulis denſe adnata, ut unaquæque planta carnoſa ſit admodum, atque orbem viticulorum frequentiâ conficiat. Quamvis æſtate floreat, nunquam tamen perit, ſemper novas identidem è geniculis denſis viticulorum ſoboles foliorum proferens; quapropter etiam hyeme reperitur, & tota fumi odore gravi ac ſapore guſtata putet: ſingulis viticulorum cacuminibus inſunt tres aut quatuor flores, quos conſequenter ſequuntur ſiliquæ totidem, duratque ad Autumnum cacumine ſiliquis onuſto. Acris eſt foliis & ſiliquis, linguam magis vellicans manſa, quam Leucoium, ad Thlaſpios gradus accedens.

§. 3. LEUCOIUM LUTEUM SILIQUOSUM BICAPSULARE *FOLIO HIRSUTO.*

11. *Leucoium* terreſtre majus luteum Erucæ folio, nobis. Leucoium luteum Erucæ folio, C. B. P. Leucoium terreſtre majus, Col. Ad differentiam Leucoii maritimi terreſtre hoc denominatur. Floribus oritur Leucoii vulgaris figura non diſſimilibus, ſunt enim odori, & ſuavem ceræ novæ odorem emittunt, ſapore acres, umbellatim fere in ſummo alarum & caulis parum hirſuti, rotundi, cubitalis, pluribus alis diviſi, qui, cum decidunt flores, è petiolo ſemiunciali ſiliquas emittit ſingulatim & alternatim in ſummo diſpoſitas, Leucoii ſimiles: at folia è radice longa, pedali vel longiore, bifida & trifida, candida, per terram ſtrata, inveniuntur, pedem longa, grandiora, ſinuata, præſertim quæ radici ſunt viciniora. Erucæ ſativæ aut Papaveris erratici folia profundis laciniis imitantur, colore virentia, parum hirſuta, mollia, ſuccoſa, acri ſapore ſicut & tota planta. Junio floret inter ſaxa vallis Campoclarenſium ſupra locum vulgo dictum *il colle de mezo*, locis umbroſis atque humentibus frigidiſque.

12. *Leucoium* luteum montanum altum, Ponæ Ital. Hoc diſtinguitur à vulgari Leucoio altitudine, nam ſuperat humanam ſtaturam. Ex una radice multos protrudit caules, quibus adnaſcuntur plurima folia denſe ambientia caulem, hirſuta & ſerrata: floribus tetrapetalis luteis & ſapore Leucoio ſativo vulgari conforme eſt; ſed floribus evaneſcentibus, ſuccedunt ſiliquæ longæ & ſtrictiſſimæ, & hiſce ſupra dictis nominibus à vulgari diſtinguitur.

13. *Leucoium* maritimum foliis & ſiliqua hirſutis, eaq; tribus in ſummo apicibus donata, nobis. Leucoium maritimum, Cam. Marinum maximum, Park. Leucoium maritimum Camerarii Leucoiis affinis planta quorundam, J. B. Chabr. Leucoium hoc plurima folia edit ſpiſſa molliaque, per terram ſtrata, Leucoii marini vulgaris foliis rigidiora, inæqualiter etiam ſinuata hinc inde inſtar cornu cervi recenter emergentis, quod plantæ majorem pulchritudinem & gratiam acquirit; ſic durat primo anno, ſecundo vero protrudit caulem mollem hirſutum, bipedalem, aut tripedalem, in multos ramos brachiatum, aliquantulum craſſum, ſed infirmum; cui inſiſtunt folia anguſtiora, parum aut nihil crenata, in quorum cymis naſcuntur flores ſeniores inferius, juniores ſuperius, conflati ex quatuor petalis latis, odore Leucoii vulgaris: flores ſunt multo majores, & coloris dilute purpurei, quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ bivalves ſeu bicapſulares, cæterorum Leucoiorum more; & folia, & caules, ſiliquæque pilis ſcatent, hæque in extremis ſeu ſuperioribus mucronibus tripartitò dividuntur, & veluti tot apicibus in extremis prominentibus afficiuntur: ſemina ibidem duplici ſerie

in duplici loculamento continentur latiora, magis compreſſa, & obſcurius virentia: radice conſtat longa, alba, dura, in multas propagines ſeſe findente, nec tamen eſt vivax, ſed ſingulis annis perit, poſtquam ſemina ad maturitatem perduxerit.

14. *Leucoium* flore albo ſiliquis uno verſu diſpoſitis & reflexis, nobis. Braſſica ſilveſtris foliis integris & hiſpidis, C.B.P. Turritis, Lob. Icon. Tab. Ger. Turrita vulgatior, Cluſ. Hiſt. J. B. Chabr. Park. Leucoium hoc ſic nobis dictum multa promit ſecundum radicem folia per terram ſtrata, palmaria longitudine, ſeſquiuncialia latitudine, in ambitu nonnihil criſpa & ſinuoſa, aliquantulum piloſa, colore dilutius virente; inter quæ caules quaternos, quinos, cubitales & ſeſquicubitales aliquando, in aliquot ramulos diviſos, per quos inordinatim naſcuntur folia lata ſatis ad caules, eoſque amplectentia, foliorum Braſſicæ campeſtris perfoliatæ (de qua in primo hujus Sectionis capite egimus) prope inſtar, ſed multo hirſutiora, quaſiq; incana: ſummo caule multos fert flores ſatis magnos, tetrapetalos, coloris ex albo interdum pallentis & ὠχρολεύκȣ, ut cum Carolo Cluſio loquar, aliquando omnino nivei, quos ſubſequuntur confertim longa cornicula, bivalvia ſeu bicapſularia, compreſſa, duplici ſerie ſemina plura, compreſſa itidem & ruffa aliorum Leucoiorum more, continentia: radix eſt alba, dura, & craſſa ſatis, paucioribus fibris inde emanantibus donata, nec vivax, altero enim à ſatione anno caules prolato ſemine exareſcunt, & tota planta perit, ut ait Carolus Cluſius; erroris & lapſus reus hic eſt doctiſſimus Cluſius: nam plantam hanc per multos annos poſt ſemina matura vireſcere per totam hyemem, & ex eadem radice ineunte Vere caules protrudere obſervavimus. In ſilvis cæduis facilius quam apertis collibus reperitur. Floret Aprili & Maio & ante æquinoctium ſemina ſua perficit. Sculpitur Tab. 2. inter Braſſicas; cum à nota eſſentiali ſit Leucoium, revocetur huc ad conſimiles.

§. 4. LEUCOIUM SILIQUOSUM
Bicapſulare folio viridi.

15. *Leucoium* flore albo odoratiſſimo folio lucide virente, nobis. Leucoium album odoratiſſimum folio virente, C. B. P. & 4. in Prod. Leucoium rarius flore albo odorato, Cam. Leucoium fruticoſum folio viridi flore albo odorato Camerarii, Eyſt. Hoc radice eſt multifida: caule viridi, ramoſo, aliquando minimi digiti craſſitie: foliis viridibus, ſplendentibus, craſſis, Keiri foliis reſpondentibus: floribus albis, magnis ſatis, tetrapetalis, ſuaviter admodum & quidem veſperi Heſperidum modo olentibus, aut Moſchum aut Caryophyllos redolentibus: quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, longæ, craſſiuſculæ, virides, compreſſæ, duplicem planorum itidem ſeminum ordinem membrana media intercurrente continentes. Leucoii Cretici albi nomine primo inſigniebatur. Hoc per aliquot annos durat, ſi hyeme in cella aut potius in conſervatorio hyemali in eum finem conſtructo aſſervetur; ſin ſecus, poſt ſemina ad maturitatem perducta, præ nimio rigore tempeſtatis hyemalis, apud nos Septentrionales moritur funditus & totaliter, radice & caulibus.

16. *Leucoium* luteum vulgare, C. B. P. Leucoium aureum, Matth. Lugd. Leucoium luteum, Fuch. Dod. Lob. Ad. Caſt. Cam. Leucoium ſativum luteum, Cluſ. Hiſt. Keiri vel Cheiri, Geſn. Hort. Lon. Flos Keiri ſimplex minor, Eyſt. Quibuſdam φλόγιον Theophraſti quod totus flos flammeus, id eſt lutei coloris ſit. Luteum enim colorem flammeum dici ex Plin. l. 22. c. 8. colligunt. Huic Leucoio luteo murali caules ſunt ramoſi, virentes, pedales & altiores aliquando, præcipue quando in ſubgrundiis ſæpius humectantur; quibus annectuntur geniculatim folia oblonga, anguſta, glabra, in virore quandoque inalbicantia, majoris Leucoii foliis minora; ſummis caulium adhærent ſpicatim flores plurimi, lutei, tetrapetali, perquam odorati; quos ſequuntur ſiliquæ paululum compreſſæ, oblongæ, bivalves, duplici ſerie ſeminum compreſſorum, oblongorum, fulvorum, intus latente, ſepto medio (maturis ſeminibus) membraneo, pellucido, eandem ſeriem ſeminum hinc inde diſterminante, atque in ſingulis ordinibus plurima ſemina continentur oblonga, compreſſa, ſubruffa, aliorum ſuæ ſortis more. Totus hic fruticulus lignoſus poſt ſemina decidua hyemis rigorem facillime tolerat & ſuſtinet. Floret Martio, Aprili & Maio; quando autem hyems clemens fuerit, Nativitate Chriſti & Februario Martioque menſibus floret, & ſemina ſecundum florendi tempus ſunt matura. Provenit in vetuſtis muris, ruderibus, tectis ædificiorum, & aliis ſaxoſis locis, præcipue calce abundantibus, paſſim obſervatur: & ad pedes vetuſtorum murorum, antiquarum turrium, ex ſeminibus à matribus ſtirpibus, in ſummis muris vigentibus, deciduis creſcere ſatis frequenter cernitur: nunquam in agris, ſilvis aut campis apertis.

17. Eſt

17. Eſt & alia hujus varietas flore pleno, cui ſiliquæ nullæ; colitur in hortis pangendo, ſurculi in terra deponuntur propter elegantiam cum florum, multiplici petalorum congerie conſtantium, tum odorem gratiſſimum quem ſuffundunt, & dicitur Leucoium minus flore pleno, C. B. P. Leucoium ſive Keiri duplici flore, Ad. & Icon. Lob. Leucoium luteum flore multiplici, Dod. &c.

18. *Leucoium* ſilveſtre anguſtifolium, C. B. P. Leucoium ſilveſtre, Cluſ. Hiſt. Cam. Tab. Ger. Leucoium ſilveſtre flore luteo, Bry. Hoc ſilveſtre Leucoium multa ſecundum radicem habet folia, Leucoii vulgaris ſeu muralis, quod luteo eſt flore, foliis ſimilia, anguſtiora tamen, viridia, amaricantis guſtus, inter quæ unicus, interdum plures aſſurgunt caules, pedales & ſeſquipedales, ſtriati, carinatis foliis obſiti, multos ſuſtinentes flores ſimplices tetrapetalos, flavos, Leucoii lutei vulgaris æmulos, ſed minores minuſque odoratos: floribus ſuccedunt oblongiora cornicula quam in ſativo vulgari, ſtrictiora tamen, quadrata, plano, terete, oblongo, ruffo, ſemine plena: radix longa eſt, candicans, & multis tenuibus fibris prædita: ſemine ad maturitatem perducto perit. Biennalis eſt planta. Invenitur in montibus illis ſupra Badenſes Thermas, & in *Leythenberg* ſalebroſis præſertim, & meridiei obverſis locis. Nos florentem Maio obſervavimus in novalibus, ad oram ſilvæ *Fontainbleau* ſecundum fluvium Sequanam ſitis. Hoc à ſemine non eſt Leucoium; ſed cum ſemine donetur terete, longo, ruffo, in ſiliqua quadrata, videtur potius Eruca, quam Leucoium, non obſtante denominatione Cluſii & aliorum ipſum ſequentium.

19. *Leucoium* luteum maximum foliis tuberculis obſitis, C. B. P. Flos Keiri Eyſtettenſis maximus, Hort. Eyſt. Flores hujus amplitudine Thalerum Philippicum ſuperant: folia ſunt magna, ſubrotunda, multis bullis ſeu quaſi eminentiis in foliis extuberantibus.

20. *Leucoium* luteum magno flore, C. B. P. 1. in Prod. Flos Keiri ſimplex medius, Eyſt. Hoc à vulgari Leucoio luteo Keiri dicto differt magnitudine & colore, quia parvum fruticem, valde ramoſum & totum virentem refert: foliis eſt majoribus, viridibus, ſplendentibus; floribus tetrapetalis.

21. *Leucoium* ſerrato folio flore luteo grandiore, C. B. P. & 2. in Prod. Hoc à præcedente foliis potiſſimum diſcrepat, quæ duplo pene longiora ſunt, anguſta, per latera crenis aſperis ſerrata, & in aculeum finientia, quæ ſimiliter craſſa, ſed pallide virentia, mollia, qua parte inferna quaſi lanugine aſperſa: flores lutei ſunt magni.

22. *Leucoium* luteum majus pleno flore, C. B P. Viola lutea multiplex, Lugd. Ger. Leucoium majus flore luteo pleno, Eyſt. Huic itidem nullæ ſunt ſiliquæ; cognoſcitur primo intuitu à priore, magnitudine & plenitudine florum, qui ſunt, aut lutei, aut ex aureo aut fuſco, variegati, prioris multo ampliores.

§. 5. LEUCOIUM SILICULOSUM BICAPSULARE.
VIOLA LUNARIA
dictum abuſive.

VIOLA ratione florum, Lunaria vero à ſiliquarum forma dicitur, quæ latæ, planæ & propemodum rotundæ ſunt, & lunam non falcatam, ſed prope completam referunt, vel à ſiliquarum ſepti medii ſplendore, quod per ſiccitatem nitet & ſatinum album plane refert.

Peractâ doctrina Leucoiorum ſiliquoſorum bicapſularium in prima parte hujus capitis octavi iiſdemq; quatuor paragraphis explicatis, jam operæpretium duximus aggredi ſecundam partem, in qua tractabitur de ſiliculoſis Leucoiis Bicapſularibus paragrapho hoc 5. quæ differunt à ſiliquoſis Bicapſularibus, quippe longis ſiliquis donatis, cum hæc Leucoia ſiliculoſa parvis & curtis ſiliquis ſeu ſiliculis afficiantur. Conveniunt & ſiliquoſa Leucoia & ſiliculoſa, quod ſint tetrapetala bicapſularia ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum planorum compreſſorum, quæ ſemina plana compreſſa nobis exhibent notam eſſentialem, Leucoiis peculiarem, quâ Leucoia tam ſiliquoſa, quam ſiliculoſa, à cæteris omnibus antedictis ſiliquoſis, tetrapetalis, bicapſularibus, hujus Sectionis decernuntur. Leucoium ſiliculoſum bicapſulare dupliciter à nobis conſideratur, quatenus ſilicula ſecatur aut dividitur ſepto medio pellucido; vel tranſverſim, id eſt ante & retro; vel longitudinaliter, id eſt dextrorſum & ſiniſtrorſum à ſummo ad imum: de quibus ſingulatim agemus, de illis primo, de hiſce poſtremo; exordium faciemus à Leucoiis lunatis.

TABULA IX.

- *Leucoium ſiliculoſum bicapſulare*
  - *Septo medio dividente bina loculamenta ſeminum ante & retro*
    - *Lunatum ſeu clypeatum*
      - *Latifolium glabrum majus*
        - *Annuum*
          - 1. *Flore violaceo ſiliqua rotunda, nobis. Lunaria Græca annua Eyſt.* ☿
        - *Perenne* — *Flore*
          - 2. *Albo, nobis. Viola latifolia altera, Dod.* ⊙
          - 3. *Purpureo ſiliqua oblonga, nobis. Lunaria Græca perennis, Eyſt.* ⊙
      - 4. *Anguſtifolium aſperum minus* — *Siliquis aſperis, nobis. Alyſſum Dioſcoridis, Dod. Cam.* ☿
      - 5. *Alyſſoides minus, nobis. Leucoium peltatum Romanum minus, Col.* ⊙
    - 6. *Incanum ſiliculis tumidis ſubrotundis, nobis. Leucoium marinum Patavinum, Lob. Eruca peregrina, (ſed perperam) Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 7. *Montanum flore pedato ſeu calcari donato, nobis. Leucoium montanum flore pedato, Col.* ⊙
    - 8. *Spanoſpermum, nobis. Leucoium luteum Spanoſpermon, Cornut.* ☿
    - 9. *Clypeatum Serpilli folio, nobis. Ionthlaſpi ſpicatum lunatum, Col.* ☿
  - *Septo medio dividente bina loculamenta ſeminum à dextris & ſiniſtris*
    - *Biſcutatum*
      - 10. *Aſperum Hieracifolium majus, nobis. Lunaria lutea Monſpelienſium, Cluſ. Hiſt.* ☿
      - *Alyſſoides*
        - 11. *Umbellatum montanum, nobis. Leucoium Alyſſoides umbellatum montanum, Col.* ☿
        - 12. *Spicatum, nobis. Iondraba Alyſſoides Apula ſpicata, Col.* ☿

Explicatio Tabulæ nonæ.

1. L*Eucoium* lunatum ſeu lunarium latifolium majus annuum ſiliqua rotunda flore violaceo ſeu ſubcæruleo, nobis. Lunaria Græca annua, Eyſt. Lunaria Græca, Cæſ. Lob. Lon. Viola latifolia, Dod. Cluſ. Pan. Lugd. Viola lunaris 1. Tab. Ger. Bulbonac, Ad. Lob. Bulbonach (à radicibus bulboſis) Geſn. Hort. Viola lunaris ſeu Bulbonac, Ger. Park. Leucoium hoc ſiliqua lunata rotunda flore violaceo caule aſſurgit bicubitali, ſatis craſſo, in ramos diviſo: folia promit virentia, glauca, lata, per ambitum crenata adinſtar Urticæ majoris, aut herbæ Alliariæ vocatæ ſimilia, ſed majora: in ſummis caulium ramis flores producit tetrapetalos, colore pulchre nitentes, purpureos aut ſubcæruleos; quos ſequuntur ſiliquæ planæ, latæ, propemodum rotundæ, ex binis valvulis tenuiſſimis (membraneis veluti laminis) compactæ, intra quas & ſeptum medium pellucidum hinc inde ſemina lata, plana, compreſſa, ſubrotunda, obſcure fuſci coloris, forma διχότομος Lunæ quaſi plenæ latent, ſepto medio membranaceo, maturo ſemine, pellucido & quaſi ſatinum album referente, & ſeparante duplicem ſeminum ſeriem, hinc unam, illinc alteram: radices ſubſunt craſſæ, candidæ, in diverſas tuberculas tendentes, Pœoniæ fæminæ alterius radicibus quodammodo ſimiles, ſed multo minores & tenuiores,

res, intus poroſæ. Bulbonac aut Bulbonach voce barbara quidam appellant. Nos à ſemine compreſſo, Leucoii ſemini ſimili, Leucoium ſiliqua lunata vocamus à ſimilitudine ejuſdem cum Luna quaſi plenâ, & aptius, cùm ejus ſiliquæ compreſſæ, planæ, rotundæ, Lunæ inſtar ſemina compreſſa, plana, fuſca in ſe contineant, quæ eſt nota generica ab initio Leucoiis aſſignata, diſtinguens eadem à cæteris ſiliquoſis bicapſularibus & bivalvibus in hac Sectione contentis. Brabanti Pennick-bloemen à ſiliquarum formâ denarium quodammodo referente, & Paeſch-bloemen, quod circa Paſchatis ſolennitatem fere ſemper floreat, nominant. Recentiorum plerique Lunariam ſimpliciter & Lunariam Græcam appellant, vel ab ipſius ſeminis figura, aut ſiliquarum mediæ membranæ argenteo ſplendore, quo decidentibus per ſummam ſiccitatem cum ſemine, tum ex utraque parte membranis ſeu valvulis exterioribus, nitet media membrana pellucida, ſatinum album nitore ſuo referens. Unde & Anglis hortulanis dicitur Honeſty. Membrana media candidiſſima & tenuiſſima variis coloribus tingitur, videlicet rubro, cæruleo, luteo, viridique colore ſpectatu ſatis digna. Copioſe creſcit in ſaltibus Turingiæ ſilvæ, teſtis eſt Camerarius in Hortis: Floret Martio & Aprili; primo anno non fert caules, nec floret; ſecundo ubi maturuit, perit.

2. *Leucoium* lunatum ſeu lunarium latifolium majus alterum ſiliqua rotundâ flore albo, nobis. Hoc priori foliis latis & ſiliquis planis, rotundis, ſimile eſt; perrenni nititur radice quæ hyeme non marceſcit: caules ei ſunt cubitales, lignoſi: folia multa lata: ſiliquæ planæ, compreſſæ, rotundæ, utraque paulo minora prioris: flores autem profert candidos inſtar Violæ matronalis. Provenit in ſilvis nonnullis Germaniæ, veluti Hyrcinia, qua parte Germaniam ſpectat; transfertur ad hortos in quibus diutine vivit in eo membranæ pellucidæ nitore, ut Lunæ noctu lucentis faciem repræſentet, unde ei nomen.

3. *Leucoium* majus perenne ſiliqua lunata longa mucronatâ, nobis. Lunaria Græca ſiliquis longis, Geſn. Hort. Lunaria Græca ſiliquis longioribus, Thal. Lunaria Raphanitis ſive Bulbonac radice rediviva, Lob. Icon. Lunaria Græca perennis, Eyſt. Viola lunaris 2. Tab. longioribus ſiliquis, Ger. Hoc Leucoium perenne ſiliqua oblongiore mucronata foliis eſt latis Lunariæ primæ inſtar, ſerratis & acuminatis; flos itidem purpureus aut ex albo ſubcæruleus, tetrapetalus: ſiliqua quæ ei ſuccedit oblonga eſt, & primæ Lunariæ ſiliquis latitudine multum cedit, binis etiam utrinque membranis ſeu valvulis exterioribus amplectentibus ſemina terna quaternave, hinc inde inter membranas exteriores, & mediam itidem exſiccatam pellucidam ſita. In monte Salevæ non longe à Geneva abundat cum longis ſiliquis & mucronatis. Tranſlata in hortos hyemem perfert, virens Januario. Floret Maio circa lacum Seven Abatiæ inſignis nobilium Dominarum, quarum Johannes Bauhinus fuit medicus. Floribus etiam cæruleis in montanis ſilvis Auſtriæ, Stiriæ, viciniarumque ſilvoſis locis, atque etiam in Pannonia interamni, authore Cluſio, ſponte magna copia provenit.

4. *Leucoium* aſperum ſiliquis aſperis clypeiformibus, nobis. Leucoium Alyſſoides clypeatum majus, C. B. P. Lunaria aſpera, Geſn. Alyſſum Dioſcoridis, Dod. Cam. Lugd. (cui & Alyſſum Dal[pii] figura duplici) Alyſſum Dioſcoridis putatum, Lob. Leucoium montanum lunatum, Col. Minoris & congeneris meminit Columna. Alyſſum hoc dictum Dioſcoridis, eſt prædictis Lunariæ ſpeciebus & ſiliquis & ſemine affinis fruticoſa planta, inquit Dioſcorides. Eſt herba unicaulis ſubaſpera, foliis longis, verſus mucronem ſubrotundis, quæ caulibus adhærent denſe diſpoſita, bipedalibus, in quorum cimis longitudinaliter ſeu ſpicatim exeunt floſculi ſurſum tendentes, è luteo palleſcentes, tetrapetali, quorum ſingulos ſequuntur ſingulæ ſiliquæ planæ, latæ, ovatæ ſeu clypei formâ albicantes quando ſunt maturæ, exterius non læves ſed aſperæ; in ſingulis ante & retro inter valvulas exteriores aſperas & membranam mediam pellucidam latent terna, quaternave ſemina plana, lata, compreſſa, rotunda cum limbo albo ſingula rotatim cingente. Membrana pellucida maturis ſeminibus apparet veluti in antedictis ſuæ familias Leucoiis lunatis: radix tenuis & fibroſa poſt ſemina ad maturitatem perducta ſtatim exſiccatur & perit. In montibus & aſperis locis emicat. Floret Julio ac Auguſto menſibus; ſiliquis brevi poſt ſuccedentibus maturis Septembri, aliquando multo citius. Dioſcorides ἄλυσσον nominat, non quod rabiei à cane mordente medeatur, ſed quod ſingultus ſedet ac tollat. λύσσα ſiquidem non ſolum rabies, ſed & ſingultus à verbo λυσσῶ, id eſt ſingultio, appellatur; idem & ſpuriis nominibus ἀσπίδιον quaſi breve & parvum ſcutum, à ſiliquis nempe ſcuti formam referentibus; item & ἀπλόφυλλον, ἀσκύσιτον, ἀδέσετον, μονόκαυλον. Reperiuntur præter hoc, alia cum apud veteres tum apud neotericos ἄλυσσα. Ætius l. 1. Sideritidem Heracleam Alyſſum eſſe cenſet. Plinius Alyſſum Rubiæ congenerem herbam facit; & Marrubii ſpeciem flore purpureo aut rubro Alyſſum vult Galenus. Sed de his ſuis locis: de hoc Alyſſo Dioſcòridis hic ſatis dictum.

5. *Leucoi-*

5. *Leucoium* Alyſſoides clypeatum minus, C. B. P. Leucoium peltatum minus Romanum, Col. Planta hæc à radice tenui, longa, lignoſa oritur, parum acri ſapore, foris pallidâ, intus candidâ, perenni, paucis lateralibus fibris exiguis diviſa; cujus folia prima per terram jacent, triuncialia aut quatuor uncias longa, per ambitum leviter ſinuoſa, ſemiunciam lata, candicantia ex viridi cinereo, tactu aſperiuſcula, hirſuta, & inferna parte magis aſpera & fere bullata ut in Buglolli aut Anchuſæ cuiuſdam foliorum ſuperna parte, atque in plures propagines diviſa ex una radice: caulibus fruticat tenuibus ſupinis fere, in multas deinde alas diviſis, quibus tenuiora anguſtioraque folia hærent alternatim, aſperiuſcula etiam, ſicut & caulis & alæ: flores incipit æſtate emittere in ſummis caulibus, deinde per alas coacervatos veluti in umbellas, virentibus calycibus incluſos, quorum primi hiant longo petiolo prominentes in quatuor petala, in extremo bifida, ſeu veluti cordis effigiem referentia, decuſſatim oppoſita, multa intus ſtaminula lutea includentia; quibus capſulæ ſuccedunt oblongæ, anguſtæ, in acutum apicem deſinentes, deinde latitudinem aſſequentes ovalemque figuram clypei accipientes, foris hirſutæ, aſperæ, ſemina intus compreſſa etiam & plana cæterorum Leucoiorum more continentes, octona, quaterna, ſcilicet in ſingulis valvulis diaphragmate diſtinctis, quod dehiſcente ob ſiccitatem capſulâ ſeu folliculo clypeiformi, pellucidum remanet, decidentibus utrinq; valvulis: ſemina inquam ruffa, rotunda, compreſſa, tenuia conſpiciuntur, quæ Octobri menſe & etiam Novembri inveniuntur adhærentia diaphragmati ſeu ſepto medio pellucido, ex quibus iterum regerminat planta ante Autumnum; & hyeme locis ſterilioribus incana magis folia reperiuntur, mollioraque & minus ſinuata circa radicem: folia radice minus àcria, ſiccante ſapore. Gaudet natalibus calidioribus copioſe circa urbem Romam. Undique in incultis fruticantem hanc plantam invenit Fabius Columna. Floret æſtate, & capſulas ſeminales, ſeminaque ibidem contenta paulo poſt ad maturitatem perducit.

6. *Leucoium* incanum ſiliquis tumidis, ſubrotundis, nobis. Leucoium marinum Patavinum, Lob. Leucoium marinum luteum majus, Tab. Ger. Leucoium cum ſiliquis rotundis flore luteo, J. B. Chabr. Eruca peregrina, Cluſ. Hiſt. Hoc Leucoium aliquot caules ex una radice prodeuntes habet, ſeſquipedales interdum, rotundos, graciles, & ſub exortum è radice multa folia, oblonga, anguſta, coſta media prominente, incana, nonnihil in ambitu ſinuata & quaſi undulata, acri guſtu prædita; at quæ humi ſecundum exortum radicis proveniunt, ſunt plerumque ampliora: flores habet in ſummis caulibus ſimul congeſtos, luteos, tetrapetalos, Erucæ ſativæ floribus minores, & Leucoii ſilveſtris Cluſii floribus magnitudine reſpondentes; quibus ſuccedunt folliculi ſeu capſulæ tumidæ, ſubrotundæ, mucronatæ, bivalves, ſepto medio pellucido diviſæ, ſeparante eodem tanquam diaphragmate duplicem ſeminum ſeriem compreſſorum, ruſſorum, aliorum Leucoiorum more, quæ arguunt hanc plantam eſſe Leucoium non Erucam, ut vult clariſſimus Carolus Cluſius; in folliculorum extremo prominet ſtilulus acutus: radix ad minimi digiti craſſitudinem excreſcit, candida, nonnullis fibris prædita. Creſcit quibuſdam Caſtellæ locis incultis & juxta vias, ubi Maio floret, & Junio & Julio ſemina perficit; tardius in hortis noſtris verſus Septentrionem & floret & ſemina ad maturitatem perducit. Sunt qui Leucoium ſemine rotundo vocarint; alii Leucoium Patavinum marinum, & aptius propter omnimodam foliorum incanorum cum Leucoiis maritimis ſimilitudinem, ſed præcipue cum ſemina rotunda, plana, compreſſa habeat, quæ conſtituunt eſſentialem & genericam Leucoii à reliquis ſiliquoſis tetrapetalis notam, ſicuti à nobis ab initio hujus capitis dictum. Ergo male à clariſſimo Carolo Cluſio ei adaptatur Erucæ peregrinæ nomen, quod nullatenus generice Erucæ convenit.

7. *Leucoium* montanum flore pedato, Col. Thlaſpi biſcutatum villoſum flore calcari donato, C. B. P. & 8. in Prod. Medium procul dubio genus inter Leucoium & Thlaſpi conſtituere videtur hæc planta, ſunt enim plantæ congeneres Leucoium & Thlaſpi recentiorum ſententiâ; noſtrâ autem diverſæ: magis vero Leucoiorum ſpeciebus accedit ex noſtrâ opinione, quam Thlaſpi, quia ſemine omnino iis aſſimilatur. Huic folia ſunt Napi modo circa caulem, ac etiam ab radice prodeuntia, ſuntque hirſuta, profunde inciſa, ex viridi candicantia, parum carnoſa, mollia, guſtu acriuſcula, linguam manſa diu vellicantia: flores in ſummo caulis hirſuti, craſſi, albicantes, & ex medio cohærentium alarum denſos profert, quorum inferiores primum dehiſcunt Leucoii ritu, colore luteo, minus ſaturo, tetrapetali ſeu quatuor foliolis conſtructi, apice inter brevia ſtaminula in medio prominente, utriculos habentes hirſutos, ut in Leucoio; ſed hiſce floribus accidit, quod binas appendices rotundas inanes demittant in inferna parte qua petiolo hærent: floribus emarcidis ſuccedunt capſulæ exigui clypeoli effigie in apicem deſinentes, lenticulæ ſiliquæ magnitudine: radix carnoſa,

noſa, longa pedem, candicans, lignoſa, ex dulci parum acris, minimi digiti craſſitudine. Maio floridam habuit Fabius Columna hanc plantam ex oppido vulgo *Filettino* dicto, in montibus Romanæ ditionis ortam, cujus flores & ſemina acria percepit eſſe ex guſtu; ſemen adhuc immaturum intra folliculos obſervare nequiit idem Columna, nec deinde altera ejuſdem planta in manus Columnæ pervenit, nec quivis poſt ipſum Columnam exactiorem hujus figuram exhibuit cum ſeminibus; veriori tamen familiæ cum Columna eandem nos adſcripſiſſe judicamus propter conformationem capſulæ Leucoio Patavino perſimilem.

8. *Leucoium* luteum Spanoſpermum, nobis. Thlaſpi luteum Spanoſpermon, Corn. Thlaſpi Spanoſpermon Americanum, Park. Inter innumeras herbæ Leucoii Thlaſpive differentias, quæ ab authoribus priſcis & recentioribus traditæ ſunt, nulla hactenus apparuit multitudine floſculorum abundantior hac nova ſpecie, quam impræſentiarum deſcripturi ſumus; tanta enim feracitate prægnat, ut trimeſtri ſpatio plus quam bis mille floribus ornetur, quamvis ſinguli flores diem ſolum unum durent, ac proinde Leucoium milliflorum dici meretur: verum cum nulla eſt hujuſmodi diverſitas, quæ non quamplurimos flores progignat, à quibus ſemen peltatâ capſulâ involutum pari numero poſtmodum oriatur, cumque poſt tot millia florum evanidorum perpauci in hac ſpecie apparent capſulæ ſeminales, ideo maluimus à paucitate ſeminum cum Jacobo Cornuti, atributi loco, Spanoſpermon appellare; vix enim in tota hac plantula quinque aut ſex capſulas reperias: flores ſiquidem infiniti apparent, relictis vero aridis petiolis quibus appendebantur (ut conſtat ex ipſius Icone) omnes fere decidunt inutiliter, capſulaq; una aut altera tantummodo ſparſim hic & illic ſpectatur: folliculi ſeu capſulæ ſunt craſſæ, turgidæ & ſublongæ, in mucronem deſinentes, & longis petiolis pendentes (quales pendent ſiliquæ Glaſti ſativi) in quibus ſemina concluduntur acri ſapore prædita: huic plantæ radix eſt durior, cui multæ fibrillæ hærent: folia ſunt digitali longitudine, initio admodum anguſta, humi ſparſa, & ſubpinguia, confertim geniculis adhærentia: cauliculi ſemipedales non ſine adnatis ramulis longiuſculis & capillaribus, foliis quidem vacuis, ſed mille floſculis luteis, tetrapetalis, oneratis. Sapor ſubacris Naſturtii vulgaris inſtar, qui leviter linguam pungit.

9. *Leucoium* clypeatum Serpilli folio, nobis. Thlaſpi clypeatum, Ionthlaſpi minimum ſpicatum lunatum, Col. Thlaſpi alterum clypeatum minus Serpilli folio, Ad. Lob. Thlaſpi minus clypeatum Penæ, Lugd. Hujus radix exigua, tenuis, & albicans, fibrillis aliquando diviſa invenitur: plures emittit viticulos tenues, aſperos, dodrantales ad ſummum, ſupinos, raro rectos, multicaules: folia illos circundant alternatim diſpoſita, candicantia, exigua admodum, duplo minora Thymi dicti durioris foliis: eſt omnium congenerum minima, aſperiuſcula, uno verſu quandoque diſpoſita. E medio vero viticulorum, qui aſpera hirſutie & candicante obducuntur, ad ſummum uſque capſularum ſeu folliculorum cartilagineorum, rotundorum, Lentis majoris ſeminis magnitudine, depreſſorum, veluti in longa ſpica diſpoſitorum, dependent flores uno etiam fere verſu penduli, è petiolis exiguis incurvis nutantes; minimum quatuor foliolis diviſum calycem habentes, oculos fere fugientes, qui flores antequam in clypeolos lunatos abirent, continebat: flores veluti in umbellulam confertos in ſummo ſemper habet exiguos, & omnium minimos, pallentes, quatuor petalis etiam conſtructos, qui ſtatim tot proferunt folliculos rotundos, hirſutos, quot fuerint floſculi, in medio parum ventricoſos, limbo circumductos, in ima parte veluti fiſſos Thlaſpios modo, qui perfecti paleæ colore fiunt, ab imo decidentes Maii fine: ſemen intus habent unicum rotundâ figura compreſſum, flavum. Plantulæ ſapor acris, Leucoii modo ſiccans. Lunatum Ionthlaſpi diximus, quia lunariæ Græcæ dictæ modo pendulos habet clypeatos folliculos, nutantes, & Ionthlaſpi ab effigie & affinitate, quam cum Leucoiis & Thlaſpi facie atque natura habere videtur. Rara & elegans plantula, nec ab aliquo ante Fabium Columnam deſcripta, quemadmodum plurimæ aliæ rariores. In montium radicibus & collibus ſoli orienti expoſitis, ſterilibus, frequens Anverſæ Valvenſium Aprilis menſis fine floret; & Maio ſemen perficit, tardius apud Septenrionales.

10, & 11. *Leucoium* biſcutatum aſperum Hieracifolium majus, C. B. P. Thlaſpi parvum Hieracifolium ſive Lunaria lutea Monſpelienſium, Ad. Lob. Thlaſpi clypeatum, Cluſ. Hiſt. & Pan. Thlaſpi majus clypeatum, Ger. Thlaſpi minus clypeatum, Tab. Hoc ipſum Leucoium biſcutatum Hieracifolium aſperum ex Creta Thlaſpi nomine Honorius Bellus miſit, quod foliis eſt minus aſperis, ſed tota planta incana eſt. Excelſa Æquicolorum frigidaque juga herbida, *Coruino* dicta, (ubi plurima Gentiana major vera lutea) incolit hæc herba, atque ab Iondraba Apula ſpicata florum ordine in umbellam fere compoſito differt, nec

minus

minus foliis majoribus oblongis, lutei Leucoii vulgaris proximis magnitudine, ſed minoribus, per ambitum magis ſinuatis, hirſutis, carnoſis, duris atque aſperis, è radice longa, nodoſa, ex pullo candicante, nervoſâ, ſicco ſapore, ſimul ex plurimis germinibus prodeuntibus Leucoii more; ex quibus caulis tenuis, hirſutus, pedalis, aliis quandoque raris interceptus foliolis, in cujus ſummo parum dividitur; flores veluti corymborum modo denſi, in umbellam diſpoſiti emicant lutei, majores Iondrabæ Apulæ ſpicatæ floribus, quibus ſuccedunt capſulæ læves, rotundæ, duplices, medio petiolo in apicem terminante, & ſepti medii vicem fungente, ipſaſque ſeparante, cui utrinque conjunctæ ſunt ſiliculæ rotundæ, compreſſæ, planæ, Iondrabæ ſpicatæ capſulis majores, in medio extuberantes; in quibus ſemina compreſſa, parva, flava, continentur Leucoiorum modo, bina ſcilicet hinc inde ſingulis capſulis ſepto medio junctis inſunt, ſapore etiam ſicco: folia guſtu ſubdulci, non acri. Auguſto hanc plantam floridam & ſemine refertam invenit Fabius Columna, quam Lunariam luteam Monſpelienſium & Leucoium marinum luteum Lobelius vocare videtur, ſed à Fabio Columna in Apenninis montibus Septentrioni oppoſitis lecta, & montana videtur & à mari trium dierum itinere abeſt, nec afflatum habet maritimum, nec maritima Iondraba Apula Cirinolæ foliis Leucoii nobis videtur, ſed potius Drabæ aut Thlaſpios ſpecies. Inſuper viſa fuit folliculis ſpicam adnatis non umbellæ modo diſpoſitis. Quare diverſas ſpecies non ſolùm varietate locorum, ſed partibus eſſentialibus diverſas naſci cenſemus. Invenitur in Valvenſium montibus in valle ſupra Anverſam præruptis umbroſis ſaxis juxta fluminis decurſum. Reperitur teſte Lobelio in pratis Monſpelienſibus ſecus Lanum amnem & Gramontium lucum. Hujus appingendam aliam ſpeciem majorem foliis & capſulis biſcutatis ex Columna curavimus, cujus capſulæ triplo Lobelii aliorumque authorum ſupra hic citatorum ſunt majores, nec rotundæ; planta tota magnitudine & foliorum diviſura eſt diverſa ab illa Lobelii aliorumque authorum. Conſule Icones quoad detur occaſio videndi utramque ſpeciem diverſam.

12. *Leucoium* biſcutatum aſperum minus, C. B. P. Iondraba Alyſſoides Apula ſpicata, Col. Lunaria lutea Dal^pii^, Lugd. Scutatas cum habeat capſulas hoc parvum Leucoium ſuperioris more duplices, ſepto medio ex petiolo continuato junctas, foliis autem Drabæ aſſimilis ſit, ut aliquam nominis privatam & peculiarem haberet differentiam, Iondrabam Alyſſoidem Apulam appellavit Fabius Columna, eo quod Violæ luteæ vel Leucoii lutei vulgaris ſit affinis floribus, non vero folliculis. Radice nititur admodum exiguâ, alba, ex qua folia è terra parum elata, ſed per terram ſtrata, hirſutie alba, denſa, tactu mollia, digitali latitudine majora, oblonga forma, nervulis craſſis, piloſis, ſcatentia; quorum aliqua circa petiolum radicem verſus laciniam habent, reliquum raris & magnis dentibus ſerrata: caulem è medio foliorum emittit rotundum, hirſutum, aſperiuſculum, pedalem aut paulo majorem, duabus aut tribus in ſummo alis diviſum, è foliolis multum anguſtioribus nec laciniatis prodeuntibus. Reliquum nudum, niſi prope humum duo vel tria hærerent folia; in ſummo floſculi emicant Sinapios modo, lutei, exigui, tetrapetali, quibus deficientibus ab imo paulatim loco implent folliculi duplices, rotundi, Lentis majoris ſeminis magnitudine, ſimul ex oppoſito interveniente ſepto medio conjuncti, ut in ſuperioris folliculis compreſſi, rotundi, parum hirſuti, qui omnes compactim in ſpicæ modum congeſti, & ſurſum elati apparent, atque Aprilis fine perficiuntur apud Meridionales, verſus finem æſtatis apud nos. Sapor plantæ totius parum acris. Calidarum indigena eſt hæc planta regionum, quemadmodum Apuliæ & Cirinolæ, in ſilva prope *Divi Rocchi Mezana* appellata, quia media eſt inter agros (ita enim ſilvas appellant intra campos ſitas) inter Pyraſtros, Oxyacanthas & Aſphodelos, quibus tota ea ſilva eſt referta.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Leucoium *frutex univerſus extergentem facultatem poſſidet, plus tamen flores, & inter hos qui ſunt ſicciores magis etiam quam virides, adeo ut oculorum cicatrices craſſas extenuent. Tum menſes eorum decoctum movet, & lochias; partum mortuum elicit, & ſi bibatur abortum facit. Eſt ergo id medicamentum, ut ſi quod aliud, amarum: ſemen cum ſit ejuſdem facultatis aptiſſimum eſt duarum drachmarum menſurâ potum menſibus ciendis medicamentum. Sed teſte Plinio minor vis eſt recentibus, ideoque acrius poſt annum eſt utendum. Inter omnia Leucoiorum genera, lutea calido temperamento prædita eſſe, præſertim arida teſtatur Tragus. Floſculi horum recentes in aqua decocti & poti contra vulvæ inflammationes valent. Succus oculis inditus purgat eoſdem, omneſque maculas & caligines diſcutit. Dein ſi è vino bibatur, non ſolum menſes,*

 ſed

ſed & ſecundinas & mortuos partus extrahit. Aqua diſtillata bis die pota quatuor aut quinque cochlearium menſurâ vitiis hepatis & renum conducit, & Venerem ſtimulat per aliquot dies continue uſurpata, omnia interna membra roborat, ſanguinem purgat & mentem exhilarat, dolorem ſedat, & quietem inducit. Cum melle ulcera oris ſanat, conſervat paralyticos. Meſues oleum de Keiri ex floribus Leucoii lutei conficit, ut Chamæmelinum, quod tenuat, digerit, ac ob id dolores thoracis, renum & nervorum ſedat.

Leucoium *majus lunatum annuum ſiliqua rotunda flore violaceo, nobis. Lunaria Græca, Lob. Caſt. Eſt guſtu calido, acri & amaro, teſte Lobelio, præſertim ſemina, radices tamen acetariis, ut Rapuntii radices manduntur, nec perinde ſunt acres, ut Crateuæ Thlaſpi radices traduntur. Abſtergit modice, calefacit, urinam cit ut Rapunculus. Semen tritum cum aquis appropriatis exhiberi epilepticis ſcribit Schwenfeldius.*

Leucoium *majus perenne ſiliqua oblonga mucronata, nobis. Lunaria Græca ſiliquis longis, Geſn. Hort. Hujus ſemen abſtergit & urinas provocat. Quidam in Helvetiis chirurgus ex Lunariæ perennis contuſis foliis parabat unguentum vulnerarium, non contemnendum. Pulvis ſeminis amariſſimus, cum aqua appropriata exhibetur in epilepſia Camerario aſſerente.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 201. col. 1. pl. 11. Leucoium maritimum ſinuato folio, C. B. P. Leucoium maritimum majus, Cluſ. Hiſt. & ibidem p. v. Leucoium maritimum candidum, C. B. P. Leucoium maritimum majus, Cluſ. Hiſt. Una & eadem planta a Caſparo Bauhino bis repetitur ſub pl. 11. & pl. v. quibus Leucoium maritimum majus Cluſii non poteſt eſſe ſynonymum bis repetitum.

Pag. 201. col. 2. pl. IV. Leucoium Creticum ſpinoſum incanum luteum, C. B. P. Leucoium Creticum ſpinoſum, Cluſ. Hiſt. Hæc planta creſcit ad cubitalem & majorem altitudinem, & in multos duros & lignoſos ramos ſpargitur, quos cingunt folia confertim, ex uno & communi pediculo quaſi naſcentia, incani & cineracei coloris, per oras nonnihil dentata; & ſparſim in ramis multi flores naſcuntur, non denſe ſed raro diſpoſiti, flavi, pentapetali, cum multis ſtaminulis purpureis in medio (eos autem ramulos initio ſatis tenellos gerit, paulo poſt tamen duri & ſpinoſi evadunt;) ſingulis prædictis floribus pentapetalis deciduis ſuccedunt ſingulæ capſulæ rotundæ, multa minuta in ſe continentes ſemina. Ex hac deſcriptione Caroli Cluſii a numero quinario petalorum in floribus non poteſt eſſe Leucoium, quippe ſiliquoſa tetrapetala planta; deinde floribus, quinis petalis conflatis, ſuccedunt capſulæ rotundæ, juncta foliorum textura, quæ lanugine ſeu quaſi cinere obducuntur; hæc inquam omnia arguunt non eſſe Leucoium ſaltem, ſed Verbaſci aut Blattariæ ſpeciem, cum nec flores gerit tetrapetalos, nec ſiliquas longiores, bivalves, non poteſt dici Leucoium, argumentando a notis genericis Leucoiis communibus & peculiaribus: ſit ergo Verbaſcum ſpinoſum aut Blattaria ſpinoſa, nunquam poteſt eſſe Leucoium. Inſuper flores ſunt integri in fundo, quinquefariam in margine diviſi, Blattariæ more, in quorum ſingulis Verbaſci aut Blattariæ modo conſpiciuntur quina filamenta rubra ſeu purpurea, quibus evaneſcentibus ſuccedunt capſulæ rotundæ; ſi addidiſſet Cluſius aut Pona ſiliculas ſeu thecas bicapſulares, tunc eſſet extra controverſiam Blattariæ ſpinoſæ ſpecies, quam ſeſe eſſe a floribus & capſulis rotundis probabiliter declarat, non autem Leucoium ſpinoſum.

Pag. 201. col. 2. pl. 1. Leucoium Alyſſoides clypeatum majus, C. B. P. Et ibidem pl. 11. Leucoium Alyſſoides clypeatum minus, C. B. P. & pl. 111. Leucoium incanum ſiliquis rotundis, C. B. P. cum ſint plantæ ſiliculoſæ, non debuere inter Leucoia ſiliquoſa diſponi, ſed inter ſui conſimiles ſiliculoſas, ergo lapſus eſt Caſparus Bauhinus.

Pag. 202. col. 2. pl. IX. Leucoium paluſtre flore ſubcæruleo, C. B. P. Gladiolus paluſtris, Cluſ. Cur. Poſt. Hæc planta ex deſcriptione Cluſii nullatenus accedit Leucoiorum familiæ, a fine ultimo, nec foliis, floribus aut capſulis ſeminalibus; ergo male a Caſparo Bauhino collocatur inter Leucoia; accedit Gladiolo, ſed manca eſt ejuſdem deſcriptio, nec enim bene enumerat petala florum, nec ſiliquas diſtinctis loculamentis apertas explicat Cluſius; ideo quid ſit, aut quo reduci debeat, in incerto relinquimus nos etiam; non eſſe Leucoium certo ſcimus. Examinent poſteri ad quorum manus pervenerit planta ipſa.

Pag. 200, 201, 202, & 203. Caſparus Bauhinus collocat Leucoium ſiliquoſum, Heſperidem ſeu Violam matronalem, & Violam lunariam, ſiliquoſas & ſiliculoſas tetrapetalas bivalves plantas, inter Violas tricapſulares & Lychnides unicapſulares, a quibus toto cœlo & floribus & capſulis differunt & Leucoia, & Heſperides, & Violæ lanariæ; remittantur ad ſiliquoſas tetrapetalas, ſicut nos præſtitimus, & tolletur lapſus Caſpari Bauhini, qui habita ratione nominis Violarum iiſdem non ſine injuria Leucoia, Heſperides, & Violas lunarias adjunxit.

SILIQUOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares.

CAPUT IX.

HESPERIS SEU VIOLA MATRONALIS.

V*IOLA dicitur Matronalis, quod à matronis in hortis colatur, apud Plinium l.* 21. *c.* 7. *Heſperis cenſetur, cum ejus flos noctu magis oleat, quod ſuæ Plinius tribuit, addens inde nomen inveniſſe.*

Heſperis, Viola Matronalis ſeu Damacena, eſt planta tetrapetala, Leucoiis valde accedens floribus tetrapetalis, ſed odore florum differt, præcipue ſiliquis & ſemine; ſiliquæ enim ſunt oblongæ, rotundæ, non compreſſæ ut Leucoiorum ſiliquæ, continentes ſemen oblongum figura, non autem planum, compreſſum, ut in Leucoiorum ſeminibus conſpicitur. Variat colore floris: eſt enim vel alba, vel purpurea; eaque vel flore ſimplici, vel pleno odoratiſſimo; vel eſt flore viridi & inodorato; vel Allium redolet quæ Alliaria Authoribus dicitur, nobis autem Heſperis Allium redolens.

Pars TABULÆ X.

Heſperis ſeu Viola matronalis
- *Hortenſis flore*
  - 1. *Simplici*
    - *Albo.* ☉
    - *Purpureo.* ☉
    - *Viridi.* ☉
    - *Inodorato, nobis. Heſperis ſilveſtris* 3^{ia}, *Cluſ. Hiſt.* ☉
  - 2. *Pleno* — *Odoratiſſimo*
    - *Albo.* ☉
    - *Purpureo.* ☉
- 3. *Montana flore pallido odoratiſſimo multis venulis ex atro purpureis diſtinctio, nobis. Heſperis* 1ma *& montana, Cluſ. Hiſt.* ☿
- 4. *Peregrina ſiliquis articulatis, C. B. P. Heſperis Syriaca, Cam. Cluſ. Hiſt.* ☿
- 5. *Saxatilis flore ex viridi purpurante ſiliquarum valvulis inter granum & granum conjunctis, nobis. Leucoium corniculatum ſaxatile obſoleto flore, Col.* ☿
- 6. *Sepiaria Allium redolens, nobis. Alliaria, Trag. Fuch. Dod. Lob. Lugd. Tab. Ger. Park. J. B. Chabr.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæ.

1. H*Eſperis* hortenſis, C. B. P. Heſperis 3ª. Cluſ. Hiſt. Icon. Leucoium Dioſcoridis album & purpureum Fuch. Icon. Viola matronalis, Dod. Geſn. Hort. Viola Damaſcena, Swert. Folia protrudit Heſperis à radice longa, ſubnigra, lata, per ambitum crenata: caules emittit cubitales & altiores foliis prædictis ſimilibus ſed minoribus ornatos: flores è ſummis alarum virgis erumpunt tetrapetali, Leucoiis perquam ſimiles, albidi aut purpurei, diluteve purpurei: ſemen in ſiliquis bivalvibus oblongis & rotundis gignitur parvum, oblongum, duplici ſerie proveniens, ſepto medio membraneo nutriente hinc unam, illinc alteram, colore in ruffo ſubnigrum: radices ſubſunt fibroſæ, in medio validæ. Naſcitur in hortis altero à quo ſata eſt anno, Maio & Junio menſibus potiſſimum, non raro per totam æſtatem flores ejus & ſiliquæ producuntur; hujus folia guſtu calida & acria ſunt, Erucæ aut potius Leucoii modo, cujus quidem ſpeciei videtur ſapore & facultate proxima. Semen acre fuſcum aut ſubruffeſcens. Erucam, Thlaſpi, aliaſque hujus claſſis ſiliquoſas tetrapetalas calidas & acres, guſtu omnino ſapit.

2. *Heſperis* hortenſis flore viridi ſeu abortivo, nobis. Hæc magnitudine quoad omnes ſui partes à vulgata differt, flore eſt viridi & inodoro. Hoc contingit quaſi ab abortu, loco peta-

lorum

lorum producit folia viridia, quod conſpicitur in Matricaria aliiſque plurimis.

Heſperis inodora, C.B.P. Silveſtris 3. Cluſ.Hiſt. Hæc adeo vulgari in omnibus ſuis partibus ſimilis eſt, ut ex utriuſque collatione vix diſcrimen conſpici poſſit; ſolo floris odore, cujus in hac nulla gratia percipi poſſit, differt. Excreſcit paſſim Viennenſi agro ad montium radices & vinetorum in collibus ſitorum margines. Floret cum vulgari, Maio nempe & Junio: dicitur Heſperis ſilveſtris.

3. *Heſperis* montana pallida odoratiſſima, C.B.P. Heſperis 1ma, Cluſ. Hiſt. 1ma & montana, Cluſ. Pan. Hæc cubitali excreſcit altitudine, multiſque ramis prædita eſt, quos confuſo ordine ambiunt folia Violæ matronalis hortenſis ſimilia, paulo tamen latiora & craſſiora, acidiuſculo primum guſtu, poſtea acri, & ſalivam ciente: extremis ramis in oblongis pediculis inſident flores, Leucoii aut Violæ matronalis hortenſis forma ſimiles, tetrapetali, non explicati ſed in ſe contorquentes, coloris admodum inelegantis & obſoleti, hoc eſt pallidi & furvi, infinitis venulis ex atro purpureis, ſingula petala intercurſantibus, odore interdum exiguo ut naribus vix percipi poſſit, ſub veſperam autem gratiſſimo & ſuaviſſimo; unicuique flori tetrapetalo ſuccedit longa, toroſaque, ut in vulgaris, ſiliqua, ferme tamen quadrangula, in qua duplici ſerie continentur ſemina (hinc inde ſepto membraneo medio valvulas ſeparante) Heſperidis vulgaris ſeminibus ſimilia, ſubruffa: radix fibroſa, quæ utplurimum biennium non ſuperat, ſed poſtquam defloruit & ſemen tulit perire ſolet: ſi tamen præciſis caulibus ad frugem non pervenire ſinatur, nova germina interdum producit. Variat ex ſemine nata; nonnulli flores maternum colorem retinent, alii aut dilutius palleſcunt, aut magis obſoletum acquirunt colorem, crebris venis ex atro purpuraſcentibus diſcurrentibus.

4. *Heſperis* peregrina ſiliquis articulatis, C.B.P. Heſperis Syriaca Camerarii, Cluſ. Hiſt. Leucoium melancholicum quibuſdam. Heſperis Syriaca, Rauwolfii. Hoc Heſperidis genus in Syriæ maritimis creſcit, cujus ſemen in Italiam allatum, deinde Viennam miſſum, plantas produxit Heſperide montana odorata multo vegetiores, ampliora habentes folia; craſſiores caules, majoreſque flores tetrapetalos, ejuſdem etiam cum Heſperide montana odorata coloris, id eſt colore fuſco & lucido multis venulis per eorum petala diſcurrentibus, ſub noctem valde odoratos, interdiu odoris expertes, quibus cornicula multo craſſiora, longa, toroſa, recurva, ſucceſſerunt, alioqui ſuperioris corniculis plurimum reſpondentia, ſemen itidem ſimile continentia, ſed paulo craſſius, quod matureſcere non potuit, quia tardius floruerunt plantæ. Altero etiam anno perire ſolet ejus radix.

5. *Heſperis* ſaxatilis flore ex viridi purpurante ſiliquarum valvulis inter granum & granum conjunctis, nobis. Leucoium corniculatum ſaxatile obſoleto flore, Col. Hujus radix craſſa, longa, foris pulla, intus alba eſt & nervoſa: caulis vero ſemipedalis, viridis, hirſutus, duabus alis diviſus, in quarum ſummo flores alternatim poſiti, Leucoio ſimiles, hirſutis calycibus exeuntes, obſoleti, colore ex luteo viridi-purpurante, parum odori; quibus ſiliquæ producuntur ferme trientales, hirſutæ, nodoſæ, corniculatæ, in terram reflexæ, ſex aut ſeptem, aliquando plura, ſemina intus habentes, ſingulis valvulis contenta, binæ ſunt Leucoii modo: folia in uno longo petiolo, diviſurâ Papaveris maritimi vel etiam Leucoii maritimi, in arenis orti, hirſuta, craſſa, veluti Hyoſcyami albi foliis ſimilia, ſed quadruplo minora, prope caulem latiora. Maio floret, & Junio ſiliquas perficit, in ſaxis & rupibus imo & vallis ſoli expoſitis. Sapore dulci calefaciente Raphani fere inſtar Tota planta odore gravi, non ingrato. Fabius Columna ſaxatile vocavit, quod in ſaxorum rimis, præſertimque vetuſtorum mœnium Campoclarenſium reperiatur, & ut aliquid propriæ & peculiaris diverſitatis exprimeret ſic deſignavit.

6. *Heſperis* Allium redolens, nobis. Alliaria, Trag. (cui & Thlaſpidium Cornutum) Fuch. Matth. Dod. Lob. Lugd. Tab. Ger. Park. J. B. Chabr. Ad Allii ſocietatem Herba hæc Alliaria dicta, formâ nullo modo Alliis congruens, ſed omnino differens & diverſa eſt, ſolo odore ab authoribus pertrahitur & ad ipſorum genus refertur, atque ab Allii odore Alliaria dicitur, ſiquidem contrita tota planta Allium omnino redoleat. Folia autem huic lata ſunt, dilute virentia, & ſubrotunda, ambitu inciſa, ac in acutum mucronem deſinentia: caulis tenuis cubito altior, circa cujus ramulos ſuperne gignuntur floſculi candidi, tetrapetali, quibus ſuccedunt ſiliquæ tenues, parvæ, oblongæ, in ſe ſemina exigua, nigra, duplici loculamento continentes, ſepto medio membraneo ſeparata: radix oblonga, tenuis, duriuſcula. Prope hortorum ſepimenta, veteres muros, ſecus vias, vel ad pratorum margines frequenter ſponte ſua provenit. Flores hujus Maio aut præcipue Junio vigent; ſemen paulo poſt perficitur; Martio aut Aprili folia ad condimenta adhibentur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Heſperidis *ſeu Violæ Matronalis ſuccum è floribus expreſſum, cum aliis, in ſyrupo magiſtrali Comitiſſæ præſcribit Weer de Scorbuto. Sunt autem Violæ matronalis folia guſtu quidem acria ac calida, Erucæ, cujus videtur ſpecies Dodonæo, ſapore & facultate proxima. Matronalem porro Violam tuſſi, convulſis & difficulter ſpirantibus mederi traditur apud Cluſium, urinas inſuper & ſudores propellere, incidere, abſtergere & digerere. Semen acre fuſcum aut ruffeſcens, Erucam, Leucoium, Thlaſpi, guſtu omnino ſapit, idcirco iiſdem affinis viribus putatur Viola Matronalis.*

6. Heſperis *Allium redolens, nobis. Excalefacit ac ſiccat Alliaria, ſed multo minus quam Allium. Alliaria dicitur, eo quod folia digitis comminuta Allium ſeu Porrum ſectivum cum Naſturtio ſativo redoleant quibuſdam, Thlaſpidium ſecundum Crateνæ: aliis Alectorolophos Plinii l. 25. c. 5. Alliaria urinam cit, teſte Ruellio, ſi recens in potu teratur; ſicca in vino coquitur ad ſerpentum ictus, ad venena omnia efficax; in roſionibus ſtomachi, dyſenteria, contumacibus urinis, ex mulſo duobus denariis datur bibenda, lentam pectoris craſſitiem digerit. Contra veterem tuſſim, & cum reſina & melle ſicca lingitur. Podagras acri aceto circumlitas mulcet. Impoſita menſes excitat. Ulcera vetera purgat, & ad cicatricem ex melle perducit. Recentia quoque vulnera cogit farinæ Alliariæ conſperſûs. Vis huic plantæ calefactoria & deſiccatoria, verum non adeo vehemens, ut in Allio. Attamen hinc certo colligi poteſt, quod ea craſſos humores extenuare & lentos incidere valet. Semen Emplaſtri modo impoſitum, vulvæque admotum, mulieres ſtrangulatu liberat & excitat. Herbam in oleo & aqua decoctam & potam, aſthmaticis ſubvenire ſcribit Camerarius. Sunt qui Dodonæi teſtimonio folia enematis incoquunt, quæ vel ad coli, vel nephriticos dolores injiciuntur, in quibus non modo flatus inſigniter diſcutere, ſed ex calculo dolores mitigare ac ſopire feruntur. Excalefacit autem & reſiccat ſecundo ordine intenſo, tertio autem remiſſo. Alliaria ſingularem vim ac proprietatem, qua putredini adverſatur habet, eademque ulcera putrida ac ſordida abſtergit & mundificat, minore tamen cum efficacia, quam verum Scordium. In exſiccata herba parum facultatis & virium remanet: idcirco eam in fine Aprilis aut ineunte Maio colligi, & poſtquam per diem unum aut alterum in umbra fere exſiccata, aut minutim incidi, aut continue in mortario & prelo ſuccus exprimi ſolet, qui in vitreis ampullis ſuperfuſo pauco oleo etiam in annos tres reſervatur: idem quoque ſuccus ſartagini infuſus lento igne inſpiſſari poteſt, & ad eundem uſum in multos annos reſervari. Succus ſive ſimplex ſive inſpiſſatus unguentis cataplaſmatiſque inditur ad gangrænam, aliaque ulcera putrida, ſordida, ac maligna, uti in tractatu Fabricii Hildani de Gangræna & Sphacelo videre eſt. Abſtergit enim, ut antea monitum, mundificat & putredini reſiſtit: parumque à vero Scordio diſcrepat.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 102. col. 2. p.* VI. *Heſperis peregrina ſiliquis articulatis, C.B.P. Leucoium Syriacum, Cam. Hort. Heſperis Syriaca Camerarii Cluſ. Hiſt. Leucoium melancholicum quibuſdam. Heſperis Syriaca Rauwolfii ab hac non videtur aliter differre, quam quod ſtrigoſior ſit, quod forte ratione loci contingit. Male dicitur hæc Heſperis peregrina eſſe ſiliquis articulatis, cum ſit ſiliqua longa donata, binis valvulis conflata: nam ſiliqua articulata dicitur, quando per internodia exſiccata ſiliqua ruptu eſt facilis, & in ſingulis internodiis ſeu articulis unicum continetur ſemen, quod non conſpicitur in Leucoio Syriaco, Cam. Cluſ. Hiſt. Ergo male nominatur Heſperis ſiliquis articulatis a Caſparo Bauhino.*

Pag. 110. col. 1. Alliaria, C. B. P. Tragi Fuch. Matth. Dod. Lob. Tab. Ger. Park. J. B. Chabr. Male ab omnibus authoribus hic citatis denominatur Alliaria, quia Allium redolet: cum enim nota ejus generica ſit habere ſiliquas bivalves, bicapſulares & longas, ſuccedentes floribus tetrapetalis albis, debet generice ad Herbas ſuæ claſſis ſiliquoſas tetrapetalas reduci, non autem collocari ante Cochleariam, eique aſſociari, cum Cochlearia ſit planta ſiliculoſa, Alliaria vero ſiliquoſa: deinde odor non facit ad genus conſtituendum, ſed ſpeciem determinandam; cumque generice propius accedat Heſperidum claſſi, Heſperis a nobis dicetur, & odor Allii inſerviet ad talem Heſperidum ſpeciem deſignandam, & ſic aptius Heſperis Allium redolens, nobis dicitur, generice, mea opinione.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
CAPUT X.
DENTARIA.

D*ENTARIA à radicis forma & colore nominatur, quæ candidiſſima ex pluribus ſquamis, quaſi dentibus componitur; quibuſdam Coralloides & Alabaſtrites: ſunt qui ad Violas referant: alii inter Solidagines & Symphyta: alii inter Saxifragias: alii inter Saniculas recenſent: An Ceratia Plinii l.* 26. *c.* 8.

Dentaria eſt planta ſiliquoſa tetrapetala bicapſularis, quæ nota hac peculiari à cæteris ſuæ claſſis diſtinguitur, quod radices producat tuberoſas per juxtapoſitionem, adinſtar Iridis latifoliæ, aut ex pluribus ſquamis dentes albos referentibus, & ſibiinvicem inſtar tot tegularum incumbentibus, conſtructis. A numero foliorum pediculis innitentium dividitur in triphyllon, pentaphyllon & enneaphyllon; denique eſt Ptarmicæ folio, aut præter ſiliquas quas producit bivalves, inſuper bulbilos fert, potius dixerim ſoboles tuberoſas, ex quibus terræ commiſſis novellas producit plantas; atque hiſce notis primo in genere differt à cæteris omnibus ſiliquoſis tetrapetalis bivalvibus, & ſpeciatim, tam foliis, quam productione ſobolum in alis, facile inter ſe cognoſcuntur ſpecies.

Pars TABULÆ X.

Dentaria:
1. *Triphyllos, C. B. P. Dentaria* τρίφυλλος 5. *Cluſ. Hiſt. Dentaria coralloide radice, Ger. Dentaria trifolia, Tab.* ⊙
2. *Pentaphyllos, C. B. P. Dentaria VI.* πεντάφυλλος 1. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
3. *VII* πεντάφυλλος 2. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
4. *Heptaphyllos, C. B. P. Dentaria VIII.* ἑπτάφυλλος, *Cluſ. Hiſt. & Pan.* ⊙
5. *Heptaphyllos ſobolifera, nobis. Dentaria baccifera, Cluſ. Hiſt.* ⊙
6. *Sobolifera foliis Ptarmicæ, nobis. Anguſtifolia baccifera peculiaris, Eyſt.* ⊙

Explicatio partis Tab. decimæ.

1. D*Entaria* triphyllos, C. B. P. Dentaria τρίφυλλος 5. Cluſ. Hiſt. Dentaria trifolia, Tab. Dentaria coralloide radice, Ger. Ceratia Plinii. Hæc Dentaria 1ª caulem profert pedalem, firmum, rotundum, lævem, quem in ſummo fere ambiunt terni pediculi (rariſſime plures) ſinguli terna folia ſuſtinentes ampla, mucronata, in ambitu ſerrata, ſaturate virentia, guſtu fervido; ſummum caulem exornant quini aut ſeni flores, tetrapetali, Dentariæ heptaphyllæ æmuli, deorſum ſpectantes ſeu propendentes, colore ex herbaceo palleſcente: flores ſic conſtructos ſequuntur longa cornicula, toroſa, mucronata, qualia ſunt Dentariæ pentaphyllæ & heptaphyllæ cornicula, id eſt duabus valvulis conſtantia, duplicem ſeriem ſeminum ſepto medio dirimente ſeu ſeparante: ſemina Heſperidis fere ſimilia, ſed craſſiora, atque vireſcentia, quæ deſilientibus ſiliquarum valvulis exiliunt, antequam probe maturentur: alia præterea folia à radice profert, terna tantum in ſingulis oblongis pediculis naſcentia, ſuperioribus multo ampliora, ſed breviora: radix novella alba eſt, & vetuſta nigreſcit, multis articulis quaſi per juxtapoſitionem commiſſa & diſtincta, ut etiam ex pluribus dentibus coagmentata videatur, Dentariæ ἄφυλλος radici non valde abſimilis. Exit in umbroſis Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Pannoniæque ſilvis, non modo ad montium radices, ſed etiam circa mediam earum regionem, ubi præaltarum arborum ſilvæ utplurimum in Alpibus hujuſmodi deſinere ſolent. Inveniebat Carolus Cluſius etiam ultra Dravum in monte *Greben* imminente, cum quarto genere bulbifero, ac etiam in Hyrcinia ſilva Bohemiam ambiente. Floret Aprili in vicinis Viennæ Auſtriacæ ſilvis, & aliis humilioribus. Semine prægnans eſt Maio, at in montibus tardius floret, & ſemen ſuum perficit.

2. Den-

2. *Dentaria* pentaphyllos, C. B. P. Cam. Ger. Dentaria VI. πεντάφυλλ☉, Cluſ. Hiſt. Secundæ huic noſtræ à radice nodoſa & in plurimos articulos diſtinctâ, tenuibus aliquot fibris ex articulorum interſtitiis prodeuntibus donata, exeunt aliquot folia longis pediculis nixa, in quinque profundas, & ad pediculum uſque ſectas lacinias, in ambitu crenatas diviſa, ſcabra & tactu aſpera, ſaturate virentia; caulis pedalis & amplior, rotundus, quibuſdam ex intervallo foliis ſuperiore parte donatus, ſummo faſtigio quinos aut ſenos flores Dentariæ bulbiferæ floribus ſimiles gerens, colore tamen magis ſaturate purpuraſcente, quales fere Violæ latifoliæ non vivacis, quam nonnulli Lunariam Græcam appellant, quibus ſuccedunt longiora cornicula, ſemine quale habent quarta & quinta Cluſii plena. Reperitur ad Allobrogicarum Alpium radices, ſupra Lemanum lacum ſponte naſcens, teſte Cluſio. Floret eodem tempore cùm præcedenti.

3. *Dentaria* VII. πεντάφυλλ☉, 2. Cluſ. Hiſt. Hujus radix magis eſt dentata, ſeu inæqualibus pluribus & craſſis ſquamis, quemadmodum fere Dentariæ majoris 1mæ. Cluſii radix, exaſperata, & raris fibris inter illas naſcentibus prædita; ex qua prodit caulis rotundus, pedalis, in quo per intervalla prima folia longo pediculo ſubnixa, longa, in ambitu ſerrata, molliora quam in ſuperiore, neque adeo ſaturate viridia: flores in ſummo faſtigio Dentariæ VI. πενταφύλλȣ Cluſii floribus perſimiles, quatuor videlicet petalis in ſingulis floribus Leucoii florum inſtar conſtantes, colore ſextæ Cluſii non diſpari. Hæc VII. Cluſii, tertia nobis, Mechliniæ naſcens obſervabatur in cultiſſimo horto Johannis Brancionis, ex Allobrogibus accepta, quam à radice dentata Dentariam appellavit Matthiolus.

4. *Dentaria* heptaphyllos, C. B. P. Dentaria VIII. ἑπτάφυλλ☉, Cluſ. Hiſt. & Pan. Viola dentaria altera, Dod. Dentaria major, Cæſ. Dentaria altera, Tab. Alabaſtrites altera, Lob. Quarta hæc noſtra aliquot à radice protrudit folia, maxima ex parte ſeptena, longæ coſtæ inhærentia, foliorum Fraxini inſtar digeſta, hoc eſt ut ex adverſo bina ſemper reſpondeant & folium impar extremam alam occupet; omnia in ambitu ſunt ſerrata, dilutius virentia quam ſextæ Cluſii folia, & ſubtus candicantia: caulem etiam pedalem, rotundum, binæ aut ternæ foliorum alæ, iis quæ à radice prodeunt non diſſimiles, ornant: ad ejus autem faſtigium naſcuntur flores ſuperiorum floribus pares, tetrapetali, candidi tamen coloris: cornicula ſuccedunt etiam paria, ſimile ſemen continentia: radix minus ſquamata quam ſeptimæ πενταφύλλȣ ſecundæ Cluſii, & quintæ τειφύλλȣ fere reſpondens: & hujus & illius radix conſtat tuberibus per juxtapoſitionem conſtructis adinſtar Iridis latifoliæ, non autem ſquamis diſtinctis ut ſeptima Dentaria πεντάφυλλ☉ ſecunda Cluſii.

5. *Dentaria* heptaphyllos ſobolifera, nobis. Dentaria baccifera heptaphyllos, C. B. P. Dentaria baccifera, Cluſ. Hiſt. & Pan. Dentaria bulbifera, Lob. Icon. Cam. Ger. Dentaria ſeptifolia, Ger. non emaculati. Hæc oblonga ſerpit radice dentata quidem, ſed veluti ex multis nodis conſtante, alba, interdum etiam purpuraſcente, ſubinde ex lateribus novas propagines generante, ingrato & primum ſiccante guſtu, deinde acri, ex cujus lateribus prodeunt oblongo pediculo (qui ſecundum terram purpuraſcit, poſtea viridis eſt) inhærentia folia, ſeptena, terna, ſcilicet ex oppoſito coſtæ adhærentia uno impari ſeptimo extremum coſtæ claudente; omnia ſunt crenata: ex medio radicis emergit caulis ſuſtinens quaternos, quinos, flores tetrapetalos, Leucoii aut Heſperidis florum quidem æmulos, ſed minores, quatuor petalis albis, aut ex candido purpuraſcentibus, præditos: quibus ſuccedunt ſiliquæ ſeu cornicula, Sinapi corniculis ſimilia, breviora tamen, bivalvia, ſepto medio pellucido duplicem ſeriem ſeminum dividente, quæ unà cum ſuis pediculis marceſcentia plerumque decidunt & pereunt, nonnunquam tamen craſſeſcunt, & matura ſemen ferunt Heſperidis ſemini fere par quod diſſilientibus corniculis excutitur, ſed præter id ſemen quod in ſiliquis fert, ad ſingulorum fere foliorum, quæ caulem ambiunt, alas, ſeu exortum, tubercula quædam adnaſcuntur, bulbulis Lilii cruenti illius quod Martagon bulbiferum vulgo appellatur haud abſimilia, ac veluti è ſquamis compacta, initio viridia, deinde pulla, ingrati admodum guſtus, quæ facillime diſcutiuntur & præmatura ſponte decidunt, terraque ſepulta novellas plantas gignunt. Reperitur hoc genus in omnibus Germaniæ ſilvis montanis. Nam meminit Carolus Cluſius eruiſſe bulbulis ſuis onuſtum anno 1548. in ſilvis Haſſiæ non procul *Markburgo*. Reperitur & in Miſnia. Florere ſolet Aprili. Bulbuli nigricantes Maio conſpici ſolent, alarum cavis inter folia & caulem inhærentes.

6. *Dentaria* baccifera foliis Ptarmicæ, C. B. P. Dentaria anguſtifolia baccifera peculiaris, Hort. Eyſt. Radice conſtat oblique procedente, multis carnoſis, dentatis, ſubalbicantibus articulis coagminata, indeque propagines fundit, atque caulem unum aut alterum erigit ro-

 tundum

tundum, lævem, cubitalem, circa quem arcta ſede articulatim folia longa, lævia, Ptarmicæ modo tenuiter ſerrata, in acutum mucronem finientia porriguntur, ſaturati viroris, ac juxta exortum ſingulorum in geniculis ipſis ſoboles, ſeu improprie magis loquendo bulbuli craſſe ſquamati, ſubobſcure purpuraſcentes. Flores in cacumine emicant tetrapetali, albidi, faſciculatim diſpoſiti, floribus Leucoii lunati Bulbonach ſeu Violæ Lunariæ Græcæ dictæ conſimiles. Semina non vidit Beſlerus (author Hiſtoriæ Eyſtettenſis) in corniculis; ſed cornicula conformia, & ſemina paria, compreſſa ſunt, qualia conſpiciuntur in Dentaria baccifera Cluſii ut conjecturam facit prædictus author. A nullo præter ipſum edita eſt hujus Icon.

TEMPERAMNTUM & VIRES.

Nullas Dentariarum facultates comperit Car. Cluſius præter iſtas, quas Viennenſes mulierculæ Dentariæ bacciferæ attribuunt, nempe quod ejus radicis decoctum pueris tormina patientibus propinatum utile credant, unde nomen ab illis plantæ inditum, & quas Matthiolus Dentariæ pentaphyllo adſcribit commentariis in Dioſc. l. 4. cap. de Symphyto meminit, nempe in potionibus ad enterocelas uterinaque vulnera, præſertim ad ea quæ thoracis cavitatem penetrarunt, radices prodeſſe.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 322. Dentaria male collocatur à Caſparo Bauhino inter Caryophyllatam & Epimedium Pœoniamve, cum quibus nullam habet affinitatem. Eſt enim planta ſiliquoſa tetrapetala bivalvis; ergo debet amandari ad conſortes ſuas plantas, Leucoia & Heſperides, quippe ſiliquoſas tetrapetalas bivalves, pag. 202, & 203.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
CAPUT XI.
CHELIDONIUM MAJUS.

Χελιδόνιον *Dioſcoridi l. 2. c. 211. cui* χελιδὼν, *id eſt hirundo avis, nomen impoſuit: vel quod hanc herbam primum invenerit, oculis pullorum excæcatorum viſum hac reſtituens, ut ex Dioſcoride Plin. l. 25. c. 8. refert: vel ut idem l. 8. c. 27. Chelidoniam viſui ſaluberrimam hirundines monſtravere, vexatis pullorum oculis eâ medentes: quibuſdam ſic dictum, quod in hirundinum adventu floreat, & diſceſſu marceſcat. Apud Theophraſt. 7. Hiſt. 14. Hirundinariam Gaza vertit.*

Genera duo Dioſcoridi & Plin. l. 25. c. 8. majus, & minus, quæ cum figura & natura multum differunt, de minore Sectione quartâ agemus.

Chelidonium majus eſt planta ſiliquoſa tetrapetala bivalvis, at non bicapſularis, quia deſtituitur ſepto medio membraneo dirimente duos verſus ſeminum, & hac notâ à cæteris omnibus tetrapetalis ſiliquoſis prædictis quam facilime diſtinguitur: inſuper à ſucco luteo ſeu aurantiaco ex qualibet parte ejuſdem rupta emanante diverſum omnino genus à cæteris prædictis ſeſe monſtrat. Quod ad Chelidonium minus authorum, non eſt hujus loci; quippe quum ſit Ranunculi ſpecies, de ipſo inter Ranunculos Sectione quarta tractabitur. Chelidonium majus ſiliquoſum tetrapetalum bivalve, non autem bicapſulare, eſt. Vel eſt Americanum aut Canadenſe, vel noſtras; hoc trifariam nobis dividendum venit à latitudine vel anguſtia foliorum. De Chelidonio majore tetrapetalo ſiliquoſo Americano primo loco dicetur, deinde de Chelidonio majore noſtrate, ejuſque diviſione à foliis deſumptâ.

Pars TABULÆ XI.

Chelidonium
- *1. Maximum Canadenſe* ἄκαυλον, *Cornut. deſcr. Canadenſe* ἄκαυλον, *Park. pag.* 617. *deſc. & eidem Ranunculus Virgineus albus cum figura pag.* 326. ⊙
- *Majus noſtras*
  - *2. Vulgare, nobis. Chelidonium majus vulgare, C. B. P. Cluſ. Park. Majus, Dod. Ger.* ⊙
  - *3. Majus foliis quernis & flore laciniato, nobis. Majus foliis quernis, C. B. P. Majus laciniato flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - *4. Foliis tenuiſſime diſſectis Fumariæ Myconis inſtar, nobis.* ⊙

Explicatio partis Tab. decimæprimæ.

1. CHelidonium maximum Canadenſe ἄκαυλον, Cornut. deſc. Chelidonium maximum Canadenſe acaulon, Park. deſcriptione pag. 617. eidem Ranunculus Virgineus albus cum figura pag. 326. Egregia hæc planta, ſive Americana ſive Canadenſis nominetur, per paucis conſtat foliis, longis pediculis ex radice originem trahentibus, amplis, rotundis, glaucè virentibus, & Vitium foliorum modo laciniatis: radicem habet carnoſam, ut & folia ſucco flavo aut aureo virus quoddam olente turgida; ſi quælibet ejus pars rumpatur, illico prædictus ſuccus emanat, quemadmodum ſuccus albus, aut lacteus diſtillat ex Tithymalorum aut Ficuum, multarumque aliarum herbarum partibus ruptis aut abſciſſis. Succum inquam ſuffundere aureum, ſolis Chelidoniis majoribus inter ſiliquoſas bivalves familiare eſt. E radice immediate oritur pediculus brevis, tenuis, ſubrubens, ſuſtinens flores albos, ex plurimis petalis conflatos veluti Cyclaminis flos; brevi pediculo exit, unde ei nomen ἀκαύλου. Huic Chelidonio deflorεſcenti ſupervenit ſiliqua bivalvis craſſior ſeu ſpiſſior ſine ſepto medio continens multa ſemina, majora ſeminibus noſtratis Chelidonii majoris. Appoſite ſatis illi Chelidonii nomen inditum, cum à ſucco aureo pari emanante ex partibus ruptis, tum etiam à ſiliqua bivalvi, non bicapſulari; porro, quod hirundinum adventu floreat. Provenit ſponte in America occidentali, ſive in Virginia, ſive Canada, unde ſemina ad nos delata, quibus propagata ejus ſoboles abundanter ſatis in hortulo ſuburbano Gulielmi Walker non longe à palatio *Divi Jacobi* ſito, in vico ejuſdem nominis *Jacobeo* dicto.

2. *Chelidonium* majus vulgare, C. B. P. Cluſ. Hiſt. Park. Majus, Matth. Trag. Fuch. Tur. Geſn. Hort. Dod. Ad. Lob. (cui & Hirundinaria major,) Cæſ. Lugd. Tab. Ger. Hujus Chelidonii majoris cauliculi cubitales, graciles, teretes, geniculati, ac nonnihil hirſuti, in nonnullas alas diſtribuuntur: folia plurima alata, in ambitu crenata, coſtæ mediæ adhærent, Ranunculi hortenſis foliorum æmula, majora tamen, teneriora ac læviora, cæſio colore virentia: in ſummis cauliculorum faſtigiis brachiatis apparent floſculi lutei, tetrapetali, cum ſtaminulis ejuſdem coloris, Leucoii ſimiles: ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ parvæ bivalves, quod notatu dignum, ſine ſepto medio diſterminante hinc inde ſemina, ut videre eſt in prædictis omnibus hujus Sectionis bivalvibus: in hiſce ſiliquis bivalvibus apertis apparent ſemina multa ſublutea: radix brevis, intus foriſque Croci colore, fibras à grandiore radice concolores etiam demittit. Tota herba graveolens eſt, & quacunque parte læſa aut vulnerata ſuccum lutei coloris acrem mordacemque ac nonnihil amaricantem ſuffundit. Locis gignitur incultis ſecus vias, in ſummis murorum calce conſtructorum, in vepribus & circa veteres muros calce ædificatos, melius & felicius in umbroſis quam apricis proveniens. Toto anno viret, ab Aprili menſe in multam æſtatem floret; ſiliquæ interea perficiuntur. Dicitur χελιδόνιον non quod ab adventu χελιδόνων, id eſt hirundinum, demum proveniat, aut abeuntibus illis pereat, nam uti diximus toto anno virens reperiri poteſt, ſed quia excæcatis pullis hac herba matres reſtituere viſum in opinione ſit, ſed tamen vana & à veritate aliena.

3. *Chelidonium* majus laciniato flore & foliis quernis, C. B. P. & Prod. Majus laciniato flore, Cluſ. Hiſt. Majus laciniatum, Park. Majus folio magis diſſecto, Ger. Chelidonium folio laciniato, J.B. Chabr. Hoc à vulgari majore Chelidonio non differt nec formâ, nec magnitudine; ſola varietas deprehenditur in foliis, quæ tenella & longe tenuiter inciſa ſunt, & floribus qui ejuſdem cum vulgari coloris, flavi videlicet; tetrapetali enim, non quatuor petalis ut in vulgari integris in flore, ſed per oras laciniatis, conſtant: his ſuccedunt longa cornicula ſatis craſſa, abſque tenui membrana ſeparante ſemina, ſicut in prædicto vulgari majore, nigro ſemine ſplendente plena. Tota æſtate floret & ſemina perficit, quemadmodum vul-

vulgare; ſemine ſponte deciduo ante brumam renaſcens. Vulgare Græcis dicitur χελιδόνιον μέγα, Latinis Chelidonium majus ut dictum, officinis Chelidonia: hoc tertium nominari poteſt Chelidonium majus multifido folio.

4. *Chelidonium* majus foliis tenuiſſime diſſectis Fumariæ Myconi inſtar, nobis. Solâ foliorum minuta diviſione ſeu inciſione differt à foliis quernis donato, nam flores fert laciniatos itidem, quare ex ſemine Chelidonii foliis quernis donati creditur eſſe degener planta, quia ſemen ex Chelidonio hoc foliis tenuiſſime diviſis collectum, & à me ſatum, Chelidonium foliis quernis laciniato flore produxit, atque priſtinam recuperavit & formam & figuram quoad omnes ſuas partes, quod indicat eſſe tantum luſum naturæ, nam oportet ſemper eodem modo ſe habeat ad diverſam ſpeciem conſtituendam.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Chelidonium *evidenter calefacit & deſiccat, ordine quidem tertio, atque ſimul valde extergit: ſuccus herbæ ad viſum acuendum utilis eſt, abſtergit enim & diſcutit craſſa, quæ circa oculi pupillam hærent aciem obtundentia, & quidem, ut Dioſcorides ait, in aureo vaſe cum melle decoctus: radix regio morbo medetur, & præſertim citra febrim ex fellis obſtructione nato: aperit enim, & ab infarctu veſicam felleam & jecur liberat. Manducata eadem radix dentium dolores ſedare fertur: prodeſt & ulceribus cum vino ſuccus è foliis, caule radiceque ineunte æſtate, inquit Dioſcorides, extrahendus, atque in umbra ſiccatus in paſtillos digeſtus. De Chelidonio minore hoc experiebatur Car. Cluſius, hujus ſuccum in lævia quæcunque vulnera recentia inſtillatum eadem ſanare.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 144. Caſp. Bauhinus collocavit Chelidonium & Fumariam pag. 143, & 144. inter Conſolidam regalem & Aquilegiam & Nigellam, quæ nec floribus nec ſiliquis conveniunt cum ſiliquoſis tetrapetalis bivalvibus; ergo ἀμέθοδος fuit ipſe Caſp. Bauhinus, nec obſervavit regulas affinitatis & cognationis, dum disjungendas jungit, & ſeparandas conjungit, ut hoc in loco plantas, a fine ultimo diverſas, conjungit.

Carolus Cluſius in deſcriptione Chelidonii majoris laciniato flore & foliis quernis ſic ait, ſemine ſponte deciduo ante brumam renaſcens, & ipſius ſuccum conſervans; nam ſingulis annis producto ſemine perire arbitror, *cujus contrarium cernitur: nam durat in multos annos, & ſingulis annis ſemina copioſe ſatis edit. Et paulo ante, ibidem,* floribus deciduis ſuccedunt longa cornicula craſſiuſcula, tenui membrana diviſa, *inquit idem doctiſſimus & ſolertiſſimus Cluſius; fallitur hic etiam Cluſius, nam nullum conſpicitur ſeptum medium, nec in hujus neque majoris vulgaris Chelidonii ſiliquis corniculiſve, ut cuilibet intuenti & obſervanti clare apparebit.*

SILIQUOSÆ
Bivalves, & aliæ, variæ ſiliquis, floribus autem inter ſe conformes.

CAPUT XII.

FUMARIA ſive CAPNOS.

FUMARIA, Καπνὸς *Dioſcoridis l. 4. c. 110. ideo ſic dicitur, quod herbæ ſuccus oculis inditus, inſtar fumi oculos moleſtando, lachrymas moveat. Genera: Dioſcorides unius flore purpureo meminit: at Plin. l. 25. c. 13. Capnos duplex eſt; prima quæ Pes gallinaceus vocatur, & altera Capnos fruticoſa; illam Fumariam bulboſam, hanc vero Capnon Dioſcoridis cenſemus.*

Fumariam propter affinitatem in ſiliquis bivalvibus ſine ſepto medio cum Chelidonio huc inſeruimus. Pro nota generica hanc habebit, quod omnes Fumariæ flores producant ſimiles, etiamſi capſulas ſuas ſeminales diverſo modo conſtructas edant plurimæ. Omnium Fumariarum flores conveniunt, cujuſcunque ſint magnitudinis aut coloris; omnes enim Fumariæ habent flores rictu donatos anterius, cum calcari obtuſo poſterius, & multis modis variant quoad capſulas ſeminales; ſunt enim vel ſiliquoſæ bivalves, quarum ſiliquæ ſunt longæ & pendulæ, vel minores rotundæ erectæ, vel ſemine Lini ruffo aut fuſco; ratione radicum vel donan-

donantur radice fibroſâ, vel tuberoſâ: ratione durationis vel ſunt perennes, vel annuæ. Omnes autem Fumariæ propter foliorum ſimilitudinem & diſpoſitionem, & florum omnimodam conformitatem, inter ſe conveniunt: flores enim pediculis ex medio pendulos habent, quibus ſuccedunt diverſiformes ſiliquæ ſeu capſulæ ſeminales, continentes etiam ſemina diverſiformia, quæ ſunt vel pellucida, nigra, vel viridia, ruffa aut fuſca, vel denique ſemine Lini: de quibus omnibus ſingulatim infra dicemus in hoc capite.

TABULA XII.

- *Fumaria*
  - *Siliquis bivalvibus*
    - *Radice*
      - *Fibroſa latifolia*
        - 1. *Rubra ſempervirens, nobis. Fumaria ſiliquoſa ſemper virens, Cornut.* ⊙
        - *Alba*
          - 2. *Humilior ſine claviculis, nobis.* ⊙
          - 3. *Altior claviculata, nobis. Fumaria claviculis donata, C. B. P.* ☿
        - 4. *Lutea montana, nobis. Fumaria lutea montana, Ad. Lob.* ⊙
      - *Tuberoſa latifolia*
        - 5. *Inſipida, nobis. Fumaria tuberoſa inſipida, Cornut.* ⊙
        - *Radix cava dicta, flore* 6.
          - *Rubro.* ⊙
          - *Albo.* ⊙
        - *Radix non cava dicta, flore*
          - 7. *Viridi.* ⊙
          - 8.
            - *Rubro.* ⊙
            - *Albo.* ⊙
  - *Siliquis non bivalvibus curtis*
    - *Major vulgaris*
      - *Latifolia*
        - 9.
          - *Rubra.* ☿
          - *Alba.* ☿
        - 10. *Altior flore incarnato, media parte intenſe rubra, nobis.* ☿
    - *Minor*
      - *Anguſtifolia*
        - 11. *Vulgaris, nobis. Minor tenuifolia, C.B.P.* ☿
        - 12. *Cretica floribus candidis fuſcâ maculâ notatis, nobis. Salterays, Palud.* ☿
        - 13. *Semine Lini, nobis. Fumaria Myconi, Hiſt. Lugd.* ☿

Explicatio Tab. decimæſecundæ.

1. F*Umaria* ſiliquoſa ſempervirens, Corn. Fumaria Americana ſiliquoſa ſempervirens, Park. In America ſeptentrionali duæ Fumariæ ſpecies naſcuntur: altera ſemper viret; altera autem elapſo vere diſparet, tametſi viva radix ſub terra adoleſcat, & tecta terræ tepore propagetur donec ſequenti anno repullulet; quo fit, ut prior ſpecies videatur Fumariæ noſtratis ſortis & conditionis, cujus tam frequens in medicina eſt uſus: tuberoſam vero referamus ad eam Fumariæ ſpeciem, quam herbarii Radicem cavam appellant. Prima itaque ſiliquoſa recta ſurgit, caule pedali, rotundo, glabro, tenui, velut cinere aſperſo, qui leviore tactu facile defloreſcit: in foliis cæſius lævor, & diviſura ſimilis vulgari, amplitudo tamen eſt major, rectâ enim aſcendit, nec procumbit; folia brumale tempus non metuunt: cauliculi alatim pullulant; floribus in apice ſpicantur Radicis cavæ ſimilibus, colore autem diverſis; horum enim canaliculus carneo, os autem ſeu rictus patulus fulvo aut aureo ſplendet colore: floribus fatiſcentibus ſuccedunt ſiliquæ longæ unciales & ſeſquiunciales, falculæ in modum ab initio contortæ, poſtea rectæ pendentes & flaveſcentes maturæ: in quibus latent ſemina plurima Milii ſeminum modo compreſſa, rotundiora tamen, nigra, una ſerie ſine ſepto medio membraneo ipſa ſeparante, quemadmodum in Chelidonii majoris ſiliquis obſervatur, atque illis inter omnes ſiliquoſas tetrapetales herbas ſolummodo hoc convenit: radix hujus eſt fibroſa, & Fumariæ vulgaris radice majus capillata. Planta hæc acris, amaræ ſimul qualitatis eſt particeps, unde efficacius eâ quæ deſcripta eſt à Dioſcoride urinam ciere poteſt,

ſimul-

ſimulque bilioſos humores educere: dentibus attrita & ore diutius contenta ſalivam promovere conſuevit; ſucco oculorum caliginem diſcutit: itaque in medicamenta oculorum addi poteſt, ut vulgaris Fumaria. Fumaria Latine, Græcis Καπνὸς dicitur, à fumo, inquit Plinius, de lacrymationem facit ſeu fumus, ſi oculis ejus ſuccus inſtilletur.

2. *Fumaria* ſiliquoſa bivalvis radice fibroſa latifolia perennis humilior ſine claviculis flore albo, nobis. Hæc plurima protrudit folia lata, glauca, ex albido colore dilute virentia, ex quorum gremio exeunt cauliculi dodrantales, gerentes in cymis ſpicatim plurimos floſculos albos, magnos ſatis, forma cæterarum ſuæ ſortis Fumariarum; quorum ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ bivalves ſemina quina, ſena, in ſe continentes ſplendide nigra: radix eſt perennis, fibroſa, ſeſe poſt ſemina ad maturitatem perducta perpetuans ex ſeminibus deciduis, ſinguliſque annis novos cauliculos protrudit & diu durat. Semina hujus nobis fuere communicata ab Alexandro Balam ex Mauritana Tingitania, ubi ſponte creſcere obſervavit idem citatus Alexander Balam.

3. *Fumaria* claviculis donata, C. B. P. Fumaria latifolia alba capreolis donata, nobis. Fumaria latifolia alba, Park. Hiſt. Lugd. Fumaria cum capreolis, J. B. Chabr. Fumaria alba latifolia, Ger. Fumaria altera, Dod. Capnos altera Belgica flore albo, Cluſ. Hiſt. Capnos alba latifolia & Splith album quorundam, Lob. Hæc variat à cæteris, foliis latioribus, ſed & aliquando paulo anguſtioribus: floribus eſt aut albis ſeu ὠχρολεύκοις & aliquando dilute admodum rubentibus. Eſt hæc Fumaria admodum tenella herba, ſed altior quam vulgaris: cauliculos profert perquam tenues, & circa eos folia perquam exigua, in ambitu non inciſa: claviculas habet parvas, tenuiſſimas, quibus prope aſſiſtentibus adhæret, ac ſeſe affigit: floſculi circa faſtigia ὠχρόλευκοι, ſeu nonnihil albidi & dilute admodum rubeſcentes, ſuccedentibus exiguis, ſemiuncialibus ſiliquis, pendulis, bivalvibus, in quibus ſemen nigrum, lucidum, continetur: radix tenuis uti vulgaris, altius tamen in terram deſcendit. Tota herba è viróre albicat, uti Fumaria vulgaris, cujus non modo colorem, ſed & ſaporem refert. Provenit circa ſepes, ſenticeta, agrorum margines quoque, & quandoque prope veteres muros exit: præcipue ad ſilvæ margines ſupra Greenvitch ſitæ, cui nomen Cherleton-wood impoſitum eſt. Ex recentioribus nonnulli hanc Fumariam Splith vocant, ac Corydalem herbam eſſe exiſtimant, cujus mentionem facit Galenus l. XI. de Simpl. medicam. facul. ubi Corydalis avis facultatem refert; at Corydalis herba Fumaria hæc claviculata apparet, quæ inter nothas voces Corydalion nuncupata reperitur. Plinii vulgaris Capnos potius eſſe videtur, quam Pedes gallinaceos vocari refert: nam hæc Capnos altera Plinio eſt, ſiquidem Plinius Capnos duas deſcribit l. 25. c. 13. Prima ait, quam Pedes gallinaceos vocant, naſcens in parietinis locis ac ſepibus, ramis tenuiſſimis ſparſiſque: flore purpureo viridi ſimilis & nomine & effectu, ſed alia eſt Capnos fruticoſa prætenera, folio Coriandri, cinericei coloris: flore purpureo; naſcitur in hortis & ſegetibus hordeaceis.

4. *Fumaria* lutea montana, Park. Ad. Lob. (cui & Chelidonium Capnites Ætii) Lugd. Fumaria lutea, C. B. P. Ger. Fumaria Split, J. B. Chabr. (quibus eſt Delphinii figura, illi pag. 203. Tom. III. huic pag. 378.) Fumaria Corydalis quibuſdam Split, Matth. Multas edit hæc radices craſſiuſculas, magnas ſatis, & quaſi pingues adinſtar Aſparagorum radicum: ex quibus oriuntur cauliculi cubitales in multos alios ramos brachiati; quibuſque adnaſcuntur folia, confuſe ſatis diſpoſita, Thalictri pratenſis anguſtifolii more, ſed minora: in ſummis caulibus proveniunt ſpicatim flores lutei cæterarum ſuæ claſſis Fumariarum formâ, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ bivalves, curtæ, propendentes, parvum itidem ſemen, uti cæteræ, gerentes. Provenit in calidiorum regionum montibus Illyrii, Dalmatiæ, Hetruriæ & Narbonæ: ſerius floret quam vulgaris, nempe Julio & Auguſto.

5. *Fumaria* tuberoſa inſipida, Cornut. Bulboſa Americana, Park. Hæc eſt ſpecies altera Fumariæ Americanæ, tuberoſæ, quæ inſipida ideo appellatur, quod guſtanti & olfacienti omnis pene ſaporis & odoris expers eſſe percipiatur: folium huic ramoſum & veluti pennatum naſcitur tam tenui diviſura, quam eſt Juniperi folium; ejuſdem eſt coloris cum reliquis Fumariis; pediculi ab radice ad folia uſque dilutiſſime purpuraſcunt: radix in duo tubercula rotundatur, quæ geminum veluti teſticulum repræſentant, villis complurimis, ſicuti adnata pube veſtitum, ac radix fere ſimilis eſt Satyrio, quod ab eadem radicis figura Cynoſorchidem nominant authores: de flore nihil ſtatuo, non plus quam Jacobus Cornuti, nec dum apud Gallos meo tempore floruerat, etiamſi plantam ipſam vigentem apud Johannem Robinum conſpexerim multis abhinc annis, eum tamen ex Veſpaſiano Robino intelligebam eſſe album. Hæc ex Canadenſi ſolo delata, cuilibet apparet eſſe Fumariæ ſpecies a radice tuberoſa

beroſâ adinſtar radicis non cavæ: nam Fumariæ ortûs tempus, radicum formam, & foliorum diviſuram poſſidet.

6. *Fumaria* tuberoſa major radice cava, C. B. P. Fumaria bulboſa, Lugd. Fumaria altera, Matth, Caſt. Radix cava major, Dod. Cluſ. Hiſt. Radix cava major purpurea, Ger. Radix cava vulgaris, Park. Majori huic Fumariæ, radice cava præditæ, folia ſunt Coriandri modo diſſecta, tenuia, dilute virentia, cæſio videlicet Aquileiæ foliorum colore, quorum formam aliquatenus referunt, minora tamen: pediculi tenues, teretes, leves, palmum longi, ſupra quos ſuperiore parte floſculi ordine digeſti, longi, cum rictu anterius, & calcari poſterius veluti in corniculum deſinentes, Linariæ quodammodo floribus conformes, dilute in rubro purpuraſcentes, nunc ſubalbidi: ſemen in folliculis ſeu ſiliquis curtis, latiuſculis, planis exiguiſq;, nigrum, parvum & ſplendens apparet: radix tuberoſa, inferiore parte ſeſſilis & excavata adinſtar dimidiati putaminis Juglandis; caro tuberoſa, dum recens ſublutea, ubi exaruerit in virore nigricans, guſtu cum amaritudine auſtera. Provenit in ſilvis & montibus calidiorum regionum, uti Hetruriæ, Galliæ Narbonenſis, & Gallo-provinciæ. Floret ineunte Vere, exeunte ſcilicet Martio & ineunte Aprili. Eſt major & minor; huic folia anguſtiora, illi latiora, quæ ſolummodo loci ratione differunt.

7. *Fumaria* Radix cava flore viridi dicta Lobelio, nobis, J. B. Chabr. Radicem adſcribit Tabernæmontanus tuberoſam, integram, rotundam, Fumariæ radice non cava majorem, quæ deorſum verſus multis donatur fibris: folia item Radicis majoris non cavæ ſimilia, caulium ſummitatibus innaſcuntur foliola parva, diſſecta, & quaſi trifida; inter quæ flores prodeunt colore virides, in quorum locum ſubveniunt ſiliquæ curtæ, bivalves, Radicis cavæ & non cavæ ſiliquarum formâ. Provenit ſerius quam Radix non cava vulgaris, & flores luteos, & luteovirides, aliarum more, Julio & Auguſto edit, & folia glauca, cluentia, hiſce floribus intermixta habet. Viâ quæ ducit Florentia Piſtoiam & Lucam, hanc Fumariam flore viridi reperêre quidam: in illis locis, nec in monte Juliano ullibi obſervare poterat Lobelius; hanc eandem foliis glaucis & floribus albis repererunt quidam periti Botanici tempore Lobelii.

8. *Fumaria* tuberoſa minor Radice non cava, nobis. Fumaria bulboſa minor radice non cava, C. B. P. Radix cava minor, Dod. Caſt. Cluſ. Hiſt. Ger. Fumaria bulboſa radice ſolida calcari & folio criſtato donata, J. B. Chabr. Hæc Fumaria radice non cava pediculis purpuraſcentibus, oblongiſque floſculis, ſiliquulis & ſemine, majori ſimilis eſt, humilior tamen, & in omnibus minor: radix hujus tuberoſa, rotunda, integra, non cava in inferiore parte, verum ſolida & globoſa verticilli ſpecie, colore ſubluteo, ſapore cum amaritudine adſtringente. Exit hæc circa ſepes, & vepres, & ad agrorum & vinearum margines humilioribus locis & umbroſis, ſolo pingui lætoque, in utraque Germania, Gallia, ſed nullibi frequentius nobis in Gallia occurrit, quam primo lapide à capite Blæſenſium, in ſilva cædua dicta *le Coſte de Claille*, ubi copioſe flore rubro apparuit, perraro albo. Hoc in multis aliis herbis contingit degenerare floribus à rubro in album frequenter. Radix cava major Belgis frequentior.

9. *Fumaria* vulgaris latifolia ſiliquis curtis non bivalvibus, nobis. Fumaria officinarum Dioſcoridis, C. B. P. Fumaria, Trag. Matth. Fuch. Dod. Fumus terræ, Brunſ. Thal. Fumaria, purpurea & alba, Ger. Fumaria latifolia hæc vulgaris, eſt herba valde tenera, cujus cauliculi ſunt tenues admodum, genicula habentes, ramoſi, vix ſurſum attolluntur niſi adminiculis fulciantur, ſed in latus utplurimum declinant; adminiculis autem appoſitis quibuſlibet, pedunculorum ope in altum attolluntur: folia undiquaque exigua ſunt, per margines diviſa, veluti Coriandri folia, quæ ſimul cum cauliculo ſubcandido colore virent: flores ſpicatim digeſti exigui circa ramulorum faſtigia ex purpura rubent, cum rictu anterius, & calcari poſterius; aliquando albeſcunt: quorum ſingulis ſingula ſuccedunt vaſcula rotunda, minutula, at in ſingulis ſemen parvum continetur: radix tenuis recte demittitur. In agris frumentariis inter hordea poſt meſſem apparet, etiam in hortis ac vineis aliiſque locis, tam cultis quam incultis naſcitur. Floret ab ineunte æſtate, & per totam æſtatem uſque in Autumnum, & ſemen maturat. Cum in flore reperitur, tunc colligi, & reficcari, ac reponi in uſum oportet.

10. *Fumaria* major ſcandens foliorum pediculis flore majore pallidiore, nobis. Hæc omnibus ſuis partibus major eſt quam vulgaris latifolia. Florem fert ſatis magnum, incarnatum, cujus media pars eſt intenſe rubra: folia habet dilutius albicantia, quorum pediculi vicinas ſtirpes aut quælibet adminicula aſtantia apprehendunt, eodem modo quo Naſturtium Indicum (nam claviculas ſeu viticulas capreolosve non habet) alias humi provoluta cernitur. Radix ei eſt fibroſa, qualis vulgari ſupra dictæ.

11. *Fumaria* vulgaris minor tenuifolia, nobis. Fumaria minor tenuifolia, C. B. P. Fumaria

 tenui-

tenuifolia, Tab. Ger. Eyſt. Capnos tenuifolia, Cluſ. Hiſt. Lob. Dodrantalis eſt herbula hæc, cauliculis mollibus quodammodo tranſparentibus, ut in vulgari Fumaria, firmioribus tamen & ſurrectis, aliquando procumbentibus; quibus inhærent folia mollicella, capillacea & tenuiſſime inciſa fœniculi modo, vulgaris foliis candidiora magiſque glauca: ſummos cauliculos exornant ſpicæ majuſculæ floſculorum purpuraſcentium, vulgaris Fumariæ floribus minorum, & confertim naſcentium: radicem habet exilem; tota vero planta amara eſt. Invenitur pleriſque Hiſpaniæ locis in arvorum marginibus, juxta vias etiam, & ſemitas; in nonnullis etiam Narbonenſis Galliæ tractibus obſervavit Carolus Cluſius, præcipue ſupra Arelatem cum Marſilea per eam urbem rediret. Nos copioſiſſime oſtendimus in arvis Napis ſatis, circa villam dictam *Vaugirard* milliari à ſuburbiis Divi Germani ſitam. Flos hilari purpura rubet, eſt & flore variegato rubro, albo viridi & luteo; imo flos totus albus aliquando eſt.

12. *Fumaria* minor folio oblongo capillaceo, C. B. P. Capnos Cretica candidis floribus fuſcâ maculâ notatis, Cluſ. Hiſt. Salterays Paludani, ex Syria miſſa. Fumaria altera tenerior Syriaca, Cam. Minus eſt hoc genus ſemine ex Creta allatum, nec minùs ſucculentos habet cauliculos vulgari, anguloſos, teneros, procumbentes: folia minutim inciſa & capillacea, ut ſuperior Hiſpanica, ſed duriora: flores confertim in oblongiuſcula ſpicâ naſcuntur extremis ramis, vulgari floribus ſimiles, ſed candidiores deorſum ſpectantes, extremam vireſcentem partem occupante fuſca macula: illis ſuccedit ſemen quale in vulgari Fumaria, quod mature deciduum radices tenues & flaveſcentes producit. Annua eſt planta ut vulgaris. Junio Julioque floret, atque ſubinde ſemen profert, quod ſponte cadens novellas plantas producit in ſequentem annum.

13. *Fumaria* minor tenuifolia præcox ſemine Lini, nobis. Fumariæ ſpecies Myconi, Lugd. Fumariam hanc diverſam ab omnibus prædictis pictam ad Dalechampium miſit doctiſſimus vir D. Myconus quæ ſic deſcribitur: folia ejuſdem per terram ſtrata cernuntur cinerea, glauca potius, tenuia Fœniculacea, brevia, inter quæ producuntnr cauliculi multi, quadrati, cavi, geniculati, ſurculoſi, palmum alti, quibus folia tenuiſſima adhærent: in cauliculorum faſtigiis flores multi ſpicæ in modum congeſti ſunt, Fumariæ vulgaris omnino ſimiles ſed minores, atque ſinguli purpureo eleganti candido & viridi colore variegati. Floret exeunte hyeme, unde præcocis meretur nomen: floribus ſpicatim in ſummis caulibus productis, ſuccedunt ſpicatim in paleaceis capſulis ſemina multa Lini ſeminis figura & colore, quæ incipiunt matureſcere ab imo ad ſummum ſpicarum, & decidunt ſeu gravitate defluunt ex capſulis ſuis paleaceis (ſemine perfecte maturo) deorſum verſus propatulis: radicem habet candidam, non profundam: floret cito exeunte hyeme, ſi ex ſemine deciduo æſtate repullulet, ſi autem ſeratur in hortis Aprili & Maio, floret per totam æſtatem, ſemine Lini ſeminis inſtar diciduo ſeſe renovans. Facile diſcernitur à Fumaria, Capnos tenuifolia dicta, quod hujus ſemina ſint capſulæ rotundæ vulgaris ritu, illius autem adinſtar ſeminis Lini, cùm figura, tum colore. Figura Fumariæ Myconi, Hiſt. Lugd, perfecte plantam repræſentat, etiamſi prædictæ duæ ſpecies poſtremæ diſtinctæ inadvertenter à Caſparo Bauhino aliiſque authoribus confundantur, ut apparebit in Hullucinationibus ad finem hujus capitis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Fumariæ *ſuccus, authore Dioſcoride, acris eſt, viſum acuit, lachrymas prolicit, unde & nomen traxit. Illitus cum gummi duplicatos palpebrarum pilos evulſos renaſci prohibet. Cæterum herba in cibo ſumpta, bilem per urinas trahit. Eadem plane de poſteriori ſua Fumaria Plinius habet l. 25. c. 13. claritatem facit inunctis oculis, delacrymationem ſeu fumus provocat, unde denominationem accepit cum apud Græcos, tum apud Latinos: eodem teſte eadem evulſos palpebrarum pilos renaſci prohibet. Et l. 27. c. 7. Capnon herbam qui edêre, bilem per urinam reddunt, Galenus 7. Simpl. non alias qualitates vireſque ei aſſignat his verbis: acris ſimul & amaræ qualitatis particeps eſt, nec tamen expers eſt acerbæ; quamobrem urinam multam bilioſamque provocat, ſanatque jecinoris obſtructiones & debilitates. Succus ejus oculorum aciem acuit, non parum trahens lacrymarum, veluti ipſe fumus, nam hinc ei (uti dictum) appellatio indita. Arabes multò plures eaſque inſignes dotes attribuerunt. Fumaria inquit Meſues l. 2. Simpl. c. 14. in ſuperficie calida eſt, in profundo frigidior, non abſolute frigida, cum quibuſdam ſicca ordine ſecundo: ab illa autem ſubſtantia calida (quæ ſemini major ineſt) amara & ſubacris, purgatoria, & attenuans, obſtructa aperiens. A frigida autem qualitate ſtiptica conſtringendo ventriculum, hepar & cætera viſcera laxiora & molliora roborat, quapropter ad actionem*

actionem nullo extremo egit auxilio, cum per ſe purget ac roboret. Purgat vero bilem & aduſtos humores etiam ex venis; clarum ob id purumque efficit ſanguinem. Quare mire prodeſt morbis omnibus hos humores ſequentibus, nempe lepræ, ſcabiei, pruritui, impetigini, ſerpigini & ſimilibus cutis vitiis; quia autem obſtructa liberat, morbos omnes inde natos ſanat, ut febres bilioſas, putridas. Herba eſt innocens, quia tamen magna ubique copia luxuriat, vileſcit. Herba & ſuccus ejus Veris initio efficaciſſima; ſemen vero exitu Veris, & ineunte æſtate. Decoctio Fumariæ adhibito Fæniculo obſtructiones hepatis aperit, perque ureteres urinam ducit. Seplaſiarii ex eâ ſyrupum conficere ſolent, qui medetur ſcabiei & malis puſtulis. Succus vel aqua Fumariæ diſtillata oculis inditus, illorum caliginem, ſcabiem, & rubedinem diſcutit emendatque. Succus Fumariæ cum ſucco Lapathi acuti, modico aceti & mellis temperatus ita ut unguentum fiat, omnis generis ſcabiem perſanat illitu. Conſervantur flores ſaccharo melancholicis affectibus & cachecticis ſalutares.

Fumaria *tuberoſa, Radix non cava dicta, ad internas plurimas affectiones adhibetur. Sunt enim qui radicem ejus in pulverem redactam, adverſus venenum & peſtem in vino bibendam exhibeant: cum vino calefacta pota, ſi poſtea in lecto te componas probe contectum, ſudores potenter elicit. Eadem urinam trahit, & ad morbum facit regium pota. Semen tuſum ac ſumptum quotidianis profluviis auxiliatur authore Trago. Ut vero Lobelius ſcribit, facit ad vermes & maligna ulcera. Radix ejus amara, exceſſu ſecundo calida & ſicca. Digerendo, abſtergendo, & defluxionem inhibendo, anginis & laryngis tumoribus gargarizatu prodeſt, pituitamque abſtergit. Eadem fere Dodonæus tradit: Radix cava, inquit, anginas tumoreſque inveteratos amygdalarum curat, ſi eâ in aqua ſola aut aceto facta decoctione os gargarizetur: humores craſſos incidit & diſſipat. Prodeſt & tumoribus palati & gingivarum inſperſus ejuſdem pulvis. Cum unguento populeo conſumit hæmorrhoidas, earumque dolores ſedat. Hæc Fumaria Ariſtolochia rotunda dicitur Camerario, cum enim habeat in radice & foliis acrimoniam, eamque levem quidem, ſi genuina Ariſtolochia rotunda deeſt, ſine diſcrimine eâ utitur Fuchſius ad omnia ea ad quæ vera uſurpatur; majori commendationi eſt minor apud Chirurgos & mulomedicatrices mulierculas, quæ iſtius pulverem efficaciorem & delicatiorem ad Lumbricos interimendos prædicant. Radices Fumariæ tam cavæ, quam non cavæ, Tabernæmontani calidæ ſunt in ſecundo gradu, ſiccæ in tertio; abſtergunt cum nonnulla aſtrictione; radix, flores & tota herba, quomodocunque uſurpata, in cibo, etiam & potu hepatis obſtructionibus efficaciter medentur. Succus ex herba, radicibus & floribus expreſſus, duarum unciarum pondere potus, expellit vermes. Idem præſtat radix in vino ſumpta, minore quidem doſi junioribus propinanda. Succus dicto modo mane & veſperi adhibitus, cancro, fiſtulis, cæteriſque putridis ulceribus medetur; vuluti Fumaria etiam utiliter propinatur. Cæterum hæc, ut Fumaria vulgaris, ſanguinem purificat. Omnes hæ Fumariæ prædictæ, quandoquidem eâdem teſſerâ ſeu ſymbolo à natura afficiantur, proculdubio earundem ſunt virium ſecundum magis & minus: hæc eſt regula certa & utplurimum infallibilis à natura data, non variante finem ipſâ. De cæteris facultatibus Fumariæ vulgaris vide Simeonem Pauli pag. 63. claſſis ſecundæ operis Botanici quadripartiti.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 143. col. 1. pl. 11. Fumaria viticulis & capreolis plantis vicinis adhærens, C. B. P. Fumaria Phragmites, Dod. Gal. Hæc ſunt ſynonyma cum Fumaria claviculis donata, C. B. P. col. 2. pl. VI. Fumaria Phragmites Dodonæi, Hiſt. Lugd. & altera Cæſ. eſt vulgaris abſque capreolis; ergo dupliciter lapſus eſt Caſp. Bauhinus dum ex duabus diſtinctis ſpeciebus, vulgari ſcilicet & Fumaria claviculata, unam & eandem ſuam ſecundam in Pinace conſtituit ſpeciem: inſuper non ſolum confundit Fumariam vulgarem & claviculatam pro ſecunda ſua ſpecie, ſed etiam addit ſuam ſecundam pro ſpecie diſtincta, quæ revera non eſt, & ſic multiplicat entia ſine neceſſitate.

Pag. 143. col. 2. pl. 111. Fumaria major tenuifolia, C. B. P. Tenuifolia, Cluſ. Hiſt. Hæc eſt vulgaris inſtar a ſeminibus & capſulis eadem continentibus; foliis autem fæniculaceis & tenuiter diviſis, glaucis, ſeu ſola foliorum capillaceorum diviſura & glauco eorundem colore differt; capſulis ſeminalibus & ſemine cum vulgari convenit. At Fumaria Myconi, Hiſt. Lugd. toto cœlo capſulis & ſemine Lini diſtinguitur; ergo male Caſparus Bauhinus confundit pro una & eadem ſpecie Fumariam tenuifoliam minorem ſuam ſeu Capnon tenuifoliam Cluſ. Hiſt. cum Fumaria Myconi Hiſt. Lugd. Hæ duæ a capſulis ſeminalibus & ſeminibus ſunt duæ perfecte diſtinctæ ſpecies, ut clare ſatis ex dictis patet cuilibet prædictas ſpecies examinanti. Nec minus Tabernæmontano vitio vertendum eſt, quem ſequitur Gerardus non emaculatus, dum Radicis cavæ majoris octo conſtituit ſpecies, quatuor rubras, totidem albas. Deinde Lobelius Fumariam viridi flore radice cava obſervavit, & appellavit Radicem cavam flore viridi, at in Iconibus proponit figuram tuberoſam, integram, rotundam; ergo jure debet appellari Fumaria radice non cava flore viridi, non autem Fumaria radice cava flore viridi.

Pag. 144. col. 1. pl. 11. Fumaria bulboſa radice non cava major, C. B. P. & ibidem col. 2. pl. 111.

Fumaria radice non cava minor, C. B. P. Cum hæ duæ Fumariæ ſint tantum varietates, ætate, aut loco, florumve colore diſcrepantes, non ſpecies diſtinctæ; ergo pro duabus diverſis ſpeciebus non debent a Caſp. Bauhino cæteriſque authoribus poni. Porro male conſtituit Caſparus Bauhinus Fumariam & Chelidonium affines, quippe ſiliquoſas bivalves, inter Delphinium & Aquilegiam quæ ſunt diverſæ omnino naturæ, habita ratione florum & ſiliquarum; nam Delphinium & Aquilegia debent adjungi Aconito, Nigellæ, Fraxinellæ, Helleboro albo, & nigro, & cæteris explicandis infra Sectione decima.

SILIQUOSÆ

Tetrapetalæ fungoſæ, non bivalves nec bicapſulares.

CAPUT XIII.

§. 1. RAPHANUS ſeu RADICULA.

Ῥάφανις (*quaſi radix perſpicua*) *Dioſcoridi l. 2. c. 137. poſterioribus dicitur* ῥάφανος παρὰ τὸ ῥαδίως φαίνεσθαι, *quia ſatum ſtatim oriatur. Theophraſtus utraque voce uſus eſt, ſed quem Raphanum vocamus, ipſe* ῥαφανίδα *appellavit, at* ῥάφανον *ipſam Braſſicam nominavit; quæ cauſa erroris fuit Plinio, dum l. 19. c. 15. ſcribit Græcos Raphani genera tria feciſſe, foliorum differentia &c. quæ de Braſſica intelligenda, cum ex Theophraſto 7. Hiſt. 4. deſumpta ſint. Latinis radix (* ῥίζα *Theoph.) quod cæteras amplitudine corporis ſuperet, vel quam pauciſſimis magnitudine cedat: ſiquidem in frigidis locis quibus gaudet, ſicuti in Germania, infantium puerorum magnitudinem æquet l. 19. c. 5. teſte. Sic in regno Congiano, craſſitudine humanæ tibiæ, gratique ſaporis ſponte provenire, Pigafettus in ejus Regni deſcriptione l. & cap. 1. teſtatur: alias copioſiſſime in India provenire aſſerit Linſc. par. 4. Ind. orientalis 10. par. 7. cap. 19. & part. 8.*

Genera duo Dioſcoridi, ſativum & ſilveſtre: at Theophraſto ſex, Corinthium, Cleonæum, Lithothalaſſium, Bæotium, & genus quod foliis Erucæ ſimilibus conſtat; hæc Theophraſti Plin. l. 19. c. 5. Naporum nomine recenſet, poſterius genus ſilveſtre ſtatuens: at ibidem ex Romanorum ſententia, inquit, noſtrates Raphani alia fecere genera, Algidenſe à loco, longum atque tranſlucidum, alterum Rapi figura, quod vocant Syriacum, ſuaviſſimum fere ac tenerimum &c. etiamnum ſubjungit unum ſilveſtre, Græci ἄγριον *vocant, noſtri Armoraceam,* de qua ſupra capite ſeptimo inter ſiliquoſas bivalves, præditas ſepto medio duplicem ſeriem ſeminum ſeparante. *Quare obſervavimus alium præcocem, ſerotinum alium: præcox corpore eſt oblongo, gracili, ſemine majore, in quod facile abit. Serotinus albus, qui vel oblongus, vel orbicularis: niger, qui rotundus, rarius oblongus, ſiliquis quidem majoribus, ſed ſemine minore, ruber, oblongus, cortice rubro, fibris nonnullis rubentibus, per ſubſtantiam diſperſis. Radice lutea Camerarius notavit: meminit & Byzantini, ſemine Conſtantinopoli accepto, qui poſtea in communem degenerarit, radice penitus langueſcente.*

Raphanus ſativus ſeu Radicula ſativa pro nota generica hanc habeto, quod ſit planta tetrapetala: hoc illi cum omnibus aliis hujus Sectionis commune eſt: ſed ab aliis omnibus diſtinguitur, quod non producat ſiliquas bivalves, ſed fungoſas, craſſas, indiſcriminatim plurima ſemina majora, rubra, in ſe continentes; & ideo nos, propter florem tetrapetalum cum aliis hujus Sectionis communem, ſiliquam autem fungoſam ſine ſepto medio omnino à reliquis diverſam, Raphanum ſativum ad finem ſiliquoſarum bivalvium plantarum collocavimus.

TABULA XIII.

Raphanus
- *Niger*
  - 1. *Rotundiore radice, Park. Major orbicularis vel rotundus, C. B. P.* ☿
  - 2. *Radice longa pyramidali, nobis.* ☿
- *Sativus*
  - 3. *Magnus, C. B. P. Raphanus ſativus, Fuch. Lugd.* ☿
  - 4. *Minor oblongus, C. B. P. Raphanus minor purpureus, Lugd. Lob.* ☿

Rapha-

- *Raphaniſtrum*
  - *Siliquâ articulatâ*
    - *Glabrâ*
      - 1. *Longiore*
      - 2. *Breviore*
      - (1, 2) *Rapiſtrum alterum arvorum, Park.* ☿
    - *Striatâ*
      - 3. *Minima, nobis. Alſine nodoſa Dalechampii, Lugd.* ☿
      - 4. *Minore, nobis. Rapiſtrum flore albo ſtriato, J. B.* ☿
      - 5. *Maxima, nobis.* ☿
  - *Monoſpermum*
    - *Maximum*
      - 1. *Rotundifoliun capſulâ rotundâ, glabrâ, nobis. Monoſpermon maximum rotundifolium, Cornut.* ☿
      - 2. *Chalepenſe capſula rotunda ſtriata, nobis.* ☿
    - *Minus* --- *Capſulis*
      - 3. *Striatis tenuibus hirſutis oblongiuſculis, nobis. Rapiſtrum monoſpermum, C. B. P. & Prod.* ☿
      - 4. *Glabris auriculatis, nobis. Myagrum latifolium monoſpermon, C. B. P. & Prod.* ☿
      - 5. *Rotundis aſperis, nobis. Myagro ſimilis ſiliqua rotunda, C. B. P. & Prod.* ☿

Explicatio Tab. decimætertiæ.

1. *Raphanus* niger major rotundus, nobis. Raphanus niger rotundiore radice, Park. Raphanus niger, C. B. P. Lob. Icon. Raphanus radice nigrâ, Cam. Hic foliis, caulibus, floribus & ſiliquis, parum differt à ſativo rubro: radicis autem figura Rapi eſt rotundi, cujus cortex eſt niger, multoque acrior, Rapis ſapore accedens.

2. Hujus eſt & altera ſpecies, radice longâ pyramidali cortice ejuſdem coloris & ſaporis cum priore.

3. *Raphanus* magnus ſativus, C. B. P. Raphanus ſativus, Fuch. Lugd. Raphanus ſive Radicula magna, Dod. Radicula hæc ſativa folia emittit magna, virentia, aſpera, utroque latere ex coſta provenientia, profundis inciſuris diſſecta, Rapi foliis haud diſſimilia, ſed majora: caules teretes ſunt, inque alas ſparſi, è quibus floſculi tetrapetali dilute purpurei, quibus ſuccedunt ſiliquæ craſſæ, acuminatæ, interius fungoſæ, in quarum gremio ſpongioſo latent plurima ſemina rubra, rotunda, majora quam ſunt Napi aut Braſſicæ ſemina: radix foris intuſque frequentiſſime albida, ſub terra ſaltem, exterius ſeu ſupra terram rubra, tota eſt craſſa, longa, pyramidalis, in tenuiſſimum filamentum definens, ſi conveniens ſolum nacta fuerit: ſubinde vero craſſior & brevior. In arenoſa terra feliciter provenit. Vere ſeritur, imo exeunte nonnunquam hyeme in pulvillis bene ſtercoratis ut tenuior & gratioſior ejus tenella radix edatur: ſed ſi ſeratur ſemina copioſe edendi cauſa, tardius poſt Martium exactum; ſerius enim ſata, radix ejus grandeſcit & uberius ſemen fert: Vere ſequente tunc flores & ſemina copioſe facit.

4. *Raphanus* minor oblongus, C. B. P. Raphanus minor purpureus, Lugd. Lob. Radicula ſativa minor, Dod. Hæc per omnia minor, præcipue radice, quæ eſt cortice albo intra terram, rubello autem parte qua extra terram eminet.

Siliquoſæ tetrapetalæ ſiliquis fungoſis articulatis donatæ.

§. 2. *RAPHANISTRUM ſiliquis fungoſis articulatis.*

Raphano ſativo ſive Radiculæ ſativæ ſiliqua fungoſa præditæ ſubjunximus Raphaniſtrum ſiliquis etiam fungoſis & articulatis donatum: conveniunt & Raphanus ſativus & Raphaniſtrum in floribus tetrapetalis & ſiliquis fungoſis, hoc articulatis, ille integris fungoſis planis ſiliquis donatur: differunt etiam inter ſe Raphanus ſativus & Raphaniſtrum foliorum textura & radicibus, ille tuberoſa ſeu carnea radice conſtat, hoc fibroſa; propter enim conformitatem ſubſtantiæ fungoſæ ſiliquarum, tam hujus quam illius, Raphaniſtrum hoc paragrapho 2. locavimus immediate poſt Raphanum ſativum, auferendo ab ipſo Rapiſtri nomen, quia ſiliquis neutiquam convenit cum Rapo.

1, & 2. *Raphaniſtrum* ſiliqua articulata glabra majore & minore, nobis. Rapiſtrum alterum arvorum, Park. Hoc folia habet lata, ſinuata, non laciniata, ut videre eſt in foliis Sinapi ſemine nigro, nobis; aut Rapiſtri arvorum, Park. Folia ſuperiora ſunt anguſta, longiuſcula, integra; flores ſunt tetrapetali, pallide lutei, venis aliquando nigris notati, aliquando iiſdem privati,

quorum ſingulos ſingulæ ſequuntur ſiliquæ ſpongioſæ, glabræ, articulatæ, ſingulis internodiis protuberantibus glabris & ſemine turgidis, atque depreſſis, ubi articulantur, quæ propter fungoſam ſubſtantiam ſiliquarum magis accedunt à fine ultimo (id eſt floribus tetrapetalis & ſiliquis fungoſis) Raphanis ſeu Radiculis ſativis, & eo ipſo nomine Raphaniſtrum potius quam Rapiſtrum cum aliis authoribus appellare maluimus. In ſingulis internodiis ſemine, ſic turgidis exſiccatis, ruptu facilibus, latet unicum ſemen ruffum. Annua eſt planta, floret per totam æſtatem, & ſemina ſub finem ejuſdem perficit.

3. *Raphaniſtrum* minimum Monſpelienſe ſiliquis articulatis ſtriatis, nobis. Alſine nodoſa, Gallica, C.B.P. Lugd. Hoc Raphaniſtrum minus nobis ſic dictum, plurimum in agro Monſpelienſi reperitur: radice conſtat ſimplice, longa, parum capillata, ex candida flaveſcente: foliis prope terram multis, ex eadem radice ortis, & in orbem circa radicem coactis, longiuſculis, anguſtis, Androſaces Matthioli haud multum diſſimilibus: caulibus ornatur plurimis ex radicibus inter folia emergentibus, pedalibus, nunc brevioribus, nunc longioribus, ſecundum fertilitatem aut ſterilitatem ſoli, in quo provenit; horum ramulis ſuperioribus ſecundum cymas innaſcuntur floſculi albidi plurimi, tetrapetali, (etiamſi quinis petalis conſtare ait Dalechampius in Hiſtoria ſua Lugdunenſi) quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ ſingulæ, parvæ, unciales, quibuſdam nodoſis ſtriatiſque globulis, ſeſe ordine ſequentibus, quaſi veruculo transfixis conſtantes, per articulationem junctis, atque in ſingulis nodis ſeu globulis ſtriatis ſingula continentur ſemina rotunda, ruffa.

4. *Raphaniſtrum* flore albo ſtriato ſiliquâ articulatâ ſtriata minore, nobis. Rapiſtrum album articulatum, Park. Hoc folia protrudit pauciora, aſperiora, undulata, parum aut nihil ſinuata aliquando, nunc magis quam in aliis ſinuoſa: caules edit breviores prædicti caulibus, ſed aſperiores: flores minores non tam denſe conſpiciuntur, nec ſunt flavi, ſed vel palide lutei aut dilutè albi, ſtriis nigris aut fuſcis variegati; quibus ſuccedunt ſiliquæ fungoſæ, articulatæ, ſtriatæ, minores ſiliquis ſequentis, quæ exſiccatæ facile per ſingula internodia abrumpuntur, atque in ſingulis interſtitiis ſingula continentur ſemina ruffa aut fuſca, non tam calida quam ſunt ſuperioris ſemina: radix in quibuſdam longa, tenuis, in aliis craſſa & rotunda inſtar Rapi ſilveſtris. Reperitur & hujus varietas flore purpureo aut dilute violaceo.

5. *Raphaniſtrum* ſiliquâ articulata ſtriata maxima, nobis. Hoc non differt â priore, niſi magnitudine florum & ſiliquarum, propius ad Raphani aut Radiculæ ſativæ ſiliquas accedentium ſpongioſa ſua ſubſtantiâ: articulantur, ut prioris ſiliquæ ſed ſunt majores majoraque in articulis continent ſemina.

Siliquoſæ tetrapetalæ monoſpermæ.

§. 3. *RAPHANISTRUM MONOSPERMON.*

Rapiſtrum à ſimilitudine foliorum cum Rapa dictum videtur; unde quibuſdam Rapa ſilveſtris altera nominatur: alii Eryſimum Theophraſti cenſent: alii ad Sinapi, alii ad Lampſanam referunt. Nos ad Raphaniſtrum referimus hanc plantam fungoſam, non articulatam, ſed monoſpermam, à ſilicula fungoſa involvente unicum ſemen, unde ei monoſpermi nomen.

Raphaniſtrum monoſpermon indigitabit plantas hoc paragrapho tertio contentas, cum ſint tetrapetalæ plantæ, atq; floribus tetrapetalis evanidis ſingulis ſingulæ ſuccedant ſiliculæ quodammodo fungoſæ, unicum in ſe continentes ſemen; ideo Raphaniſtris ſiliquis fungoſis articulatis, Raphaniſtra monoſperma ſubſtituimus; nec merentur nomen Rapiſtri, cum ſiliquas non gerant Raporum ſiliquis conformes, nec Myagri ſiliculis bivalvibus ſeu bicapſularibus convenientes; idcirco à Myagri claſſe abſtraximus, & huc inſeruimus cum ſuis ſimilibus.

1. *Raphaniſtrum* monoſpermum maximum rotundifolium, Cornut. Maximum rotundifolium monoſpermum Hiſpanicum, Park. Maximum vocatur hoc Rapiſtrum, quod omnes hujus generis ſpecies ſuperet altitudine, & foliorum latitudine, hæc vero ſunt Raphani modo diſpoſita; verſus extremam coſtæ partem ſunt rotunda, & in ambitu crenata, per terram ſupinè ſtrata & variis aſperitatibus in ſpinulas ſetaceas leviter extuberant, amplitudine palmari; circa caulem ſubnaſcuntur alia his utrinque in eodem pediculo minora: caulis elevatur ad binos cubitos & amplius, ſtriatus & anguloſus, hiſpidus etiam (ut & folia) in multiplices ſurculos dividitur, in quibus longe minora quam in caule folia glomeratim aggeruntur & ſine ordine locantur; ſurculi onerantur innumera florum propagine, adeo ut integrâ vigeant æſtate quatuor petalis albis exterius, & ſtaminulis flavis ſeu filamentis tenuibus interius

terius & piſtillo viridi donentur: unicuique flori ſuccedit unicum ſemen parvum, rotundum, ſubflavum, rotunda quoque capſula membranacea Coriandri magnitudine incluſum; initio dum viret, paulo longior apparet, per maturitatem tamen orbicularis eſt figuræ & eapropter à ſingulari & unico ſemine monoſpermon appellatur, (quali epitheto ob eandem cauſam Braſſicam marinam inſigniri voluit Turnerus) quod videlicet non ut vulgare Rapiſtrum (nobis Sinapi ſemine nigro dictum) longioribus ſiliquis plura contineat ſemina, ſed unicum, idque unica tantum capſulâ rotunda incluſum. Provenit in Hiſpania. Floret abundanter per totam æſtatem mille floribus albis ornatum, uti diximus; ſemina verſus ejuſdem finem ad maturitatem copioſe ſatis perducit.

2. *Raphaniſtrum* monoſpermum maximum Chalepenſe flore luteo capſula rotunda ſtriata, nobis. Folia prima edit Sinapios more: caules protrudit bipedales & tripedales ſecundum ſolum cui committitur, nunc humiliores, nunc altiores, ramoſos admodum, in quorum ramuſculis exeunt flores tetrapetali, lutei, cum multis ſtaminulis itidem luteis, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliculæ ſingulæ rotundæ, ſtriatæ, hirſutæ, deſinentes in apicem acutum, ramis brachiatis prædictis inſiſtentes, denſe ſatis diſpoſitæ ad pedalem & ſeſquipedalem aliquando longitudinem. Floret ſub finem æſtatis, & ſemina matura edit ineunte Autumno; in ſingulis ſiliculis ſingula continentur ſemina, unde ei nomen monoſpermi. Hujus ſemina nobis communicata habuimus Chalepo miſſa à D. Roberto Huntington anno elapſo.

3. *Raphaniſtrum* monoſpermon capſulis ſtriatis tenuibus oblongiuſculis, nobis. Rapiſtrum monoſpermum, C. B. P. & Prod. Matth. Ed. Bauh. Park. Huic Rapiſtro monoſpermo ex radice longiuſcula albicante, parum fibroſâ, caules pedales, quandoque altiores, rotundi, tenues, ramoſi, eleganter virentes, leviterque hirſuti exſurgunt: folia humi ſparſa, craſſa, ſunt Rapi foliis ſimilia, in principio laciniata, dein ſubrotunda leviter ſubhirſuta: flores ſecundum cauliculos pedales & tenues, veluti in ſpica diſpoſiti, tetrapetali, eleganter lutei aureive, quos ſequuntur ſiliquæ tumidæ in medio ſtriatæ, & in acutum apicem deſinentes (eleganter propter ſtrias per eas diſcurrentes, quemadmodum obſervantur in ſemine Coriandri) ſeu filamentum oblongum abeuntes; in ſiliculis hiſce ſingulis ſic conſtructis unicum continetur ſemen (unde ei nomen ſicut & priori) parvum, oblongiuſculum. Naſcitur in agris quà itur Auguſtam Rauracorum, ad domum rubram obſervavit Johannes Bauhinus. Idem ſed humilius & ſtrigoſius & valde ramoſum foliis parvis, eleganter virentibus, in agris circa *Hutengen* ad ſilvam invenit idem Johannes Bauhinus, & ſimile conſpicitur circa Monſpelium creſcens, ex cujus ſemine in horto publico Univerſitatis ſato provenit, culturâ multò majus & elegantius.

4. *Raphaniſtrum* monoſpermon latifolium ſiliculis fungoſis glabris auriculatis, nobis. Rapiſtrum monoſpermon latifolium, C. B. P. & Prod. Myagrum monoſpermon majus, Park. Myagrum monoſpermon, J. B. Chabr. Caule eſt hoc cubitali, aliquando altiore, rotundo, tortuoſo, varie & inæqualiter brachiato: foliis viridioribus, glabris, latis, linea alba diviſis, latiore baſi caulem amplexantibus, laciniatis iis quæ ad radicem ſunt Cichorei ſativi modo, reliquis aliquando ſinuatis; in ſummis caulibus conſpiciuntur denſe ſatis diſpoſiti floſculi, luteoli, parvi, tetrapetali, quorum ſingulis ſubveniunt ſiliculæ fungoſæ utriculive longi peræ ſimiles, aut ſilicularum Burſæ Paſtoris forma, ſuperne in duas extuberantias aut quaſi auriculas deſinentes, quorum medio apex inſidet; capſulæ fungoſæ, quæ per maturitatem, uti videre eſt, duræ tactui reperiuntur; in hujus capſulæ fungoſæ auriculatæ medio cavitas unica unicum ſemen (unde ei nomen attributum monoſpermi) ruffum, oblongum continens. Nec figurâ ſiliquarum, nec ſapore, Myagro reſpondet, & ideo aptius adjunximus Raphano inter Raphaniſtra propter fungoſam ſubſtantiam ſiliquarũ. Provenit in ſatis arvis paſſim per Galliam, at nullibi frequentius, quam in ſatis inter Blæſas & *Beaugeancie*. Floret ineunte æſtate, & eâdem exeunte ſemina perficit. Vide hujus Iconem Tab. 21. verſus finem ſub Myagri nomine & huc refer inter confimiles plantas tetrapetalas fungoſa ſiliqua præditas.

5. *Raphaniſtrum* ſiliqua minore, rotunda, rugoſa, aſpera, nobis. Myagro ſimilis ſiliqua rotunda, C. B. P. & Prod. Park. Myagro affinis herba capitulis rotundis, J. B. Chabr. Radix hujus caulem cubitalem, hirſutum, fragilem, in ramos varios brachiatum, emittit: cui ſunt folia ad radicem hirſuta, aſpera & ſucculenta, quæ maſticata cum viſciditate levem acrimoniam exhibent, ſex uncias longa, ſeſquiunciam lata; quæ vero caulem ambiunt minora, pediculis carentia & alata: flores palidi & minuti, tetrapetali, qui ſecus caulem in ſpica ſemipalmari diſpoſiti: atque ſingulis ſingulæ capſulæ parvæ, rotundæ, rugoſæ ſeu aſperæ, in apicem deſinentes ſuccedunt, continentes in ſingulis ſingula ſemina ſubrotunda, ruffa: capſulæ pri-

mum

mum ſungoſæ virides, per maturitatem nigræ, medulla flava, oleaginoſa, ſeminibus ruffis donatis plenæ. Annua eſt planta, ex ſemine deciduo ſicut ſuperior renaſcens. Julio floret; & Auguſto ſemina ſua perficit. In agris circumjacentibus Blæſas & Pictavium paſſim reperimus nos: circa Lunellam & Monſpelium invenit D. Doldius, & Lepidii, aut Thlaſpi nomine Noremberga tranſmiſit ad Caſp. Bauhinum. Vide hujus Iconem Tab. 21. figura ultima, & huc revoca. Conſule Hallucinationes.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 95. col. 1. pl. 1. Rapiſtrum flore luteo, C. B. P. Rapiſtrum arvorum, Ad. Lob. Hæc eſt planta ſiliqua longa bivalvi & ſemine nigro donata, quæ Sinapi omnino mordacitate accedit; ergo debet pro Sinapi ſemine nigro accenſeri, ſicut nos præſtitimus.

Pag. 95. col. 1. pl. 11. Rapiſtrum flore albo ſiliqua articulata, C. B. P. Rapiſtrum arvorum, Ger, & col. 2. pl. 111. Rapiſtrum flore albo lineis nigris depicto, C. B. P. Lampſana Apula Plinii & Dioſcoridis, Colum. Secundum male pro Rapiſtro recenſetur, cum a ſiliqua fungoſa articulata magis conveniat Raphano ſativo, unde melius & aptius a nobis dicitur Raphaniſtrum a conformitate ſiliquarum fungoſarum petaliſque ſtriis nigris pictis cum Raphaniſtro. Tertium a ſiliquis bivalvibus melius convenit cum Eruca ſativa, ad cujus genus nos retulimus, ergo & hoc & illud male hic diſponitur a Caſp. Bauhino.

Pag. eadem col. 2. pl. v. Rapiſtrum Italicum ſiliquis longiſſimis, C. B. P. Rapiſtrum ſilveſtre Irionis folio, Colum. Hoc eſt Eryſimum a ſiliquis & tota facie plantæ; ergo aptius diſponitur inter Eryſima, non autem hic inter Rapiſtra ſeu Raphaniſtra.

Pag. 109. col. 2. pl. v. Myagrum monoſpermum latifolium, C. B. P. & Prod. Myagrum hortenſe monoſpermum, Eyſt. Myagrum monoſpermon majus, Park. Myagrum monoſpermon flore luteo & folio inferiore laciniato, J. B. Chabr. & pag. eadem pl. vii. Myagro ſimilis ſiliqua rotunda, C. B. P. & Prod. Park. Myagro affinis herba capitulis rotundis, J. B. Chabr. Hæ duæ plantæ male inter Myagra diſponuntur, quia Myagrum ſativum & ſilveſtre ſunt plantæ tetrapetalæ ſiliculoſæ ſepto medio dirimente duplicem ſeriem ſeminum, ergo debent inter ſiliculoſas tetrapetalas Iberidem & Lepidum Veronicamque collocari, plantas quippe eiſdem conformes. At Myagrum latifolium monoſpermon C. B. P. & Prod. & Myagro ſimilis ſiliqua rotunda, C. B. P. & Prod. non ſunt ſiliculoſæ, ſepto medio pellucido ſeparante duplicem ſeriem ſeminum affectæ: ergo neutiquam Myagro aſſociandæ, ſed cum ſint plantæ ſiliquulis ſpongioſis ſine ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum donatæ, & ſemine monoſpermo præditæ, ad Raphaniſtrum monoſpermum debent transferri, ut nos præſtitimus cap. hoc 13. Nota nos inadvertenter has duas plantas ad Myagri ſpecies cum cæteris authoribus retuliſſe, & Tabula 21. ænea collocaſſe; referantur ad Capitis 13. paragraphum 3. inter Raphaniſtra monoſperma, non autem inter Myagri ſpecies, propter ante dictas rationes & tolletur error noſter.

Pag. 95. pl. vi. Rapiſtrum monoſpermum, C. B. P. Debet Raphaniſtrum nuncupari, & melius.

Pag. 251. col. 1. pl. xviii. Alſine nodoſa Gallica, C. B. P. Alſine nodoſa, Hiſt. Lugd. Primo omnes Alſines ſpecies conſtant quinis petalis (in floribus) ad medium bifidis; deinde ſiliquas proferunt pyriformes minimas, minuta plurima in ſe continentes ſemina; atqui hæ conditiones neutiquam conveniunt Alſine dictæ nodoſæ; ergo primo Dalechampio authori Hiſt. Lugd. dein Caſparo Bauhino ex ipſo Dalechampio tranſcribenti & male denominanti, vitio vertendum eſt. Habet hæc planta flores ſuos tetrapetalos (quamvis an ignoranter an inadvertenter quina petala ei aſſignet Dalechampius) & capſulas ſuas fungoſas, articulatas, conformes Raphaniſtris cæteris, a nobis hic allatis; ergo aptius hic collocatur inter ſuas conſortes & conſimiles plantas, non autem perperam inter Alſines ſpecies, a quibus toto cælo diſcrepat, uti nunc comprobatum eſt.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ quadricapſulares.
CAPUT XIV.

§. 1. LYSIMACHIA purpurea corniculata pappoſa.

ΛΥΣΙΜΑΧΙΟΝ ꝟ ΑΥΤΡΟΝ *Dioſcoridi l. 4. c. 3. Caules emittit cubitales fruticoſos; folia Salignis foliis ſimilia: flos ruber purpureus, nunc ſaturate, nunc dilute purpureus,* [habetur & Lyſimachia lutea Canadenſis cujus ſemina non ſcatent pappo, reliquæ pappoſæ ſunt.] *Sic dicta à Rege Lyſimacho Agathoclis filio, ejus inventore: folia habet Salicis viridia, florem purpureum (aureum habet vetus)* [quæ huc non ſpectat, cùm propter flores, tum capſulas ſeminales, de Lyſimachia lutea Sectione quinta tractabitur, quia propter rationes illic adferendas

ferendas non eſt hujus loci, *fruticoſa eſt planta &c. Plinius l. 25. c. 7. addit tantam ei vim eſſe, ut jumentis diſcordantibus jugo impoſita ferociam & ſimultates cohibeat; unde videtur innuere,* παρὰ τὸ τὰς μάχας λύειν *dictam eſſe. Salicaris etiam à foliorum cum Salicis foliis ſimilitudine vocatur. Lyſimachia proprie dicta, eſt planta ſiliquoſa, quæ à ſiliquato fœtu præcoci, qui auctu & incremento florum eruptioni antevertit, quaſi proles parente prior Filius ante patrem vocitatur.*

Cognoſcitur Lyſimachia à cæteris omnibus ſiliquoſis tetrapetalis antedictis, quod (notatu dignum) floribus tetrapetalis conſtet in ſummis ſiliquarum provenientibus, atque floribus ſic conflatis ex quatuor petalis, ſive majoribus, ſive minoribus, ſingulis ſingulæ ſubſint ſiliquæ quadricapſulares, quatuor loculamentis diſtinctæ, atque in ſingulis loculamentis unica ſeries ſeminum minutorum, pappo involutorum latet; quod ſi contingat, ut nos aliquando obſervavimus, à luxuriante natura productio quinque petalorum in floribus, tunc conſequenter producitur ſiliqua quinquecapſularis, quinis diſtinctis loculamentis donata; ſeminibus ad maturitatem perductis à natura, ſiliquæ ſurſum verſus aperiuntur in totidem partes ſeu loculamenta, & ſemina plurima pappoſa (ut Salix) fundunt, quæ vento ablata ubi ceciderint, præcipue aquoſis & humidis germinant locis, & ſibi ſimiles producunt plantas, imo in hortis, ſubgrundiis & ſummis murorum, præſertim ædificiorum prope flumina ſitorum, quod ſæpe à nobis obſervatum in ſummo tecto palatii *Chambort*, cujus fundamenta prope fluvium *Couſſon* jacta ſunt, imo hyeme idem alluit fluvius *Couſſon*, qui ſcatet hac herba Lyſimachia dicta, atque vento ſemina eò delata, in rimis pluviâ madefacta germinant, atque vigent; idem alibi obſervare licet.

Pars TABULÆ XI.

Lyſimachia
- *Noſtras ſiliquoſa pappoſa*
  - *Dicta*
    - *Chamænerium*
      - 1. *Latifolium, nobis. Epilobium & Lyſimachia omnium maxima, Filius ante Patrem omnium maximus, Geſn. Col.* ⊙
      - 2. *Anguſtifolium, nobis. Lyſimachia Roris marini foliis, quibuſdam.* ⊙
  - *Hirſuta*
    - 3. *Magno flore, nobis. Lyſimachia ſiliquoſa hirſuta magno flore, C. P. P.* ⊙
    - 4. *Parvo flore, nobis. Lyſimachia ſiliquoſa parvo flore, C. B. P.* ⊙
  - *Glabra*
    - 5. *Major, nobis. Lyſimachia ſiliquoſa glabra major, C. B. P.* ⊙
    - 6. *Minor, nobis. Lyſimachia ſiliquoſa glabra minor, C. B. P.* ⊙
- *Canadenſis lutea corniculata non pappoſa*
  - 7. *Major, nobis. Lyſimachia ſiliquoſa Virginiana, Park.* ☿
  - 8. *Minor, nobis.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæprimæ.

1. L*yſimachia* latifolia dicta Chamænerion, C. B. P. Chamænerion & Epilobion, Geſn. Ad. Cord. Eyſt. Thal. (cui & Lyſimachia omnium maxima) Filius ante patrem maximus, Geſn. Col. Onagra Dioſcoridis l. 4. c. 118. & Oenothera Plinii l. 26. c. 11, & 14. cenſetur, Lugd. Cæſ. Lyſimachia ſpecioſa quibuſdam Onogra dicta ſiliquoſa, J. B. Chabr. Chamænerion, Park. Lyſimachiæ reliquas ſpecies infra deſcribendas proceritate ſuperat hæc Lyſimachia, Onagra quibuſdam putata, tres, quatuorve aut plures pedes alta: caule conſtat glabro canaliculato, ſubrubente, comoſo, medulla alba fungoſâ pleno: foliis multis ab imo ad ſummum ſicut in ramis donato, ad Salicis (unde Salicaria dicta) aut ad Nerii folia accedentibus, oblongis, mediocriter anguſtis, unciam latis, acuminatis, utrinque glabris, rara admodum per ambitum veſtigia crenatim oſtendentibus, oblongis ad latera venis à coſta media ſecundum longitudinem decurrente, deductis; ſapore ſubaſtringente & glutinoſo, non ſine obſcura aliqua acrimonia: in ramis eorumque alis tuberoſis verſus faſtigium longa ſerie naſcuntur flores magni, rubri, tetrapetali, quos ſequuntur ſiliquæ longæ, quadratæ, reliquarum ſuæ ſortis more rubentes, aut ex rubore in cinereum declinantes, ſubhirſutæ,

quadrifariam partitæ, ſeu quadricapſulares, atque in ſingulis capſulis unica ſeries ſeminum longitudinaliter in ſingulis ſiliquis contenta, ſeminibus maturis pappo ſcatentibus repleta, quatuor ſeptis mediis, ſingulis ſingulos ordines ſeminum nutrientibus. Verbo ſemina omnia hujus ſubalterni generis quatuor diſtinctis ordinibus, quadrifariam digeſtis papposo tomento dilicatiſſimo involvuntur, perpuſilla, oblonga, cinerea; ſeminibus maturis & ſiliquis exſiccatis apparent quatuor valvulæ & quatuor ſepta media, quibus nutriebantur ſemina in ſiliquis, quæ poſtea explicatæ & deorſum verſus reflexæ fundunt ſemina papposa, quibus ſeſe multiplicant ubicunque locorum vento ablato ceciderint; flores ſpecioſi tetrapetali omnium hujus generis maximi, Leucoii adinſtar purpuraſcentes (quorum medium occupant ſtamina candida, apicibus rubentibus aut luridis, piſtillo longiore in quatuor cruſcula deſinente) apparent in ſummis ſiliquis jam fabricatis, quod non reperitur in tota cohorte ſiliquoſarum tetrapetalarum,& hoc nomine Lyſimachia dicitur Filius ante patrem: radix alba,longe lateque repit, guſtu inſipido viſcidoque. Caſparus Bauhinus obſervavit hanc Lyſimachiæ primam ſpeciem in monte *Moutets*. Menſe Octobri reperit in monte *Balon* florentem Auguſto Johannes Bauhinus. Abundat circa *Montbelgardum* qua itur *Adincourt* unde in hortum Illuſt. E.C. tranſtulit idem Johannes Bauhinus. In ſilvis circa Blæſas & Pictavium reperimus nos ſatis frequenter æſtate florentem, & ſemina maturantem.

2. *Lyſimachia* anguſtifolia dicta Chamænerion,C.B.P. Chamænerion Geſneri,ſeu Delphinium buccinum, Lob. Lyſimachia ſiliquoſa alia, Lugd. Lyſimachia 3. Cluſ. Hiſt. Pſeudolyſimachium purpureum minus, Dod. Lyſimachia Roris marini foliis quibuſdam, Linaria rubra, Hiſt. Lugd. Epilobium (id eſt ἴον ἐπὶ λόβου, Viola ſuper ſiliquam) 6. Geſn. ad Cord. Hæc Lyſimachia minor tota quidem facie ſuperiori ſimilis eſt, foliis autem eſt Roris marini inſtar anguſtis, confertim multis ſimul coacervatis & quaſi Linariæ foliis & longitudine & latitudine paribus: flores tetrapetali, purpurantes (conſimiles prioris floribus) longis, incanis corniculis, ſimilibus jam dictæ inſident, ſed minores: radix repens cum præcedentis radice convenit.

3. *Lyſimachia* ſiliquoſa hirſuta magno flore, C.B.P. Lyſimachia purpurea, Fuch. Lyſimachia ſalicaria altera, Trag. Lyſimachia ſiliquoſa, Ger. 1. Tab. Lyſimachium purpureum, Lugd. Antoniana major hirſuta, Geſn. Hort. Onagra campeſtris, Cæſ. Hæc paluſtrium Lyſimachiarum major, caules edit bicubitales, hirſutos, quibus è regione adnaſcuntur ad ſingula genicula bina folia, ternas aut quaternas uncias longa, hirſuta, crenata, in mucronem deſinentia; ex ſummis ramis proveniunt flores tetrapetali, ſatis magni, elegantis rubri coloris, nonnunquam albidi, qui inſiſtunt ſiliquis longis, quadripartitis ſeu in quatuor loculamenta diſtinctis, atque in ſingulis loculamentis continetur unica ſeries ſeminum papposorum, particulari ſepto medio longitudinaliter adhærentium: ſiliquæ exſiccatæ verſus cimas aperiuntur & reflectuntur quadrifariam, ſeminibus cum vento avolantibus, & ſeſe ubi vento ablata ceciderint, propagantibus. Provenit in paluſtribus, aquatilibus, fluviatilibus & humidis locis: floret æſtate & verſus ejuſdem finem reperiuntur ſiliquæ quadrifariam fiſſæ & apertæ, ſeminibus partim amiſſis, partim reſtantibus in ſiliquarum parte inferiore, nondum adhuc aperta; radice eſt perenni, repente.

4. *Lyſimachia* ſiliquoſa hirſuta parvo flore, C.B.P. Lyſimachia ſiliquoſa 2. Tab. Lyſimachia ſiliquoſa hirſuta flore minore, J.B. Chabr. Bipedalis eſt hæc Lyſimachia, alias vix cubitum ſuperans, caule rubente, rotundo, ſtatim ex radice in ramos plurimos oppoſitos brachiato: folia ſunt hirſuta, oblonga, crenata, modice in acumen deſinentia; ſiliquis vero longis, hirſutis inſident floſculi exigui, tetrapetali, longe minores quam ſuperioris majoris ſupra deſcriptæ, coloris ex rubro pallentis, vel albidi: radix multis fibris capillata. Provenit ſponte etiam in aquoſis, paluſtribus aliiſque humidis locis, ad ſepimenta. Floret æſtate; ſemina ſubruffa, exigua, candida lanugine implicita, paulo poſt maturat. Major eſt & minor, utraque in Prodromo Caſp. Bauhini deſcribitur: perenni conſtat radice.

5. *Lyſimachia* ſiliquoſa glabra major, C.B.P. Lyſimachia ſiliquoſa, Ad. Lob. Major, Cluſ. Hiſt. Lyſimachia campeſtris, Ger. Lyſimachia ſiliquoſa flore albo, Tab. Pſeudolyſimachium purpureum, 1. Dod. Flore eſt hæc pallide rubente, rarius albo. Huic cauliculi ſunt bicubitales, ſæpenumero complures, ramoſi ac teretes; folia ſatis lata, glabra, crenata, veluti Salicis folia: floſculi in ſummis virgulis ſiliquis exiguis antea enatis inſident, dilute purpurei, rarius albicantes, frequentiſſime rubent, colore eleganter purpureo, tetrapetali, quandoque majores quandoque minores: in ſiliquis poſt evanidos flores exigua latent ſemina in quadripartito loculamento, quæ molli, tenui, candidaque lanugine implicantur, reliquarum ſuæ familiæ more:

more: habet pro radicibus tenues fibras in terram demiſſas, ex quibus copioſe poſt ſemina ad maturitatem perducta egregium foliorum numerum denuo protrudit. Planta eſt perennis.

6. *Lyſimachia* ſiliquoſa glabra minor, C. B. P. Lyſimachia ſiliquoſa minor, 3. Tab. Filius ante patrem minor, Geſn. Col. Floſculi rubicundiores, alii ex rubicundo colore pallidiores, alii prorſus candidi; hæc ab anguſtia & longitudine foliorum, & tenuitate omnium partium, à priore facile diſtinguitur: floſculos primo omnium gerit minimos præter 7^mam Tabernæmontani, cujus folia ſunt anguſtiora & tenuiora, quæ mutantur ſecundum ſolum. Paſſim multiplicat entia ſine neceſſitate Theodorus Tabernæmontanus.

§. 2. LYSIMACHIA lutea corniculata non pappoſa.

7. *Lyſimachia* lutea corniculata non pappoſa Virginiana major, nobis. Lyſimachia lutea corniculata, C. B, P. Lyſimachia ſiliquoſa Virginiana, Park. Hæc Lyſimachia peregrina non multis abhinc annis ex Virginia aliiſque Americæ Septentrionalis partibus, ſeminibus in Angliam delata & hic ſata, ad cubitalem & bicubitalem aliquando altitudinem provenit; folia habet prima glauca, longa, orbiculariter per terram ſtrata, ſinuata, mucronata, palmum ſuperantia, latitudine vix unciam excedentia, quæ ſunt craſſa, lævia, pallide virentia, & in acutum mucronem deſinentia, per quorum medium coſta alba, ut in Lyſimachia Chamænerion dicta, excurrit: prædicta folia exeunt ex radice longa, alba, digitalem craſſitudinem ſuperante, paucis fibris capillata; caulis exſurgit initio rotundus, at ſupra medium ob plurimos ramos anguloſus, ſubcinereus, lævis, ſtatimque in breviores, mox majores ramos, hique in alios late expanſos brachiati, qui rotundi pauciſſimis pilis donati, hinc inde parvis maculis rubentibus variegati, ex quibus tanquam ex poris pilus exilit. Ex alarum ſinubus pediculus articulatus & rotundus prodit, cujus pars ſupra articulum triuncialis, ſiſtuloſa, cui flos magnus, flavus, quatuor petalis conſtans, extra folia effertur, qui cum primo florere incipit, quadrangulus eſt, quo aperto vel ſole tantum lucente in ejus medio ſtilus conſpicitur, qui viridis uſque ad articulum deſcendit, & apicibus quatuor ſulphurei coloris, crucis in modum diſpoſitis, donatus eſt, quem ſtamina octo circumſtant, quorum quatuor ſingulis foliis appoſita, alia quatuor ipſis interjecta ſunt: hiſque ſingulis capitulum oblongum albicans inſidet: ipſi vero flori calycis in modum foliola quatuor, oblonga, anguſta, pallida, ſubjiciuntur: flos odoratus eſt, nonnihil ad Keiri vel potius Liliaſphodeli lutei odorem accedens, ultra diem non perſiſtens, cum is qui ſub veſperam aperitur ad ſequentis diei veſperam flacceſcat, unde Ephemerum dici meretur. Flore cum pedicello dilapſo altera pediculi pars ſeſquiuncialis ſenſim ad uncias binas, etiam ternas, oblongatur, & in ſiliquam ſeu corniculum abit, & propter ſemen copioſum, nigrum aut fuſcum parvumque, quod continet, intumeſcit, quodque ubi maturuit, ipſa cornicula, quæ utrinque ad caulis latera numeroſa ſunt, in quatuor partes dividuntur: ex ſemine ſato tota æſtate & hyeme ſequente ſine caule remanent plantæ folia per terram ſtrata; at ſequenti anno circa Veris finem cauleſcere, & Junio florere incipit, & floret & ſemina perficit in Autumni finem, atque cum ſit biennalis planta ex ſemine deciduo Autumno dilabente, ſingulis annis in hortis noſtris copioſe conſpicitur ſine caule, adventante ſecundo Vere caulem erigit & ſemina ſua perficit.

8. *Lyſimachia* lutea corniculata non pappoſa Virginiana minor, nobis. Hæc in omnibus priori convenit, niſi quod folia producat dimidio minora & anguſtiora; flores pariter dimidio aut ſaltem multo minores, nec tam alte aſcendunt caules; in cæteris omnibus majori convenit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Aquâ in quâ radix Lyſimachiæ latifoliæ maduerit in potu data, authore Dioſcoride, feras mitigat & cicures reddit; illita quoque ulcera maligna mulcet. Adjecit Cratevas, inquit Plinius, Oenotheridem, cujus aſperſu è vino feritas omnium animalium mitigaretur. Et per ſe Oenothera efferentia ſeſe ulcera ſanat, ita θηριώδη ἕλκη *Dioſcoridis exponens. Hujus radix, inquit Galenus, arefacta vinoſum quiddam redolet; ſed & maxime eſt facultatis vini.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg.244, & 245. Caſparus Bauhinus male collocat Lyſimachiæ ſiliquoſæ tetrapetalæ ſpecies, inter Digitalem, Ephemeron Veronicam, & Teucrium: cum enim Lyſimachiæ ſint plantæ corniculatæ, quadricapſulares & pappoſæ, debent remitti ad ſiliquoſas tetrapetalas, & collocari poſt ſiliquoſas bicapſulares, ad earum finem, poſt Chelidonium & Fumariam, quibus a fine ultimo ſunt affines.

Nota apud Caſparum Bauhinum in Pinace pag. 245, & 246. Lyſimachiæ diſtributionem eſſe confuſiſſimam. Primo pag. 245. col. 1 pl. 1. Lyſimachia lutea major, quæ Dioſcoridis, C. B. P. & ibidem col. 1. pl. 11. Lyſimachia lutea minor foliis nigris punctis notatis, C. B. P. Ibidem pl. 111. Lyſimachia trifolia lutea ſpicata, C. B. P. Et ibidem pl. IV. *Lyſimachia bifolia flore globoſo luteo, C. B. P. Omnes hæ Lyſimachiæ ſpecies ſic dictæ authoribus, florem gerunt quinis aut ſenis petalis conſtantem, cui evaneſcenti ſuccedit capſula rotunda Piſi medii magnitudine, quadrifariam diviſa, multa minuta ſemina non pappoſa in ſe continens: ex dictis magis accedunt quatuor prædictæ plantæ (a numero petalorum in floribus, & capſulis ſeminalibus) Ephemero & Blattariæ quinta Sectione a nobis explicandis, quam tetrapetalis ſiliquoſis ſemine pappoſo donatis, quales ſunt Lyſimachiæ proprie ſic dictæ.*

Pag. 146. col. 1. pl. 1. Lyſimachia ſpicata purpurea forte Plinii, C. B. P. Hæc planta florem gerit quinis aut ſenis petalis donatum in margine, integrum in fundo, cui ſuccedit capſula bivalvis Blattariæ inſtar, plurima minuta ſemina in ſe continens; ergo non debet aſſociari tetrapetalis ſiliquoſis quadricapſularibus ſemine pappoſo donatis, ſed aptius mea opinione refertur ad Blattarias, ſicut nos præſtitimus Sectione quinta hujus operis.

Pag. eadem col. 1. pl. 11. Lyſimachia ſpicata cærulea, C. B. P. ibidem col. 2. pl. 11. Lyſimachia rubra non ſiliquoſa, C. B. P. Lyſimachia purpurea ſecunda ſeu minor, Cluſ. Hiſt. ibidem col. 2. pl. 11. Lyſimachia purpuro-cærulea, C. B. P. Lyſimachia rubra minima, Cluſ. Hiſt. Omnes hæ tres plantæ cum ſint ſiliculoſæ tetrapetalæ, debent ad ſiliculoſas plantas ſecunda diſtributione tertiæ hujus Sectionis noſtræ explicandas (ad Veronicas quarum ſunt genuinæ ſpecies) amandari, non autem hic poni inter Lyſimachias ſiliquoſas tetrapetalas pappeſcentes.

Pag. eadem col. 2. pl. 111. Lyſimachia cærulea galericulata vel Gratiola cærulea, C. B. P. Hæc eſt planta galeata verticillata ſcutellata, ergo debet ad galeatas verticillatas ſcutellatas referri Sectione octava noſtra tractandas, non autem Lyſimachia dicenda eſt, quæ proprie loquendo eſt ſiliquoſa tetrapetala & pappoſa planta; ergo omnes prædictæ plantæ argumentando a fine ultimo, debent referri ad tribus ſeu claſſes ad quas jure ſpectant, non autem confuſiſſime tradi, quemadmodum nobis Caſparus Bauhinus cæterique authores exhibuerunt.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ, bicapſulares, tricapſulares, quadricapſulares, & multicapſulares.

PAPAVER.

CAPUT XV.

MHKΩN ἀ μὴ κονεῖν, *non miniſtrando, quod veſcentes ſuis muniis fungi non poſſint. Latinis Papaver, Dioſcorides l. 4. cap. 64, 65, & 66. quinque genera propoſuit:* I. μήκων ῥοίας, *Papaver erraticum, à flore protinus deciduo, qui puniceus, interdum albus.* II. μήκων ἥμερος *Papaver ſativum, quod ſemine candido, quod* θυλακῖτις. 3. *Silveſtre duplex, unum nigro ſemine, quod* πιθῖτις *& quibuſdam* ῥοιάς, *quod è ſcapo ſuccus lacteus emanet: alterum majus ſilveſtre & ad medicinas valentius.* 4. μήκων κερατῖτις, οἱ δὲ παράλιον *Papaver corniculatum, à calyculo in corniculorum modum inflexo, aut marinum.* 5. μήκων ἀφρώδης *Papaver ſpumeum, quia herbula tota eſt ſpumea, quibuſdam* Ἡρακλεία *heracleum.* [Cum hæc herba ſit Lychnidis ſpecies, non Papaveris, non eſt hujus loci, ideo nos eandem remittemus ad Lychnides quinta noſtrâ Sectione collocandas] *Theophraſtus* 1. *Hiſt.* 15. *&* 9. *Hiſt.* 8. *Sativi meminit: ſilveſtris vero genera,* 9. *Hiſt.* 13. *plura notavit, ut corniculatum, nigrum, erraticum flore ruffo: Herculanum folio Struthii. Plinius l.* 20. *c.* 18. *Sativum album & nigrum propoſuit, & ex illius ſcapo inciſo, opium colligi monet: at cap.* 19. *inter ſativum & ſilveſtre medium genus Rhœas ſive erraticum conſtituit. Silveſtrium unum genus Ceratitis, quod aliqui Glaucion, alii Paralion vocant: alterum Heracleon, ab aliis Aphron: tertium genus eſt Tithymalion; Mecona vocant, alii Paralion.*

§. 1. *PAPAVER CORNICULATUM.*

Papaver corniculatum hanc notam genericam habebit, quod flores tetrapetalos gerat, atque ſiliquas longas, bicapſulares aut tricapſulares, quadricapſulares, id eſt, ſiliquæ conſtant variis loculamentis, vario ſepto medio ſeparante vel duplicem ſeriem ſeminum, vel triplicem quadruplicemve: notandum etiam eſt, quot ſunt valvulæ tot eſſe ſeries ſeminum. Papaveris corniculati tres reperiuntur ſpecies & magnitudine & floris colore differentes, ſuntque aut flore luteo majore aut minore, vel flore Phœniceo, vel violaceo.

Pars TABULÆ XIV.

Papaver corniculatum	1. *Bicapſulare*	*Flore*	*Flavo, Cluſ. Hiſt. Papaver corniculatum luteum, Fuch. Tur. Eyſt.* ☉
	2. *Tricapſulare*		*Phœniceo, Ad. Lob. Cluſ. Hiſt. Papaver corniculatum rubrum, Dod.* ☿
	3. *Quadricapſulare*		*Violaceo, Cluſ. Hiſt. Papaver cornutum flore violaceo, Geſn. Hort. Ger.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæquartæ.

1. *Papaver* corniculatnm luteum Κερατῖτις Dioſc. Theoph. Silveſtre Plinii, C. B. P. Papaver Corniculatum majus, Dod. Papaver corniculatum luteum, Fuch. Tur. Eyſt. Papaver corniculatum flavo flore, Cluſ. Hiſt. Hoc Papaver corniculatum majus luteum reliqua Papavera corniculata foliis candidis & ambitu infractis ac laciniosis ſuperat, quæ tamen non ſunt lævia ſed nonnihil lanuginoſa, fere inſtar foliorum Verbaſci: caules ſunt pedales & ſeſquipedales, infirmiores, non recti, ſed reflexi, quique in plures alas dividuntur: flores tetrapetali, magni, ochri colore luteo pallent, cum multis ſtaminulis ſaturatius luteis, quibus ſingulis deciduis ſuccedunt ſingula cornicula compreſſa, incurva, palmaria & aliquando bipalmaria, bicapſularia, triplici apice in ſummo tecta, ſepto medio, craſſo ſatis, dirimente duplicem ſeriem ſeminum nigrorum: radix ſubeſt oblonga, craſſior, in multos reſtans annos. Sponte ſua in maritimis provenit, aliiſque aridis & ſqualidis, quibus delectatur, locis. Vulnerata hæc herba ſuccum præbet luteum, inquit Dodonæus, qui guſtatus ſalſilaginem refert prope maritima loca, in aridis & hortis ſucco illo magna ex parte deſtituitur. Lapſus eſt hîc Dodonæus, neque in maritimis, neque in aliis aridis locis aut hortis ſuccum luteum nobis unquam conſpicere licuit. Floret Junio ac Julio; verſus Autumni initium ſemina perficit.

2. *Papaver* corniculatum Phœniceum hirſutum, C. B. P. & idem glabrum, C. B. P. Papaver corniculatum rubrum, Dod. Corniculatum flore Phæniceo, Ad. Lob. Cluſ. Hiſt. Hujus folia Erucæ ſunt ſimilia, laciniata & alte inciſa, vulgaris lutei multo minora, tenuiora, non adeo incana ſed paululum hirſuta: caules pedales & altiores, vulgaris caulibus tenuiores, & graciliores, procumbuntque in terram: flores etiam quatuor petalis conſtantes, minores, nonnunquam intenſo colore rubent, & illi primi ſunt quos planta florere incipiens producit, interdum languidiore & quodammodo pallente colore, mediis foliis ad Phœniceum tendentibus, quales fere in altero floris genere, qui à vulgo herbariorum flos Adonis dicitur, nimirum quando mediam ætatem ſuperans planta, jam deficere incipit, & hirſutie illa in caule & foliis ſpoliari: alioquin ſi quis vigentem & flores primum producentem plantam conſpiciat, deinde jam adultam & ſeneſcentem, ex florum colore, & caulis ramorum foliorumque hirſutia vel glabritia, facile quis diverſas eſſe ſtirpes ſibi perſuadeat, atque ut verum fatear, inquit Carolus Cluſius, dum Salmanticæ viverem mihi impoſuit: floribus prælonga ſuccedunt cornicula vix triuncialia, quorum ſingulis inſident latiuſcula quædam veluti opercula vel capitella, atque ſingula cornicula tribus loculamentis diſtinctis ſeparantur, in ſingulis ſeries ſeminum nigrorum latet, quæ propriis ſeptis mediis adhærent, & trifariam dividitur unumquodque corniculum. Naſcitur in agro Salmanticenſi ſecundum vias & agrorum margines. Floret illic Junio, ſemen autem Julio profert, in Septentrionalibus ſatum non niſi Auguſto & Septembri florere voluit, niſi Autumno ſeratur, ut poſſit tranſire hyemem, tunc Maio & Junio florere conſpeximus. In Viennenſi etiam agro per Moraviam atque Bohemiam ſponte naſcens & flores proferens Junio menſe, in arvis præſertim avena conſitis ſecundum vias publicas,

 obſervabat

obſervabat Carolus Cluſius, cui non contigit omnibus in illis locis croceum in hac planta ſuccum videre, tametſi non deſunt qui ſimili ſucco turgere eam plantam putent.

3. *Papaver* cornutum flore violaceo, Geſn. Hort. Ger. Papaver corniculatum violaceum, C. B. P. Lob. Dod. Lugd. Papaver corniculatum flore violaceo, Cluſ. Hiſt. Huic folia ſunt multo minora, tenuiora, valde minutim diſſecta, non candicantia ut ſuperiorum folia, ſed viridia: cauliculi tenelli, hirſuti: flos ſuperioris non minor, tetrapetalus, coloris ex purpura cærulei exſaturati, & nigræ Violæ pæne æmuli, fugax admodum & qui leviſſima aura excutitur: huic ſuccedunt cornicula digitali duntaxat longitudine prædita, plerumque etiam breviora, exilia, & duriuſcula, rigidioreque hirſutie donata, ex quatuor diſtinctis loculamentis conflata, quatuorque valvulis, totidemque ſeptis mediis quæ veluti diaphragmatis quadruplicem ſeriem ſeminum valde exilium, coloris ex cineraceo albicantium ſeparant ac diſtinguunt: radix tenuis, ac inutilis, vix ſupra annuum ſpatium perdurat. Caſtellani genus hoc cæruleo ſive violaceo flore *Roſetta* nonnullis *Amapolas moradas* id eſt, Papaver erraticum purpureo flore, à ſucci Mororum colore appellabant, nam erraticum Papaver Hiſpani Amapolas vocant. Invenitur in pluribus Hiſpaniæ locis, ſed non niſi inter ſegetes; Maio menſe floret; & Junio ſemina maturat. Collegit etiam Carolus Cluſius in agro Narbonenſi in arvis Avena conſitis, non procul Laterâ, ſecundum fluvium Ledum paulo infra Monſpelium.

§. 2. PAPAVER CAPITATVM MVLTICAPSVLARE.

Papaveris capitati multicapſularis duo ſunt genera, Plinio authore, ſilveſtre & ſativum. Utrumque pro nota generica hanc habeto, quod flores producat tetrapetalos, cujuſcunque coloris aut magnitudinis, atque ſingulis floribus, ſic ex quatuor petalis & pluribus ſtaminulis conflatis, evanidis ſuccedunt capita communi cortice aut tegumento obducta, in quibus plurimæ cellulæ, ſeu loculamenta conſpiciuntur membranis ſuis diſtincta, quibus adhærent innumera ſemina minuta, rugoſa, vel alba vel nigra aut fuſca: coronâ ſtellatâ ſeu radiatâ integuntur ſingula capita ſive longa, ſive rotunda, & quod notatu dignum quotcunque apparent radii in corona ſuperiori capitis, totidem intus cernuntur cellulæ propriis membranis ſeparatæ, numero incerto, nunc plures, nunc pauciores; à numero ſeptenario ad quindenarium ſæpius numeravimus, Idem conſpicere licet in Papavere Rhœade, & Argemone quæ ſunt Papaverum ſpecies, etiamſi ab authoribus diverſis nominibus afficiantur; in ſingulis enim antedictis notis conveniunt cum Papavere capitato multicapſulari, atque ſuccum effundunt lacteum non minus quam hoc.

Pars TABULÆ XIV.

Papaver capitatum multicapſulare	1. *Arvenſe*	*Vulgare ſeu ſpontaneum flore ſimplici ſemine incano, nobis. Papaver ſpontaneum ſilveſtre, Lob.* ☿					
	Hortenſe	*Flore*	2. *Simplici*		*Semine*	*Albo.* ☿	
						Nigro. ☿	
						Fuſco. ☿	
			Pleno	*Foliis*	3. *Integris*	*Semine*	*Albo.* ☿
							Nigro. ☿
					4. *Laciniatis ſeu criſtatis*	*Flore & ſemine*	*Albo.* ☿
							Nigro. ☿

Explicatio partis Tab. decimæquartæ.

1. P*Apaver* capitatum vulgare ſeu ſpontaneum ſimplex ſemine incano, vigens in ſegetibus, nobis. Papaver vulgare & 1. Trag. Papaver ſpontaneum ſilveſtre, Lob. Papaver hoc ſpontaneum ſimplice flore, caule, foliis, floribus item & capitulo ſativo minus eſt: flos ex cæruleo ac purpureo obſoletum, & dilutum plumbeum quendam colorem refert; capitulum quoque rotundatur; ſed capite exſiccato, & maturo ſemine, foraminibus aliquot, qua parte operculum ſtellatum ipſi inſidet, circulariter hiat; foraminula prædicta à natura deſignata ſunt

ſunt ut facilem defluenti ſemini viam præbeant; quod ſativis non contingit, quorum clam recluſi permanent calyces ſeu capita, ut nullum elabi queat ſemen.

Papavera ſativa tria ſunt, album, nigrum, utrumque majus & minus prædicto, quod ex ſpontaneo in agris proveniente fit hortenſe ſeu ſativum ſemine fuſco.

2. *Papaver* hortenſe ſimplex ſemine albo, nobis. Papaver ſativum Dioſcoridis album Plinii, Matth. Lugd. Tab. Trag. Dod. Papaver album ſativum, Lob. Ger. Papaver ſativum ſemine candido, Fuch. Hoc folia profert oblonga, lata, lævia, Lactucæ foliis longiora, candidiora, marginibus ſinuoſa: caulis ſive ſcapus rectus, bicubitalis, aliquando altior, in cujus faſtigio flores candidi, tetrapetali, in quorum medio mox ab initio apparet capitulum ſtellatum, multis ſtaminulis ſtipatum, quod adultum craſſam oblongam formam habet, & ſuperioris inſtar operculo contegitur ſtellato, ex cujus intuitu & enumeratione, quot apparent radii in ſuperiore capitis circulo, tot membranis ſeu ſeptis membranaceis diſtinguuntur loculamenta, in quibus ſingulis ſemen rugoſum, minutum, rotundum, & candicans copioſe nutritur: radix ſubeſt deſcendens in altum, quæ nullius eſt momenti ſeminibus ad maturitatem perductis: flos, inquam, utplurimum candidus, vel nonnunquam leviter purpureus, & aliquando flore eſt leviter cinereo, ungue purpureo vel candido, vel plumbei coloris maculis infecti. Eſt & ſemine flavo & hoc Papaver 3. & luteum eſt Trago. Odore ſoporifero tota hæc planta cæteras ſuæ claſſis ſuperat.

3. *Papaver* hortenſe ſimplex ſemine nigro, nobis. Papaver ſemine atro, Fuch. Papaver ſativum nigrum, Dod. Hoc priori eſt ſimile, ſed capitulo conſtat rotundiore & magis globato: flos eleganti Phœniceo rubet colore: ſemen nigricat, atque ſic facile diſtinguitur à priore flore albo, ſemine ſcilicet nigro.

Papaver flore pleno albo, C. B. P. Flore multiplici, Geſn. Hort. Cam. Ep. Album Polyanthon ſeu multiflorum, Lob. Ger. Papaver flore multiplici petalorum numero denſo, Cæſ. Eſt & hoc majus & minus floris colore purpureo, rubro, rubeo ſaturate dilute, albo, violaceo & mixto, hinc 7. figuræ apud Tabernæmontanum & Gerardum ipſum ſequentem ſine neceſſitate.

Papaver flore pleno ſemine nigro, nobis. Papaver flore pleno nigrum, C. B. P. Papaver nigrum Polyanthon, Lob. Ger. Huic jungi poteſt Papaver laciniatis floribus, C. B. P. Laciniatum rubrum & album, aliud unguibus purpureis, aliud unguibus albis, Eyſt.

4. *Papaver* criſtatum flore & ſemine albo, C. B. P. Papaver fimbriatum ſeu criſtatum album, Ad. Lob. Lugd. Papaver flore fimbriato, Cæſ. Genus hoc Papaveris flores habet plenos, albos, quorum petala ſunt multiplicata, non raro fimbriarum inſtar, inciſa ac diſſecta apparent: color horum ſæpius albidus, ſubinde purpureus, quandoque ex utriſque varie permixtus. Rubent vero nonnulli intenſo colore, purpuræ æmulo, alii tamen dilutius, ſed minus eleganter. Capita hujus generis, veluti ſilveſtris ſeu ſpontanei, hiant ſuperiore parte, facileque ſemen ab iis excidit, quod modo albidum, alias nigricans eſt, pro floris videlicet colore quem refert. Effluit ex capitulis horum omnium vulneratis liquor candidus qui ad medicinæ uſus colligitur, & denſatus Opium appellatur, colligitur tamen præcipue ex ſecundo hic propoſito, non modo Dioſcoride, ſed & Galeno ac Plinio teſtibus. Exprimitur ex capitibus & foliis ſimul ſuccus, quem Meconium nominant authores. Seruntur hæc genera in hortis & arvis apud Aſiaticos, in prædictum uſum. Junio menſe flores exeunt; ſemen paulo poſt perficitur, capitulis plenis & exſiccatis.

Papaver criſtatum floribus rubris ſemine nigro, C. B. P. Papaver rubrum florum foliis crenatis, Geſn. Hort. Papaver fimbriatum ſeu criſtatum nigrum, Lob. Papaver 2. foliis diſſectis, Dod. Sativum rubrum fimbriatum, Lugd. Hæc eſt tantum prioris ſemine albo varietas, diſcrepans ſemine nigro, floris enim colore variat, ſubinde albus, frequenter rubens, quandoque ex utroque miſtus, & qui rubet quandoque colore purpuræ, aliquando dilutius rubet; hinc Papaver flore pleno rubro multiplici incarnato, multiplici purpuraſcente miniato pleno, flore pleno argentei coloris, multiplex album oris rubicundis, omnes hæ varietates citantur ex horto Eyſt. qui fruſtra tot Icones exhibet ejuſdem ſpeciei variantis colorem in floribus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Papaverum *omnium vim refrigeratoriam eſſe teſtatur Galenus lib. de Simpl. medicam. facult. Semen, ut idem ibidem aſſerit, refrigerandi habet facultatem, ac ſomnificum eſt, panibus utiliter ceu condimentum inſpargitur, ſed album nigro, eodem authore, præſtat: corporum nullum commemorabile*

memorabile præſtare alimentum etiam addit. Eſt autem ſeminis hujus ſaccharo incruſtati in ſecundis menſis quandoque uſus, cum aliis tragematis, refrigerandi autem ejus potentia haud magna obſervatur, ad ſomnum conciliandum non multum efficax eſt: oleum quod ex eo exprimitur gratum ac edule eſt, panique illitum, aut alio quovis modo in cibo, citra refrigerationis ſenſum ſumitur, conficitur autem ex ſecundi ſeu primi ſpontanei ſemine frequentius. Codiis ſive capitulis major ineſt vis, quæ ad ſomnum conciliandum defluxioneſque ſiſtendas ac reprimendas plurimum faciat, propinquamque ſed tamen mitiorem vim Opio obtinent. Opium fortiſſimum, hoc ignavius Meconium, utrumque quovis modo vel ſumptum, vel capiti applicatum, ſomnum ac ſubinde profundum moleſtumque ſoporem conciliat. Opium copioſius hauſtum, ut Plinius aſſerit, dolores omnes ſopit, ſed ægrius curabile malum non raro relinquit.

OPIUM ſive SUCCUS PAPAVERIS.

Opium *quod eſt liquor ſeu ſuccus ex Papaverum capitibus expreſſus, aut ſole extrahente, ex ipſis capitibus punctis ſponte emanat, refrigerat, incraſſat exſiccatque. Sumptum magnitudine Ervi dolores ſopit, ſomnum conciliat, & concoctionem adjuvat, tuſſi cœliacorumque affectibus auxiliatur; verum ſi copioſius hauriatur, accerſito lethargo mortiferum eſt. Eſt & ad capitis dolores efficax; ſi cum roſaceo irrigetur, ut & ad aurium dolores, ſi cum Amygdalino, Myrrha & Croco inſtilletur; oculorum inflammationibus cum ovi luteo toſto & Croco proficit: Eryſipelatoſis & vulneribus cum aceto, Podagris cum lacte muliebri & Croco utile, denique ſedi pro balneo ſubditum ſomnum facit. In eo liquoris genere præſtantiſſimus qui denſus & gravis, odoratu ſoporifer, guſtu amarus, quique facile aqua diluitur, lævis, candidus neque aſper, neque gummoſus, quique inter colandum non ut cera coit denſaturve, ſed ſoli expoſitus diffunditur, & ad lucernam accenſus minime atrâ obſcurâve lucet flammâ, qui denique poſtquam extinctus erit ſuam odoris vim etiamnum conſervat. Ipſum porro admiſto glaucio, aut gummi, aut ſilveſtris Lactucæ ſucco, adulterant: verum qui glaucio fucatus eſt, dum diluitur Croci colorem inducit; qui vero Lactucæ agreſtis ſucco, exili & evanido eſt odore, aſperiorque ſpectatur: qui denique gummi vitiatus, invalidus eſt, inodorus atque pellucidus, & ἄνοσμος, ut ait Lacuna. Nonnulli capita & folia Papaveris tundunt & preſſa exprimunt, mox terentes in mortario paſtillos effingunt, id Meconium vocatur multum Opio ignavius. Opium quod hodie ad nos convehitur, non eſt illud verum & legitimum è lacryma, quæ ex inciſo papaveris capite exierat concretum, ſed potius hoc ex foliorum & capitum contritorum ſucco confectum eſt, idque Meconium vocatum eſt, Opio longe deterius: hæc Matthiolus. Sic etiam Amatus, quod ex Apulia hodie Venetias afferunt, inquit, revera Meconium potius quam Opium appellari meretur. Opio odor gravis ac vehemens eſt, amarum, os incendit æſtu, inflammabile, unde concludimus licet tribuatur ei vis refrigerandi, eſſe calidum; nam omne amarum eſt calidum; omne inflammabile abundat oleo, idcirco calidum; cumque uti dictum os accendit, quod eſt ſignum qualitatis activæ. Opium in ipſâ Natoliâ compingitur in maſſas non excedentes pondus quatuor unciarum aut ad ſummum ſemilibræ, verum mercatores ut plus lucrentur, multiplicant dimidium addentes, ita ut maſſæ quæ Venetias adferuntur ponderent fere libram unam, hæc Bellonius. Opium chymice præparatum dicitur Laudanum ſeu Laudanum opiatum. Cætera de Opio vide apud Simeonem Pauli pag. 418, 419. 420. uſque ad pag. 424. claſſis tetiæ operis Botanici quadripartiti & Johannem Bauhinum, pag. 392, 393, 394, & 395. lib. 30.*

§. 3. PAPAVER SPINOSUM LUTEUM.

Pars TABULÆ XIV.

Papaver capitatum multicapſulare
- *Peregrinum*
  - 5. *Spinoſum foliis candidis venis notatis flore luteo, nobis. Papaver ſpinoſum, C. B. P. & Prod. Matth. Ed. Bauh.* ☿
- *Erraticum ſive Rhœas*
  - *Flore phœniceo*
    - *Majore*
      - 6. *Simplici.* ☿
      - 7. *Pleno*
        - *Rubro.* ☿
        - *Albo interdum.* ☿
    - 8. *Minore*
      - *Simplici*
        - *Rubro* ☿
        - *Albo* ☿

Expli-

Papaver ſpinoſum luteum foliis albis venis notatis, nobis. Papaver ſpinoſum, C.B.P.& Prod. Cluſ. Hiſt. Ficus infernalis Italorum. Perelegans & plane novum eſt hoc genus Papaveris 70. ab hinc annis à Caſp. Bauhino deſcriptum; pedalem acquirit caulem, digitalis craſſitudinis, rotundum, inferne candicantem, quibuſdam ſpinis obſitum, per quem inordinata naſcuntur folia cauli nullo pediculo adhærentia, ſed medium quodammodo amplectentia, ſinuoſa & aliquot laciniatis diviſa, ipſis laciniis & crenis margines foliorum ambientibus, & in ſpinas deſinentibus, inferne caneſcentia, ſuperne viridia, albis tamen venis per foliorum & laciniarum longitudinem excurrentibus, inſtar foliorum Cardui B. Mariæ vulgo nuncupati, multo minus autem ampla: ex horum alis naſcuntur rami ſpinoſi, ſimilibus foliis, minoribus tamen prædíti, in quorum alis & caulis faſtigio naſcitur capitulum triangulare ſpinoſum in tres majores firmioreſque ſpinas deſinens, quo defluente & dehiſcente flos ſeſe oſtendit quatuor petalis conſtans, colore flavis, corniculati Papaveris vulgatioris floris inſtar, odorem Chelidonii majoris quodammodo referens, caducus admodum, in cujus medio ſeſe exerit capitulum ſpinoſum pentagonum multis ſtaminulis flavis id ambientibus, quod ſumma parte rubeſcit dum tenellum eſt, maturum vero & adultum nigricat & pollicaris eſt craſſitudinis, ſeſquiuncialis longitudinis, frequentibus firmiſque ſpinis obſitum: ſemina continet in loculamentis ſuis rotundis rugoſa, nigra, ſeminis Papaveris ceratitis rubello flore inſtar, ſed majora, cui & perſimilem habet radicem. Annua eſt planta, tota flaveſcente ſucco inſtar Chelidonii majoris abundat. Floret Julio & Auguſto, ſemina paulo poſt matureſcunt rugoſa. An Glaucium Dioſcoridis? Glaucion ſuccus eſt herbæ foliis fere Papaveris corniculati, quæ ſucco crocei coloris copioſo prædita ſunt. Dioſ. lib. 3. c. 100.

§. 4. *PAPAVER RHOEAS ſeu ERRATICUM.*

Papaver erraticum ſeu Ῥοίας Dioſcoridis convenit cum Papavere capitato multicapſulari, quod capita habeat multicapſularia, cum corona rotunda ſtellata ſeu radiata, indigitante multa loculamenta, ſemina multa minuta nigra aut fuſca in ſingulis cellulis continentia, quæ capita ſuccedunt floribus tetrapetalis, ejuſque itidem quælibet pars rupta ſuccum effundit lacteum. Ab eodem differt etiam multis nominibus, primo quod folia habeat obſcurius virentia, magis inciſa, magiſque hirſuta, capitula minora, flores tetrapetalos, minores, Phœniceos, atque ſemina minutiora; eſt majus aut minus.

6. *Papaver* erraticum majus ſeu Ῥοίας Dioſc. Theoph. & Plinii erraticum, Matth. Cord. in Dioſc, Geſn. Hort Dod. Caſt. Cæſ. Thal. Tab. Papaver Rhœas, Lob. Ger. Rhœas puniceo caduco flore, Ad. & Icon. Lob. Papaveri huic erratico majori cauliculi & folia nigriora ſunt hirſutioraque, quæ utrinque altis inciſuris inſtar Cichorii aut Erucæ diviſa: flores è faſtigio cauliculorum pulchro ac rubente phœniceo emicant colore, ſtaminibus nigricantibus capitulum medium ambientibus ſtellatum, & multis loculamentis ſeparatum, radiis in parte ſuperiore ornatum; hujus caput multo minus ſpontanei Papaveris capite, ſemine nigro, potius fuſco plenum: radix minor inutilis exſiccatur poſt ſemina perfecta. Eſt & idem flore albo ſimplici.

7. *Papaver* erraticum pleno flore, C. B. P. Papaver Rhœas flore pleno, Cam. Hort. In ſatis agris inter myriades flore phœniceo refertas, perraro reperitur unum aut alterum flore pleno rubro, albo itidem, ſed rariſſime, cujus ſemen collectum & in hortis ſatum, ſatis frequenter, cum in Gallia tum in Anglia, plantam ejuſdem coloris & plenitudinis producere obſervavimus..

8. *Papaver* erraticum minus, C. B. P. Papaver Rhœas minus, Lugd. Papaver erraticum minus, Tab. Foliis eſt minoribus oblongis, non Erucæ per margines diviſurâ, ſed tantummodo ſerratis, reliquis partibus priori majori ſimilibus. Utrumque una cum Tritico, Secali, Zea, Hordeo, Avena, reliquiſque frugibus, in agris, in hortis etiam gignitur; ubi ſemel repertum ægre extirpatur, ex ſemine quotannis ſeſe multiplicans. Sæpe inter olera ſecus margines hortorum: flores belle colorati ſaturate rubri aut eleganter purpurei: inter myriades reperitur flore albo. Maio ac Junio pulchritudinis venuſtatiſque quandam gratiam arvis conciliant, ruberrimo colore præcipue. Dioſcoridi eſt μήκων ῥοίας, Latinis Papaver erraticum Gazæ dicitur. Papaver fluidum officinis. Papaver rubrum & Rhœas, quod ei cito flos defluat. Decidunt tamen flores æque & aliis Papaverum generibus, etiam & corniculatis; nulli Papaveri diutinus aut durabilis flos eſt, omnium herbarum fere citiſſime pereunt eorum flores. Eſt enim omnibus tam Papaveribus quam Argemonis commune, flores antequam expan-

dantur membrana quadam tenui ac veluti vagina quâdam contineri, quæ, ipſo ſe exerente flore, in duas dehiſcens delabitur partes, quibus apertis quaterna petala apparent cito poſt defluentia. Rhœadis itaque nomen non modo huic ſed & aliis eadem de cauſa commune eſſe poteſt, ſi modo à floris facili acceſſerit delapſu; quod ſi à ſeminis profluvio (uti apparet) Rhœadis cognomen acceſſerit, ſilveſtri quarto ſpontaneo noſtrati proprium etiam erit, cujus uti dictum citiſſime ac facillime ſemen excidit: defluit huic erratico, ſed minus manifeſte.

§. 5. ARGEMONE.

Αργεμώνη *in totum Papaveri ſilveſtri ſimilis Dioſc. lib. 2. cap. 208. radicem rotundam tribuendo, quod noſtræ non convenit. Sic dicta quod* ἄργεμα *oculorum nubeculas expurget. Plinio lib. 25. c. 9. Argemonia. Noſtri tria genera faciunt, & id demum probant, cujus radix thus redoleat. Sed videtur Plinius quatuor genera agnoſcere, ut lib. 21. cap. 23. Anemonen quam Argemonen vocari dixit; 2. genus hoc eſt; 3. genus lib. 24. cap. 19. Lappam canariam cujus radix jucundum odorem, thuri ſimilem ſpirat Argemonen nuncupari tradit: quartum genus ſtatui poteſt Inguinaria, quam lib. 26. cap. 9. etiam Argemonen appellari teſtatur.*

Argemone adeo Papaveri ſimilis eſt in omnibus ſuis partibus eſſentialibus ut ejus notam genericam aſſignare difficile admodum ſit. Convenit cum Papavere in multis, primo quælibet ejus pars rupta ſuccum effundit lacteum, florem gerit tetrapetalum, cui ſuccedit ſiliqua multicapſularis, cum coronula ſeu operculo radiato; ſed differt quod flores tetrapetalos multo minores Papaveris, imo Papaveris Rhœadis duplo minores, & obſoleti ſeu dilutioris, rubri coloris, ſiliquas hirſutas ſeu hiſpidas fert, atque hiſce notis præcipue diſtinguitur Argemone rubra à Papavere Rhœade. Argemones ſpecies datur capite glabro, multo longiore Papaveris Rhœadis capite: ſpecies Argemones quæ ſunt flore luteo, primo intuitu facilius diſtinguuntur à Papavere Rhœade, & reliquis flore rubro donatis Argemonis ſpeciebus, à colore floris.

Pars TABULÆ XIV.

Papaver capitatum multicapſulare, dictum Argemone
- *Flore*
  - *Phœniceo coloris obſoleti, capite*
    - *Hirſuto*
      - 9. *Breviore torulis canaliculato.* ☿
      - 10. *Longiore.* ☿
    - 11. *Glabro longo, nobis.* ☿
  - *Luteo*
    - 12. *Cambrobritannica, nobis. Argemone Cambrobritannica lutea, Park.* ☿
    - 13. *Coriandri folio, nobis. Argemone Coriandri folio, C. B. P.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæquartæ.

9. *Argemone* capitulo hirſuto rotundo torulis canaliculato, nobis. Argemone capitulo breviore, C. B. P. Argemone capitulo breviore hiſpido, J. B. Chabr. Argemone capitulis torulis canaliculatis, Lob. Ger. Folia emittit Adonidis Papaveriſve corniculati violacei, tenuiter diſſecta, alba, ſerrata, piloſa: caules ex radice ſimplici, gracili, multos, pedales, & majores, hirſutos racemoſos: flores ſunt minores punicei, dilutius tincti, tetrapetali, magnitudine Papaveris Rhœadis floribus multum cedentes, & colore non tam eleganti rubello quam eſt Papaver Rhœas, formâ tamen papaveraceâ; hiſce evanidis ſingulis ſuccedunt capitula ſingula ovata ſeu rotunda, Melonis parvi figurâ, canalata ſeu torulis & ſulcis prædita, undique pilis rigidis ſcatentia ſeu hiſpida, operculo parvo ſtellato ſeu denticulato tecta, radiorum numero in operculo indigitante numerum loculamentorum ſeu cellularum membranis diſtinctarum, tanquam tot diaphragmatis intervenientibus, prædictas cellulas ſeparantibus, quibus adhuc viridibus adhærent plurima minuta, alba, rotunda ſemina, matura nigra rugoſaque.

10. *Argemone* capitulo tenuiore longiore hirſuto, nobis. Argemone capitulo longiore, C. B. P. Lob. Lugd. Ger. Argemone capitulo longiore ſpinoſo, J. B. Chabr. Foliorum hujus diviſio minuta, Nigellæ citrinæ inſtar, pilis aſperis obſitorum, tum per caules, tum per ramos

ramos aſperos hirſutoſque naſcentium: flores admodum caduci, obſolete purpurei, duplo aut triplo minores quam Papaveris Rhœadis, quique capitula poſt ſe relinquunt longiora, tenuiora, brevibus confertis ſpinulis mitiuſculis hiſpida, parum cauliculata, multis loculamentis ſeparata, in quibus ſemina multa minuta, nigra, rugoſa matura concluduntur: radix longiuſcula ſimplex, quæ ſemine maturo inutilis relinquitur. Utraque hæc Argemones ſpecies paſſim reperitur in arvis ſegetalibus, & ſecus foſſarum margines; præcipue eundo Londino verſus pagum **Chelſee** copioſe & hæc & prior conſpiciuntur æſtate florentes, & verſus ejuſdem finem capitula ſeminibus onuſta gerentes. Florent Maio & Junio, & per totam æſtatem ſemina perficiunt, ex quibus deciduis pullulant & creſcunt in vernum tempus, quo incipiunt protrudere caules & conſequenter floſculos & capitula hiſpida.

11. *Argemone* capitulo longiore glabro, nobis. Folia hæc habet magis diſſecta breviora & magis glauca quam ſunt Papaveris Rhœadis folia, minus autem quam folia Argemones è capitulo breviore & hirſuto; florem fert obſolete phœniceum, parvum, cui ſuccedit capitulum unciale glabrum (quâ notâ à prioribus duabus capitulis hirſutis facile diſcernitur) in loculamentis pluribus triangularibus continens plurima minuta ſemina, nigra, matura, aſpera, aliorum Papaverum & Argemonarum ritu.

12. *Argemone* Cambrobritannica lutea capite longiore glabro paucis ſpinulis ad loculamentorum juncturas ornato, nobis. Argemone Cambrobritannica lutea, Park. Folia plurima protrudit hinc inde inordinatim longiuſculis pediculis coſtæ mediæ adhærentia, uno coſtæ mediæ extremum claudente, in ambitu profunde ſerrata, ſaturate viridia, inter quæ oritur pediculus pedalis & altior aliquando, cui adnaſcuntur quædam foliola minora ad eundem modum diſpoſita: in ſummis caulibus eorumque alis proveniunt flores lutei, ampli, rotundis quatuor petalis conſtantes, pluribus ſtaminulis in medio ornati, circundantes capitulum minus, ſub exortu adultius longum, viride, quod floſculis deciduis maturum majus eſt, & longius cæterarum Argemonarum capitibus, tenuius verſus caulem, craſſius verſus coronam ſeu operculum in varias cellulas ſeu loculamenta diviſum cæterorum Papaverum & Argemonarum more, paululum hiſpidum in juncturis loculamentorum: plurima minuta ſemina, nigra matura & rugoſa in ſe continent ſingula capitum loculamenta: radice conſtat longa, extra fuſca ſeu ruffâ in multas alias fibrillas diviſa, quæ ſingulis annis non perit ut ſuperiores Argemones ſpecies, ſed multos annos durat. Provenit in Cambrobritannia, eundo ex comitatu **Carnervan**, ſecus vias & ſemitas, non procul à vico dicto **Llanberris**.

13. *Argemone* Coriandri folio, C. B. P. Argemone lutea, Pon. Ital. Oritur ex radice palmari, coloris ſubnigri verſus mucronem in plurimas fibrillas diviſâ, ex qua immediate protruduntur multi caules palmares, recti, nudi, hirſuti; in quorum cimis proveniunt flores papaveracei, tetrapetali, lutei, omnium minimi: quibus evanidis ſubveniunt brevia, viridia, hirſuta capitula, operculo ſtellato tecta, repletis loculamentis ſeminibus minutis, ut videre eſt in cæteris antedictis; in medio prædicti floris tetrapetali conſpiciuntur ſtaminula alba cum apicibus luteis. Folia exeuntia ex radice per terram ſternuntur formâ foliorum Ranunculi Coriandri folio, leviter hirſuta, ſaporis acuti, ſed multo minoris, quam in Arnemone. Naſcitur in monte dicto *Vette* ſupra *Feltre*.

§. 6. *HYPECOON.*

ΥΠΗΚΟΟΝ, οἱ δὲ ὑπόφεων, *Papaveri Dioſcorides l. 4. cap. 68. ſubjicit, cum eadem ei ſit natura, quæ ſucco Papaveris. Et Plinius l. 27. c. 11.*

Hypecoon etiamſi mihi videatur planta ſui generis, tamen propter florum & ſiliquarum aliquomodo cum ſiliquoſis convenientiam Papaverum claſſi hic ſubſtituendam haud abs re fore putavimus: eſtque quoad ſiliquam duplex; vel ſiliquis articulatis, vel bivalvibus, de quibus hoc loco dicemus: fortaſſis nullibi aptius quam hic collocari poſſunt, quippe quod ſiliquoſæ ſunt plantæ.

Hypecoon { *Siliquis* { 1. *Erectis articulatis incurvis, nobis. Hypecoon legitimum, Cluſ. Hiſt.* ☿
2. *Propendentibus non articulatis bivalvibus, nobis. Hypecoi altera ſpecies, C. B. P.* ☿

1. Hypecoon ſiliquis erectis articulatis incurvis, nobis. C. B. P. Hypecoon, Geſn. Hort. Dod. Cluſ. Hiſt. Hypecoon legitimum, Cluſ. Hiſt. Cuminum ſilveſtre, Dioſ. Italorum, Lob. Obſ. Cuminum corniculatum, Ger. Folia ſunt huic plantæ multis inciſuris diviſa,

 figura

figurâ, colore, & aſpectu Rutæ tenuifoliæ foliis valde ſimilia, molliora tamen, & interdum longiora: cauliculi qui in aliquot ramos diviſi puſillis floribus onuſti ſunt, flavis, ſatis odoratis, ſenis foliis conſtantibus, ſed miranda figurâ à reliquis floribus diverſâ, nam flos inferius duo habet folia reliquis majora, nervo viridi foris extrema parte tecta (quæ obtuſior eſt & veluti compreſſa) quæ fuere loco vaginæ quatuor aliis petalis perexiguis & vix niſi expanſo flore conſpicuis: floribus ſingulis ſic conſtructis & deciduis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ articulatæ, in ſingulis ramulis quaternæ aut plures, longæ, planæ, articulis ſeu internodiis diſtinctæ, falciſque inſtar incurvæ, ſemen in ſingulis internodiis unicum, nigrius, longiuſculum, quod difficulter admodum eximi poteſt, continentes: radix ſingularis ſubflava, interdum, bifida, multumque fibroſa; annua tamen, nec vivax: tota planta ingrati admodnm ſaporis. Primum iſtam plantulam obſervavit Carolus Cluſius in Gallia Narbonenſi ſupra *Nemauſum* urbem, inter *Aigmargues* & *Vover* Arelatenſi itinere: deinde valde copioſam inter ſegetes, agro Salmanticenſi, totaque Caſtella, & Granatenſi, itemque Murciano Regno. Florebat illic Martio & Aprili; ſemen Maio maturum erat. Apud nos Septentrionales provenit quidem, ſed longe tenerior, quam ubi ſponte naſcitur, veluti Papaver corniculatum flore violaceo.. Videtur hæc planta plurimum accedere ad Hypecoi Hiſtoriam quod Græcis ὑπήκοον, & aliis ἀπόφεαν dicitur; & certe nulla adhuc conſpecta planta, quæ ad Dioſcoridis Hypecoon magis accedat, opinione Car. Cluſii. Non deſunt quidam qui ad Cuminum ſilveſtre alterum, Dioſcoridi deſcriptum, referre malint, licet facultates ſunt diſſimiles, ut monſtrabimus in Hallucinationibus ad finem hujus paragraphi.

2. *Hpecoon* ſiliquis propendentibus non articulatis bivalvibus incurvis, nobis. Hypecoon alterum ſeu Hypecoi altera ſpecies, C. B. P. Cuminum alterum Dioſcoridis ſiliquoſum, Ad. Lob. Et Cuminum alterum Dioſc. ſilveſtre ſiliquoſum, Lob. Icon. Cuminum ſilveſtre ſiliquoſum Penæ, Lugd. Cuminum ſiliquoſum, Ger. Hoc priori valde ſimile eſt, niſi quod folia producat anguſtiora, longiora, glauca magis, tenuius diviſa, foliorum Seſeleos Maſſilienſis æmula: caules ſunt læves, foliis & ramis onuſti, ex quorum alis exſiliunt flores pentapetali flavi, in mucronem definentes; quibus ſubveniunt ſiliquæ longæ, pendentes, non erectæ, non recurvæ, nec articulatæ, ut ſunt ſuperioris ſiliquæ, continentes in ſe ſemina flava, majora ſeminibus præcedentis, Galegæ ſeminibus conformia. Natales communes cum ſuperiore habet, teſte Lobelio; atque eâdem tempeſtate anni floret. A priore ergo toto cœlo differt, primo foliis longioribus, anguſtioribus & magis glaucis, deinde & præcipue ſiliquis non rectis articulatis, ſed pendentibus, bivalvibus, deorſum recurvis non ſurſum erectis.

Utraque hæc planta malè à Caſparo Bauhino cæteriſque authoribus ipſi monſtrantibus viam Cuminum appellatur, cum Cuminum proprie dictum ſit Umbella ſemine ſtriato, foliis tenuiſſime diviſis, ut docuimus in doctrina Umbellarum Sectione nona cap. de Cumino; atqui hæ duæ plantæ ſunt ſiliquatæ, & floribus & ſiliquis toto cœlo & fine ultimo à Cumino umbellifero prædicto diſcrepantes; ergo non ſunt authoribus ſub Cumini nomine deſignandæ, nec Umbellis aſſociandæ, ſed ſiliquoſis ſuis congeneribus adaptandæ, & forte nullibi aptius quam Papaverum claſſi jungendæ: quicunque melius eaſdem diſpoſuerit, ipſi dabo manus; confiteor quamvis ſint ſiliquoſæ, inter ſe diſcrepantes, poſſunt tamen ſiliquoſis tetrapetalis adjungi, quoad aptior inveniatur locus eis. Sunt revera plantæ heteroclitæ ſtricte loquendo, ſed propterea quod ſint ſiliquoſæ, hunc impræſentiarnm, & jure, ſibi vendicabunt locum.

S I L I Q U O S Æ

Multicapſulares variantes & floribus & capſulis.

CAPUT XVI.

§. I. BALSAMINA FEMINA ſeu Noli me tangere.

BAlſamina mas *Cucumis phœniceus dicitur, quod ex pomis ipſius immaturis oleo injectis, inſolatione oleum ſeu Balſamum, ut Chirurgi vocant, ad vulnera conſolidanda præſtantiſſimum conficiatur.* [De hac Balſamina mare ſeu Cucumere phœniceo diximus ſupra Sectionis primæ

primæ pag. 33. qua ratione ab authoribus hæc herba dici debeat Balſamina, ignoratur; ſed Noli me tangere aut Impatiens herba apte ſatis dicitur propter rationes ſequentes à nobis adferendas.

Balſamina femina, ſeu aptius Impatiens herba, aut Noli me tangere, nobis. Hanc habet notam genericam, qua ab omnibus aliis facile diſtinguitur, quod flos ejus producatur anterius patens ſeu hians cum rictu calathi inſtar, & cum calcari ſeu corniculo tenui Naſturtii Indici aut Linariæ Dalmaticæ more in recurvam caudam deſinente: flori ſic conſtructo ſuccedit ſiliqua multis loculamentis diviſa, quæ contractis valvulis ſingulis vermiculorum aut ſpirarum more in ſe convolvitur ſi tangatur matura, unde illi appoſite ſatis Impatientis herbæ, aut Noli me tangere nomen inditum: hoc illi cum Naſturtii ſpeciebus quibuſdam eſt commune, à quibus in partibus tamen eſſentialibus longe differt. Eſt vel flore rubro, vel luteo; de illo primo, de hoc poſtremò dicemus, hoc paragrapho primo.

TABULA XV.

Balſamina femina { *Flore* {
- 1. *Rubello* { *Perſicæ folio ſeu Noli me tangere flore purpureo, nobis. Balſamina femina Perſicifolia, Ad. Lob.* ☿
- 2. *Luteo* { *Mercurialis folio ſeu Noli me tangere flore luteo, nobis. Impatiens herba, Dod.* ☿

3. *Seſamum, Dod. Ger. Matth. Seſamum verum Lugd. Cam.* ☿
4. *Melochia ſive Corchorus, Cam. Park. J. B. Chabr. Olus Judaicum Avicennæ, quibuſdam, & Moluchi Arabum Rauwolfii.* ☿
5. *Capparis Fabago Portulacæ folio, nobis. Capparis leguminoſa, Lob. Tab. Fabago, Dod. Ger.* ⊙
6. *Leontopetalon (id eſt leoninum folium) Ad. Lob. Leontopetalum, Matth. Geſn. Hort. Lob. Dod. Lugd. Eyſt.* ⊙
7. *Leontopetalo affinis foliis quernis, C. B. P. Chryſogonon, Park. J. B. Chabr.* ⊙

Soldanella {
- 8. *Major, Cluſ. Hiſt. Ger. Park.* ⊙
- 9. *Minor, Cluſ. Hiſt. Ger.* ⊙

Iſatis {
- 10. *Sativa vel latifolia, C. B. P. Glaſtum ſativum, Park. Hiſt. Lugd.* ☿
- 10. *Silveſtris vel anguſtifolia, C. B. P. Glaſtum ſilveſtre, Cam. Turn.* ☿

Explicatio Tab. decimæquintæ.

1. Herba impatiens ſeu Noli me tangere flore patulo eleganter dilute rubente, nobis. Balſamina femina Perſicifolia, Ad. Lob. Balſamina femina, Cam. Tab. Eyſt. Ger. Balſamina, Dod. Lugd. (cum Matth. & Fuch. figura) Balſamina amygdaloides, Geſn. ad Cord. Catanance, Cæſ. Hæc caules promit non tenues aut viticuloſos (ut Balſamina mas, quæ Charantia dicitur Dodonæo, nobis autem Cucumis Phœniceus, de quo inter Cucumeres pag. 33. Sectionis primæ egimus) ſed rectos, craſſos, ab imo ramoſos, glabros, læves, ſuccoſos veluti Portulacæ, inferius nonnihil ſæpe rubentes, circa quos folia oblonga, acuminata, Salicis aut Mali Perſicæ arboris foliis nonnihil ſimilia, per marginem tenuiter ſerrata, è quorum ſinu duo aut tres, nunc plures flores erumpunt, inſidentes ſubrubentibus pediculis, anterius latiores ac patentes, poſterius in calcar ſeu tenue corniculum Naſturtii Indici more veluti in recurvam caudam deſinentes, colore elegante dilute rubentes: quorum ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ rotundæ, aſperæ, hirſutæ, Charantiæ Dodonæi fructu multo minores, per maturitatem luteæ, quæ ſponte aperiuntur, aut tactæ finduntur in quaterna aut quina loculamenta, valvulis extrinſecus luteis factis, immediate poſt tactum ſpargentibus ſemina oblonga, teretia, fuſca; flos ante Autumnum apparet: ſemina medio Autumno matureſcunt, fructus inquam vel levi contactu valvulis ſeſe contrahentibus cum ſubito ſtrepore, timorem incutientes, ſemina circa manum tangentis ſpargunt. Plerique Charantiæ Dodonæi Balſaminæ mari dictæ facultate ſimilem affirmare audent, ſed temere, cum hujus experimentum

à quoquam factum non conſtet; melius & aptius ei convenit nomen Impatientis herbæ ut colligere eſt ex deſcriptione allatâ. De hujus facultatibus nihil aſſerendum eſt. Ubi ſponte proveniat non liquet, ſed ſatis frequentem ex ſeminibus ad nos delatis, in hortis noſtris videmus.

2. Impatiens *herba* ſeu Noli me tangere flore patulo luteo, nobis. Balſamina femina lutea ſeu Noli me tangere, C.B,P. Noli me tangere, Geſn. Hort. (cui & Milium caprearum) Cam. Tab. Eyſt. J. B. Chabr. Perſicaria ſiliquoſa, Ad. Lob. Lugd. Cam. Thal. Impatiens herba, Dod. Balſamita altera, Col. Summo ceſpite radices figit fibroſas, à quibus caulis ſurrigitur cubitalis, dilutiſſime virens, inanis & diaphanus, copioſum ſuccum inſipidum compreſſus remittens, poſt intervalla ſingulorum geniculorum tubercula tophorum podagricorum æmula gerit: folia Cynocrambes latiora, obtuſiora, in ambitu ſerrata, mollicella; ex quorum alis pedicelli teneri, in quibus ex duobus foliolis ſeſe explicant flores, Naſturtii Indici floribus aſſimiles, minores, corniculo intorto flavi, aut ex flavo pallentes aut rubentes punctulis rubris ſaturatioribus guttati, in quorum medio ſtamina exalbida: quibus ſuccedunt ſiliquæ unciales quinque loculamentis diſtinctæ, totidemque valvulis conſtructæ, unciales & quandoque ſemiunciales, anguloſæ, quæ luteſcentes maturo ſemine levi contactu ut prioris ſiliquæ ſemine excuſſo deſiliunt, & valvulæ vermium ſpirarumve more contrahuntur, & timorem eaſdem tangentibus incutiunt. Unde Impatientis ſeu Noli me tangere nomen aptius ob hanc rationem, & huic, & priori aſſignatum: radix tenuibus fibris terræ cohæret. In Germaniæ, Bohemiæ, Galliæque ſilvis, tum & alibi umbroſis foſſis reperitur. Adoleſcit cito, ac facile ſemina ſua ſpargendo, in hortorum umbroſis provenit locis; poſt æſtatis finem pullulat ex ſemine, & verſus Veris initium frequentius. Floret æſtate ac verſus ejuſdem finem & Autumni initium ſemina iterum ſpargendo ſponte ſeſe ſeminat. Planta eſt annua, hyemem ægre apud nos ſuſtinet, ſingulis tamen annis verna tempeſtate regerminat ex ſemine ſuperioris anni ſparſo, niſi priuſquam ſemina maturuerint fuerint excuſſa.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Hanc poſteriorem plantam Noli me tangere dictam in oleo Liliorum aut Chamæmeli decoctam & applicatam, urinam movere Geſnerus eſt author. Idem viro ſtranguria laboranti folia ejus utiliter impoſuit, & miram etiam vim habere in urina cienda dicit. Folia quina aut ſena in poculum vini injecit vinumque mulieri στραγγυρίᾳ *laboranti porrexit, & vino epoto ſtatim melius ſe habuit. At Impatiens hæc herba facultate fertur pernicioſâ & inter deleteria habenda, teſte Dodonæo.*

§. 2. SESAMUM.

Cum Dioſcorides & Theophraſtus Seſamum inter fruges retulerint: & Plin. lib. 18. *c.* 10. *frumenta æſtiva dixerit Seſamum, Milium, Panicum &c. Theophraſtus* 2. *cauſ. plant.* 17. *Semina hæc, Milium, Seſamum, Eryſimum inter fruges repoſuit: &* 6. *cauſ. plant.* 19. *Seſama & Eryſimum ſicca cibo idonea, non vero viridia ſcripſit, Seſamum & Seſama ſimiliter Dioſcoridi lib.* 2. *c.* 121. *Theophraſtus plurimis locis* σήσαμον *aliis* σησαμὴ *dicitur.* Nunc de Seſamo dicemus, quia eſt multicapſularis planta erit hujus loci,& inter multicapſulares ſuas affines plantas collocabimus, non autem inter frumentaceas aut Cereales plantas Milium & Panicum, ut Theophraſtus & Dioſcorides pertractarunt. Eryſimum Cereale aut Fagopyrum cum ſit planta ſemine triquetro Lapathi adinſtar, ad Lapathum, Acetoſam, Biſtortam & cæteras plantas Sectione quinta explicandas amandabimus.

3. *Seſamum*, Matth. Lob. Dod. Caſt. Tab. Seſamum verum, Lugd. Cam. Cord. in Dioſcoridem. Geſn. Hort. J. B. Chabr. Sempſem, Alpin. Per caulem cubitalem folia habet ſemiuncialibus pediculis hærentia, craſſiuſcula, ex atro virore nonnihil rubentia, oblonga, acuminata, ſubinde quoque, ſaltem inferiora, ſinuata: ex caulis alis flores emicant calythi forma, rictu majore anterius donati, poſterius craſſa ſatis tuba cava præditi, albi, quibus ſingulis deciduis ſubveniunt ſiliquæ rectà ſecundum caules aſcendentes, quatuor loculamentis totidemque valvulis donatæ, in quarum ſingulis ſeries unica ſeminum exalbidorum compreſſorum continetur, duplici medulla præditorum. Hujus ſemen ex Græcia & Peloponneſo ad nos convehitur, & apud Seplaſiarios extat venale. Sic ait Matthiolus,planta cujus Icon ab auctoribus pro vero & genuino Seſamo exhibetur, non eſt genuinum Seſamum, quia refragatur hiſtoriæ

hiſtoriæ, quam de Seſamo Theophraſtus & Plinius tradiderunt, quod imprimis culmum non gerat Milio craſſiorem, altiorem numeroſioremque, nec radices longe plures &c. ſed ſcapum Fabæ æmulum, in quo gradatim Fabarum more ſiliquæ exeunt triquetræ aut tetraquetræ: ſit ergo Pſeudoſeſamum, Cam. ep. officinis vulgo Gingolena, Nos hic inſeruimus propter ſiliquam multicapſularem cum ſuis ſimilibus nomine nihilominus diverſis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Oleum quod Ægyptii Sitis *appellant, ad cibos in frequentiſſimo eſt uſu. Plantæ decocto utuntur in fotu ad opthalmias, ad tuſſim, anhelituſque difficultatem, peripneumoniam, pluritidem, & minores duros ſchirros: mulieres pro uteri duritie inſeſſiones faciunt, & utuntur ad capitis furfures livoreſque faciei, & ad tumores ſchirroſos: plantâ & ſeminibus coctis cum melle ad exſiccatos nervos, ad combuſtas partes, ad calidas inflammationes; decocto clyſteribus ad colicos dolores, & ad emolliendam alvum utuntur, & ad movendas menſtruas purgationes. Seminis ad cibum uſus eſt antiquus, pauci eſt nutrimenti. Oleum feceſque bibere, ut impingueſcant mulieres in balneis familiariſſimum habent; oleo etiam ad multa alia uti Ægyptii conſueverunt, quippe ad cutis puſtulas, aſperitatem atque omnem defœdationem ex melancholico humore ortam, tùm epoto, tum in cibis uſurpato, vel ipſis affectis partibus inunctis. Secretum apud quoſdam, ad cutis pruritus ejuſdem decoctionem quatuor uncias multis diebus bibendam exhiberi. Ex Seſamo fit oleum quo Ægyptii utuntur, quod auribus, Plinio teſte, utile eſt. Non ſolum hæc Ægyptiis manifeſta fuerunt, ſed multi alii eadem ex ipſis memoriæ prodiderunt, ut Rhaſis, Avicennas, Hali, Serapio, atque alii.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 27. col. 1. Seſamum a Caſparo Bauhino male hic collocatur inter Panicum & Phalaridem, quippe frumentarias plantas, culmis, graniſque paleis incluſis præditas; cum Seſami ſiliqua multis loculamentis donata ſit, atque florem patulum cavum anterius & calcari poſterius donatum habeat, nullatenus hac ratione inter Cerealia diſponi debet, propter uſum in culina apud Ægyptios, non plus quam cætera oleracea quæ ab uſu poſſunt ſimul collocari; at a fine ultimo, videlicet floribus, ſeminibus & capſulis ſeminalibus longe recedunt a ſeinvicem, & ſub diverſis ſignis militantes diverſimodi a nobis diſponentur.

§. 3. CORCHORUS ſive MELOCHIA.

Corchori duplicis meminit Plinius: alterius lib. 25. *c.* 13. *Anagalidem intelligens:* [de qua inter pentapetalas capſula rotunda donatas Sectione quinta agemus,] *alterius lib.* 21. *c.* 15. *inter herbas ſponte naſcentes & in cibis uſitatas: & l.* 21. *c.* 32. *Alexandrinorum cibus convolutis foliis ad ſimilitudinem Mori, &c. Et Alpino facultate ſimilis eſt Althææ, & Ægyptiis nil familiarius aut gratius. Et Judæi cocta folia cum carne edunt, quæ ſapore Acetoſæ prædita ſunt annotante Rauwolfio in ſuo Hodeporico.*

Corchorus Plinii, Lob. Lugd. Melochia ſive Corchorus, Cam. Corchorus veterum, J. B. Chabr. Olus Judaicum Avicennæ quibuſdam & Melochia Arabum Rauwolfii. Corchorum oleraceis adnumerat Theophraſtus, qui ob ſui amarorem in proverbium (quod alii ſic, Corchorus inter olera) abiit, ejuſque folium Ocimum æmulatur. Plinius iis, quæ ſponte naſcuntur, quibus pleræque gentium in cibis veſcuntur. Corchorum Alexandrini cibi herba eſt, convolutis foliis ad ſimilitudinem Mori. Hæc planta obſervatur caule cubitali lævi: foliis Cynocrambes vel Mercurialis majoribus, duas aut tres uncias longis, ſeſquiunciam latis, per ambitum ſerratis, quæ parte ima barbulam utrinque unam ſeu apophyſin ligulæ inſtar tenuem poſſident: ſiliquæ brevi pediculo hærent ſingulares, quatuor aut quinque uncias longæ, ſtriatæ, ſenſim uſque ad mucronem attenuatæ; compluria ſecundum longitudinem (quinque ordinarie) habentes loculamenta, in quorum ſingulis unica continetur ſeries ſeminum ſubviridium aut ſubcæruleorum, anguloſorum, parum guſtu viſcidorum, flores, teſte Alpino, parvi ſunt, & crocei, Leucoi floribus minores.

TEMPERAMNTUM & VIRES.

Corchorus *ſeu Melochia præcordiis, ut ferunt, utilis, alopeciiſque & lentigini. Boum quoque ſcabiem celerrime eâ ſanari invenimus apud Nicandrum, & ſerpentium morſus antequam floreat; ſed cum Theophraſtus Corchorum Ocimi folio dixerit, mirum eſt Plinium ex alio fortaſſe authore ſcripſiſſe, Corchorum herbam eſſe Convolvuli foliis ad ſimilitudinem Mori. Quare quidam legunt (ii ſcilicet qui Corchorum Piloſellam majorem eſſe concludunt, de quo nos ſuo loco inter papeſcentes dicemus) commaculatis foliis ad ſucci Mori ſimilitudinem, quæ in ea perſpicere liceat. Semina Melochiæ in maximo uſu ſunt apud Ægyptios, ad omnes affectus, quibus ſemina Althææ conducere compertum eſt. Nam Melochia facultate plane Althææ ſimilis videtur, perinde ad ſuppurandos, reſolvendos atque emolliendos tumores duros ejus maximus uſus eſt, habet etiam majorem viſciditatem ejus muſcilago quam Althææ. In cibis nihil eſt familiarius vel gratius: herbam ipſam decoquunt in aqua vel jure carnium, ut nos Betam elixare ſolemus; convivia carentia Melochiæ ferculis ab his parum reputantur: ex ejus cibo multi male ſe habent, parum nutrit, ac ſuccum viſcidum gignit, ex quo difficiles viſcerum obſtructiones. Foliorum decoctum eſt pectori amicum, ipſum enim humectat, ex quo ſiccis aſperiſque tuſſibus præſentaneum cum ſaccharo candido fit auxilium; atque ægre ſpirantibus ſemina pondere duarum drachmarum ſumpta capioſiſſime purgant omnes humores. Alpinus & Rauwolfius acidi ſaporis herbam eſſe dicunt, quibus ſi credendum, prædictis contrarias habet qualitates. Creſcit copioſe in hortis Chalepi, unde ſemina ad nos miſſa operâ nunquam ſatis laudandi amici noſtri Roberti Huntington, Chalepi nunc degentis.*

§. 4. CAPPARIS FABAGO PORTULACÆ FOLIO.

Capparis Portulacæ folio, C. B. P. Capparis leguminoſa, Lob. Tab. Fabago, Dod. Ger. Capparis ſilveſtris ſive Fabaginea, Cam. ep. Ardifrigi Avicennæ Rauwolfii, Lugd. App. Fabago Belgarum, Lugd. Telephium Dioſcoridis & Plinii, Col. Ad Capparem etiam referre recentiorum Botanicorum quidam ſtudent, Capparim Fabaginem appellantes. Non fruticis ſed herbæ ſpeciem præ ſe fert. Cauliculos promit hæc teretes, læves, ramoſos, & circa hos folia habet lata, oblonga, craſſiuſcula, minora quam Capparis, Portulacæ magnitudine, ſpiſſitudine, & tota ſubſtantia Portulacæ æmula: ab imo pediculo, bina ſaturato colore, una cum cauliculis virentia profert; flores vero, priuſquam pateant rudimentorum Capparis florum ſimilitudinem referentes, completos autem inalbicantes: ſtaminibus aliquot luteis aureiſve mediis ſuccedunt ſiliquæ unciales pluribus loculamentis ſeu cellulis diſtinctæ, in quarum ſingulis unico ordine latent plurima ſemina compreſſa, oblonga, ſubnigra aut fuſca: radix tenuis in diverſa tendit. Perennis eſt planta ſi à rigore hyemis defendatur. Quibus locis gaudeat ſponte, ignoratur, ſed in hortis noſtris colitur ſumma cum cura hortulanorum. Avicenna ſic ſcribit, Eſt herba, inquit, ſimilis Cappari, acuti valde odoris & gravis, habens fructum in vaginis, quod non ſine ſuſpicione tranſcribentium pro ſaporis, vox odoris ſuppoſita. Capparis Fabago cum Ardifrigi convenire poſſe videretur, ſed quis hoc temere affirmaverit? veriſimile tamen quod hæc planta intelligatur. Sit interim Capparis Fabago, nec aliam lector requirat impræſentiarum denominationem. De facultatibus nihil occurrit ſcribendum.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 480. Capparis Portulacæ folio, C. B. P. Capparis Fabago, Dod. Ger. Capparis leguminoſa, Lob. Tab. Male a Caſparo Bauhino Capparis Fabago herba multicapſularis collocatur cum Cappare ſubfrutice baccifero, neutiquam enim in fine ultimo conveniunt, ſed longe in omnibus recedunt ſequendo ductum naturæ; ergo male herba jungitur ſubfrutici propter nomen commune utrique, & male adaptatum; male inquam a primis imponentibus junguntur Capparis Fabago herba, & Capparis fruticoſa ſpinoſa baccifera. Sit ergo Fabago a ſimilitudine foliorum cum Faba, & multicapſularis a numero capſularum, hiſce ſuis conſortibus aſſocianda, non autem Capparum verarum familiæ, cum quibus nil habet affine in ſuis partibus eſſentialibus.

§. 5. LE-

§. 5. LEONTOPETALON.

Λεοντοπέταλον *Dioſcoridi lib.* 3. *c.* 110. *Leontopetalon, quod alii Rhapeion, l.*27. *c.* 11. *Dioſcoridi flos punicei coloris Anemone ſimilis: cujus Plinius non meminit: at luteum ſolum obſervavimus.*

Leontopetalon (id eſt leoninum folium) Ad. Lob. Leontopetalum, Matth. Geſn. Hort. Lob. Dod. Eyſt. Park. Ger. Leontopetalon quorundam, J. B. Chabr. Radix rotunda pugnum implet tuberibus multis, inæqualis, cortice cinereo, pulpa virente ex luteo, ſapore amaro: huic pediculi exeunt pedales, trifariam diviſi, quorum ſingulæ diviſiones bina aut terna gerunt folia fere rotunda, alia integra, alia laciniata, & veluti criſpa, colore ex glauco flaveſcente, venoſa: flores in uncialibus pediculis, oblongis foliis interjectis, in caulibus ſpicatim congeſti, lutei Ranunculi florum magnitudine, quinq; ſtriatis longis conſtant apicibus luteolis umbilicum circumſtantibus; quibus marceſcentibus progrediuntur pediculi ad palmarem longitudinem, in extremo utriculum venoſum Halicacabi inſtar ſuſtinentes: ſemen nigrum Cannæ Indicæ ſemini perſimile. Hanc plantam ejuſque nigram extuberantemque radicem Rapi inſtar, Matthiolus non modo Venetiis & Patavii in quibuſdam hortis, ſed etiam in Hetruriæ arvis aliiſque Italiæ locis naſci frequenrer, ſicut in Apulia, ait: reperitur & in Creta aliiſque provinciis ac Inſulis Meridiem & Orientem verſus: flores, teſte Petro Bellonio, hyeme profert.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Leontopetalon, *authore Galeno, digerendi, excalefaciendi, & exſiccandi facultatem in tertio ordine poſſidet. Radix, inquit Dioſcorides, in vino ſumpta demorſis à ſerpentibus auxiliatur, citiſſime dolorem ſopiens. Miſcetur enematis Iſchiadicorum.*

§. 6. CHRYSOGONON.

Χρυσογόνε *Dioſcorides l.* 4. *c.* 56. *meminit, quod aliqui Jacobæam maritimam, alii Tormentillam cenſent, cum tamen ſui generis ſit, ſicut & Leontapetalon, quod ei eſt valde affinis planta.*

Leontopetalo affinis foliis quernis. C. B. P. Chryſogonon Dioſcoridis Rauwolfii & Lugd. app. Caſt. Ponæ Ital. Park. Chryſogonon Dioſcoridis quibuſdam, J. B. Chabr. Hoc Chryſogonon genuinum Dioſcoridis videtur. Altitudinem Leontopetali aſſequitur, eſtque huic, caule, floribus, radiceque rotundâ (quæ interna parte rubra eſt) haud abſimile: cauliculi tamen graciliores, in terram repandi, & ab origine fili modo tenues, in varios ramulos diviſi: quorum extremis floſculi adhærent conſpicui magis, denſioreque ſtipati poſitu, quatuor petalis conſtantes etiamſi Icon monſtrat quinque: folia coliculorum dorſo adhærent gemina utrinque, & ita ſubinvicem appoſita ut crucis figuram poſitu ſuo efficiant, atrovirentia, in extremo latiora, diſſecta trifariam Sedi tridactylidis more, aliquando adinſtar foliorum Quercus. Concludit deſcriptionis author Rauwolfius itineris part. 1. cap. 9. item parte 4. verum eſſe Dioſcoridis Chryſogonon. Hinc Hiſtoria Lugdunenſis pag. 28. Append. inſcribit Chryſogonon Dioſcoridis.

§. 7. SOLDANELLA ALPINA.

Soldanellam Alpinam etiamſi ob foliorum ſimilitudinem adjunxerit Caſparus Bauhinus Soldanellæ maritimæ pag. 295. Pinacis, nos Soldanellam maritimam ejuſque duas ſpecies Convolvulis adjunximus, ex quorum eſt numero à partibus eſſentialibus, uti ſupra docuimus in Sectione prima cap. 2. de Convolvulis. Hanc autem Soldanellam Alpinam à floribus & ſiliquis huc revocavimus ad ſuas conſimiles plantas.

1. *Soldanella* Alpina rotundifolia major, nobis. Soldanella Alpina rotundifolia, C. B. P. Soldanella Alpina major, Cluſ. Hiſt. Soldanella montana, Lob. Icon. Soldanella Alpina, Cam. Ep. Folia habet ſena aut octona longioribus pediculis, nunc plura minora brevioribus pediculis innixa, craſſa, in orbem fere circinata, Braſſicæ maritimæ (quam vulgo vocant Soldanellam maritimam) æmula, ſed duriora, ſuperne viridia, inferne dilutiore viriditate ſplendentia, guſtu primum exſiccante, deinde acri & ingrato: flores gerit in lævi, rotundo, gracili, ſubrubro palmarique cauliculo, binos, ternos aut plures, purpuræ vel ſaturæ vel dilutæ colore, inodoros, Campanulæ modo efformatos, deorſum ſpectantes ſeu propendentes, unico

petalo in quinque profundas crenas (quæ aliquantulum laciniatæ ſunt) & totidem alias ſingulares diviſo conſtantes, è medio proveniente tuberculo, veluti quodam umbone in longum ſtylum deſinente, qui in corniculum evadit oblongum, durum, membranaceum, mucronatum, vireſcens, ſimul congeſtum ſemen continens: radices fibroſæ, candicantes ex uno veluti capite pendent, quod adnatis capitulis ſe propagat. Copioſe naſcitur in Auſtriæ & Stiriæ Alpibus perpetua nive tectis & obſitis: nuſquam uberiorem aut lætiorem conſpicere licuit Carolo Cluſio quam in jugo *Wachſel* nuncupato ſupra *Aſchpang* magnifici viri Eraſmi à *Kunisberg* Baronis liberi, ubi etiam unicam plantam lactei prorſus candoris inveniebat prædictus Carolus Cluſius. Floret iſtic Junio, interdum Julio & Auguſto, habita ratione nivium maturius aut tardius liqueſcentium; in hortos autem tranſlata, etiam Aprili cum Primula Veris rubra floret, difficulter autem cicurari poteſt: Soldanella hæc variat foliis, ac floribus: foliis aliis ſuperne viridibus, inferne dilutiore virore ſplendentibus; aliis foliis inferne ut Cyclamini rubentibus, quæ tertia ſpecies eſt Cluſio, quæque flore eſt purpureo, nunc ſaturatiore, nunc dilutiore, reperitur & niveo.

2. *Soldanella* Alpina minor folio minus rotundo, nobis. Soldanella Alpina folio minus rotundo, C. B. P. Soldanella Alpina minor, Cluſ. Hiſt. Soldanellæ Alpinæ aliud genus, Cluſ. Pan. Rotundifolia Alpina minor, Ger. Hæc eſt minore folio, neque circa pediculum (qui brevior graciliorque eſt) adeo circinato, ſed ſenſim ab ipſo in latitudinem excreſcente.

§. 8. ISATIS ſive GLASTUM.

Ἰσάτις ſativa (Dioſcoridi lib. 2. cap. 215.) folia habet Plantaginis ſilveſtris aut Lactucæ ſimilia, quare genera duo fecit: & Plinio Lactucæ ſpontaneæ tertium genus, quod Iſatim vocant, & quartum quod Glaſtum vocitant, foliis priori ſimile aut Lapatho ſilveſtri.

Iſatis ſativa vel latifolia, C. B. P. Iſatis ſativa ſive Glaſtum, Matth. Caſt. Iſatis ſativa, Trag. Fuch. Dod. ut. Cord. in Dioſc. Geſn. Hort. Lac. Iſatis Græcorum, Nil Avicennæ, Nil officinarum, Fragoſ. Glaſtum ſativum, Tur. Ad. Lob. Cam. Park. Hiſt. Lugd. Lob. Ger. Glaſtum vulgo Guadum, Cæſ. Iſatis hæc ſativa folia habet longa, lata, colore ſaturate virentia, Plantaginis anguſtifoliæ foliis majora, glauca, cum nervo ſeu vena alba in medio: caulis bicubitalis & altior, qui in multos ramulos brachiatus floſculos exiguos promit, luteos, tetrapetalos, dependentes, cum multis ſtaminulis in medio itidem luteis: quorum ſingulis ſinguli ſuccedunt folliculi ſeu ſiliquæ bivalves, ſepto medio brevi ſatis duplicem ſeriem ſeminum dirimente, quæ hinc inde à dextris & ſiniſtris ipſius ſepti medii maturatis ſeminibus rubris nigreſcunt, vix trientem unciæ longitudine excedentes: radix candida, oblonga, ſenſim attenuatur & in altum deſcendit. Seritur in complurimis Galliæ Narbonenſis, Angliæ & Hyberniæ, ac nonnullis Belgii locis: ſubinde in Germania, Italia, Hiſpania Galliaque, citra culturam ſponte nata reperitur, quam ſilveſtrem appellant. Etiamſi ſilveſtrem velut diverſam Dioſcorides deſcribat, folliculorum & florum formam & colorem addens, de quibus in ſativæ deſcriptione nihil habet; cum tamen utriq; non modo hæc, ſed & reliqua omnia ſunt ſimilia, proinde nullum inter eas diſcrimen aliud, quam quod una ſeratur, alia ſua ſponte gignatur. Pingue ac lætum deſiderat agrum; Maio ac Junio floret; ſemen ſerius perficitur. Foliis tuſis tritiſque ſuccus expreſſus in magnas pilas ſive globos ad tincturæ uſum digeritur: imbuuntur his lanei panni ipſæque lanæ telæque lineæ aliaque cæruleo colore. Ἰσάτις Græcis, Latinis Iſatis itidem & Glaſtum. Cæſar lib. V. de Bello Gallico omnes ſe Britanni, ait, Glaſto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem. Quod & Plinius lib. XXII. cap. 1. teſtatur; Simile, ait, Plantagini, Glaſtum in Gallia vocant, quo Britannorum conjuges ſæpe toto corpore oblitæ: quibuſdam in ſacris & nudæ incedunt. Dicitur Iſatis à nonnullis Guadum, ab Italis Guado, voce ut videtur à Glaſto detorta. Hiſpanis ac Gallis *Paſtel*. Extat ipſius Paſtelli ſive Piſtelli nomen & qualiſcunque deſcriptio apud Plinium Valerianum lib. 2. cap. 3. poteſt autem Paſtillus dici, quod in Paſtillos ſive uti diximus magnas pilas digeratur. Noſtra ætate Germani, Bohemi, Iſatidem Weydt appellant, Belgæ Weet, Angli Wode & Wade. Ab Avicenna cap. 512. Nil aut Granum, Nil & Hab. Anil de quo Avicennas cap. 306. & Serapio cap. 283. Convolvuli eſt ſpecies, ut Sectione prima diximus; eſt & Legumen cujus ſucco inſpiſſato tinguntur lanæ, ut inter Legumina Sectione ſecunda monuimus.

Iſatis ſilveſtris folia habet majora, Lactucæ proxima; caules tenuiores, multifidos, quadantenus rubentes, in quorum cacumine folliculi bivalves, multi ſuperioris ſativi longiores dependent, & linguarum quarundam effigiem repræſentant, nigreſcentes, ſepto medio brevi ſemina hinc inde diſterminante. Naſcitur in campeſtribus & incultis locis; manifeſte acre quiddam cum

cum guſtu tum actione præfert, proinde valentius quam ſativa deſiccat, atque validius humidæ putredini reſiſtit. Quicunque Soldanellam utramque Alpinam, & Iſatida utramque, immediate ſiliquoſis tetrapetalis bivalvibus conjunxerit, meliorem obſervabit ordinem mea opinione.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Iſatis *ſeu Glaſtum, Galeno authore, valenter exſiccantis eſt facultatis; amara ſimul & aſtringens, proinde magna vulnera corporis glutinat; ſanguinis profluvio laborantibus partibus utiliter imponitur: tumores œdematoſos mirifice digerit ſimul ac reprimit: omnibus ulceribus malignis & cacoethis mirabiliter reſiſtit, etiamſi putreſcant aut exedantur eadem curat. Eadem vero & Dioſcorides. Quod ſi quando (addit Galenus) valentior quam pro laborantis natura appareat, foliis ejus tritis miſcere oportebit aut panem, aut hordeaceam farinam triticeamve, aut polentam pro vincente nimirum in unoquoq; affectu.* De hujus uſu: *Glaſti ſativi folia tabefacta & putrefacta inque mola truſatili expreſſa ſuccum herbaceum ſuffundunt, qui concoquitur & inſpiſſatur & in prægrandes glebas, aſſervatur, &* Paſtel *vernacule vocatur apud Toloſanos, indeque Angliæ Belgioque ſuppeditatur ad pannorum lineæque telæ infecturas. Serunt etiam in Germania, Belgio, Anglia & Hibernia, ubi ſolum pingue & lætum perbonam dat Iſatidem, nec multum Toloſana inferiorem. Floret Julio & Auguſto, & paulo poſt ſemen copioſe perficit. Hujuſce etiam in Umbria maximus proventus habetur circa Noceram, ubi oppidum eſt Guadum, ideo appellatum quod ibi Iſatis frequentiſſime ſeratur. Glaſtum ſilveſtre à Plinio inter Lactucas ſilveſtres recenſetur lib. 20. cap. 7. quippe quod foliis illis non ſit abſimile. Planta ipſa Græcis* Ισάτις ἥμερος, *Latinis Glaſtum ſativum; quod vero Græcis* Ισάτις ἀγρία, *Latinis Glaſtum ſilveſtre, Italis* Guado ſilvatico, *Gallis* Paſtel Sauuage, *propter rationes ſupra allatas.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 113. col. 1. pl. 111. Glaſto affinis, C. B. P. Anil ſive Indigo, Gali ſive Nil herba Roriſmarini facie Linſch. 4. p. Indiæ Orientalis. Planta ex qua Indigo conficitur Part. 9. Indiæ Occidental. l. 4. c. 23. Hæc planta nec eſt Glaſtum nec Glaſto affinis a fine ultimo, cum Glaſtum ſit planta tetrapetala ſiliculoſa bicapſularis; Nil, Anil ſive Indigo eſt leguminoſa planta papilionaceave, bivalvis, unicam in ſiliquis bivalvibus continens ſeriem ſeminum, uti probavimus Sectione ſecunda inter Legumina pag. 202. atque modum conficiendi cæruleum colorem, Indigo dictum, illic deduximus, pag. 203. neq; perfectam Iconem tunc temporis apud Indiæ ſcriptores comperi; ſed cum Hortus Malabaricus ad manus pervenit menſe elapſo, obſervationem D. Sien Profeſſoris publici Botanici Horti Academici Lugduni Batavorum perluſtrando & figuram duplicem eleganter ibidem figuris 54, & 55. pictam & p. 102, & 104. plantam deſcriptam intuendo, abunde mihi ſatisfactum.

Pag. 113. col. 2. pl. IV. Iſatis montana, C. B. P. Glaſtum montanum Dalechampii Hiſt. Lugd. Hoc in loco videtur Dalechampius loco Iſatidis appoſuiſſe figuram Campanulæ cujuſdam, quam non bene obſervavit nec author Mulinæus qui Hiſtoriam Dalechampii edidit, nec ipſe Caſparus Bauhinus qui animadverſiones nobis dedit in Hiſtoriam Lugdunenſem.

SILIQUOSÆ

Peregrinæ bivalves non bicapſulares floribus tetrapetalis & longis ſtaminulis donatæ.

APPENDIX

AD

TETRAPETALAS SILIQUOSAS BIVALVES.

Siliquoſis tetrapetalis bivalvibus ſine ſepto medio multa ſemina in ſe continentibus (Chelidonio majori ſcilicet) hoc novum genus addendum æquum duximus: ſunt enim plantæ ſiliquoſæ bivalves ſine ſepto medio diſterminante duplicem ſeminum ſeriem, conti-

nentes plurima ſemina minuta ſubnigra aut alba, quæ ſuccedunt floribus quatuor petalis exiguis & tenuibus ſub exortum, deſinentibus in latiora foliola, Ferulæ galbaniferæ aut Paſtinacæ latifoliæ ſeminibus figura ſimilia ; ex centro eorum quina aut plura ſtaminula longa admodum proſiliunt cum apicibus nigris, atque ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ bivalves ſine interveniente ſepto medio: ſunt autem hæ plantæ, vel quinis foliis in unum centrum concurrentibus Pentaphyllorum more, vel ternis, diſcrepantes numero foliorum ſed convenientes floribus & compoſitione ſiliquarum.

TABULA per ſe in Appendice.

Pentaphyllum peregrinum ſiliquoſum bivalve
- 1. *Minus* — *Nobis. Lupinus peregrinus, C. B. P. Lupinus peregrinus ſive Pentaphyllum peregrinum, Pon. Ital.* ☿
- 2. *Majus* — *Nobis. Tarireaia Braſilienſibus, an Fraxinella ſiliquoſa, an Quinquefolium folio Caprifolii, Geor. Marcg.* ☿

3. *Triphyllum peregrinum ſiliquoſum bivalve flore rubro ſiliqua longa ſtrictiſſima, nobis. Trifolium Luſitanicum corniculatum flore rubro, Park.* ☿

Explicatio Tab. præcedentis Appendicis hujus Sectionis tertiæ.

1. P*Entaphyllum* peregrinum ſiliquoſum bivalve minus, nobis. Lupinus peregrinus, C. B. P. p. 348. col. 2. pl. v. Lupinus Arabicus ſive Pentaphyllum peregrinum, Ponæ Ital. Quinquefolium Lupini folio, C. B. P. pag. 326. col. 2. pl. vii. Pentaphyllum θερμόφυλλον, Thal. Ex Syriacis ſeminibus ad nos Chalepo tranſmiſſis ab excellentiſſimo viro Roberto Huntington nata eſt hæc planta ſiliquoſa, bivalvis, omnino à cæteris bivalvibus Sectionis tertiæ diverſa & heteroclita quoad flores, in hiſce enim mirari licet ſummum naturæ artificium. Primo hæc planta peregrina, herbacea, plurima folia per terram ſtrata gerit Pentaphylli modo, longis pediculis innixa, atque Pentaphyllorum more in idem centrum concurrentia, pediculi ſcilicet ſummitatem Lupini foliorum inſtar, quæ molliuſcula ſunt ; ex horum meditullio oritur cauliculus pedalis aut ſemicubitalis, qui in alios ramuſculos dividitur, quique eſt rotundus, rectus, gracilis, mollis totus, à principio ad faſtigium uſque foliolis trifoliatis denſe conveſtitus ; inferiora autem folia majora multo, & ut dictum Lupini modo aut Pentaphylli quina in unum centrum (petioli ſcilicet ſatis longi ſummitatem) coeuntia, at folia ſuperiora ſecundum caulem conſpicua ſunt & trifoliata, & brevibus admodum innituntur petiolis denſeque caulem conveſtiunt: in caulis alis ſuperioribus umbellæ in modum multi pediculi longi ſatis & æquales apparent, in quibus ſingulis apparent quaterna petala parva, alba, longa, tenuia ſatis ſub exortum è capſula, & verſus finem formam ſeminis Ferulæ aut Paſtinacæ latifoliæ repreſentant, alba, leviter olentia, conſtituentia florem album cum ſtaminulis quinis, ſenis, uncialibus, ſubnigris ; quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliquæ bivalves, unciales, craſſæ ſatis pro proportione plantæ, non bicapſulares, ſed tantum bivalves Chelidonii majoris modo, ſine ſepto medio dirimente duplicem ſeriem ſeminum: in uniuſcujuſque hujus ſiliquæ parte ſupinâ infinita latent ſemina nigra, rotunda, minutiſſima. Floret per totam æſtatem, ac ex floribus cito evanidis ſiliquas relinquit unciales, craſſas. Annua eſt planta, Autumno ſeſe ſerens & ineunte æſtate pullulat, & fructum fert verſus Autumni initium aut finem æſtatis.

2. *Pentaphyllum* peregrinum ſiliquoſum bivalve majus, nobis. Tarireaia Braſilienſibus, an Fraxinella ſiliquoſa, an Quinquefolium folio Caprifolii, Georgii Marcgravi ? Ex radice longa paucis filamentis præditâ, lenta, altiſſima, aſſurgit caulis tres circiter pedes longus, multis ramis donatus: folia ejus inferiora & verſus terram ſunt lata, ex quinis lobis Quinquefolii aut Lupini inſtar conflata, in idem centrum concurrentia, quina, ſena, ſeptena, nunc pauciora, nunc plura, oblonga, viridia, multis nervulis venuliſve interjectis, foliis ſingularibus Pentaphylli modo quinquefariam diviſis haud abſimilia, ſed tactu mollia & glutinoſa: in ſummitate caulis primò parvis foliis alternatim poſitis ornatur trifoliatis, brevibus, ſubrotundis ; dein alternatim prodeunt ad eorum appoſitionem pediculi longi, ſinguli continentes cylindraceum corpus album, quatuor foliolis parvis, viridibus, acuminatis, inſidens: hoc corpus conſtituunt quatuor petala floris, quo ſe aperiente inferius primo prodeunt filamenta 7. tres aut quatuor digitos longa ; hinc quatuor foliola floris expanduntur, quæ ſtant erecta, figuram habentia Ferulæ ſeminis cochleariſve ; filamenta autem 7. barbæ felinæ modo vel erectè vel antrorſum ad latera extenduntur, egregie purpurea ; foliis albis decidentibus, decidunt & 6. ſtamina, ſeptimum in medio abit in ſiliquam teretem, craſſam ſatis, ſeſquiunciam longam,

bivalvem,

bivalvem, continentem plurima ſemina rotunda, alba, vix magnitudine ſeminis Sinapi, ſed quæ uno latere inciſuram videntur habere. Tota planta ad tactum glutinoſa eſt, & ad cujuſlibet rami ſeu pediculi foliorum annexûm acuta eſt ſpinula. Flores & ſemina fert tota æſtate; flos inodorus, ſed folia referunt odore Marjoranam.

3. *Trifolium* Luſitanicum bivalve flore rubro, nobis. Trifolium Luſitanicum corniculatum flore rubro, Park. Hæc planta peregrina à flore & ſiliqua, ejuſdem eſt ſortis cum prioribus. Prima autem folia per terram ſtrata ſeu ſupine procumbentia edit trifoliata, hirſuta; at ex gremio ſeu medio horum in orbem actorum protruduntur cauliculi rotundi, hirſuti, dodrantales, in plurimos ramos brachiati, atque ex ſingulis alis inter folia ſuperiora (quæ ſunt ſingula, longiuſcula, anguſta) & caulem oriuntur pediculi unciales, ſuſtinentes floſculos rubeſcentes, ex quatuor petalis, & quinis, ſeniſve, nunc pluribus, nunc paucioribus ſtaminulis conflatos, quibus ſingulis evaneſcentibus ſuccedunt ſiliquæ longæ, propendentes, ſtrictiores, teretes, hirſutæ, bivalves, continentes ſine ſepto medio infinita minutiſſima ſemina rotunda. A flore & ſiliquis bivalvibus omnes hæ tres ſupra dictæ plantæ conveniunt, ideo ad unum & commune novum genus conſtituendum has tres generice eodem huc reduximus tanquam in appendicem. Collocentur immediate poſt Chelidonium majus, quippe bivalves ſine ſepto medio; ſic hac ratione inter ſe conveniunt. Folia diverſo modo conſtructa inſerviunt ad ſpecies determinandas, unde Pentaphyllum peregrinum bivalve minus & majus, utrumque albo flore aut viridi conſtat, ſicut etiam Triphyllon Luſitanicum bivalve flore rubro. Vide Icones in Appendice hujus Sectionis.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

MAle Caſparus Bauhinus aliique authores primam plantam hic citatam collocarunt inter Pentaphylla aut Lupinos, cum nec floribus nec capſulis ſeminalibus alterutri conveniat, ut docuimus cap. de Pentaphyllo & Lupino, pag. 89. inter Hallucinationes illic, & pag. 192. inter Hallucinationes illic itidem. Cum Terireaia Georgii Marcgravi ſit planta priori in partibus eſſentialibus conformis, eidem nomen Pentaphylli peregrini ſiliquoſi bivalvis majoris adaptavimus: denique cum tertium genus prioribus quadret quoad flores & capſulas bivalves, deſignavimus Triphyllon corniculatum Luſitanicum bivalve flore rubro ſiliqua tenui propendenti. Neutiquam flores gerit papilionaceos, idcirco averruncavimus a Trifoliis papilionaceis, & ſuis conformibus adjunximus in hoc capite explicatis: vide pag. 147. hujus noſtræ Hiſtoriæ pl. 8. Trifolium corniculatum Luſitanicum flore rubente ſiliqua recta tenui propendente.

PARTIS II. SECTIONIS III.

DISTRIBUTIO SECUNDA

DE

Siliculoſis tetrapetalis bivalvibus, ſepto itidem medio membraneo diſterminante in ſingulis ſiliculis duplicem ſeriem ſeminum.

SILICULOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares.

THLASPI DISCOIDES.

CAPUT XVII.

NAſturtio Dioſcorides l. 2. c. 186. Thlaſpi ſubjungit, quod à fructus forma, qui veluti infractus & contuſus à θλᾶν *infringo, nomen accepit:* ἢ θλασπίδιον, *quaſi fructum clypeatum,* ἢ σίναπι ἄγριον.

Genera duo Dioſcoridi & Plinio l. 28. c. 13. Alterum anguſtis, alterum latis foliis, quod Sinapi Perſicum Cratevæ dicitur: forte Raphanus ruſticanus.

Deducta diſtributione prima plantarum ſiliquoſarum tetrapetalarum, longis ſiliquis donatarum, calidarum etiam & acrium, tam unico ſepto medio utplurimum duplicem ſeriem ſeminum diſtinguente, quam pluribus ſeptis ſeu diaphragmatis plures ordines ſeminum ſeparantibus, affectis; jam operæpretium duximus aggredi Siliculoſas tetrapetalas callidas itidem & acres, ſiliculis curtis præditas, ſepto medio pariter disjungente duplicem ſeriem ſeminum; atque initium faciemus à Thlaſpi, quod dividemus in duplex genus ſubalternum; primum erit de iis quorum ſiliculæ tranſverſim (id eſt ante & retro) ſepto medio dividuntur: ſecundum de iis quorum ſiliculæ ſeu capſulæ ſeminales longitudinaliter dividuntur, id eſt, ſemina à dextris & ſiniſtris ſepti medii continentur.

TABULA XVI.

Thlaſpi

- *Septo medio ſiliculam dirimente tranſverſim*
  - *Incanum*
    - *Alyſſum dictum*
      - 1. *Marinum, C. B. P. Thlaſpi Narbonenſe Centunculi folio, Ad. Lob.* ⊙
      - *Campeſtre*
        - 2. *Majus, C.B.P. Alyſſum, Matth. Hiſt. Lugd.* ☿
        - 3. *Minus, C. B. P. Minus clypeatum, Tab. Alyſſum minus Dal*[pii]*, Hiſt. Lugd.* ☿
    - 4. *Fruticoſum ſpinoſum, C. B. P. Thlaſpi fruticoſum ſpinoſum Narbonenſe, Lob.* ⊙
    - *Montanum luteum Serpilli folio*
      - 5. *Majus, C.B.P. Montanum luteum majus, Park.* ⊙
      - 6. *Minus, C. B. P. Ionthlaſpi montanum incanum* δισκοϊδὲς *flore luteo, Col.* ⊙
    - 7. *Machlinienſe flore albo capſulis oblongis, nobis. Thlaſpi incanum Machlinienſe, Lob. Lugd. Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - *Viride*
    - 8. *Creticum flore albo, C. B. P. Prod. Matth. Ed. Baub.* ⊙
    - *Alpinum capitulis rotundis*
      - 9. *Majus, C. B. P. Thlaſpi 3. Matth.* ⊙
      - *Minus*
        - 10. *Caulibus rectis, foliis integris, nobis. Thlaſpi 3. Saxatile, Cam. ep. Matth.* ⊙
        - 11. *Caulibus flexuoſis foliis ſerratis, nobis. Thlaſpi petræum Myagrodes, Pon. Ital.* ☿

TABULA XVII.

- *Septo medio ſiliculam dirimente longitudinaliter*
  - *Arvenſe*
    - *Spicatum*
      - 12. *Siliquis latis, C. B. P. Thlaſpi Platycarpon, Cam.* ☿
      - *Vaccariæ foliis*
        - 13. *Latis lævibuſque, nobis. Thlaſpi majus, Tab. Ger.* ☿
        - 14. *Incanis, nobis. Thlaſpi vulgatiſſimum Vaccariæ foliis, Ad. & Icon. Lob.* ☿
      - *Perfoliatum*
        - 15. *Majus, nobis. C. B. P. Ger. Park. Thlaſpi oleraceum, Tab.* ☿
        - 16. *Minus, nobis. C. B. P. Thlaſpi pumilum vel montanum minus, Cluſ. Hiſt.* ☿
        - 17. *Maximum foliis inferioribus tenuiter inciſis Hypecoii modo, ſuperioribus à caule Perfoliatæ modo penetratis, nobis. Thlaſpi verum primum Dioſcoridis, Zanoni.* ⊙
    - *Umbellatum*
      - *Iberidis folio*
        - 18. *Allobrogicum, nobis, Thlaſpi Allobrogicum Cretico par, Cluſ. Hiſt.* ☿
        - 19. *Monſpeliacum Naſturtii folio, nobis. C. B. P. Thlaſpi umbellatum Narbonenſe, Tab.* ☿
        - 20. *Parvum odorato flore, nobis. Thlaſpi parvum odorato flore, Cluſ. Hiſt.* ☿
        - 21. *Creticum flore*
          - *Incarnato,*
          - *Albo, nobis.*
          - *Thlaſpi Creticum flore incarnato & albo, Eyſt.* ☿
        - 22. *Alexandrinum Cortuſi, J. B. Chabr.* ☿
      - 23. *Perſicum fruticoſum Leucoii foliis ſemper virentibus flore albo odorato, nobis. Thlaſpi fruticoſum Perſicum flore albo odorato, Zanoni.* ⊙

TA-

TABULA XVIII.

- *Thlaſpi*
  - *Septo medio ſiliculam dirimente longitudinaliter*
    - *Montanum*
      - 24. *Primum Burſæ paſtoris fructu*, *Col.* *Alpinum Bellidis cæruleæ folio*, *C. B. P.* ☿
      - 25. *Mitius rotundis foliis verſus terram, in caulibus vero perfoliatæ ſimilibus*, *nobis.* ☿
      - 26. *Semper virens*, *nobis.* *Thlaſpi montanum candidum*, *Hiſt. Lugd.* ⊙
      - 27. *Villoſum capſulis hirſutis longiuſculis*, *nobis.* *Thlaſpi villoſum capſulis hirſutis*, *C. B. P.* & *Prod. J. B. Chabr.* ☿
      - 28. *Allium redolens*, *nobis.* *Scorodothlaſpi Ulyſſis Aldrovandi*, *J. B. Chabr.* ☿
      - 29. *Parvum ſaxatile flore rubente*, *nobis.* *Lithothlaſpi 4. folio carnoſo rotundo*, *Col.* ☿
      - 30. *Peregrinum capſula cordata*, *nobis.* *J. B. Chabr.* ☿
    - *Fruticoſum*
      - 31. *Saxatile vermiculato folio*, *nobis*, & *C. B. P.* *Lithothlaſpi montanum fruticoſius vermiculato acuto folio*, *Col.* ⊙
      - *Foliis*
        - 32. *Leucoii anguſtis & longis*, *nobis.* *C. B. P.* & *Park.* *Thlaſpi fruticoſum foliis Leucoii marini*, *Lob. Lugd. Tab.* *Thlaſpi ſemper virens*, *Cam.* ⊙
        - 33. *Thymbræ hirſutis*, *nobis.* *Thlaſpi fruticoſum alterum*, *Lob.* ⊙
  - *Abſque ſepto medio* 34. *Montanum monoſpermum Glaſti folio*, *nobis.* *Thlaſpi montanum*, 1. *Cluſ. Hiſt.* ⊙

§. 1. *THLASPI ſepto medio membraneo ſiliculam tranſverſim ſecante. Explicatio Tab. decimæſextæ.*

1. THlaſpi Alyſſum dictum maritimum, C. B. P. Thlaſpi Centunculi anguſto folio, Lob. Ad. & Icon. Lugd. Tab. Hoc caules protrudit plures, ex eâdem radice immediate ortos, vimineos, rectos, palmares & ſeſquipalmares, incanos, ſicut & foliola Polygoni, aut Lavendulæ foliorum formâ: in ſummis caulibus floſculos fert tetrapetalos, minores, albos cum ſtaminulis in medio petalorum luteis, cæterorum Thlaſpi*o*n more: capſulas fert veluti clypeolos rotundos, prona parte cavos, ſupina convexos, ſepto medio ſimiliter rotundo membranaceo tranſverſim ſecante & dirimente binas valvulas, inter quas & ſeptum medium continentur ſemina aliquot compreſſa ante & retro. Tota planta albicat & guſtu Thlaſpi aut Naſturtium indicat: Alyſſo autem Dioſcoridis Dalechampii convenit quoad qualitates calidas & acres, imo ſiliquis ante & retro diſſectis Alyſſo eſt conforme. Hoc Thlaſpi puſillum naſcitur prope Monſpelium ad caſtrum novum, cis Ladum amnem, aridis viarum crepidinibus. Floret æſtate, atque ſemen ſub ejuſdem finem perficit.

2. *Thlaſpi* Alyſſum dictum campeſtre majus, C. B. P. Alyſſum, Matth. Lugd. Cam. Alyſſum, Matthioli Dalechampii, Lugd. Alyſſum Græcum Polygoni folio, Tab. Doctiorum omnium Monſpelienſium, ſententiâ apud quos frequens oritur hæc planta, Thlaſpios generibus adnumeranda eſt hæc ſpecies ſive Thlaſpios, ſive Alyſſi, à virtutibus: eſt enim radice candidâ, parvâ, fibrata, ſatis longa; cauliculis multis, rotundis, lanuginoſis, primo per terram ſtratis, deinde ſupra terram parum extantibus; foliis multis albicantibus, alternatim caulibus adhærentibus, & tanquam cinere aſperſis, quaſique aſperis, Thymi latioris forma, mucronatis, guſtu fatuis cum paucula acredine: flores apparent in ſummis virgulis copioſe lutei: quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliculæ, rotundæ, ſurſum verſus apicula donatæ, prona parte concavæ, ſupina convexæ ſcutellæ in modum, ſepto medio membranaceo, pellucido exſiccato, diſterminante ante & retro ſemina minuta, ruffa in prædictis loculis ſcutulo rotundo ſimilibus. Provenit in agris & collibus neglectis circa Monſpelium. Floret ineunte æſtate & verſus ejuſdem finem ſemina perficit.

3. *Thlaſpi* Alyſſum dictum campeſtre minus, C. B. P. Alyſſum minus Dalechampii, Lugd. Thlaſpi minus clypeatum, Lob. Thlaſpi minus, Dod. Gall. Hoc multo minus eſt ſuperiore quoad

quoad omnes ſuas partes: cauliculos edit minores humi ſtratos, foliolis Thymi durioris inſtar denſius diſpoſitis, rotundis, ſubaſperis & cinereis (alternatim virgulis humi procumbentibus) ornatos: in quorum faſtigiis proveniunt floſculi parvi, tetrapetali, ex viridi albicantes: quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ ſiliculæ clypeiformes, rotundæ, duplo prioris ſiliculis minores, parte prona ſeu ſuperiore cavæ, ſupina ſeu inferiore convexæ, ſepto pariter membraneo, lucido exſiccato, diſtinguente duplcem ſeriem ſeminum fulvorum, unam ante, & aliam retro.

4. *Thlaſpi* fruticoſum ſpinoſum, C.B.P. Thlaſpi fruticoſum ſpinoſum Narbonenſe, Lob. Lugd. Thlaſpi ſpinoſum, 5. Tab. Ger. J. B. Chabr. Folia habet minora oblonga, acuta, incana, plura ſimul juncta ad ſingula genicula, ut in monte Lupo obſervabatur, at in hortum Monſpelienſem tranſlatum (unde Burſerus tenuius attulit) folia breviora & rotundiora obtinet: ramis cônſtat dodrantalibus per terram ſtratis, multis alis diviſis, nonnihil ſpinoſis Poterii ritu: folia habet inquam oleæ puſilla, albida, & incana, ſeu cinerea; flores ex cauliculorum per terram ſtratorum alis prodeunt tetrapetali, albi, luteis in medio apparentibus ſtaminulis; ſemen acre binis valvulis ſepto medio ante & retro ſeparatis incluſum. Floret æſtate citius aut tardius prout hyemis rigor duraverit: ſemina raro apud nos Septentrionales ad maturitatem perducit. Hoc non niſi in ſterilibus cautibus rupibuſve prope Nemauſium & Monſpelium fruticat, & ſemina fert.

5. *Thlaſpi* montanum incanum luteum majus ſerpilli folio, C. B. P. Thlaſpi luteum ſupinum, Lob. Icon. Ger. Montanum luteum, J. B. Chabr. Montanum luteum majus, Park. A radice craſſa, fibroſâ plurimi huic eruuntur cauliculi ſupine per terram ſtrati; quibus ad genicula adhærent folia longiuſcula, anguſta, inordinatim ſingula adhærentia, paululum incana, Serpilli foliorum magnitudine valde æmula: in cymis cauliculorum ſic per terram ſtratorum proveniunt umbellatim floſculi lutei, tetrapetali; quorum ſingulis ſuccedunt ſiliculæ clypeoli formâ rotundæ, in aculeum deſinentes, compreſſæ, prona parte cavæ, ſupinâ convexæ, ante & retro inter valvulas ſuas exteriores & ſeptum medium ſemina compreſſa, ruffa, continentes.

6. *Thlaſpi* ſaxatile incanum luteum minus Serpilli folio, C. B. P. Ionthlaſpi incanum montanum δισκοειδὴς, Col. Hæc planta media eſt inter violam luteam montanam & Thlaſpi, ideo à ſimilitudine utriuſque Ionthlaſpi appellavit Fabius Columna, atque à fructu orbiculato ambitu diſco ſimili, diſcoïdes dicitur ad differentiam aliorum: foliis exit incanis, duris & veluti humore carentibus, aſperis, parvis, anguſtis, oblongis, formâ & effigie congeneri plantæ à Matthiolo pro Alyſſo depictæ ſimilibus, minoribus duplo, circa caules rotundos purpurantes per terram ab initio ſtratos ſeu ſupinos, hirſutie alba aſpera obſitos: in quorum ſummo flores odorati, non parvi ut in congeneribus, ſed magni reſpectu plantæ, atque non in Umbella ſed veluti longa ſpica diſponuntur, colore luteo hilari aureoque, petalis quatuor in cordis figuram conſtructis, Lychindum quarundam more: quibus ſingulis ab imo caulis ad palmarem pene longitudinem verſus ſummum ſuccedunt alternatim circa caules longis ſatis petiolis hærentes capſulæ rotundæ, Lentis fructus magnitudine, incana hirſutie aſperæ, longiuſculum habentes apicem, ſemina compreſſa fulvaque continentes. Maio & Junio floret. Montanis & ſaxoſis gaudet locis, quin & plena juga diligit Æquicolorum & S. Angeli ſupercilia illa. Idem hoc Thlaſpi radice regerminat, & poſt flores & ſemina perfecta ſemper vivit.

7. *Thlaſpi* incanum flore albo capſulis oblongis, J. B. Chabr. Thlaſpi fruticoſum incanum, C. B. P. Ger. Thlaſpi incanum Machinienſe, Lob. Icon. Lugd. Cluſ. Hiſt. Park. Thlaſpi hoc folia fert uncialia, nonnunquam in hortis biuncialia longitudine, ſemiuncialia latitudine, inæqualiter & inordinatim caulem pedalem & altiorem amplectentia, incana ſeu cineracei coloris, ſaporis acris: caules in ramulos diviſi, qui in extremis ipſorum faſtigiis flores gerunt albos, quatuor petalis bifidis conſtantes, ſatis grandes & quaſi in globulum primo congeſtos, dum adhuc florere incipiunt; ſed poſtea in ſpicam longam, palmarem, cum ſiliquis oblongis, incanis, utrinque tumidis, evadunt, quæ formam acquirunt ſeminis Peponis quaſi, utrinque tumidis & incanis valvulis exterioribus, cum ſepto medio ejuſdem longæ figuræ pellucido, medium itidem capſularum occupante & ſemina ſubruffa & acria: hinc inde ſeparante radix ſubalbicat & fibris multis ab eadem derivatis ſub terram deſcendit Drabæ Arabum inſtar. Floret per totam æſtatem, & ſemina profert verſus ejuſdem finem. Provenit pleriſque Auſtriæ & Moraviæ locis, ſecus vias & agrorum margines, gramineiſque in aliis incultis locis, non minus quam in Belgica terra, & à Dodonæo Thlaſpi Machlinienſe cognominatur

minatur (ſed aptius ab initio à Johanne Bauhino deſignatur) quia juxta Machliniam Belgicæ ditionis urbem celebrem, in qua ſupremum omnium illarum provinciarum concilium tempore Dodonæi tenebatur. Naſcitur itidem utplurimum in publica via qua itur Antverpiam.

8. *Thlaſpi* Creticum flore albo, C. B. P. & Prod. Matth. ed. Bauh. Hoc radice eſt oblonga, paucis fibris donata, cauliculis palmum ſuperantibus, rotundis: foliis paucis, oblongis, anguſtis, lævibus, alternatim caules veſtientibus: cauliculorum ſummo flores candidi, tetrapetali, magni apparent, quibus capſulæ ſatis magnæ, rotundæ, apice medio donatæ, ſuccedunt. Hoc Thlaſpi, Cappadocici fruticantis flore albo perennis nomine, D. Doldius Norimberga miſit.

9. *Thlaſpi* Alpinum majus capitulis rotundis, C.B.P. Thlaſpi 3. Matth. Lugd. Thal. Thlaſpi hoc foliis provenit à radice in multa capita diviſâ numeroſis, oblongis, ſubalbicantibuſque, guſtatu minime acutis, ex ſingulis radicis capitibus, foliis circumfuſis producuntur ſinguli caules, ſuſtinentes in ſummis ramis, tenuibus, plurimos floſculos, albos, tetrapetalos; quorum ſingulos ſingulæ ſubſequuntur capſulæ tenues, ſtipantes ſummitatem caulis aliquatenus rotundæ, ſepto medio dirimente & ſeparante ante & retro ſemina ſubruffa Thlaſpios more, acerrimi guſtus. Naſcitur in Pragenſi agro, locis ſaxoſis & aſperis. Floret medio Vere, & Junio menſe ſemen fert acuto ſapore.

10. *Thlaſpi* Alpinum minus capitulis rotundis caulibus rectis foliis integris, nobis. Thlaſpi Alpinum minus capitulis rotundis, C. B. P. Thlaſpi. 3. ſaxatile, Cam. ep. Matth. & Hort. Hoc ex radice in bina aut terna capita diviſâ oritur, atque ſingula capita radicis ſic diviſæ ambiunt plurima foliola vix dimediati unguis humani latitudinem excedentia, aut Paronychiæ vulgaris folia vix magnitudine ſuperantia, ex quorum medio è ſingulis capitibus radicis ſic diviſæ eriguntur cauliculi palmares, paucis foliis alternatim ſparſis veſtiti, in quorum ſummis floſculi apparent minuti, albi, tetrapetali; quibus ſingulis ſuccedunt ſiliculæ admodum exiguæ, rotundæ, tumidæ, continentes ſemina ſepto medio ſeparata hinc inde ante & retro, acerrimi guſtus ſicut & prioris ſemina. Perennis eſt planta ſicut & ſuperior. Floret & ſemina perficit eodem tempore cnm priore. Naſcitur itidem in ſaxoſis & aſperis locis.

11. *Thlaſpi* Alpinum minus capitulis rotundis caulibus ſuperioribus flexuoſis foliis ſerratis, nobis. Thlaſpi Alpinum petræum Myagrodes, Ponæ Ital. Hoc folia producit in orbem humi ſtrata, ſerrata, ex quorum medio protruditur caulis infirmus, non rectus, ſed flexuoſus, in multos ramulos flexiles itidem partitus, atq; in eorum cimis rarius diſponuntur floſculi albi, tetrapetali, qui fatiſcentes capſulas ſeu ſiliculas ſubrotundas poſt ſe relinquunt, ante & retro diviſas Myagri forma, unde ei nomen Myagrodes, ſepto pariter medio membranaceo pellucido exſiccato ſemina matura ſeparante. Non eſt idem hoc Thlaſpi cum Thlaſpi montano minore capitulis rotundis minoribus Caſp. Bauhini in Prodromo ex primo intuitu foliorum & ramorum, quia hujus folia ſunt admodum ſerrata, illius non; hujus cauliculi ſunt infirmi, flexuoſi, illius recti & firmi.

§. 2. *THLASPI ſepto medio membraneo ſiliculam longitudinaliter ſecante. Explicatio Tab. decimæſeptimæ Sectionis tertiæ.*

12. *Thlaſpi* arvenſe ſiliculis latis, nobis. Thlaſpi arvenſe ſiliquis latis, C.B.P. Thlaſpi latius, Dod, Thlaſpi (πλατύκαρπον Græce) Platycarpon, Cam. Thlaſpi Dioſcoridis & Scorodothlaſpi. Dod. Gall. Lugd. Ger. Thlaſpi Dioſcoridis Drabæ & Camelinæ folio, Lob. Icon. Thlaſpi hoc foliis eſt latioribus atque oblongis, utroque latere inciſis: caule pedem alto, non abſque adnatis ramis, in quorum ſummis, brachiatis in plurimos alios, floſculi erumpunt plurimi, primum albidi, demum vireſcentes, tetrapetali, cum plurimis ſtaminulis in meditullio, atque ſingulis flacceſcentibus ſuccedunt thecæ ſeu capſulæ utrinque tumidæ & rotundiuſculæ, Criſtæ galli herbariorum capſulis haud diſſimiles, ſepto medio non tranſverſim, id eſt ante & retro, ſed longitudinaliter, id eſt à dextris & ſiniſtris, duplicem ſeriem ſeminum nigrorum, acrium & guſtu ferventium, Allium nonnihil reſipientium, diſtinguente: radix tenuis & ſemine maturo inutilis evadit, quemadmodum radices omnium ſtirpium annuarum plantarum, aut etiam earum, quæ poſt biennium aut triennium aliquando, ſeminibus ad maturitatem perductis, pereunt. Hoc herbæ genus θλάσπι Græci à fructu ſeu potius capſula, quæ ſcutum exiguum infractum refert, vocant. E multis hiſce Thlaſpios ſpeciebus, à nobis hoc Capite enumerandis, nulla datur quæ æque congruat aut conveniat Dioſcoridis Thaſpios delineationi, ac hoc Thlaſpi platycarpon nuſquam non in arvis ſatis Galliæ, Germaniæ, Belgiæ & Angliæ proveniens. Floret ineunte æſtate & eâdem exeunte ſemina perficit.

13. *Thlaſpi* arvenſe Vaccariæ ſeu Acetoſæ, lato lævique folio, nobis. Thlaſpi majus, Tab.

Ger. Hoc folia habet inferiora, longa, anguſta, Glaſti aut potius Acetoſæ pratenſis foliorum æmula: caules protrudit pedales & altiores, qui amiciuntur denſe ſatis foliis longiuſculis à baſi uſque ad ramificationes, atque in ſummis ramis proveniunt floſculi parvi, albi, tetrapetali, quorum ſingulos ſequuntur capſulæ bivalves, prona parte cavæ, ſupina convexæ, duplicem verſum ſeminum continentes, ſepto medio brevi ſeparante loculamentum dexterius à loculamento ſiniſteriore, in utroque hinc inde bina aut plura continentur ſemina ruffa. Floret & ſemina perficit eadem tempeſtate cum priore.

14. *Thlaſpi* arvenſe majus Vaccariæ folio incano, C. B. P. Thlaſpi vulgatiſſimum Vaccariæ folio, Ad. & Icon. Lob. Thlaſpi vulgatiſſimum, Tab. Ger. Thlaſpi verum cujus ſemine utimur in Theriaca, Cam. Thlaſpi officinarum, Col. Thlaſpi alterum, Dod. Hujus folia longa ſunt, acuminata verſus mucronem, cum duobus mucronatis apicibus verſus appoſitionem foliorum cum caulibus: caules ſimiliter habet ramoſos, & paris altitudinis cum priore: floſculi tetrapetali albidi ſunt, quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ longiuſculæ, bifidæ, ſepto medio longitudinaliter ſeparante ſeminum loculamenta à dextris & ſiniſtris, in quibus hinc inde continentur ſemina ruffa, mordacia, acria, Naſturtii hortenſis ſeminibus ſimilia. Uberrime provenit in agris cultis & incultis Galliæ, Germaniæ & Angliæ. Floret æſtate & ſemina paulo poſt perficit.

15. *Thlaſpi* arvenſe perfoliatum majus, C. B. P. Park. Ger. ed. Janſoni. Thlaſpi oleraceum, Tab. Thlaſpi primum Dalpii. Lugd. Hujus folia inferiora humi procumbentia Ocimi quodammodo æmulantur folia, prima tamen in margine parum ſunt inciſa, at quæ caulibus geniculatim & ſingulatim adhærent, parum diviſa ſunt, coloris cæſei-viridis; cauliculi plures ex radice oriuntur pedales, inferius rubentes, ex ſingulis geniculis alternatim exeunt folia, quæ latiore baſi Braſſicæ campeſtris perfoliatæ more ambiunt caulem verſus ſingula genicula, & in ſummis caulibus naſcuntur plurimi floſculi albi, tetrapetali, ſeſe expandentes ex involucris purpureis; ſingulis floribus ſpicatim ſuccedunt ſingulæ capſulæ longiuſculæ, per medium bifidæ, parte prona ſeu anteriore cavæ, ſupina autem ſeu poſteriore convexæ, ſepto medio dividente longitudinaliter duplicem ordinem ſeminum ſubflavorum: radix alba eſt longa & lenta. Tota planta minoris acritudinis eſt, proinde mitior, ac inter oleraceas cenſetur. Sparſim inter vineta circa Blæſas & paſſim in agro Solonienſi in vineis itidem provenit. Floret exeunte Februario & Martio menſe, & Maio ſemina ſua fulva perficit.

16. *Thlaſpi* arvenſe perfoliatum minus, C. B. P. Thlaſpi pumilum vel Thlaſpi montanum minus, Cluſ. Hiſt. & Pan. Folia hujus quæ ſub exortum humi procumbunt ſunt leviter viridia, & forma & colore accedunt foliis Braſſicæ campeſtris perfoliatæ, ſed ſunt prioris foliis multo minora & quæ caulibus vix pedalibus geniculatim adhærent, minora adhuc, mucronata, & latiore baſi, itidem cingunt caulem brevem, rectum: ſummis cauliculorum inſiſtunt floſculi albi, tetrapetali, quos ſingulos ſubſequuntur ſingulæ capſulæ, prioris majoris multo minores, in ſummo pariter fiſſæ, parte prona cavæ, ſupina convexæ, ſepto medio diſtinguente longitudinaliter duplicem ordinem ſeminum ſubflavorum, acrium pariter & lente mordacium. Tota planta minoris eſt altitudinis, proinde inter oleraceas cenſetur. Sparſim inter vineta circa Blæſas in rupibus & ſaxoſis verſus cellam eremitarum. Floret exeunte Februario & ineunte Martio; ſemina paulo poſt, Maio ſcilicet, perficit.

17. *Thlaſpi* ſpicatum Perſicum perfoliatum maximum foliis inferioribus tenuiter inciſis Hypecoi modo, ſuperioribus à caule Perfoliatæ modo penetratis, nobis. Thlaſpi verum primum Dioſcoridis, Zanoni. Mirum in modum ludit natura in productione foliorum hujus inferiorum, verſus terram provenientium, & ſuperiorum caulis ejuſq; ramorum geniculis adhærentium, prima enim folia denſe protrudit, longis coſtis innitentia, quorum lobi alternatim coſtis ſingulis adhærent, quique ſunt tenuiter diviſi foliorum Hypecoi adinſtar à radice uſque ad tertiam caulis partem, deinde quædam folia latiore baſi cingunt caulem diviſa in aliquot lacinias; ſuperiora autem folia ſunt integra, mucronata ac Perfoliatæ modo cingentia caules & caulis ramos ad ſingula genicula. Hoc in nulla ſpecie hujus numeroſi generis Thlaſpiωn videre licet, imo in nullis hujus Sectionis ſpeciebus; idcirco facilius hæc ſpecies à cæteris omnibus diſtinguitur: in ſummis faſtigiis ramuſculorum flores proveniunt minutuli, albi, tetrapetali, quorum ſingulis ſingulæ ſubveniunt ſiliculæ rotundæ, bifidæ, ſepto medio membraneo ſeparante duplicem ſeriem ſeminum; hæ capſulæ ſecundum ramorum cymas ſpicatim proveniunt, relinquentes (poſt ſemina matura) ſepta media pellucida exſiccata, petiolis adhærentia, quod videre eſt in omnibus capſulis plantarum hujus Sectionis. Provenit hoc Thlaſpi non ſolum in Perſia ſed & in Soria. Hujus ſemen ſibi communicatum habuit Thomas Belluzzi Lector

Botanicus

Botanicus in Academia Piſana, ex Soria, cujus operâ idem communicatum erat Jacobo Zanoni, Lectori Botanico Bononienſi. Floret æſtate & ſub finem ejuſdem ſemina ſua perficit.

THLASPI arvenſe & Creticum umbellatum.

18. *Thlaſpi* umbellatum arvenſe Iberidis folio, C. B. P. Thlaſpi amarum, Tab. Ger. Thlaſpi Allobrogicum Cretico par, Cluſ. Hiſt. Multos hoc emittit caules immediate ex radice in ramuſculos plures ſeſe findentes, quibus alternatim ſingula folia ſatis raro diſpoſita, leviter crenata, conſpiciuntur: flores in ſummis ramorum faſtigiis proveniunt umbellatim adinſtar Tordylii Cretici florum, ſed tetrapetali (non vero pentapetali) albidi, quorum bina ſunt majora, & bina alia minora; atque ſingulis evanidis ſingulæ ſuccedunt capſulæ longiuſculæ, in ſummo fiſſæ, aridæ & exſiccatæ, ſepto medio brevi longitudinaliter diſterminante duplicem ſeriem ſeminum ſubfulvorum, minutorum, mordacium tamen & acrium, cæterorum hujus claſſis Thlaſpi∞n more: radicem habet exiguam, multis fibrillis conſtantem, & ſeminibus maturis inutilem. Floret æſtate inter ſata per totam Galliam Narbonenſem, & ſemina copioſe effundit exeunte æſtate.

19. *Thlaſpi* arvenſe umbellatum Monſpeliacum Naſturtii folio, C. B. P. Thlaſpi aliud umbellatum Pænæ, Lugd. Thlaſpi umbellatum Narbonenſe, Tab. Ger. Thlaſpi minus umbellatum Narbonenſe Naſturtii folio, Ad. & Icon. Lob. Cauliculi hujus multi exeunt immediate ex eâdem radice ſicut in priore; quibus inordinate adhærent multa folia, tenuiter diſſecta adinſtar Cornu cervi, Naſturtium verrucoſum dicti J. Bauhino, ſed tenuiora & exiliora, diviſurâ quaſi Naſturtii hortenſis, per totos cauliculos ſparſa: flores in ſummis ramuſculis confertim & in umbellæ modum albos, tetrapetalos, ſuperioribus floribus conſimiles, edit: ſiliculas longiuſculas, in ſummo fiſſas, ſepto medio membranaceo dirimente duplicem ſeriem ſeminum, quemadmodum in prædictis: radix non eſt profunda, nec multum fibroſa; ſapore eſt amaro hoc Thlaſpi, ſed magis quam ſuperius uſu receptum. In montoſis ſatis arvis Narbonæ, ad Lupi montis radices provenit. Maio & Junio copioſe flores albos, tetrapetalos, edit, & hiſce decidentibus Julio perficiuntur ſemina.

20. *Thlaſpi* Allobrogicum parvum odorato flore, nobis. Thlaſpi parvum odorato flore, Cluſ. Hiſt. Meminit Car. Cluſius cum per Helvetios ſibi iter eſſet in Germaniam, in Allobrogibus Thlaſpi genus Cretico valde ſimile ſe inveniſſe, cujus tamen flores non eſſent purpurei, ſed nivei; foliorum tamen acrimoniâ Cretico reſpondens. Vide App. hujus Sectionis.

21. *Thlaſpi* umbellatum Creticum Iberidis folio, C. B. P. Thlaſpi Cappadocicum, Ang. Thlaſpi flore incarnato & flore albo, Eyſt. Thlaſpi Creticum, Tab. Geſn. Hort. Cæſ. Thlaſpi Candiæ, Ger. Thlaſpi Candiæ umbellatum Iberidis folio, Ad. & Icon. Lob. Thlaſpi Creticum quibuſdam flore rubente & albo, J. B. Chabr. Hoc caule quidem unico pedalis altitudinis, aut procerioris adoleſcit, ſed crebro alarum ſtipatu ubertim fruticante, duro, lignoſo, glabro, viridante: foliis tum caules tum rami amiciuntur longis, ex anguſto principio ſenſim dilatatis, Iberidis folia imitantibus, nonnihil interdum crenatis, potiſſimum in inferioribus, ſapore fervido & ſubamaro: flores umbellatim cohærent dilute rubentes, vel ut ait Dodonæus è cæruleo rubroque permixti (utriſque dilutè eleganter purpuraſcentibus) petalis quatuor, duobus majoribus, totidem minoribus conſtant; quos ſingulos ſiliculæ ſingulæ excipiunt Thlaſpios prædicti modo, bifidæ, infractæ & prona parte concavæ, ſupina convexæ, è fiſſura ſtilum in medio præferentes, qui eſt productio ſepti medii utrinque à dextris & ſiniſtris ſecundum capſulæ longitudinem ſecantis & dividentis duplicem ordinem ſeminum ruffornm, acrium & mordacium cæterorum ſuæ familias more: radices habet complures, multis fibrillis conſtantes, duras, poſt perfectionem ſeminum inutiles. Julio & Auguſto menſibus florem ac ſemen profert, in hortis Septentrionalibus tardius. Datur & hujus varietas foliis indiviſis ceu Lini, & dicitur Johanni Bauhino Thlaſpi Creticum amarum foliis indiviſis, ceu Lini. Omnes hæ Thlaſpi∞n ſpecies flores producunt umbellatim, unde eis Thlaſpios umbellati nomen à nobis inditum.

22. *Thlaſpi* Alexandrinum Cortuſi, J. B. Chabr. Hanc Thlaſpios ſpeciem ad Johannem Bauhinum miſit clariſſimus vir D. Cortuſus titulo plantæ perpulchræ Thaſpios Alexandrini. Caule conſtat dodrantali, proveniente ex radice ſingulari, in multas poſtea fibrillas diviſâ, ex qua exiliunt bini, terni, nunc plures caules, teretes, glabri, multis alis concavi; ad quorum divaricationes propagineſque ſuperiore præſertim parte folia ſingula, veluti Perfoliatæ, caules amplectuntur, ſubrotunda; ramorum extremis longa ſerie utrinque ex brevibus pedi-

culis appenduntur ſiliculæ rotundæ Viciæ ſeminis magnitudine, in mucronem leviter obtuſum deſinentes, quarum ſingulas per longitudinem percurrit coſtula ſeu ſepimentum, à quo utrinque, id eſt à dextris & ſiniſtris, valvulæ bipatentis ſiliquulæ dehiſcentes abſcedunt, ſepimento medio pellucido reſiccato relicto, inque ſingulis loculamentis valvulis incluſis ſingula ſemina compreſſa, ruffa, ex latiore baſi in acutum mucronem deſinunt. Videtur hæc Thlaſpios ſpecies aliquid habere commune cum Thlaſpi hederaceo Lobelii quoad ſiliquas, quod nobis erit Cochleariæ ſpecies, ut infra patebit in doctrina Cochleariæ.

23. *Thlaſpi* fruticoſum umbellatum Perſicum foliis Leucoii inſtar ſempervirentibus, nobis. Thlaſpi fruticoſum Perſicum foliis Keiri, Zanoni. Ex radice longâ, ſatis craſſa, fibrillas plurimas in terram demittente, oriuntur quaſi in ceſpite multa folia longa, craſſa, lævia, ſupra obſcure viridia, ſubtus palleſcentia (currente per medium nervo ſubtili & vix perceptibili) ad extremum ſubrotunda, inter quæ oritur caulis pedalis, ſimilibus foliis minoribus ad genicula alternatim diſpoſitis onuſtus, qui in plurimos ramos ſe findit, atque in ſummis faſtigiis ramorum proveniunt umbellatim plurimi flores quatuor petalis albis conſtantes, duobus majoribus & duobus duplo quaſi minoribus, quemadmodum obſervatur in Thlaſpi Cretico & Thlaſpi Iberidis folio, Scabioſa Hiſpanica, aliiſque plurimis (non obſtante aſſertione Jacobi Zanoni, qui aſſerit ſe nunquam hoc obſervaſſe in alio Thlaſpios genere, nec in aliarum quarumcunque plantarum floribus) in horum medio apparent plurima ſtaminula ruffa, apicibus totidem luteis ornata: odorem flores in umbella diſpoſiti gratum ſatis ſpirant, valde floribus Violæ nigræ odori accedentem: floribus evaneſcentibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ ſeu ſiliculæ peltatæ, latæ, in mucronem obtuſum deſinentes, colore obſcuriore; verſus petiolum apparent quadratæ, ſuntque bifidæ, ſepto medio dirimente duplicem ſeriem ſeminum compreſſorum ſive latorum, cinnamomei coloris, quæ rupta & guſtata ſaporem exhibent palato amarum, acutum & pungentem, quaſi ſemen Sinapi. Floret hæc Thlaſpios ſpecies per totam æſtatem, ſed copioſius verna tempeſtate & frigore durante flores edit. Sponte provenit in Perſia, unde ejus ſemen in Italiam miſſum, ubi nunc in hortis colitur. Nos plantam Pariſiis ad nos miſſam in horto Botanico publico Univerſitatis æſtate elapſa coluimus.

THLASPI ſepto medio ſiliculam longitudinaliter ſecante.

THLASPI MONTANUM.

Explicatio Tab. decimæoctavæ.

24. *Thlaſpi* Alpinum Bellidis cæruleæ folio, C. B. P. Thlaſpi montanum primum Burſæ paſtoris fructu Col. Thlaſpi montanum 2. Cluſ. Hiſt. Numeroſa ſunt huic, folia humi ſtrata, parva, craſſa & ſucculenta, ſatura viriditate nitentia, quaſique cæſii coloris, Globulariæ (quam Anguillara Aphyllanthem appellat) foliis proxima, mucrone orbiculato, acri guſtu: caules plures, rotundi, pedales, aut etiam minores, paulo anguſtioribus & acutis & magis virentibus foliis, raro diſpoſitis, ſtipati: in quorum ſummis proveniunt floſculi multi, albi, tetrapetali, quibus marcidis ſuccedunt ſiliculæ thecæve prona parte cavæ, & oblongæ, ſupina convexæ, cæteris Thlaſpios ſpeciebus quoad vaſcula ſimiles, ſepto medio dividente duplicem ſeriem ſeminum à dextris & ſiniſtris in loculamentis contentorum, quæ ſunt ſubruffa, Thlaſpi Cretici ſeminibus paria, ſed minora: radix candicans, fibroſa, lateribus in propagines fibroſas ſeſe explicat & diffundit. Provenit in declivibus locis montis illius glabri, qui urbe Badenſi (in qua calidarum aquarum ſunt ſaturigines) imminet, quarto à Vienna Auſtriaca miliari. Floret Aprili, ſemen fert Maio & Junio. Siliquis nonnihil variat. Hinc apud Tab. & Ger. figuræ duæ ad Cluſii & Lobelii imitationem: ſic & flores in umbella, ut recte Columna pinxit, communiter in modum ſpicæ, ut Cluſius cæterique ipſum imitantes, pinxere.

25. *Thlaſpi* montanum mitius rotundis foliis verſus terram in caulibus vero Perfoliatæ ſimilibus, nobis. Thlaſpi alterum mitius rotundifolium Burſæ paſtoris fructu, Col. Huic ſunt folia inferiora rotunda, longis pediculis innitentia; ex radicis puſillæ, albicantis, lignoſæ, raris foliis diviſæ, parumque acris, capite exeunt folia rotunda per terram ſtrata, cæſia fere, venis multis ſed obſcuris prædita, at caulibus ad ſingula genicula annectuntur folia majora, Perfoliatæ forma ſine pediculo: in ſummis caulium protruduntur flores exigui, albi, tetrapetali; quorum ſingulis ſubveniunt capſulæ oblongæ, cordis figuram exprimentes, longis petiolis hærentes ut ſuperioris capſulæ, aliquando oblique dependentes, ſuperioris itidem quoad figuram non diſſimiles, ſepto medio membraneo binos verſus ſeminum diſtinguente; in quorum ſingulis terna, quaterna, continentur ſemina parva, flaveſcentia, parum acria, & non, ut congener, Allii quid

quid guſtu relinquentia. In ſaxoſis montibus humentibus Aprili menſe floret; via è Mercato villa ad Flamminianum aut Capucinorum ædem invenit Fab. Columna; neque eſt idem cum Thlaſpi perfoliato, ut vult Caſparus Bauhinus, propter rationes in Hallucinationibus hujus capitis adferendas.

26. *Thlaſpi* montanum ſempervirens, C. B. P. Thlaſpi montanum candidum, Hiſt. Lugd. Planta hæc eſt ramoſa ſiliculoſaque radicibus multis huc illuc diſperſis, caule procero, in multos ramos diviſo, cortice ſcabro, è fuſco nigreſcente: foliis ad ſingula genicula denſe congeſtis, Leucoio ſimilibus, ſed multo brevioribus, candicantibus, guſtu acribus: floribus in ſummis ramis copioſis, puſillis, candidis, tetrapetalis: ſemine minuto in capſulis cæterorum Thlaſpion more longitudinaliter ſepto medio ſectis, ſemina hinc inde à latere ſepti medii continentibus, linguam acrimoniâ ſuâ pungentia. Ad vicum quem vocant *D. Gulielmi Deſerti* haud procul *Agnania* cœnobio gignitur, in præruptiſſimis ſaxis.

27. *Thlaſpi* villoſum capſulis hirſutis, C. B. P. & Prod. Matth. ed. Bauh. J. B. Chabr. Ex radice tenui, oblonga, albicante, caulis pedalis unicus, rotundus, villoſus exit: ad cujus exortum folia aliquot humi ſtrata, longis pediculis donata, orbiculato mucrone hirſuta; quæ vero in caule, multo breviora, pediculis carentia, latiore baſi ipſum caulem amplectuntur, quorum quædam leviter crenata ſunt: flores albi, tetrapetali: ſiliquæ magnæ, hirſutæ, compreſſæ, longo pediculo donatæ, ſpicatim ſummos caules ambientes, ſuperiore parte fiſſæ, utriculis duobus præditæ, ſepto medio eoſdem dividente: in quorum utriſque ſemen ruffeſcens acri ſapore præditum continetur. Monſpeſſuli ſponte naſcens obſervavit & collegit Caſp. Bauhinus. Floret æſtate atque eadem finiente ſemina perficit.

28. *Thlaſpi* Allium redolens, nobis. Scorodothlaſpi Ulyſſis Aldroandi, J. B. Chabr. Apto ſatis hercule nomine Scorodothlaſpi plantam hanc vocavit Ulyſſes Aldroandus, rerum naturæ ſagaciſſimus indagator, & apud Bononienſes Phyſicus celeberrimus. Radice nititur ſingulari, alba, paucis fibris donata, quæ veluti in capita divaricatur numeroſo foliorum ſtipatu, longis pediculis præditorum, quæ ex principio anguſto ſenſim ovatam quaſi figuram acquirunt, & ſubrotundo ambitu finiuntur, quorum priora foliis Bellidis quodammodo reſpondent, quædam leviter ſinuata, quædam paucis denticulis, alia fere nullis, donata. Color virens eſt plurimis ex coſta nervis excurrentibus; at quæ alterno poſitu cauliculis hærent folia, præſertim ſuprema, minimis alis caules amplectuntur: cauliculorum faſtigio floſculi inſident parvi, albi, Burſæ Paſtoris vulgaris inſtar, quatuor petalis ſcatentes, cum apice & ſtaminulis in medio; quos capſulæ ſequuntur ſpicatim digeſtæ, in ſummis caulibus incurvis pronâ parte cavæ, ſupina convexæ, cordis figuram æmulantes, ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum. Cæterum tota planta redolet Allium manifeſto odoratu, etiam non tacta. Radicula & folia oleraceo guſtu prædita ſunt grato, vel tantillum acredinis in faucibus relinquentia, non ſine habitu Alliariæ: unde aptiſſimo nomine inſignitum hoc Thlaſpi ab excellentiſſimo Aldroando. Nova eſt hæc plantula, primo ſic nominata ab Aldroando, & primo ſculpta exhibita à Johanne Bauhino. Ubi ſponte naſcitur ignoratur. Floret eodem tempore cum prædictis, æſtate ſcilicet, & eâdem anni tempeſtate ſemina paulo poſt perficit.

29. *Thlaſpi* parvum ſaxatile flore rubente, C. B. P. Lithothlaſpi 4. carnoſo rotundo folio, Col. Hujus radix longa ſatis, lævis, candicans, dura; ex qua tres quatuorve cauliculi in diverſa tendentes, recti, rotundi, rubeſcentes: circa quos denſa, comoſa, rotunda, parva admodum folia, nec fructus latitudinem ſuperantia, in imo circa radicem rubeſcentia aliquando, ſed colore Braſſicæ reliqua, ac per viticulos uſque ad ſummos petiolos ſemper anguſtiora, longiora, denſiora, ſeu magis confertim hærentia ad flores uſque: in ſummis vero cauliculis floſculi parvæ umbellæ in modum proferuntur, botris ex viridi rubentibus, circa quos exterius in orbem aperiuntur flores veluti coronantes umbilicum, ac compreſſis quatuor petalis ſuaverubentibus, ſanguineis lineis eleganter depictis, ſtaminibus intus luteis; quibus paululum inferius dilabentibus ſuccreſcunt ſpicatim capſulæ bifidæ, prona parte cavæ, ſupina convexæ, ſepto medio in apicem deſinente & ſeparante duplicem ordinem ſeminum flavorum. Rarior hæc Thlaſpios ſpecies, nec alibi ſponte quam in nudis cautibus Æquicolorum invenitur. Reperitur & Anverſæ Valvæ ſaxoſis montibus, in quibus parum terræ conſpicitur.

30. *Thlaſpi* peregrinum capſula cordata, J. B. Chabr. Pulcherrimum hoc Thlaſpios genus primum ab Henrico Cherlero detectum; pedalem aſſequitur altitudinem ejus caulis in aliquot ramuſculos diviſus: foliis ſtipatur Lini latifolii facie, in extremo obtuſis, glabris, inordinatim ſeu alternatim appoſitis, cujus ramulorum extrema exornant floſculi exigui purpurei, quos excipiunt ſiliquæ cordatæ, eleganti virore conſpicuæ, minimi digiti humani unguem latæ, linea

ſeu potius ſepto medio bipartitæ: breviter, ſiliquis Thlaſpios latiſſimâ ſiliquâ donati figurâ perſimiles: radicula duriuſcula eſt & alba. Plantæ ſapor ſubamarus, non ſine acrimonia quâdam: ſemen ejus parvum, oblongum, luteolum, hinc inde à dextris & ſiniſtris ſepti medii continetur, acriuſculo ſapore & minime ingrato. Primo conſpexit Henricus Cherlerus in horto *D. Zuingeri*, in quo florentem Julio, & Auguſto ſemina maturantem hanc plantam obſervavit prædictus Cherlerus.

THLASPI montanum fruticoſum.

31. *Thlaſpi* ſaxatile vermiculato folio, C.B.P. Lithothlaſpi montanum fruticoſius vermiculato folio, Col. Rarior eſt hæc Thlaſpios ſpecies, nec alibi quam in nudis cautibus Æquicolorum, ubi & Auricula muris incana, à Columna depicta pag. 277. de Stirp. minus cognitis, conſpicitur. Radice conſtat lignoſa, magnâ, alba, inter ſaxorum rimas, ex qua craſſa, lignoſa, rugoſaque propago multos viticulos breves palmares emittit, anguſtis, parvis, ramoſis, vermiculatis, rotundis fere foliis, nigreſcentibus, acutis in ſummo, atque per ambitum parum hirſutis, denſe circa illos hærentibus, at circa flores rarioribus & brevioribus; flores vero in magnas veluti umbellas Thlaſpi Cretici more confertim naſcentes, candidi vel ſuaverubentes, quatuor petalis conſtantes, quorum ſuperiora parva, inferiora majora ſunt, Cretici floribus paria, minora tamen; ſtaminibus intus luteis quatuor: atque ita florida invenitur hæc fruteſcens plantula, ut nihil niſi flores ſpectes. At poſtea ſuccreſcentibus mediis floribus atque dehiſcentibus, exteriores & imi mutantur in capſulas brevibus petiolis innitentes, quæ ſunt latæ ſatis, parte anteriore ſeu prona cavæ, parte poſteriore ſeu ſupina convexæ, convexam partem nobis, cavam partem caulibus oſtendentes; ſuperna parte fiſſæ, longæ & anguloſæ, non ſunt rotundæ. Floret Maio, ac æſtate ſemen perficit. Folia guſtu ſunt admodum acri, ſemina acriori, quæque lata, compreſſa & fulva ſunt. Reperitur Anverſæ Valvæ ſaxoſis montibus in quibus parum aut nihil terræ reperitur.

32. *Thlaſpi* fruticoſum anguſtifolium Leucoii folio, C.B.P. Park. Fruticoſum foliis Leucoii marini, Lob. Lugd. Tab. Ger. Thlaſpi ſempervirens, Cam. Thlaſpi fruticoſum folio Leucoii marini minoris. Thlaſpi arboreſcens, J.B. Chabr. Hoc multas virgulas procumbentes edit, quibus adnaſcuntur denſe diſpoſita folia anguſta, haud abſimilia foliis Leucoii minoris maritimi; in ſummis caulium faſtigiis oriuntur plurimi floſculi albi, tetrapetali, multi ſimul juncti, in cymis caulium ſpicatim digeſti, qui convertuntur in capſulas longiuſculas, per medium bifidas; & in unoquoque loculamento à dextris & ſiniſtris ſepti medii ipſarum continentur ſemina flaveſcentia, calida & acria guſtu; radix longa, alba & lignoſa, late ſe ſub terram dividens. Reperitur in Belgii hortis Spiræ, ubi Camera imperialis tenebatur olim, in cultiſſimo horto cujuſdam Aſſeſſoris, non modo fruticoſum ſed plane arboreſcens, folio Linariæ. Floret æſtate, atque paulo poſt ſemina ſua perficit.

33. *Thlaſpi* fruticoſum folio Thymbræ hirſuto, C. B. P. Fruticoſum alterum, Lob. Caules multos lignoſos, duros, pedales, Frutici pares, edit hæc Thlaſpios ſpecies, qui denſe ſatis onerantur foliis Thymbræ ſimilibus, hirſutis, rigidis: atque in horum ſummis conſpiciuntur floſculi albidi, tetrapetali, quos deciduos ſequuntur capſulæ longitudinaliter ſepto medio ſectæ, atque in ſingulis loculamentis continentur hinc inde ſemina fulva recentia, adulta ſubrubeſcentia, mordacia & acria.

§. 3. *THLASPI montanum monoſpermum abſque ſepto medio ſecante ſiliculam, nec tranſverſim, nec longitudinaliter.*

34. *Thlaſpi* montanum monoſpermum Glaſti folio abſque ſepto medio, nobis. Thlaſpi montanum Glaſti folio, C. B. P. Thlaſpi montanum 1. Cluſ. Hiſt. Hoc pedali aſſurgit, nonnunquam altiore caule, gracili, firmo; foliis pene Braſſicæ campeſtris ipſum amplectentibus, minoribus tamen, & mollioribus, ſuperne virentibus, inferne candicantibus, odore propemodum Allii, quali ſunt ea quæ ſtatim à radice prodeunt: flores in extremis ramulis naſcuntur copioſi, albi, tetrapetali, & umbellam omnino æmulantes, odoris expertes; quibus decidentibus latæ planæque ſuccedunt ſiliculæ, non bifidæ ut in aliis Thlaſpios generibus, ſed circinatæ rotunditatis, & ſingulæ in orbem peltæ inſtar efformatæ, ſingulæ unicum in medio continentes ſemen tantum, flaveſcens, guſtu amaro & acri: unde facile concluderemus eſſe potius Raphaniſtrum monoſpermum Glaſti folio, quia recedit à regula Thlaſpios, cujus generice

generice capſulæ bifidæ ſunt, ſepto medio ſecante ſingulas capſulas, aut tranſverſim, aut ſecundum longitudinem, ut ſupra docuimus: hæc tantum notatu digna adjicimus, atque hic collocamus impreſentiarum inter Thlaſpios genera, quicunque voluerit Raphaniſtrum monoſpermum Glaſti folio appellare, per me non ſtabit. Radice conſtat alba, fibroſa, tenui, ſumma tellure ſerpente, & nova ad latus germina proferente. Invenitur in umbroſis locis *Shibenſtiem* & qua itur ex ea arce ad *Sneberg*, nuſquam alibi à Carolo Cluſio obſervatum. Floret Julio, ſemen Auguſto ad maturitatem pervenit.

TEMPERAMNTUM & VIRES.

Thlaſpios *ſemen facultatem habet, ut ait Galenus, acrem, internos abſceſſus rumpit, menſes movet, fœtus enecat, per ſedem infuſum ſanguinolenta evacuans iſchiadicis prodeſt, bilem per inferna & ſuperna acetabuli menſura potum expurgat, authore Dioſcoride. Admiſcetur vero antidotis veluti theriacæ & aliis ejuſmodi. Acre aut mordax eſt ſemen vulgatiſſimi & vires habet cauſticas, calefacit enim & exſiccat in quarto gradu, attenuat, provocat, incidit, urit, proinde ut Naſturtii ſemen. Hæc* Swenkfeldius. *Thlaſpios varia genera ſupra deduximus, quandoquidem omnia ſint calida & acria mordaciave ſecundum magis & minus, omnia tamen non ſunt nobis uſui, quodnam vero ex multis eligendum ſit, ut illius ſemen in officinas ad theriaces confectionem inferatur, valde ſuper hac quæſtione auctores contraverſantur. Ex Galeno lib. 1. de Antidot. cap. 31. omne illud quod ex Sauro, ex Creta & Cappadocia adfertur, palmam præripit; verum quodnam ſit illud, quia pauciſſimis lineis depingitur à Dioſcoride, indigitare difficillimum erit. Bauhinus Thlaſpi arvenſe majus Vaccariæ folio incano proponit, quia prædicta omnia ſupra recenſita præſtare poteſt. Alii Thlaſpi Oſyridis folio à Caſp. Bauhino & nobis inter Naſturtia ſilveſtria recenſitum, quia acerrimum, commendant contra hydropem, imo & dyſentericis ſalubre quoque eſſe prædicant, quippe quod urinas inſigniter moveat, & notu facile ſit, quia acerrimum olfactu. Thlaſpi ſiliculis latis ſeu platycarpon à quibuſdam in compoſitione theriaces uſurpatur. Vide cætera apud Johannem Bauhinum & Simonem Pauli de Faccultatibus & Viribus Thlaſpios.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 106. col. 2. pl. 1. Thlaſpi montanum Glaſti folio, C. B. P. Thlaſpi 1. vel montanum peltatum, Cluſ. Pan. & Hiſt. Thlaſpi montanum Glaſti folio monoſpermum & per conſequens abſque ſepto medio, nobis. Pro nota generica ab initio doctrinæ Thlaſpios diximus omne Thlaſpi producere ſiliculas bicapſulares, ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum a latere hinc inde ſepti medii contentorum, atqui hæc planta ſiliculam producit unicum ſemen in ſe continentem ex deſcriptione Car. Cluſii, ergo non eſt dicenda genuina Thlaſpios ſpecies: quicunque eandem ad ſiliculoſas monoſpermas (Raphaniſtra ſcilicet) ſuperius explicatas cap. 13. retulerit, haud abs re facere putabitur.*

Pag. 107. col. 2. pl. 1. Thlaſpi biſcutatum aſperum Hieracifolium & majus, C. B. P. Thlaſpi clypeatum, Cluſ. Pan. & Hiſt. Ibidem plant. 11. *Thlaſpi biſcutatum aſperum minus, C. B. P. Iondraba Alyſſoides Apula ſpicata, Col. Ibidem pl.* 111. *Thlaſpi biſcutatum villoſum flore calcari donato, C. B. P. Leucoium flore pedato, Col. Ibidem pl.* IV. *Thlaſpi clypeatum Serpilli folio, C. B. P. Thlaſpi minimum ſpicatum lunatum, Col. Omnes hæ quatuor plantæ ſiliculas producunt compreſſas, ſemina compreſſa, plana, in ſe continentes, ideo magis accedunt Leucoii familiæ, quam Thlaſpeos, ergo averruncandas hinc a Thlaſpeos ſpeciebus & Leucoiis adjungendas æquum duximus. Conſule paragraphum* 5. *cap.* VIII. *ſupra inter Leucoia ſiliculoſa bicapſularia, a pag. 246. ad pag. 249*

Porro ibidem pl. 1. Leucoium Alyſſoides umbellatum Montanum Columnæ adaptatur pro ſynonymo cum Thlaſpi clypeato Cluſ. Hiſt. & cæteris illic collocatis; Leucoium Alyſſoides umbellatum montanum Col. eſt ſpecies omnino diverſa a reliquis cum quibus pro ſynonymo adhibetur a Caſparo Bauhino; ergo confundit Caſparus Bauhinus duas diſtinctas ſpecies pro una & eadem, cum ſint diverſæ, ut apparet ex Iconibus in Tabula nona ænea noſtra ſculptis.

SILICULOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares.

§. 1. NASTURTIUM SILICULOSUM HORTENSE.

CAPUT XVIII.

N*Aſturtium* Κάρδαμον *Dioſcoridi lib.* 2. *c.* 185. *Theophr. Hiſt. quaſi* καρήδαμον, *quod caput calore ſuo & acrimonia tentet: vel* ἀπὸ τῆς καρδίας, *quod cordatos faciat, vel quod in ſyncope cardiaca dicta, plurimum valeat: Latinis Naſturtium, à naribus torquendis; quod odore & ſeminis acrimonia ſternutamenta provocet: hinc Plinio lib.* 19. *c.* 8. (*& Varroni*) *à narium tormento* (potius tortione) *velut torporem excitans.* Naſturtium nobis eſt duplex vel ſiliquoſum de quo egimus cap. 4. Sectionis hujus tertiæ: vel ſiliculoſum de quo hoc capite agemus inter ſuas conſortes plantas, ſcilicet ſiliculoſas, calidas & acres. Naſturtium ſiliculoſum eſt vel hortenſe, vel ſilveſtre; hortenſe eſt vel tenuifolium, vel latifolium; latifolium eſt vel foliis integris, vel criſpatis, hocque vel magis vel minus criſpatis.

TABULA XIX.

Naſturtium ſiliculoſum

- *Hortenſe*
  - 1. *Vulgare tenuiter diviſum, nobis. Hortenſe vulgatum, C. B. P.* ☿
  - 2. *Latifolium, C. B. P. & Prod. Naſturtium latifolium Hiſpanicum, Park.* ☿
  - 3. *Criſpum latifolium, nobis. Naſturtium hortenſe criſpum latifolium, C. B. P. & Prod.* ☿
  - 4. *Criſpius anguſtifolium, nobis. Naſturtium hortenſe criſpum anguſtifolium, C. B. P. & Prod.* ☿
- *Silveſtre*
  - 5. *Petræum foliis Burſæ paſtoris, nobis. Naſturtium petræum, Icon. Lob. Tab. Ger.* ☿
  - 6. *Pumilum vernum, nobis & C. B. P. Cardamine puſilla ſaxatilis montana* δισκοιδὲς, *Colum.* ⊙
  - 7. *Oſyridis folio capſulis minimis, nobis. Naſturtium Silveſtre Oſyridis folio, C. B. P. Thlaſpi minus. Dod.* ☿
  - 8. *Erucæ affine, nobis. Naſturtium ſilveſtre Valentinum, Cluſ. Hiſt. Park.* ☿
  - 9. *Verrucoſum capſula bivalvi rotundâ aſpera vel hirſuta, nobis. Naſturtium verrucoſum, J. B. Chabr. Coronopus Ruellii, Lugd. Ger.* ☿
  - *Alpinum*
    - 10. *Tenuiſſime diviſum, nobis. Naſturtium, Cam. Ep. Cardamine Alpina* 3[ia] *minima, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 11. *Capſula Naſturtii hortenſis, nobis. Naſturtiolum Alpinum, J. B. Chabr.* ☿
    - 12. *Candidum incanum ſempervirens, nobis. Thlaſpi virentis ſpecies candida, J. B. Chabr.* ⊙

Explicatio Tab. decimænonæ.

§. 1. NASTURTIUM HORTENSE.

1. N*Aſturtium* vulgare ſeu hortenſe tenuiter diviſum, nobis. Naſturtium hortenſe vulgatum, C. B. P. Naſturtium hortenſe, Trag. Fuch. Tur. Lac. Ad. Lob. Dod. Lugd. Ger. Park. Naſturtium vulgare, J. B. Chabr. Hoc Naſturtium ſiliculoſum hortis eſt frequens & familiare. Folia edit tenuia, parva, multum laciniata: caule conſtat tenui, ſeſquipedali, interdum in multos ramulos ſuperius brachiato: quibus innaſcuntur floſculi plurimi, albidi, tetrapetali, quos ſequuntur ſiliculæ bifidæ, prona parte cavæ, ſupina convexæ, ſepto medio longitudinaliter dividente duplicem ſeriem ſeminum ruffeſcentium, acri guſtui ſapore.

2. *Naſturtium*

2. *Naſturtium* hortenſe latifolium, C.B.P. & Prod. Matth. ed. Bauh. Naſturtium hortenſe latifolium Hiſpanicum, Park. Naſturtium Hiſpanicum, Ger. Tab. Geſn. Hort. Naſturtium latifolium, J.B. Chabr. Ex radice longa, tenui, leviter fibroſa, caulem emittit cubitalem, rotundum, qui in multos ramos brachiatur: folia ad radicem plura, longis pediculis donata, quæ nec diviſa, nec laciniata, ſed longa, ovata, integra, & in margine obſcure ſerrata: flores in cymis ramorum profert multos, albos, tetrapetalos, & capſulas conformes vulgaris ſeu hortenſis Naſturtii floribus & capſulis: item & color & ſapor idem. Ubi ſponte proveniat ignoratur, ſed copioſe ſatis in horto Blæſenſi florentem & ſemina producentem habuimus Maio, Junio & Julio.

3. *Naſturtium* hortenſe criſpum latifolium, nobis, C.B.P. & Prod. Matth. ed. Bauh. Hoc, foliis exceptis, cum vulgari convenit: folia enim criſpa ſunt & latiora, ſed minus criſpata.

4. *Naſturtium* hortenſe criſpius anguſtifolium, nobis. Hoc itidem convenit cum cæteris præcedentibus, floribus & capſulis ſeminalibus; folia autem ſunt anguſtiora & magis criſpata. Conſule binas Icones, quarum prior indigitat folio ſuo latiore & minus criſpato Naſturtium hortenſe criſpum latifolium, 2da offert Naſturtium criſpius anguſtifolium quoad omnes ſuas partes, radicem, flores in cymis caulium, & capſulas paulo inferius caulibus adhærentes, priori ſimile, niſi quod folia ſint minora, magis autem criſpata.

§. 2. NASTURTIUM *ſiliculoſum ſilveſtre.*

5. *Naſturtium* petræum foliis Burſæ paſtoris, C.B.P. Naſturtium petræum, Lob. Tab. Ger. Park. Naſturtium hoc pumilum folia protrudit humi procumbentia, foliorum Quercus inſtar, non multum recedentia à Burſæ paſtoris foliis: flores in firmorum caulium ſummis edit albos, tetrapetalos, Naſturtii hortenſis florum æmulos, quibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ, bivalves & bifidæ (ſepto medio ſeparante duplicem ſeminum ruffiorum ſeriem, binis valvulis à dextris & à ſiniſtris includentibus hinc inde à latere ſepti medii ſemina prædicta, calida, acria, mordacia) quæ cæterorum Naſturtiorum more ad longitudinem uncialem ſpicatim proveniunt in ſummis caulium.

6. *Naſturtium* pumilum vernum, C.B.P. Cardamine puſilla ſaxatilis montana θλασποειδής, Col. Plantula hæc palmaris ad ſummum eſt picturæ foliis & habitu par, nec majorem ſed potius minorem, ut in pictura exprimitur, invenit Fab. Columna. Foliolis ex ſemine primum ortis conſtat rotundis, deinde in lobos plurimos, octonos, novenos, binatim ſibiinvicem è regione oppoſitos ſeparatis, uno extremum claudente, quæ, Lentis parvæ magnitudine & rotunditate diviſa obſervantur, ſaltem quæ terræ proxima, deinde oblongiora in caule, qui in vegetioribus alis in ſummo diviſus flores habet puſillos, albos, tetrapetalos, qui vix depingi poſſint; ex calyce è quatuor foliolis virentibus conflato exeunt petala quatuor alba, quæ contrario verſu foliorum calycis diſponuntur, ut octo videantur, quatuor virentia calycis, iiſque quatuor petala alba intermixta ſunt, in quorum centro ſtamina tenuiſſima, lutea, apparent: defloreſcentibus vero floribus ſingulis ab imo capſulæ ovales ſuccedunt, bivalves, Drabæ minimæ pares & ſimiles, per caulis ſummum alternatim diſpoſitæ: in quibus ſemina lutea acri ſapore, ſicut tota planta, Naſturtium æmulantur. Maio hanc plantulam floridam invenit Fab. Columna, atque fructu onuſtam. Variat hæc planta, nam minor tota paucioribus lobis & foliis invenitur, ut in pictura exprimitur. Oritur in Valvenſium montibus umbroſis copioſe. In montoſis cautibus excelſis ſupra caſtrum Podium Poponiſcum Æquicolorum, inque eorum alveis, caviſque umbroſis locis.

7. *Naſturtium* ſilveſtre Oſyridis folio capſulis minimis, nobis. Naſturtium ſilveſtre Oſyridis folio, C.B.P. Park. Thlaſpi anguſtifolium, Fuch. Lugd. Thlaſpi minus, Dod. Ger. Thlaſpi minus Germanicum, Tab. Thlaſpi minus tenuifolium, Lon. Hoc Naſturtium ſub exortum plurima habet folia per terram ſtrata, minora, ſubrotunda, aſperiora & minora Chamelinæ inſtar; ex inferiore parte caulis ramatim dividuntur cauliculi, quibus adhærent foliola exigua ſatis: in ſummis ramis innumeri producuntur floſculi albidi, tetrapetali; quibus ſingulis flacceſcentibus ſuccedunt capſulæ ſingulæ minimæ, bifidæ, cum ſepto medio ſecante longitudinaliter ipſas capſulas in duas partes, hinc inde à dextris & ſiniſtris ſepti medii continentes plurima ſemina ſublutea, guſtu acria & mordacia: radice conſtat tenui, lignoſa. Annua eſt planta.

8. *Naſturtium* ſilveſtre Erucæ affine, C.B.P. Naſturtium ſilveſtre Valentinum, Cluſ. Hiſt. Park. Naſturtium ſilveſtre Valentinum Cluſii, J.B. Chabr. Unico hæc planta aſſurgit caule,

ſed ſtatim à radice ſupra ſolum multis alis diviſo, hirſuto & aſpero, virente, rotundo, pedalis longitudinis, inferna folia qualia fuerunt pronunciare non potuit Car. Cluſius, quia jam in ſemen magna ex parte evaſerat planta cum obſervaverat; quæ tamen ſub alis cauli inhærebant, tenuia erant & multifida, Naſturtii vulgaris & legitimi foliorum pæne æmula, tenuiora tamen & viridia, acri guſtu prædita, ut Naſturtium: extremis ramis fert multos floſculos, ſpicæ in ſpeciem congeſtos, quatuor petalis paleſcentibus conſtantes, in quibus totidem ſtamina; quibus evaneſcentibus ſuccedunt ſiliculæ breves, hirſutæ, longiuſculæ, duabus valvulis ſeu utriculis conſtantes cum ligula ſeu ſepto medio prominente, quæ non quidem ſurſum erectæ reliquorum congenerum more, ſed deorſum inflexæ; in quibus Naſturtii æmulum ſemen latet: radix ſingularis, candicans, ſatis craſſa, non tamen vivax, ſed quæ ſingulis annis perit. Eodem loco eodemque tempore, nempe Martio, florentem hanc plantam & ſemine prægnantem inveniebat Car. Cluſius, quo Alyſſum Galeni, Valentino ſcilicet regno, & quia pleraſque notas cum Naſturtio communes habere conſpiciebat prædictus Car. Cluſius Naſturtii nomen indidit, quod (quantum ex guſtu ejus ei judicare licuit) perſimiles facultates habuit.

9. *Naſturtium* verrucoſum capſula bivalvi aſpera ſeu hirſuta, nobis. Naſturtium verrucoſum, J. B. Chabr. Coronopus Ruellii, Hiſt. Lugd. Ger. Coronopus repens, Lob. Lugd. Tab. Cornu cervi album repens (perperam, procumbens debet dici) Coronopus recta & repens, Park. Coronopus Ruellii recta & repens, Lugd. qui duas ſicut & Park. exhibet figuras, Naſturtium verrucarium & Pſeudoambroſia, Cam. Terræ apprimit caules hæc planta nunquam ſurgentes (quicquid voluerint Hiſtoriæ Lugdunenſis compilator & Parkinſonus) ſpithameos, rigidulos, per quos folia laciniata, cæſura foliorum Naſturtii, nec ita diſſimili aut odore aut ſapore: floſculi in caulium geniculis minuti, albi, tetrapetali, conglobatim florentes: ſeminum loculi ſeu capſulæ ſcabræ, inæquales, hirſutæ ſeu aſperæ, lappulas imitatæ, quas exterius echini veluti parvi, ſpinulis muricati tegunt, ſepto medio dirimente ſemina hinc inde in binis valvulis, in quarum ſingulis granum ſeu ſemen unicum nigrum, acre ac mordax continetur, gigartæ vitigineæ par: radix longiuſcula, ſatis craſſa (Hiſtoria Lugdunenſis 3. figuras habet, primam titulo Ambroſiæ primæ Matth. alteram Coronopi Ruellii ex Dodonæo; 3^iam Coronopi repentis Lobelii. Parkinſonus binas exhibet figuras ſub Coronopi rectæ & repentis nomine: ſed longe falluntur & hic & ille cum ſit unica ſpecies.) Provenit paſſim in agris neglectis echinato ſeminum involucro denſe compacto, & ad ſingulos nodos juncto. Floret & ſemina perficit æſtate.

10. *Naſturtium* Alpinum tenuiſſime diviſum, C. B. P. Naſturtiolum, Cam. Ep. Cardamine Alpina 3^ia minima, Cluſ. Hiſt. & Pan. Cardamine Alpina, Tab. Ger. Thlaſpi montanum minimum Dalechampii, Hiſt. Lugd. pag. 1180. Hæc plantula alias trium unciarum, alias fere dodrantalis (Cluſio uncialis) folia habet minutiſſima terna, quina, ſeptena, ad coſtam appoſita, Cluſio viridia, guſtu acri ac fervido, ſic ut tota planta ſemiunciâ interdum non ſit longior, alias uncias duas excedit, ſapore fervido Naſturtii inſtar: coliculos habet plures, in quorum faſtigiis flores ſunt nonnulli candidi, tetrapetali, coacervati, pro plantæ proportione ſatis magni; ſiliculæ oblongiuſculæ, rotundæ, in apicem acutum deſinentes: radix alba, craſſiuſcula, longa, fibris multis longis donata. In ipſis ſummis *Sneberg*, dum per nivem glaciali duritie conſtrictam ferreis uncis pedibus alligatis Cluſius delaberetur, invenit menſe Auguſto florentem ubi nives jam primum diſſolvi incipiebant. Invenitur & in Tirolenſibus atque Saliſburgenſibus montibus, teſte Joachimo Camerario. Ex Geſneri Epiſtolis apparet etiam in Helveticis Alpibus naſci.

11. *Naſturtiolum* Alpinum capſulâ Naſturtii hortenſis, nobis. Naſturtium 5. C. B. P. & Prod. Naſturtiolum Alpinum, J. B. Chabr. Hoc Naſturtiolum vix tres uncias altum eſt, & ideo Johanni Bauhino Naſturtiolum dictum: radice conſtat lignoſa, paucis fibris donata, ex qua caulis brevis, vix triuncialis, in cauliculos binos aut ternos dividitur, per quorum ſumma floſculi parvi, albi, tetrapetali cernuntur; quibus ſuccedunt capſulæ raro diſpoſitæ, bivalves ſeu bifidæ, ſubrotundæ, duplicem ſeriem ſeminum hinc inde à latere ſepti medii continentes; folia ſunt parva, craſſa, anguſta, unciâ breviora. Hoc Naſturtiolum invenit Johannes Bauhinus in monte Rhætiæ *Numbre* dicto, prope balnea *Wurmbs*, æſtate floribus & ſeminibus prægnans. Ex herba ſicca deſcripſit idem J. Bauhinus.

12 *Naſturtium* candidum ſeu incanum ſemper virens, nobis. Thlaſpi ſemper virentis ſpecies candida, J. B. Chabr. Hæc plantula eſt innumeris foliis longis pediculis innitentibus donata, quæ binatim conjugata, quaterna, quina, nunc plura, nunc pauciora ſunt, anguſta, parva, uno impari extremum coſtæ claudente, quæ omnia coſtæ mediæ è regione adhærent, incana

ſive candida: flores in umbellâ albi, magni ſatis pro tenuitate plantæ: quibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt ſiliculæ oblongiuſculæ, mucronatæ, bifidæ, & in apicem deſinentes, ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum hinc inde à latere ejuſdem ſepti contentorum. Hoc Naſturtium differt à Cardamine Cluſii, primo quòd folia alata plurima exoriantur à radicis ſummo, deinde eadem foliola è regione appoſita ſint anguſtiora, incana ſeu candida, per terram ſtrata ſine foliis veſtientibus caulem: Cardamines autem folia caules denſe veſtiunt, & flores in Naſturtio candido ſempervirenti conſpiciuntur majores, & conſequenter ſiliculæ itidem majores.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Naſturtium *hortenſe ſeritur paſſim in hortis & uſurpatur ad ciborum condimenta & intinctus: venit quoque aliis cum herbis in acetaria. Plinius author eſt, libro 20. c. 13. Naſturtium Venerem inhibere; at concludimus eo in loco codicem vel depravatum, vel Plinium ipſum naturam Naſturtii ignoraſſe, & ideo in hoc deceptum fuiſſe, ſicut in aliis, credere haud difficile erit: nam Dioſcoridi & experimento repugnat: excalefacit, attenuat, mundat, aperit, urit, extrahit, reſolvit, incidit. Animum exacuere veſcentibus traditur, unde animi torpore affectos ad Naſturtium devorandum hortatur adagium. Succus Naſturtii dentium dolores mulcet, ſi calidus in aurem dolentis lateris fuerit inſtillatus. Semen denariorum 10. pondo ex aqua potum bilem educit, capitis vitia purgat, viſumque clarificat. Naſturtii ſemen (ut lib. 7. de Sim. Medicam. facult. memoriæ prodidit Galenus) aperientis facultatis particeps eſt, ſicut Sinapi, proinde coxendicis & capitis dolores, atque adeo quodcunque aliud rubrificationem poſtulat, ſedat ut Sinapi excalefaciendo. Miſcetur quoque remediis, quæ exhibentur aſthmaticis, tanquam ſcilicet id quod craſſos ſuccos valenter incidere valeat, velut & Sinapi, nam in omnibus ei quaſi ſimile eſt. Porro herba arefacta ſimilem ſemini vim poſſidet: humida vero adhuc & viridis propter aquoſæ ſubſtantiæ admiſtionem multo ſemine inferior eſt; adeoque ſi mordacitas ejus immoderata ſit, tunc pane ſeu obſonio ea uti liceat. κάρδαμον Græcis, Naſturtium Latinis vocatur, à narium tormento, potius tortione.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

IN Sectione ſecunda Pinacis Caſp. Bauhini a pag. 103. ad paginam 105. continentur & junguntur Naſturtia tam ſiliquoſa quam ſiliculoſa a Caſparo Bauhino, & male; novem enim conſpiciuntur ſpecies Naſturtii ſiliculoſi, id eſt, ſiliquis curtis, illic confuſe mixtæ cum Naſturtiis ſiliquoſis, id eſt, ſiliquis longis; de quibus egimus inter Naſturtia ſiliquoſa cap. 4. Novem prædictæ Naſturtii ſiliculoſi plantæ debent hic collocari inter conſortes ſiliculoſas, Thlaſpi, Burſas paſtoris, Cochlearias, & cæteras ſiliculis curtis donatas, ut nos hic præſtitimus. Vide Hallucinationes Naſturtii ſupra pag. 226. hujus Hiſtoriæ.

SILIQUOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.

BURSA PASTORIS.

CAPUT XX.

THlaſpi ſpecies apud antiquos fuit, quæ nunc Burſa paſtoris, à marſupiolis compreſſis (aliis Capſella) dicitur: quibuſdam Sanguinaria & Criſpula.

Burſa paſtoris vulgaris major & minor foliis ſinuatis, loculos habet cordatos, utrinque tumidos adinſtar marſupii bivalvis; quæ vel in ſummo valvulas habet fiſſas adinſtar Naſturtii, vel eſt foliis integris loculo oblongo: de hiſce ordine infra dicemus. Adeo enim affines ſunt Naſturtium ſiliculoſum, Thlaſpi ſiliqua longitudinaliter ſecta, & Burſa paſtoris, ut inter has plantas calidas & acres difficile admodum ſit diſtinctionem adferre quoad ſiliculas.

Pars TABULÆ XXI.

- *Burſa paſtoris* — *Capſula*
  - *Brevi cordata*
    - *Major foliis*
      - 1. *Non ſinuatis, nobis.* Major folio non ſinuato, *C. B. P.* 1. *in Prod.* ☿
      - 2. *Sinuatis, nobis.* Burſa paſtoris major folio ſinuato, *C. B. P.* Burſa paſtoris major, *Brunf. Trag.* cui & Thlaſpi fatuum. ☿
    - *Minor foliis*
      - 3. *Sinuatis, nobis.* Burſa paſtoria minor, *Tab.* Minima, *Ger.* ☿
      - 4. *Alatis, nobis.* Burſa paſtoria minor, *Dod.* Minima, *Lob.* ☿
  - *Oblonga mucronata*
    - 5. *Major hirſuta, nobis.* Burſa paſtoris major loculo oblongo, *C. B. P.* Draba minima muralis δισκοιδὲς, *Col.* ☿
    - *Minor*
      - 6. *Seu Paronychia vulgaris, nobis.* Paronychia vulgaris, *Dod.* Latifolia, *Ger.* ☿
      - 7. *Foliis trifidis, aliquando multifidis, nobis.* Burſa paſtoria minima verna loculis oblongis, *J. B. Chabr.* ☿
      - 8. *Foliis infimis integris, crenatis vero ad genicula, nobis.* Burſa paſtoris minor Alpina hirſuta 3. *C. B. Prod.* ☿
      - 9. *Alpina foliis & ſiliculis itidem hirſutis, nobis.* Sedum minus 12. *Cluſ. Hiſt.* ☉

§. 1. BURSA PASTORIS CAPSULA CORDATA.

Explicatio partis Tab. vigeſimæprimæ.

1. BUrſa paſtoris major capſula cordata foliis non ſinuatis, nobis. Burſa paſtoris major folio non ſinuato, C. B. P. & Prod. Radice eſt longiuſcula, tenui, aliquando capillata; caule palmum ſuperante, communiter uno (rarius pluribus) ramoſo: foliis atrovirentibus, ad radicem longis pediculis donatis, quæ circa caulem alas duas habent, quæque eundem ſatis arcte complectuntur: floribus & thecis cum vulgari convenit. Baſiliæ in arenoſis provenit, Italiæ ſilveſtribus locis, circa Monſpelium, ubi tamen longe minor quoque notata fuit, & paſſim alibi obſervare licet una cum vulgari. Vide folium integrum vulgari ſinuato adſculptum.

2. *Burſa paſtoris* major capſula cordatâ foliis laciniatis, nobis. Burſa paſtoris major folio ſinuato, C. B. P. Burſa paſtoris major, Brunf. Trag. Geſn. Hort. Burſa paſtoris major vulgaris, Park. Burſa paſtoria, Fuch. Dod. J. B. Chabr. Burſa paſtoria major, Tab. Hæc Burſa paſtoria major in fertili ſolo pedalem attingit altitudinem, nonnunquam palmarem in ſteriliore ſolo: radice nititur rectâ, albâ, fibroſâ, ſapore ſubdulci & nauſeoſo, ex qua prodeunt folia oblonga, integra, ut ſupra monuimus; alias profunde laciniata, nonnihil hirſuta, pediculis fere uncialibus, cum folia ſuperiora in caulibus nec pediculum quidem habent, ſed immediate cauli adhærent: inter folia inferiora unicus exſurgit caulis, aliquando terni, quaterni, qui ſurſum verſus in ramulos dividuntur, qui à medio fere ad ſummum faſtigium floſculos ſpicatim emittunt, pedicello tenui ſemiunciali innitentes, parvos, albos, tetrapetalos, & in medio ſtaminula aliquot lutea habentes; interdum corymbatim in ſummo caule umbellam florum quaſi efficiunt; quos ſucceſſive ſequuntur capſulæ cordatæ, tumidæ utrinque, bifidæ, marſupii paſtoris inſtar (unde ei nomen) ſepto medio longitudinaliter ſeparante duplicem ſeriem ſeminum, ex acuto exortu verſus pediculum, in latiuſculam crumenulam bifidam, cordatam, deſinentes & ſemina in capſulis ſepto medio diviſis continentes plurima ſubruffa. Hæc Burſa paſtoris mire ludit in foliorum textura, aliquando foliis integris, aliquando diſſectis, ut quis diverſas ſuſpicari poſſit ſpecies, cum mea ſententia ſit eadem planta ſeſe varians pro ratione ſoli & ætatis. Sunt qui Thlaſpi Burſam paſtoris vulgo dictam, & Naſturtium ſaltem ſiliculoſum hortenſe, unam & eandem generice eſſe plantam exiſtimarint: ſed eorum ſententiam explodendam

merito cenſebit qui capſulas Burſæ paſtoris cordatas tumidas conſiderat, utpote diverſas à Naſturtii ſiliculoſi hortenſis capſulis, in ſummo fiſſas, parte prona cavas, & ſupina convexas reperiet. Inſuper, quod Lacuna monet, viribus & temperamento, ſaltem quoad magis & minus differunt. Floret Burſa paſtoris exeunte hyeme & per tres menſes poſtea, imo per totam æſtatem & floret & ſemen perficit.

3. *Burſa paſtoris* minor capſula brevi cordata foliis ſinuatis, nobis. C.B.P. Burſa paſtoria minor, Tab. Burſa paſtoria minima, Ger. Folia hujus prioris foliis ſunt minora, non tam laciniata, ſed potius ſinuata; ex quorum gremio per terram ſtratorum protruditur caulis unus, aut alter, in cujus ſummis faſtigiis conſpiciuntur flores minimi, albi, tetrapetali: quibus ſuccedunt ſiliculæ parvæ, utrinque tumidæ, cordatæ, bifidæ itidem, utrinque à latere ſepti medii in valvulis hinc inde à dextris & ſiniſtris ſemina plurima, ruffa, continentes. Hæc mihi videtur tantum varietas minor ſuperioris, in ſterilibus & neglectis proveniens. Quicunque has tres ex uno ſemine ortas concluſerit, ipſi non refragabimur. Sint ergo varietates tantum à natura ſic ludente productæ, quemadmodum in aliarum plantarum foliis ſic variantibus paſſim obſervantur.

4. *Burſa paſtoris* minor foliis alatis coſtæ mediæ è regione adhærentibus, uno impare extremum claudente, nobis. Burſa paſtoria minor, Dod. Burſa paſtoria minima, Lob. Icon. Hæc folia producit plurima minora, per terram ſtrata, alatim ſeu conjugatim è regione poſita, uno extremum claudente majore & rotundiore, atque hoc ipſo nomine à cæteris omnibus prædictis quam facillime diſtinguitur: è medio foliorum ſic conſtructorum terni aut plures cauliculi exoriuntur trientales, ſuſtinentes floſculos minimos, albidos, tetrapetalos, quorum ſingulis ſuccedunt capſulæ ſingulæ, cordatæ, tumidæ, bifidæ, continentes utrinque à ſepti medii latere ſemina ſubruffa, minora. Hæc planta differt à Naſturtio petræo ſtructurâ foliorum: primo hujus folia ſunt integra, ſinuata tantum in margine; illius autem folia ſunt alata, è regione coſtæ mediæ adhærentia, uno extremum claudente, cum foliolis parvis anguſtis in ſingulis geniculis caulium, at Naſturtii petræi foliola in caule ſunt latiora magiſque ſecta; ſecundo Naſturtium petræum capſulas habet in ſummo fiſſas, prona parte cavas, ſupina convexas; at Burſa minor foliolis alatis, uno extremum claudente, capſulas habet utrinque tumidas & cordatas, ut Burſa paſtoris major vulgaris, ſine fiſſura in ſumma parte capſulæ.

§. 2. BURSA PASTORIS *foliis integris capſulâ oblongâ.*

5. *Burſa paſtoris* major hirſuta capſula oblonga, nobis. Burſa paſtoris major loculo oblongo, C.B.P. Draba minima muralis diſcoides, Col. Thlaſpi Veronicæ folio, Richerii. Hujus radix tenuis & fibroſa, inutilis & alba cauliculum palmarem, hirſutie aſperum, ramoſum, aliquando vix ſemipalmarem, ſed alis carentem emittit; ad cujus exortum folia aliquot inter ſe viridia, humi ſtrata, unguis humani magnitudine, ovali figurâ, ſerrata, hirſutie aſpera; quæ vero caulem ambiunt pauca ſunt, & pediculis carent: floſculi in ſummo multi, parvi, albi, tetrapetali: quorum ſingulis ſinguli loculi ſeu capſulæ parvæ, oblongæ, è pediculis oblique tendentes, ſuccedunt bifidæ, ſepto medio diſtinguente ſemina parva, fulva, acris ſaporis, quæ loculo maturo & aperto relinquunt ſeptum minus oblongum, pellucidum, petioli ſummitati innixum. In ſiccioribus & campeſtribus Helvetiorum locis Martio florens & loculis onuſta reperitur. Februario calidioribus, frigidioribus vero locis Martio, Aprili & Maio etiam invenitur. Differt à Paronychia Lobelii ſive Myoſotide Dalechampii magnitudine, foliis & caule majoribus magiſque hirſutis; fructu vero ſicuti flore eſt minore, etiam petiolis minoribus: nec ita campeſtribus pratenſibuſque locis gaudet, ſed parietinis ſaxiſque humentibus imo frequentior reperitur frigidioribus. Sapore acris admodum etiam virens, ſicut in flore & ſemine.

6. *Burſa paſtoris* minor loculo oblongo, C. B. P. Paronychia vulgaris, Dod. Myoſotis parva Dalechampii, Hiſt. Lugd. Herbula Burſæ paſtoris affinis, Cæſ. Parvula herba hæc eſt: folia ejus exigua, latiuſcula pro proportione plantulæ ipſius, minutis Alſines foliis ſatis ſimilia, denſe in orbem per terram ſtrata: è quorum medio cauliculi plurimi trientales, nunc humiliores, nunc altiores, ſecundum humiditatem aut ſiccitatem Veris, aut ſoli in quo provenit: in ſummis cauliculis plurimi exoriuntur exigui floſculi, albidi, tetrapetali, quibus mox ſuccedunt capſulæ oblongiuſculæ utrinque tumidæ & bifidæ, ſepto medio pellucido exſiccato ſeparante duplicem ſeriem ſeminum fulvorum, calidorum & acrium, cæterarum ſuæ familias plantarum ſiliculoſarum more. A Martio & Aprili in multam æſtatem viget, viret ac floret (apparet tamen cito æſtivis caloribus) in ſummis tectorum & murorum: etiam in neglectis arvis paſſim provenit exeunte hyeme.

7. *Burſa paſtoris* minor foliis trifidis, aliquando multifidis, florum petalis bifidis loculo oblongo, nobis. Burſa paſtoria minima verna loculis oblongis, J. B. Chabr. Plantula hæc minima radice conſtat tenuiſſima, fibroſa tamen, ex qua per terram ſparguntur foliola, orbiculariter caulis imum verſus terram Roſæ in modum cingentia, anguſta, oblonga, mucronata, vix unciam longa, hirſuta, virentia, modo ad exortum rubentia, ad extremum binis aut ternis crenis prædita; qua nota præcipue à Paronychia vulgari foliis non ſectis facile diſtinguitur hæc minor ſpecies Burſæ paſtoris, juncta foliorum per terram ſtratorum textura Roſæ inſtar: petalis conſtat bifidis, non planis ut ſuperior ejus ſpecies: ſapore eſt primum calido, deinde acriori, nitroſo & linguam vellicante: exeunt cauliculi triunciales, aliquando palmares, floſculos multos albos, tetrapetalos gerentes, quibus ſuccedunt loculi oblongiuſculi acuminati, ſepto medio pellucido remanente poſt ſemina decidua, fulva, acria. Monſpelii floret Vere prope *Beffordiam*. Eandem medio Aprili cum membranulis mediis illis pellucidis remanentibus poſt ſemina decidua (quod familiare eſt multis aliis hujus generis) invenit J. Bauh.

8. *Burſa paſtoris* Alpina minor hirſuta foliis infimis integris ad genicula vero crenatis loculo oblongo, nobis. Burſa paſtoris Alpina minor hirſuta loculo oblongo, C.B.P. Ex radice eadem plurimæ compages foliorum acutorum & hirſutorum, tot Roſarum inſtar, emergunt, atque ex ſingulis compagibus ſic Roſæ in modum conſtructis ſinguli oriuntur cauliculi trientales, ad quorum genicula conſpiciuntur foliola crenata & mucronata, quæ non obſervantur in reliquis Paronychiæ hujus generis ſpeciebus: in ſummis caulibus proveniunt capſulæ oblongæ, ſubrotundæ, mucronatæ, bifidæ, ſepto medio pellucido diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum minutorum & flaveſcentium.

9. *Burſa paſtoris* Alpina Roſea lutea folio craſſiuſculo Sedi vermiculati more, ſed hirſuto, loculo oblongo itidem hirſuto, nobis. Sedum minus 12. Cluſ. Hiſt. Phyllon Arrhenogonon, Lugd. Leucoium luteum Aizoodes montanum, Col. part. 2. pag. 62. Acris & ingratus foliorum hujus ſapor, præcipue florum tetrapetalorum & filiquarum, atq; ſeminis effigies, hanc plantam ad Burſæ paſtoris rariorem ſpeciem potius quam ad Sempervivum vermiculatum Aizoon dictum Cluſio, aut Leucoium Columnæ, referre nos coegerunt. Huic foliorum rotundorum & vermiculatorum adeo denſa eſt congeries, ut cuivis Sempervivum aliquod vermiculatum primo intuitu foliorum appareret. Ex radice ſeſquiunciali, tenui, longa, ſatis craſſa, exeunt folia oblongiuſcula, rotunda, craſſa, ſucculenta, vermiculorum aſcaridum formâ, pilis hirta, in orbiculum rotundum congeſta Roſæ in formam, multas plantulas adnatas ac ſimul coacervatas hunc in modum ex eadem radice protrudit: ex medio foliorum in globulum congeſtorum & Roſæ formam efficientium caulem emittit ſingularem ſemipalmarem & palmarem aliquando, nudum & foliis carentem uſque ad bifurcationes: in ſummo cacumine plurimi floſculi lutei apparent tetrapetali, integri, non bifidi; quibus evaneſcentibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ oblongiuſculæ, tumidæ, rotundæ, parum compreſſæ, hirſutæ, in apicem deſinentes, ſemina multa flava in ſe habentes, ſepto medio membranaceo in duplici loculamento à dextris & ſiniſtris ſepti prædicti ſito, eadem ſeparante. Floret Aprili menſe, & Maio perficitur ejuſdem ſemen. Oritur in altiſſimis montibus Villæ Lacus & Cuculli Apenninis montibus ultra lacum Fucinum, teſte Fab. Columna. In ſummis Auſtriacorum & Stiriacorum montium jugis inter ſaxa provenit, teſtante Car. Cluſio. Meminit idem Cluſius dum è Narbonenſi Gallia per Helvetios in patriam rediret, in Allobrogum Alpibus cum aliis plurimis venuſtis ſtirpibus eruiſſe hanc Burſæ elegantis minorem ſpeciem, non Aizooi, propter rationes in Hallucinationibus hujus capitis infra adferendas. Eſt in ſterilibus multo minor. (Vide Icones Tab. 20. ibidem majorem & minorem aſſculpendam plantam curavimus) hoc contingit à ſterilitate aut fertilitate ſoli ut autumamus.

TEMPERAMNTUM & VIRES.

Burſæ *paſtoris vires non vulgares celebrantur, ex aceto enim (id ſcribente Fuchſio) trita inflammationum collectiones ſiſtit, ac eò humores confluentes cohibet: auxiliatur ſacris ignibus & humoribus quibus ſtomachus æſtuat. Succus ejus purulentis auribus infunditur, cruenta ſanat vulnera, mire efficax eſt in comprimendis omnibus ſanguinis eruptionibus. Burſa paſtoris exſiccata, ait Tragus, vino rubro ac aqua pluviali, in qua chalybs candens extinctus fuerit, decocta, & pota, dyſentericis ac lientericis fluxiones alvi cohibet, urinæ ſanguinolentæ medetur, ſanguinis exſcreationes, menſiumque abundantium profluvia ſiſtit, omniumque internorum viſcerum quaſvis eroſiones ſanat: eadem aqua diſtillata per aliquot dies continuos menſura 4. aut 5. Cochlearium pota efficit. Errhinum ex lineo panno factum, ſuccoque herbæ madefactum ac naribus inditum, ſanguinem inde effluentem ſiſtit: ejuſdem ſuccus vel aqua diſtillata vulneribus colluendis*

dis utiliſſima ſunt. Multi in ea ſunt ſententia, ut credant ſanguinem è naribus aliiſve vulneribus manantem cohiberi, ſi herba ſaltem apud hominem incaluerit, quod difficulter credimus. Ridiculum eſt Fuchſium & Matthiolum aſſerere Burſam paſtoris eſſe ex refrigerantium genere, cum ſit ſapore ſubacri, guſtui calido, proxime accedente Thlaſpi, quod calefacit & reſiccat in quarto gradu, ergo quæ præſtat non virtute frigiditatis & humiditatis, quippe qualitatum paſſivarum; ſed caliditate & ſiccitate, qualitatibus activis.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 108. col. 1. pl. 1. Burſa paſtoris major folio non ſinuato, C. B. P. & ibidem pl. 11. Burſa paſtoris major folio ſinuato, C. B. P. Hæ duæ plantæ non conſtituunt duas diſtinctas ſpecies, variat enim Burſa paſtoris folia, quæ ſunt aliquando integra, aliquando ſinuata, imo profunde laciniata adinſtar Coronopi; non tamen dicendæ ſunt diverſæ ſpecies, quia non ſemper eodem modo ſe habent, ſed variant tantum diviſuram foliorum ſecundum ſiccitatem, ſeu ſterilitatem aut fertilitatem ſoli; hoc obſervare licet in multis aliis ſpeciebus variantibus folia quoad integritatem & diviſuram foliorum. Ibidem pl. 111. Burſa paſtoris media, C. B. P. Burſa paſtoris minor, Tab. Minima, Ger. Hæc eſt etiam eadem cum prioribus, diſcrepans tantum parvitate & foliis ſinuatis, ex eodem ſemine proveniens: ſed quamvis figura addita ſit a Tabernæmontano, quem ſequutus eſt Johannes Gerardus, mendoſe tamen uterque, nam paſſim multiplicat entia ſine neceſſitate.

Ibidem pl. IV. Burſa paſtoris minor foliis inciſis, C. B. P. Burſa paſtoris minor, Dod. minima, Lob. Icon. Hæc nobis dicitur ſupra Burſa paſtoris media foliis alatis coſtæ mediæ e regione adhærentibus, uno impari extremum claudente, capſula Naſturtii. A foliis alatis, & capſula Naſturtii prona parte cava, ſupina convexa, mihi potius videretur majorem affinitatem cum Naſturtio habere, quam cum Burſa paſtoria; nam Burſæ paſtoris proprie dictæ ſiliculæ ſunt utrinque tumidæ, ſive cordatæ ſepto fiſſæ, ſive obgæ ſint. Ibidem col. 2. pl. IV. Burſæ paſtoris ſimilis ſiliquoſa major ſeu majoribus foliis, C. B. P. Piloſella ſiliquata, Thal. Aizoon Telephium Dalechampii, Lugd. & pag. 109. col. 2. pl. V. Burſæ paſtoris ſimilis ſiliquoſa minor ſeu minoribus foliis, C. B. P. Piloſella ſiliquata minor, Thal. & Cam. Hort. Hæ duæ plantulæ non ſunt ſiliculoſæ, ergo male hic adaptantur inter Burſas paſtoris ſiliculoſas, ſunt enim ſiliquoſæ, uti ſupra monuimus pag. 335. pl. 5. hujus Hiſtoriæ ſub nomine Drabæ ſiliquoſæ ſimilis plantæ, inter Drabas cap. VI.

Burſa paſtoris Alpina roſea lutea folio craſſiuſculo Sedi vermiculati more ſed hirſuto, loculo oblongo itidem hirſuto, nobis. Sedum minus 12. Cluſ. Hiſt. Leucoium luteum Aizoides montanum, Col. part. 2. pag. 62. Sedum Alpinum hirſutum luteum, C. B. P. Pag. 284. col. 2. pl. IX. Hæc planta, ut apparet ex deſcriptione plantæ nonæ ſupra allata, non eſt Sedum, nec a floribus, nec a capſulis ſeminalibus; non Leucoium, quia non habet ſiliculas, nec ſemina compreſſa; ergo eſt Burſa paſtoris loculo oblongo, quia plantula ſiliculoſa tetrapetala, bicapſularis, omnino & perfecte conveniens cum prædictis Burſæ paſtoris ſpeciebus quoad finem ultimum, id eſt, flores & capſulas ſeminales; ideo graviter lapſi ſunt authores qui Sedi nomen ei impoſuere. Examinent poſteri ipſam plantam vigentem, quando ad manus habuerint: nos quæ damus hic, vidimus & examinavimus. Doctiſſimus Carolus Cluſius, aliique authores ipſum ſequentes, ob quandam foliorum cum Sedo vermiculato ſimilitudinem, nomen Sedi nobis obtruſerunt. Sed nos cum doctiſſimo Fabio Columna effigiem foliorum plantarum in conferendis generibus parvi facimus, tam in hac, quam in aliis plantis: non enim ex foliis, ſed ex flore, ſeminiſque conceptaculis, imo potius ſemine, plantarum affinitatem genericam dijudicamus, reſpondente præſertim ſapore in reliquis plantæ partibus, etiamſi & congeneres plantæ a fine ultimo reperiantur diverſo ſapore: dummodo tamen conveniant fine ultimo, flore ſc. capſula ſeminali ipſoque ſemine, nullo modo in dubium revocari poteſt, quin ejuſdem ſint generis, ut cernere eſt in Peponibus, qui aut dulces ſunt, aut amari, ut apparet in Colocynthide, Pepo amarus nobis dicta. Dantur & plurimæ aliæ plantæ ſub eodem genere militantes a fine ultimo, quæ differunt ſapore, ut Naſturtium inſipidum, Allium inſipidum, Cepa dulcis, Perſicaria non maculata urens: hæ omnes plantæ recedunt a reliquis ſapore, ſed conveniunt fine ultimo, id eſt modo florendi, & capſulas ſeminales & ſemina producendi. Idem dicendum de multis aliis foliis longe recedentibus a reliquis ſui generis. Quis divinaret Cymbalariam & Elatinen Linarias eſſe Hederæ folio, niſi prius examinaverit flores & capſulas ſeminales ipſaque ſemina: tunc vero indubitanter cuilibet concludendum eſt cum doctiſ. Fab. Columna eſſe Linariæ ſpecies. Longum eſſet hoc in loco omnes enumerare, ſed hæc obiter dixiſſe ſufficiat. Præſcripſit enim Dominus Deus Optimus Maximus plantis, ut fructum & ſemen perficerent juxta genus ſuum, quod præteriri non poteſt, quodque ab herbariæ rei ſtudioſis hucuſque nondum animadverſum, ne quidem a neotericis, multo minus a Dioſcoride & antiquioribus. Nos hac ratione ducti methodum noſtram novam, paſſim a fine ultimo petitam, tanquam veriſſimam & infallibilem poſteris proponimus.

SILICULOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
COCHLEARIA.
CAPUT XXI.

Cochlearia à foliorum forma modice cavâ, parvum & non valde profundum Cochlear referente, dicta: quam aliqui Telephium, alii Britannicam Plinii l. 25. c. 3. volunt (licet forma & ſapore Thlaſpi & Naſturtiis affinis ſit) eo quod ei malo, quod ſtomacacen & ſcelotyrben vocant (Scorbutum eſſe volunt) auxilio eſſe Britannicam Plinius ſcripſerit.

Cochlearia à reliquis ſiliculoſis tetrapetalis diſtinguitur, quod folia producat craſſiora, obſcure viridia, ſpiſſioraque, ſuperna parte cava utplurimum, inferna convexa, Cochlearis inſtar; ſiliculas profert præterea rotundiores & tumidiores.

Pars TABULÆ XX.

Cochlearia
- *Major* — *Folio*
  - 1. *Subrotundo Batavica, nobis. Cochlearia Batava, Lob.* ☿
  - 2. *Longo ſinuato Britannica, nobis. Cochlearia Britannica, Lob. Lugd. Dod.* ⊙
  - 3. *Hederæ, nobis. Thlaſpi hederaceum, Lob. Lugd. Ger. Park. J. B. Chabr.* ☿
- *Minor*
  - 4. *Armorica flore dilute rubello, nobis.* ☿
  - *Danica flore albo*
    - 5. *Erecta, nobis. Cochlearia Danica minor erecta, C.B.P. Sim. Pauli. pag. 70. n°. 1.* ☿
    - 6. *Repens, nobis. Cochlearia Amagriæ Inſulæ ſupina, Sim. Pauli, ibidem n°. 11.* ☿

Explicatio partis Tab. vigeſimæ.

1. *Cochlearia* major Batavica ſubrotundo folio, nobis. Cochlearia ſubrotundo folio, C.B.P. Cochlearia, Dod. Lugd. Matth. J. B. Chabr. Cochlearia rotundifolia, Ger. Vulgaris, Park. Cochlearia Batava, Lob. Cochlearia hæc humilis eſt planta: folia fert in pediculis mediocris longitudinis exeuntibus ex radice fibroſa, complura, ſplendentia virore, craſſa, ſpiſſa, modice cava, inſtar parvi & non valde profundi Cochlearis, interdum in margine nonnihil anguloſa: inter folia per terram ſtrata, rotunda, prodeunt caules dodrantales & aliquando altiores: in caulium ramis conſpiciuntur flores candidi, tetrapetali, cum multis ſtaminulis croceis & ſtilo viridi ſecundum eorum longitudinem: quorum ſingulos ſequuntur ſingulæ capſulæ rotundæ, bivalves, ſepto medio diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum rufforum, in exiguis valvulis hinc inde contentorum, uti in cæteris ſiliculoſis hujus claſſis, ſuntque hujus ſiliculæ rotundiores, & pleniores ſiliculis conſortum plantarum: radix eſt alba, tenuis, fibroſa & inutilis poſt ſemina ad perfectionem perducta: oritur in Galliæ, Angliæ & Hollandiæ, aliiſque locis paluſtribus oceano madefieri conſuetis; circa aggeres Brabantiæ, & in Germaniæ inferioris regionibus: etiam in hortorum locis umbroſis ſatis feliciter provenit. Floret ineunte Vere, & per totam æſtatem aliquando floret, & ſemina perficit.

2. *Cochlearia* Brittanica folio ſinuato, nobis. Cochlearia folio ſinuato, C. B. P. Cochlearia Britannica, Lob. Lugd. Dod. Hujus folia ſunt longa, cava in medio, in margine ſinuata, inque mucronem deſinentia, totius plantæ ſapor acris, Naſturtium reſipiens, cùm odore, tum ſapore: ex radice plures emergunt cauliculi ſemipedales, & aliquando altiores, ad quorum genicula diſponuntur folia minora, longa, magis ſinuata, caulem arcte amplectentia: in ſummis caulibus proveniunt flores ſatis ampli, albi, tetrapetali, cum ſtaminulis aliquot luteis: quibus fatiſcentibus ſuccedunt capſulæ rotundæ, bifidæ, fuſcæ, aut coloris putaminis nucis avellanæ exterius: radix eſt tenuis & tenera, multas fibrillas demittens. Provenit ad margines Tameſis fluvii, ad oram maritimam tam Eſſexiæ, quam Cantii, ſicut & prope Portſmouth & Briſtolam &

& ſecus oram maritimam Occidentalem. Floret Maio, & Junio ſemina perficit.

3. *Cochlearia* Hederæ folio, nobis. Thlaſpi procumbens Hederæ folio, C. B. P. Thlaſpi Hederaceum, Lob. Lugd. Ger. Park. J. B. Chabr. Hæc Cochlearia caules procumbentes edit, rubentes, ſpithameos, ad quorum genicula alternatim proveniunt folia Hederæ foliorum æmula, ſed multo minora, trifida: in ſummis caulibus ſpicatim proveniunt floſculi, albidi, tetrapetali, quibus ſuccedunt capſulæ ſubrotundæ, in apicem deſinentes & bifidæ, ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum reſipientium ſemina Thlaſpios. Provenit circa Portlandiam & **Plimouth**, & in aliis Inſulis maritimis Angliæ. Ab ineunte Maio, uſque ad finem Auguſti floret & ſemen edit.

4. *Cochlearia* minima Armorica flore dilute rubello, nobis. Hæc minor eſt ſpecies Cochleariâ Batavicâ: folia ei ſimilia edit, ſed minora, anguloſa, flores etiam minores, ſubpurpureos ſeu dilute rubellos, tetrapetalos; quibus ſuccedunt ſiliculæ bivalves, ſeu bicapſulares, ſubrotundæ, & minores, aliarum Cochleariarũm more, ſemina in ſe minora pariter continentes. Nos hanc copioſe provenientem offendimus in Inſula ad oram maritimam Britanniæ minoris dictâ *l' Iſle de piere percee.*

5. *Cochlearia* minor erecta Danica, Sim. Pauli. Cochlearia minor erecta, C. B. P. Ex radicula capillacea cauliculus tenuis, lævis, rectus palmo minor prodit: foliola habet ad radicem plura, per terram ſtrata, longis pediculis innixa, quæ vero ad caulis genicula ſunt, multo minora, & rarius ſerrata, ſicut & inferiora verſus terram: in cauliculo ſummo floſculi apparent albi, tetrapetali: quibus ſuccedunt ſiliculæ parvæ, craſſiuſculæ, oblongæ, ſemen minutiſſimum, nigrum continentes. Hæc in Daniæ Inſula Amagria Autumno à D. Olao Worm collecta, & Hafniâ Cochleariæ nomine miſſa fuit.

6. *Cochlearia* Danica procumbens, nobis. Cochlearia Danica repens (ſed perperam, procumbens adhiberi debuit) Sim. Pauli, C. B. P. Hæc unciarum trium eſt: radicula & foliis priori ſimilibus conſtat, ſed numeroſioribus, inter quæ cauliculi multi palmares procumbentes, brachiati, minutulis floſculis albis, tetrapetalis, ornati inveniuntur. Eodem loco quo prior reperitur; foliis, inquam, floribus, atque ſeminum loculis & guſtu priori reſpondet, quemadmodum Dominus Olaus Worm perſcripſit, & Dominus Bartolinus Cochleariæ marinæ parvulæ repentis (procumbentis dixiſſe debuit) nomine miſit. Utraque hæc poſterior Cochlearia in Inſula Amagria, & ſecundum oram maritimam Daniæ reperitur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Cochlearia, *cum ſit ſiliculoſa tetrapetala bicapſularis planta, facultatem habet calidam evidenter & ſiccam, virenti Naſturtio ſapore & qualitate perſimilem. Malo, quod* **Schorbuch Schoorbuyck** *&* **Schorbeck** *Germani nominant, efficaciter medetur, in lacte aut vino decocta, & aliquot continuis diebus epota. Eſt enim ſcorbutus malum grave, permoleſtum, ac diuturnum, quo abſcedunt, tument, exulceranturque gingivæ: ex ore malus odor, in femoribus aut cruribus livores, haud multum diſſimiles iis qui parte quâdam ſuggillatâ excitantur, creberrime concomitantur: facies reliquumque corpus ſæpenumero pallet, pedeſque œdematoſi, veluti in leucophlegmatia. Eſt enim ſcorbutus morbus (ut ait Olaus magnus in gentium Septentrionalium Hiſtoria) Caſtrenſis, qui vexat obſeſſos & incluſos, ac è ſalſorum ciborum eſu videtur naſci, frigidaque murorum exhalatione foveri. A Plinio hujus mali ſymptoma os infeſtans* στομακακὴ, *crura vero afficiens* σκελοτύρβη *appellatur. Marcellus, vetus ſcriptor, oris malum oſcedinem nuncupat. De hoc morbo ſatis dictum præter inſtitutum, nunc ad curam, quæ fit hac Cochlearia & ſimilibus aliis calidis & acribus, ſale volatili abundantibus, revertamur. Tales plantarum ſpecies in quaque regione creatæ fuerunt, quales hominibus & animalibus ibidem natis maxime conveniunt, quod occulatus teſtis in qualibet regione natus documentis multis monſtrare poterit, inquit Solinander; imo confidenter hoc experimento ſæpenumero probavit idem Solinander. Ex plantarum naſcentium frequentia fere animadvertere poterit quilibet medicinæ praxim exercens, quibus morbis popularibus, nimirum* ἐνδημίοις, *quælibet regio ſubjecta ſit. Hoc ipſum obſervatum apud Danos, Fryſios, Hollandos, alioſque Baltici maris accolas, quibus Scorbutus conſpicitur morbus frequens; iſtius enim quaſi proprium medicamentum, Cochleariam ſcilicet, eſſe, & ibidem ideo copioſe provenire, nullus non animadvertit; ſicut in ora maritima Galliæ etiam & Angliæ. Conficitur conſerva ex herba Cochlearia & ſacchari duplo vel triplo, quæ inſigni commodo illis datur qui ſcorbuticis vitiis obnoxii cibum faſtidiunt. Fit quoque ex eadem aqua diſtillata, in qua antiſcorbutici pulveres ægris propinantur. Tandem*

ex

ex Cochlearia ſuccus prelo quoque exprimitur, quo non præſtantior alter (niſi forte Chamæmori Norvegicæ fructûs ſuccus, & quem utrique præfero, inquit Simon Pauli, Trifolii fibrini, de quibus ſuis locis actum excipias) qui ocyus abigere ſcorbutum hic in Europa & Septentrionalibus locis valeat. Diluendum quidem eum eſſe ſero lactis, paſſim authores tradunt (præſtat potius ſucco quam diluto uti) ſuccum etiam per ſe & minime dilutum ægris propinatum, corpore probe evacuato ac præparato, valde ſcorbuticis tenuioris ſortis profuiſſe: cujus vis cum in ſale volatili maxime conſiſtere videatur, nullâ commodiori quam ſucci formâ Cochlearia unquam exhiberi poteſt: in eo enim minimum ſalis volatilis deperditur, ex quo & ſaccharo arte pharmaceuticâ ſyrupus conficitur, cujus doſis ab Unc. i. ad Unc. ij. Aliis delicatioribus eſſentiam liquidam aut tincturam, colore vinum Malvaticum æmulantem, Maio menſe (antequam florem induit) parandam præſcripſit Simon Pauli Lubicenſis reipub. populo melioris ſortis ſic, Recipe Cochleariæ recentis q. v. contunde in mortario marmoreo, eamque inde vaſi convenienti aqua ſubtepida, vel melius, ipſo ſucco crudo Cochleariæ irrorato, in quo tantillum fermenti vel fæcis cerviſiæ ſolutum eſt, conſpergeque raro ſale, & hæc (ubi probe ſecundum artem remiſta ſunt) reponantur, vaſe (quod maxime expedit ob ſalis ipſius valatilis volatilitatem) optime operculato, aut glutine farinaceo accurate oblito, tamdiu in locum ſubterraneum uſque dum acriorem odorem ſpirent quam cum recens Cochlearia contuſa eſt, quod ubi advertis diſtilletur per alembicum in B. M. & obtinebis ſpiritum Cochleariæ: poſtea Recipe novæ Cochleariæ folia, contunde, & exprime torculari valido ex iis ſuccum, eumque leni igne in B. M. in vaſe vitreo optime lutato defæca, & filtra per chartam bibulam: hujus hac arte depurati ſucci tribus partibus affunde partem unam ſpiritus Cochleariæ paulo ante deſcripti, digere & circula S. A. quibus ſi addideris paululum ſacchari, eſſentia Cochleariæ parata eſt, quam præſtantiſſimam & efficaciſſimam (vide infra Hiſtoriam Trifolii paludoſi ſeu fibrini) in ſcorbuticis affectibus comperit Simon Pauli, ubi in aquis diſtillatis imo vel vino Rhenano & ſimilibus vehiculis illius una itemque altera uncia diluitur; maxime ſi miſturæ Simplicis dictæ, aut diaphoretici in peracutis, aliquot guttulæ ad ſcrupulum unum pro doſi admiſceantur, atque ex hac & Trifolii fibrini paludoſive fit eſſentia liquida & tinctura antiſchorbutica deſcriptionis prædicti Simonis Pauli. Sunt tamen adhuc præter enarratas aliæ formulæ quibus eſt ſaluti Cochlearia ſcorbuticis. Nam in balnea recipitur, ut illis fotu artus Scorbuticorum dolentes foveantur. Exemplo poteſt eſſe hæc fotus formula. Recipe baccharum Juniperi leniter contuſarum, Siſymbrii ſeu Cardamines utriuſque, Naſturtii hyemalis, Cochleariæ, ana. M. ij. Flor. Chamæmeli M. iij. Artemiſiæ, Meliſſæ, Roriſmarini, Majoran. Thym. Hyſſop. ana. M. i. coque in ſufficiente quantitate aquæ, & ſub caliditatem hujus decoctionis foveantur crura: vel ſimilis huic frequentiſſime felici ſucceſſu poterit adminiſtrari, ut, Recipe Malvæ, Biſmalvæ, an. M. iij. Beccabungæ, Fumariæ, Cochleariæ recentis, Naſturtii aquatici recentis, Chamæmeli, ana. M. ij. Rad. Malvæ Unc. iij. Radicis Ebuli Unc. ij. Baccarum Juniperi M. i. conciſa ac contuſa miſceantur: ex hujus decocto in ſ. q. aquæ fiat fomentum ita ut vapore pedes veſtibus undique velati incaleſcant. Hæc ex Simone Pauli operis Botanici quadripartiti claſſe tertia, præter inſtitutum damus: procedamus jam ad cæterarum hujus Sectionis Plantarum ſiliculoſarum tetrapetalarum explicationem.

SILICULOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares.

IBERIS.

CAPUT XXII.

Ιβηρὶς ἢ καρδαμαντικὴ Dioſcoridi l. 1. c. 189. Galenus ejus deſcriptionem ex Damocrate in curatione doloris iſchiadici proponit, folia Naſturtii, cum Dioſcoride, tribuens. Plinius Iberidis remedia diverſis in locis recenſet.

Pars

Pars TABULÆ XXI.

- *Iberis* — *Folio*
  - *Latiore ſerrato*
    - 1. *Perennis noſtras vulgaris, nobis. Iberis cardamantica, Lob.* ☉
    - 2. *Annua Virginiana ramoſior, nobis.* ☿
  - 3. *Naſturtii, nobis. Iberis Naſturtii folio, Cam. ep. Matth. cum mag. fig. Tab. Ger.* ☿

Explicatio partis Tab. vigeſimæprimæ Sectionis tertiæ.

1. *IBeris* latiore folio ſerrato, nobis. Iberis, Lugd. Dod. J. B. Chabr. Iberis cardamantica, Lob. (cui & Lepidium Iberias Pauli) Ger. Iberis cardamantica latiore folio, Park. Iberis luxuriat caulibus cubitalibus emittentibus multos ramulos: folia inferiora ei ſunt oblonga, multa, circa radicis caput integra, ſed in margine ſerrata, mucronata: ſecundum ramuſculos ſuperiores flores exeunt exigui, albidi, tetrapetali; quibus fatiſcentibus ſubveniunt ſiliculæ exiguæ, bifidæ, ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum minutorum, rufforum: radix longa ſenſim attenuatur, intus foriſque candida, ſapore acris, diu durans juxta veteres muros & in incultis itinerum marginibus paſſim circa Blæſas, in viis etiam communibus & collibus illic minime herbidis. Græcis Ἰβηρὶς καρδαμαντικὴ, â nonnullis Λεπίδιον. A Plinio & Latinis Iberis, Naſturtium ſilveſtre, & ſimiliter etiam Lepidium. Aliud tamen eſt Lepidium latiore folio Plinianum, proximo capite deſcribendum. Exiſtimatur & iſtud herba Grias dicta, de quo Apuleius cap. XL. cujus quoque uſus ad iſchiadicos commendatus eſt.

2. *Iberis* humilior annua Virginiana ramoſior, nobis. Hæc facile diſtinguitur à priore, primo duratione, ſecundo folia producit latiora, viridiora, magis crenata: caules humiliores & ramoſiores: flores duplo majores, & conſequenter majores itidem capſulas.

3. *Iberis* Naſturtii folio, Cam. ep. Matth. cum mag. fig. Tab. Ger. Hæc Iberis folia edit plurima per terram ſtrata, laciniata, Erucæ, potius Naſturtii foliis admodum ſimilia, ex quorum gremio numeroſi exeunt caules, pedales, in multos ramuſculos diviſi ſeu brachiati: in quorum cymis exeunt plurimi floſculi albi, tetrapetali, quos ſequuntur totidem capſulæ exiguæ, bifidæ, ſepto pariter medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum exiguorum, rufforum, calidorum & acrium.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Iberis *eſt ex quarto ordine calefacientium, ſimilis Naſturtio tum odore, tum guſtu, tum viribus, ſed minus ea deſiccat authore Galeno: radices, inquit Dioſcorides, calefacientes & adurentes ſunt, quæ utiliter cum pinguedine porcina addito roſaceo cataplaſmatis in modum iſchiadicis, horis quatuor, imponuntur, ſi deinde in balneum deſcendatur, & poſtea locus oleo cum lana perungatur: quæ & Latinis à Damocrate aliquot carminibus explicantur Iambicis, quemadmodum ſolet apud Galenum lib. IX. de Medicam. ſecundum locos. Itidem verſus recitantur apud Dodonæum pag. 715. Pempt. quem vide.*

SILICULOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares.

LEPIDIUM.

CAPUT XXIII.

ΛΕπίδιον *Dioſcoridi l. 2. c. 205. ſic dictum, quod* λεπίδας, *ſeu ſquamas & maculas faciei deleat: vel* ἀπὸ τοῦ λεπίζειν, *id eſt,* ἐκδέρειν, *dictum, quod ſua acrimonia urenti ulceret & excoriet, eaque facultate notas fronti ſervorum vel ferro inuſtas deleat, de quo forſan Columella lib. X. Lepidium Plinio lib. 20. c. 17.*

Pars TABULÆ XXIII. Sectionis tertiæ.

Lepidium { *Folio* { 1. *Latiore* { *Serrato vulgare, nobis.* ⊙
2. *Latiſſimo* { *Sinuato incano Chalepenſe, nobis.* ⊙
3. *Anguſto* { *Longo integro Glaſti folii inſtar, nobis. Lepidium Glaſtifolium, C. B. P. Lepidium non repens, J. B. Chabr.* ⊙

Explicatio partis Tab. Vigeſimæprimæ Sectionis tertiæ.

1. L*Epidium* Plinianum, Dod. Lob. Lepidium latifolium ſerratum, nobis. Lepidium ſive Piperitis, Cam. Lepidium Pauli & Plinii, Matth. Lugd. Cæſ. Lepidio huic folia ſunt oblonga, lata, è cæruleo virentia, laurinis foliis majora mollioraque, ambitu etiam crenata: caules cubito altiores, teretes ac lenti, quorum ramulis ſuperioribus floſculi innaſcuntur candidi, minores, tetrapetali: hoſce ſequuntur ſiliculæ parvæ, bifidæ, ſepto medio ſecante longitudinaliter capſulam ſeu ſiliculam in binas valvulas, in quibus hinc inde à dextris & ſiniſtris continentur ſemina (ſi quando profert, quod rarius contingit propter repandi nimiam facultatem radicibus ejus conceſſam à natura: hoc illi cum reptantibus herbis omnibus fere eſt familiare) minuta, ruffa, calida & mordacia: radix hujus longe lateque ſerpit, alias progerminans plantas, veluti Raphanidis magnæ ſeu ruſticanæ, & Drabæ ſeu Arabis, aliarumque multarum ſiliquoſarum plantarum hujus Sectionis radices. Temere fuerit alibi quam in hortis requirere hanc plantam: umbroſa amat loca, nec omnino arida. Vere ei folia erumpunt, Junio ac Julio apparent floſculi; ſemina (uti dictum) raro profert.

2. *Lepidium* maximum Chalepenſe primis foliis minoribus & ſerratis ſecundis majoribus & profunde ſinuatis ſpiſſis incanis, nobis. Lepidium Dioſcoridis, Zanoni. Radicem demittit in terram Lepidium hoc novum maximum Chalepenſe unicam, ſatis craſſam, ad longitudinem circiter palmarem, albam, ruptu difficilem, ſuperius viridem & aſperam, plurimis radiculis longis, rotundis, à majore hac exeuntibus, quæ huc illuc repando ſeu ſerpendo, alias plantas producunt more Lepidii vulgaris, quibus undique ſcatere conſpicitur locus in quo plantatur, adeo ut difficulter inde eximi aut erui poſſit, quod familiare eſt omnibus repentibus plantis hujus ſortis. Caulem edit ſimplicem, aut aliquando duplicem, rotundum, lævem lucide virentem, qui in pingui ſolo proveniens ſuperat cubitalem altitudinem; ex cujus ſingulis geniculis exſiliunt foliola ambientia caulem, quemadmodum fit in Lepidio vulgari, ſed laurinis foliis ſimilia: in ſummis caulibus ramatim prodeunt flores tetrapetali, albidi, cum ſtaminulis & apice in medio; quibus flacceſcentibus totidem ſuccedunt capſulæ rotundæ, bivalves, includentes in ſe ſemina ruffa, Naſturtii vulgaris ſeminibus minora. Sapor hujus plantæ cum radicibus & foliis, tum ſeminibus, acrior eſt ſapore qui invenitur in Lepidio vulgari ſerrato noſtrate, ac proinde potentius eſt remedium contra dolorem iſchiadicum, lepram, & dolorem ſplenis. Hujus radix bullita cum vitriolo nigredine tingit, ut teſtatur Ætius his verbis, *cum radice vero hujus lanæ tinguntur & nigrum induunt colorem.* Eſt autem radix ejus, inquit idem, alba, craſſitudine digitali &c. Folia ſecunda ſunt incana, ſinuata, ſpiſſa, adinſtar Hyoſcyami foliorum. Hujus ſemina Chalepo ad nos miſſa à D. Roberto Huntington. Floret æſtate.

3. *Lepidium* glaſtifolium perenne, nobis. Lepidium glaſtifolium, C.B.P. Lepidium annuum, Lob. Lugd. Lepidium non repens, J. B. Chabr. Radice exit hoc tenui, fibroſa, in multos annos durante poſtquam ſemina copioſe ſatis produxerit, etiamſi Lobelius & cæteri authores ipſum ſequentes annuum abuſive appellant. Caulem profert bicubitalem, & altiorem aliquando, qui ſuperne in multos ramuſculos ſeſe findit; ramuſculis ſic brachiatis inſiſtunt plurimi floſculi albidi, tetrapetali, majores multo primi floribus: hos ſequuntur ſiliculæ rotundæ, planæ, bifidæ, ſepto medio membraneo pellucido, & albido exſiccato, diſterminante hinc inde à latere ſepti ejuſdem medii plurima ſemina ſubruffa, Thlaſpios ſeminum æmula quoad ſaporem calidum & acrem mordacemque: folia inferiora ſunt longa, glabra, glauca, Glaſti foliorum colore & glabritie æmula, folia autem ſuperiora adnaſcentia geniculis caulium alternatim, ſunt perquam anguſta, tenuia admodum, caulium ſuperiori parti indiſcrimitatim adhærentia.

TEMPERAMENUM & VIRES.

Hujus folia, ſed præcipue radices, vehementer quoque excalefaciunt, utpote fervida & acria guſtu. Inter urentia, inquit Plinius lib. XX. cap. XVII. intelligitur. Sic & in facie cutem emendat, exulcerando ita ut tamen cera & roſaceo facile ſanetur: ſic & lepras & pſoras tollit ſemper, facillime etiam & cicatrices ulcerum.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 97. col. 1. pl. 11. Lepidium glaſtifolium, C. B. P. Lepidium annuum, Obſ. & Icon Lob. Lugd. Ger. Park. Hujus Lepidii radices in multos annos durant, & ſingulis annis ex eadem radice poſtquam ſemina maturaverit, folia, caules, & denuo ſemina profert; ergo primo lapſus eſt Lobelius, qui omnes errare facit ſequaces ſuos qui Lepidii annui huic plantæ attribuere nomen.

Pag. eadem pl. 111. Lepidium Dentillaria dictum, C. B. P. Dentaria & Dentillaria Rondeletii & Narbonenſium, Ad. Lob. Plumbago, Cluſ. Hiſt. Hæc planta non eſt tetrapetala ſiliculoſa bicapſularis; ergo non debet Lepidium appellari, eſt enim planta calida & acris: ſed ſi hac ratione ductus Caſparus Bauhinus ut hanc plantam Lepidium deſignaret, multæ aliæ toto cœlo fine ultimo diſcrepantes plantæ poterint hunc locum vendicare. Eſt enim planta heteroclita & ſui generis, ut poſtea declarabimus inter heteroclitas, quæ nec inter ſe, nec cum aliis aſſociari (a fine ultimo) poſſunt.

Ibidem Lepidium & Iberis male a Caſparo Bauhino diſponuntur inter Raphanum ſiliquoſum & Dracunculum corymboſum; debuere inter conſortes Burſam paſtoris, Cochleariam, & cæteras a fine ultimo iiſdem conformes locari.

SILICULOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.

DRABA SILICULOSA.

CAPUT XXIV.

Drabam, δράβην, *Dioſcorides lib. 2. cap. 186. ipſi Thlaſpi ſubjungit, unius facta mentione,* hujus ſcilicet, ſiliculis, non ſiliquis donatæ, de qua ſupra cap. VI. hujus Sectionis pag. 233, 234, 235, 236. egimus.

Drabæ ſiliquoſæ meminimus ſupra capite VI. cujus cognitio nondum pervenerat ad Dioſcoridem, nos hoc capite agemus de Draba ſiliculoſa ſeu umbellata, capitulis, non ſiliquis longis donata, inter conſortes ſuas plantas ſiliculoſas ſcilicet.

Pars TABULÆ XXI. Sectionis tertiæ.

Draba ſiliculoſa repens major { *Foliis* { 1. *Magis incanis ſpanoſpermos vulgaris, nobis. Draba vulgaris* 1. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
2. *Magis viridibus* πολύσπερμος *Chalepenſis, nobis.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæprimæ Sectionis tertiæ.

1. *Draba* umbellata, vel Draba major capitulis donata, C. B. P. Draba vulgaris 1. Cluſ. Hiſt. & Pan. Draba Dioſcoridis, Cæſ. Caſt. Colum. Arabis ſive Draba, Matth. Ad. Lob. (cui & Naſturtium Babylonicum) Lugd. Draba hæc pedales habet caules, & altiores aliquando in terra fertili, ſtriatos, tenues, folioſos, quos æquali ordine ambiunt folia valde hirſuta, uncialia latitudine, biuncialia aut triuncialia longitudine, in oris dentata, circa pediculum latiora, ex viridi cineracea, guſtu acriuſculo, quæ autem ſecundum radicem naſcuntur frequentia ſunt & majora: caulis in ſuprema parte multos edit ramuſculos, æqualis fere longitudinis & quaſi umbellatim diſpoſitos, quorum ſingulis petiolis ſinguli inſiſtunt floſculi albi, tetrapetali, qui ſimul juncti Sambuci umbellam referunt: hiſce deciduis ſuccedunt

exiguæ capſulæ, turgidulæ, utrinque tumidæ, ſepto medio dirimente binos utriculos & in mucronem deſinente: in ſingulis utriculis unicum continetur ſemen ruffum (quando fert ſemen, fert enim raro propter rependi aviditatem radicibus (ut in Lepidio diximus) ei conceſſam:) radix tenuis candicans eſt, longe lateque ſerpens, quibuſdam fibris prædita. Nulli fere agrorum margines circa Viennam Auſtriacam, & in tota fere inferiore Auſtria, hac planta non ſunt obſiti, quæ ſubinde in ipſis etiam arvis ſæpiſſime repit. Floret Maio & Junii initio, ſub Junii finem & Auguſti initium maturum edit ſemen. Meminit & Car. Cluſius hanc plantam legiſſe in Inſula quam facit Rodanus fluvius in duo cornua diviſus inter *Divi Ægidii* fanum & *Arelatem*, dum *Marſileam* proficiſceretur.

2. *Draba* Chalepenſis repens humilior foliis minus cinereis quaſique viridibus, nobis. Hæc diſtinguitur à priore Draba Arabum triplici nomine; primo parvitate, eſt enim humilior; ſecundo foliis minus cinereis, ſeu quaſi viridibus; tertio pluribus ſiliculis, utrinque etiam tumidis, onerantur cauliculi, qui copioſe ſic provenientes numeroſiorem ſeminum copiam facile ad maturitatem perducunt, ſemina autem rarius in Draba Arabum ad maturitatem perducuntur, unde concludimus hanc Drabam Chalepenſem minore facultate rependi eſſe præditam; utraque repit, ſed hæc minus. Sic hiſce prædictis notis facile cognoſcitur Draba Chalepenſis à Draba Arabum. Draba Arabum caules protrudit altiores, folia magis ſinuata, & magis cineracea, flores plures albos, tetrapetalos, ſed perpaucas ſiliculas, utrinque etiam tumidas, infra craſſiores, ſupra in apicem deſinentes, ſepto medio binas valvulas in utraque ſeparante. Semina hujus Drabæ ex Aſia etiam ab ante nominato *D. Roberto Huntington* ad nos miſſa, ex quibus ſatis provenerunt plantæ, quæ nobis ſemen abundanter ſatis produxere. Floret eâdem anni tempeſtate cum priore.

TEMPERAMNTUM & VIRES.

Coquitur Draba cum Ptiſana ad pituitoſa pectoris vitia: ſemen aridum pro pipere obſoniis miſceri ſcribit Dioſcorides. Draba hodie in eo cenſu eſt herbarum, quæ officinas non ingrediuntur, quare Botanographorum contortulis ac minutilis de ea controverſiis poſthabitis, fructuoſius putamus ad alias ſerie proximas pergere plantas.

SILICULOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.
MYAGRUM.
CAPUT XXV.

Μυάγρ8 Dioſcorides lib. 4. c. 117. meminit, cui Rubiæ folia tribuit: & Plinio lib. 17. c. 27. Myagros dicitur: verum quid ſit, nunc non decernimus. Sunt qui noſtrum Myagrum, Eryſimum Theoph. & Galeni velint: aliis Seſamum, ob ſeminis ſimilitudinem, & olei ubertatem.

Pars TABULÆ XXI. Sectionis tertiæ.

Myagrum
- 1. *Majus ſeu ſativum majoribus capitulis, nobis. Myagrum ſativum, C. B. P.* ☿
- 2. *Minus ſeu ſilveſtre minoribus capitulis, nobis. Myagrum ſilveſtre, C. B. P.* ☿

Explicatio partis Tab. vigeſimæprimæ Sectionis tertiæ.

1. *Myagrum* majus ſeu ſativum, nobis. Myagrum ſativum, C. B. P. Myagrum Dioſcoridis, Ruellii. Chamelina ſive Myagrum & Eryſimum cereale, Thal. Myagrum, Lob. Ger. Myagrum Dodonæi, Lugd. Myagrum dictum Chamelina, J. B. Chabr. Ex uno caule cubito altiores exſurgunt rami, tenues, teretes, recti, ſubhirſuti, fungoſa medulla farcti, ſuperne ramoſi: quibus alternatim latiore baſi adnaſcuntur folia Drabæ, oblonga, mollia (non aſpera Rubiæ more, cui Myagrum Dioſcorides comparat) pallida, pinnis caulem amplectentia, leviter in

in ambitu ſerrata, ſapore oleraceo: ex pediculis ſatis longis floſculi luteoli, tetrapetali oriuntur: quorum ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ, cordatæ, tumidæ, ſeu turgidulæ, multo reliquis prædictis ſiliculoſis quoad capſulas majores, & aliquando cum quatuor angulis quæ ſemina à latere ſepti medii à dextris & ſiniſtris continent oblonga, triangularia, Naſturtii ſeminibus minora, coloris ſubruffi, ſaporis itidem Naſturtii, ſed remiſſioris; quæ in ore retenta contrahunt muſcilaginem quandam: radix fibroſa, inutilis ſeminibus ad maturitatem perductis. Monſpelii abundat in agris. Circa Montbelgardum Myagro conſitos agros habent ad oleum conficiendum. Vidit Joh. Bauhinus prope *Granges*, quod quotannis ſemine deciduo ſeſe renovat: ſemen maturum Junii principio. Maxima eſt hujus copia culta apud Gallos; etiam ſuæ ſpontis inter ſegetes conſpicitur. Provenit ſatum item in Alſatia & tractu Rheni, teſte Trago.

2. *Myagrum* minoribus capitulis ſeu ſilveſtre, nobis. Myagrum ſilveſtre, C. B. P. Myagrum Turcicum, J. B. Chabr. Hoc longe tenuioribus ac tenerioribus conſtat virgulis quam præcedens, ſed cultura fruticoſior fit, teſte Camerario; ſemen minus in vaſculis ſeu capſulis oblongis, tumidis, minoribus, cordis figurâ; eſtque herba ejuſdem naturæ cum ſuperiore.

TEMPERAMENTUM & VIRES, *EJUSQUE USUS.*

Calidum eſt uti Seſamum verum, ſitimque etiam excitat; ſeminis oleoſâ pinguedine corporis aſperitates lævigari atque expoliri, ut Dioſcorides ait, creditur; oleo ejus utuntur pauperes in epulis, divites in lucernis uti Ruellius author eſt. Ruſticis noſtris Gallis (inquit Ruellius) Chamelina aut Camamina optime cognita, oleo conficiendo ejus ſemen in areis pavitis mire flagris decutiunt, & vannis in auram vento ſilentem jactant, dum ſiliquularum recrementa vaneſcant: tum truſatilibus molis ſubjiciunt, & verſando oleum exprimunt, quo non ad lumina tantum lucernarum, ſed & ad ciborum condimenta utuntur, magno hujus olei proventu. Vix quicquam aliud ab aviculis invaditur, quod advertentes quidam hoc ſemen colligere & alendis aviculis reſervare ſtudent. Oleum ex hujus ſemine conficitur longe præſtantiſſimum, eſtque oleo Olivæ Tragi judicio gratius & jucundius; ſed cum bona veniâ Tragi, quicunque oleo Olivæ non ſit contentus, utatur oleo Myagri aut Rapi donec oleum Olivæ proveniat in Germania. Longe claudicat comparatio hæc: forte Tragus ſibi perſuadet oleum ex Myagri ſemine extruſum, eſſe veri Seſami oleum, & proinde Myagro Seſami veri vires item attribuit. Hoc oleum frigore non concreſcere perhibetur à quibuſdam. Pleriſque Galliæ locis, ut apud Sueſſiones, provenit; ſeritur in agro Leodienſi, apud Zelandos etiam, & in aliis Belgii locis. In Germania ſua ſponte nuſquam non exire fertur, ita & una cum Lino naſci fertur, cujus vitium exiſtit.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Myagrum ſiliqua longa, C. B. P. Pag. 109. col. 1. pl. 1. Myagrum alterum Thlaſpeos effigie, Lob. Lugd. Eſt planta ſiliquoſa ſeu longa ſiliquâ prædita; ergo non debuit a Caſparo Bauhino collocari inter Myagra, ſiliculoſas plantas: amandetur ad Erucam cujus eſt ſpecies. Vide pag. 229. hujus Hiſtoriæ, plantam 7. quo nos retulimus. Ibidem col. 2. pl. v. Myagrum monoſpermum latifolium, C. B. P. Myagrum hortenſe monoſpermum, Eyſt. Item pl. VII. Myagro ſimilis ſiliqua rotunda, C. B. P. cum hæ duæ plantæ non ſint ſiliquoſæ bivalves, nec bicapſulares ut Myagrum, non debent Myagra dici, ſed cum ſilicula fungoſa conſtent, unicum ſemen continente, aptius relegabuntur ad Raphaniſtrum monoſpermum, quemadmodum nos fecimus.

SILICULOSÆ
Tetrapetalæ bicapſulares.

VERONICA.
CAPUT XXVI.

VERONICA apud recentiores herba eſt celebratiſſima, Græcis & Latinis ſcriptoribus forte incognita, quamvis Dodonæus velit eſſe Betonicam Pauli l. 7. Cæſalpinus vero ad Myoſotidem Dioſcoridis lib. 2. c. 214. At Columna ad Alyſſum Dioſcoridis l. 3. c. 105. referendam cenſet.

Veronica

Veronica ſeu Teucrium (ſi pro planta tetrapetala bicapſulari, non galeata verticillata accipiatur) multis modis ludit quoad formam & figuram foliorum, colorem florum, qui eſt utplurimum cæruleus aut violaceus, quique aliquando degenerat in rubrum, aliquando in album; eſtque à duratione, vel perennis, vel annua; à loco eſt vel terreſtris eaque vel perennis aut annua, vel aquatica, quarum omnium plurimæ ſunt vel ſpicatæ (id eſt flores adeo denſe, per conſequens ſiliculæ, in ſummis caulibus proveniunt, ut degenerent in ſpicam) vel floribus raro diſpoſitis in ſummis virgulis onerantur, qui petiolis inſiſtunt vel brevibus & arcte cauliculis adhærentibus, vel longis pediculis innituntur. Capſulæ omnium & ſingularum harum Veronicarum ſunt bivalves, tumidæ, cordiformes, ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum à latere ſepti medii prædicti contentorum, ſive flavorum, rufforum, aut nigrorum, compreſſorum utplurimum.

TABULA XXII.

§. I. VERONICÆ TERRESTRES VIVACES.

- *Veronica*
  - *Spicata terreſtris perennis*
    - *Latifolia*
      - *Major*
        - 1. *Erecta cærulea, nobis. Lyſimachia ſpicata & cærulea, C. B. P. Lyſimachia cæruleo flore, Cluſ. Hiſt. Lugd. Ger. J. B. Chabr.* ⊙
        - 2. *Erectior, nobis. Veronica erectior latifolia, Cluſ. Hiſt. Veronica ſpicata latifolia, C. B. P.* ⊙
    - *Anguſtifolia recta*
      - 3. *Minor vulgaris, nobis. Veronica recta anguſtifolia, Park. Veronica ſpicata anguſtifolia, C. B. P.* ⊙
      - 4. *Minima recta, nobis. Veronica recta minima, Lob. Ger. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 5. *Alpina fruteſcens, nobis. Veronica Alpina fruteſcens, C. B. P. Veronica 3ia fruticans, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - *Mas*
      - 6. *Recta ſeu aſſurgens, nobis. Veronica mas recta, C. B. P. Veronica aſſurgens, Dod. Veronica vulgaris recta, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 7. *Supina vulgaris foliis ſerratis, nobis. Veronica mas ſupina & vulgatiſſima, C. B. P. Veronica vulgaris ſupina, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 8. *Pratenſis Serpilli folio, nobis. Veronica pratenſis Serpilli folio, C. B. P. Veronica minor Serpilli folio, Ad. Lob.* ⊙
    - 9. *Petræa ſempervirens, nobis. Chamædrys Alpina ſaxatilis, C. B. P. Teucrium pumilum 6. Cluſ. Hiſt.* ⊙

TABULA XXIII.

- 10. *Major fruteſcens altera, nobis. Chamædrys ſpuria major altera ſeu fruteſcens, C. B. P. Teucrium 4. Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 11. *Supina facie Teucrii pratenſis, nobis. Teucrii 4ti ſpecies 3ia Cluſ. Hiſt. Chamædrys ſpuria major anguſtifolia, C. B. P.* ⊙
- 12. *Minor foliis imis rotundioribus, nobis. Chamædrys ſpuria rotundifolia, C. B. P. Chamædrys ſilveſtris quorundam, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 13. *Minor virguloſa ſeu multicaulis Pannonica, nobis. Teucrium Pannonicum minus 5. Cluſ. Hiſt. Chamædrys ſpuria minor latifolia, C. B. P.* ⊙
- 14. *Tetragona montana recta minima flore amplo, nobis. Chamædrys ſpuria montana minima, C. B. P. Veronica tetragona montana recta minima, Col.* ⊙
- 15. *Rotundifolia ſcutellata aut biſcutata Hederæ folio, nobis. Alyſſum Dioſcoridis montanum, Col.* ⊙
- 16. *Minor anguſtifolia ramoſior & procumbens, nobis. Chamædrys ſpuria minor anguſtifolia, J. B. Chabr.* ⊙
- 17. *Tenuiſſime laciniata, nobis. Chamædrys ſpuria tenuiſſime laciniata, J. B. Chabr.* ⊙
- 18. *Maxima latifolia ſeu Quercus folio, nobis. Veronica maxima, Lugd. Chamædrys ſpuria major latifolia, C. B. P.* ⊙

TABULA

TABULA XXIV.

§. 2. VERONICÆ TERRESTRES ANNUÆ.

- *Veronica*
  - *Terreſtris annua*
    - *Folio*
      - 19. *Polygoni flore albo, nobis.* ☿
      - 20. *Hederulæ, nobis. Alſine Hederulæ folio, C. B. P. Alſine ſpuria prior, Dod.* ☿
    - *Floſculis*
      - 21. *Cauliculis adhærentibus, nobis. Alſine Veronicæ foliis floſculis cauliculis adhærentibus, C. B. P. Alſine folio Veronicæ, Tab. Ger.* ☿
      - 22. *Oblongis pediculis inſidentibus Chamædryos folio, nobis. Alſine Chamædryfolia floſculis oblongis pediculis inſidentibus, C. B. P. Alſine foliis Triſſaginis, Lob. Icon. Tab. Ger.* ☿
    - 23. *Cærulea triphyllos, nunc pentaphyllos, ſeu foliis trifidis & quinquifidis, nobis. Alſine triphyllos cærulea, C. B P. Elatine triphyllos, Hiſt. Lugd.* ☿

§. 3. VERONICÆ AQUATICÆ PERENNES,

  - *Aquatica perennis*
    - *Latifolia*
      - *Major*
        - 24. *Subrotunda, nobis. Anagallis aquatica major folio ſubrotundo, C. B. P. Anagallis aquatica (ſive Becabunga Germanorum) Ad. Lob. Dod. Cæſ.* ⊙
        - 25. *Oblonga, nobis. Anagallis aquatica major folio oblongo, C. B. P. Anagallis aquatica major, Ger. Geſ. col.* ⊙
        - 26. *Subrotunda non crenata, nobis. Anagallis aquatica folio rotundo non crenato, C. B. P. Anagallis aquatica 3ia Lob. Anagallis aquatica altera, Lugd.* ⊙
    - 27. *Anguſtifolia*
      - *Minor*
        - *Polygoni inſtar, nobis. Anagallis aquatica anguſtifolia, C. B. P. Anagallis aquatica, 4ta Lob.* ⊙
  - 28. *Planta heteroclita rotundifolia, minus crenata, Becabungæ foliis, pentapetala, capſula Alſines quinquifidâ, nobis.* ⊙

Explicatio Tab. vigeſimæſecundæ.

§. 1. VERONICÆ TERRESTRES VIVACES.

1. VEronica ſpicata major reƈta cærulea, nobis. Lyſimachia ſpicata cærulea, C. B. P. Lyſimachia cæruleo flore, Cluſ. Hiſt. Lyſimachia cærulea, Lugd. Ger. J. B. Chabr. Pſeudolyſimachium cæruleum, Dod. Veronica reƈta cærulea, Eyſt. Hæc Veronica ad pedalem, & aliquando ſeſquipedalem altitudinem accedit: caules ſunt illi teneriores, graciliores: folia oblonga veluti Lyſimachiæ, ſed ambitu ſatis profunde ſerrata, ſuperna parte virentia, inferiore vero parte albidiora, quibus caules ramique conveſtiuutur: flores gerunt in ſummis ramis ſpicatim, cæruleos, Lavendulæ florum magnitudine æmulos, ſed inodoratos, tetrapetalos, quos ſequuntur aliarum Veronicarum ſpicatarum more capſulæ bivalves & bicapſulares, cordiformes, tumidæ utrinque, fiſſæ in medio, ſepto medio diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum rufforum: radix multis fibris repens & capillata, propagines emittens, ex quibus de novo alii caules exoriuntur; his ſupinis longe lateque ſtirps ſeſe multiplicat. Naſcitur apud Germanos in foſſis aquam recipientibus, ut ait Geſnerus, facile autem in hortis ſoli expoſitis luxuriat, locis non omnino umbroſis, ſemen tamen perficit, ſed ægre. Tota æſtate floret & ſemina perficere conatur. Veronicam omnino ereƈtam majorem latifoliam Cluſii refert.

2. *Veronica* major latifolia ereƈta, nobis. Veronica ſpicata latifolia, C. B. P. Veronica ereƈtior latifolia, Cluſ. Hiſt. Veronica ſpicata latifolia, Ger. Park. Major latifolia foliis ſplendentibus & non ſplendentibus, J. B. Chabr. Caules profert hæc ſecunda interdum ampliores, interdum non valde ramoſos, ſed quam craſſiſſimis alis & multis nodis præditos: folia contrariis inter ſe petiolis (id eſt cruciatim) ad ſingulos nodos naſcentia, duas aut tres uncias longa, unam lata, craſſa, ex atro viridia ſplendentiaque, raris aut vix conſpicuis crenis ſerrata, guſtus

admodum aſtringentis & exſiccantis, deinde acris: in ſummo caule ſpicatim creſcunt multi floſculi conferti, Veronicæ prioris rectæ cæruleæ floribus tetrapetalis formâ etiam ſimiles, ſed colore paulo dilutiore, & ab infima parte ſpicarum explicare ſe incipientes, quemadmodum ſpicatarum plantarum quaſi omnium flores: floribus ſingulis evanidis ſuccedunt vaſcula ſeu capſulæ bivalves bicapſulareſque, duplice ordine ſemina in ſe continentes, ſepto medio membraneo eadem ſeparante: radix craſſa eſt, multiſque fibris donata, ſingulis annis novellas plantas ex lateribus producens. Invenitur & hæc & prior Veronica in multis Pannoniæ ſilvoſis montibus, præcipue umbroſis quibus gaudet: Stiriacarum & Auſtriacarum Alpium radices has duas Veronicæ ſpecies, & plurimas alias alunt. Florent Junio & Julio, in hortis præcipue, ſemen Auguſto & Septembri maturum eſt.

3. *Veronica* anguſtifolia recta minor vulgaris, nobis. Veronica ſpicata anguſtifolia, C.B.P. Veronica recta vulgaris major, Cluſ. Hiſt. Veronica recta anguſtifolia, Park. Hujus etiam Veronicæ rectæ caules ramatim proveniunt non procul à radicis exortu, quibus ad ſingula genicula adnaſcuntur folia anguſtiora, denſius diſpoſita, magis ſerrata ſuperioris, atque in ſummis caulium ramuſculis ſpicatim proveniunt flores cærulei, tetrapetali, cum multis ſtaminulis in medio petalorum, aliarum ſuæ ſortis more: quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ bifidæ, cordiformes, utrinque tumidæ, ſemina hinc inde à dextris & ſiniſtris ſepti medii continentes. Floret eâdem tempeſtate anni cum prioribus, iiſdemque locis gaudet.

4. *Veronica* anguſtifolia recta minima, nobis. Veronica ſpicata minor, C. B. P. Veronica recta minima, Lob. Ger. Cluſ. Hiſt. Veronica ſpicata recta minor, J. B. Chabr. Priore longe minor hæc eſt, vix palmarem & ſeſquipalmarem excedit altitudinem: foliis eſt minoribus, parum aut leviter crenatis: flores ſunt cærulei, tetrapetali, denſiores comoſioreſque, *ſpicati*: quibus ſingulis ab imo decidentibus ſuccedunt capſulæ cordatæ, bifidæ, duplicem ſeminum ſeriem in duplici valvularum loculo continentes, ſepto medio ſeparante duplicem hinc inde ordinem ſeminum ſubrufforum.

5. *Veronica* Alpina fruteſcens, nobis. Veronica Alpina fruteſcens, C. B. P. Veronica 3ia fruteſcens, Cluſ. Hiſt. Hæc pedalibus & altioribus conſtat ſurculis, duris, lignoſis, lentis ſeu flexibilibus, humi ſparſis ſeu diffuſis, ac veluti frequentibus nodis cinctis, unde ex adverſo ſemper utrinque ramuli enaſcuntur virentes, in quibus bina è regione oppoſita folia, viridia, craſſiuſcula, longiuſcula, ſplendentia, minutiſſimis crenulis ſerrata: extremis ramuſculis inſident ſeni, aut octoni floſculi, ex alarum ſinu prodeuntes, quaternis petalis conſtantes, cærulei coloris elegantiſſimi, pallente umbilico, & rubro circulo eum ambiente, unde ſtaminula apparent, & ex medio veluti umbone ſtilus quaſi proboſcidi ſimilis: ſemen in latioribus majoribuſque vulgaris Veronicæ aut antedictarum vaſculis compreſſioribus exiguum, planum, fulveſcens ſuccedit: radix fibroſa ſeu multas fibras ſpargens: quin & ipſi ſurculi proximiores radici, atque etiam longiores à radice (ſi paululum eis terra apponitur) ad ſingulos nodos fibras, & conſequenter radices agunt. Provenit hæc fruticoſa Veronica in *Sneberg* & Alpeſtribus Stiriæ jugis, ubi Junio floret: at in hortis etiam Maio, & ſemen Junio ad maturitatem perducit. Sunt qui Veronicam hanc fruteſcentem ad Teucrium malint referre. Sit Veronica aut Teucrium, aſt indigitent quicunque eodem nomine Teucrii hanc plantam gaudere voluerint plantam tetrapetalam ſiliculoſam bicapſularem parvo diſcrimine referet. Si autem per Teucrium intelligatur Chamædrys, tunc mutabitur alea denominandi, quia omnis Chamædrys proprie loquendo eſt planta galeata verticillata, ut infra docebimus inter galeatas verticillatas plantas, Sectione octava enarrandas.

6. *Veronica* mas recta ſeu aſſurgens, nobis. Veronica mas recta, C. B. P. Veronica aſſurgens, Dod. Veronica recta mas, Lob. Veronica vulgaris recta, Cluſ. Hiſt. Hæc plurimos edit caules non procumbentes, ſed aſſurgentes atque erectos: folia ſequentis foliis formâ ſimilia, ſed magis dentata, quæ autem in ſummis caulibus conſpiciuntur folia longa & anguſta ſunt: flores & capſulæ ad eundem modum factæ, ſed minores; eſtque ſequente viribus inferior. Duplex eſt, major & minor; illa latiore folio & longiore ſpica, hæc anguſtiore folio & breviore ſpica. Reperitur juxta aggeres, & aliquando in ſaxoſis. Æſtate floret, & verſus ejuſdem finem ſemina ſua perficit.

7. *Veronica* ſupina vulgaris foliis ſerratis, nobis. Veronica mas ſupina & vulgatiſſima, C.B.P. Veronica mas ſerpens, Dod. Veronica vulgaris ſupina, Cluſ. Hiſt. Veronica vera & major, Ger. Veronica mas vulgaris ſupina, Park. Veronica vulgatior folio rotundiore, J. B. Chabr. Hæc eſt caulibus dodrantalibus aut longioribus procumbentibus ſeu per terram ſtratis; folia ejus latiuſcula, Chamædryos repentis majora, candidioraque, ſecundum margines paululum ſerrata,

ſerrata, quæ exigua lanugine pubeſcunt: in ſuperioribus ramulis oriuntur floſculi tetrapetali, dilute cærulei, pediculis curtis ordine, ſpicatim tamen, digeſti: quibus ſingulis decidentibus ſuccedunt ſiliculæ cordiformes, ſepto membranaceo intermedio ſeparante duplicem ordinem ſeminum parvorum, rotundorum & nigreſcentium: radix tenuis huc illuc divaricatur, ſicut & prioris rectæ radix. Provenit in locis apricis, ſabuloſis ac arenoſis, non raro juxta tumulos ac aggeres, & agrorum ſepimenta; quandoque in pratis campeſtribus, ſilvis, quandoque & in ſaxoſis reperitur. Floret per totam æſtatem & ſemina perficit.

8. *Veronica* pratenſis Serpilli folio, C.B.P. Veronica minor Serpilli folio, Ad. Lob. Veronica pratenſis, Dod. Betonica Pauli, Tur. Geſn. Hort. Hujus folia ſunt ſuperiorum foliis multo minora, virentia, glabra, Serpilli latifolii magnitudine, lanugine tamen carent: alias priori foliis, ramulis procumbentibus, floſculis dilute cæruleis & capſulis cordiformibus, per medium bifidis, ſed minoribus, ſimilis: ignava hæc habetur & nullius uſus, ut vult Dodonæus; ſed cum iiſdem charaſteriſticis afficiatur notis, floribus ſcilicet, capſulis ſeminalibus & ſeminibus ejuſdem formæ, iiſdem pollet viribus forte in remiſſiore gradu, quæ natura nobis monſtrante viam, factâ experientia facile deteguntur. Floret Junio & Julio, reliquis quoque anni tempeſtatibus viret.

9. *Veronica* petræa ſempervirens, Pon. Teucrium pumilum 6. Cluſ. Hiſt. Chamædrys Alpina ſaxatilis, C. B. P. Hæc Veronica quinque, ſex, vel pluribus etiam caulibus rotundis immediate ex radice ortis conſtat, non ramoſis, altitudinis ſeſquipalmaris, è quorum geniculis bina foliola exeunt (licet aliquando quædam ſatis magna reperiantur) æquali ordine diſpoſita, uti in Chamædre, non ſic tamen profundè inciſa, admodum craſſa & ſplendida, ſuperne virentia, & lanugine quadam donata, ſed inferne albicantia: flores fert in ſummitate multos ſpicatim, ſingulos quaternis petalis, cæruleo, aliquando albido colore conſtantes: quibus ſingulis cadentibus ſinguli calyces reperiuntur, in quorum ſingulis capſulæ ſingulæ cordatæ apparent, reliquis Veronicæ capſulis conformes, duabus valvulis diſtinctæ, duplicem ſeriem ſeminum in ſe continentes, ſepto medio membraneo disjungente duplicem illum ordinem ſeminum ſubrufforum: radices habet parvas nigricantes, quæ ita nudis illis ſaxis montis Baldi pauciſſima commixta terra inhæreſcunt, ut difficillime inde ligonibus evelli poſſint. Floret initio Julii, & circa ejuſdem finem maturatur ſemen, aliquando tardius. Eſt planta ſempervirens, elegantiſſima & pulcherrima, quæ acerbi & auſteri ſaporis eſſe guſtu percipitur: tuberoſam habet radicem, ut Tormentilla, à qua emanant fibrillæ plurimæ.

Explicatio Tab. vigeſimætertiæ Sectionis tertiæ.

10. *Veronica* major fruteſcens altera, nobis. Teucrium 4. Cluſ. Hiſt. Chamædrys ſpuria major altera ſeu fruteſcens, C. B. P. Chamædrys ſpuria latifolia, J. B. Chabr. Cubitales atque etiam ampliores caules habet hæc Veronicæ ſpecies, ex una radice frequentes, quadrangulares, ſubhirſutos, nodis diſtinctos; folia Chamædryos fere paria, foliis illius herbæ quæ à nonnullis herba ſacra exiſtimata eſt (de qua ad Verticillatarum galeatarum plantarum finem agemus, Sectione octava) ſimillima, bina ſemper ſibiinvicem oppoſita, per ambitum ſerrata, paululum hirſuta, amari ſaporis: ſummi caules in aliquot ramos dividuntur, geſtantes oblongam ſpicam floſculorum tetrapetalorum, cæruleorum, veniſque diſtinctorum, pluribus intus ſtaminulis in medio, & ſtilo eminente, qui marceſcentes integri defluunt: quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ cordatæ, bifidæ, continentes hinc inde à dextris & ſiniſtris ſepti medii membranei plurima exigua ſemina: radix fibroſa admodum & vivax, quotannis novos caules producens, qui infima parte ſecundum terram fibras etiam agunt & ſeſe propagant. Creſcit in omnibus collibus & montibus Pannoniæ, Auſtriæ, Moraviæ, & pleriſque Bohemiæ petroſis (herboſis tamen) locis. Hujus & altera varietas inter vepres reperitur non minoris longitudinis, virgas ferens tenuiores tamen, humique diffuſas, & adeo frequentes, ut magnos ceſpites interdum late tegant, minoribus foliis, & dilutiore flore.

11. *Veronica* ſupina facie Teucrii pratenſis, Icon. Lob. Chamædrys ſilveſtris, Dod. Teucrii 4ti. ſpecies 3ia. Cluſ. Hiſt. Hæc cauliculos promit tenues, anguloſos, veluti geniculis diſtinctos, pedem aut ſubinde cubitum altos, circa quos per intervalla folia apparent anguſta, longa, in margine magis ſerrata quam ſunt repentis prioris Veronicæ folia: in ſummis caulium bipalmarium ramis ſpicatim proveniunt floſculi tetrapetali, eleganter circa faſtigia caulium digeſti, prioris paulo majores, quique cæruleo arrident colore: quibus ſingulis itidem capſulæ paulo latiores ſuccedunt, cordatæ, bivalves, in quarum ſingulis valvulis hinc inde à latere ſepti medii diſpoſitis ſemina parva continentur: radix tenuis fibris non deſtituitur:

Hujus inquam cauliculi non in altum recte aſſurgunt, nec ſemper procumbentes per terram ſternuntur, ſed ſæpe in latus inclinantur veluti ea vegetabilia quæ πλαγιόκαυλα Theophraſtus appellat, & ſunt tenuibus pilis unà cum foliolis leviter hirſuti. Naſcitur pluribus locis, in pratis juxta flumina, rivulos, ſcrobes ac fontes, ſubinde in nemoroſis, & quibuſdam locis rarioribus foliis, & paucioribus ramis, alibi vero etiam ramoſior evadit. Reperitur in ſilvis ac montibus alicubi, quæ vel humilior, vel flore pallidiore (pro loci videlicet & natalium genio) nonnihil à reliquis differens. Junio & Julio cum floribus viget, ac Auguſto ſemina perficit.

12. *Veronica* minor foliis imis rotundioribus, nobis. Chamædrys ſpuria rotundifolia, C.B.P. Chamædrys ſilveſtris quorundam, Cluſ. Hiſt. Teucrium pratenſe, Ad. Lob. Teucrium minus 3. Tab. Hæc Veronica caules edit ſemipedales, aliquando altiores, infirmos, quadratos, hirſutos, ad quorum ſingula genicula bina protruduntur foliola, quæ inferius ſunt rotunda Chamædryos more, & ſerrata, ſuperiora vero ſunt longiora magiſque ſerrata, & acutiorem in mucronem deſinentia: in ſingulis autem prædictis geniculis bina è regione diſponuntur folia, quæ alternatim ſeſe offerunt obtutui ante & retro, & à dextris & ſiniſtris (hoc familiare eſt omnibus plantis, quarum bina folia è regione anneċtuntur geniculis) hirſuta, mollia: in ſummis ramis producuntur flores in ſpica alternatim digeſti, eleganter purpurei, quatuor petalis rotundis conſtantes, cum multis ſtaminulis in medio, atque in florum ſingulorum locum ſuccedunt ſiliculæ ſingulæ, cordiformes, bicapſulares, ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum, aliarum Veronicarum more: radice conſtat tenui, repente, fibrillas multas emittente. Conſpicitur hæc vulgariter in tota Pannonia interamni, Stiria, Auſtria, Moraviâ & Bohemiâ: paſſim itidem reperitur in Hiſpaniis, Gallia, Germania, Belgio Angliaque, herboſis locis. Quo juſto titulo hæc Veronica & aliæ ſpecies hic recenſitæ deſignentur Chamædryos aut Teucrii nomine non poſſum ſatis aſſequi, cum & Chamædrys & Teucrium proprie loquendo ſint plantæ verticillatæ galeatæ; hæ autem Veronicæ injuſto titulo & falſo Chamædres aut Teucria dicuntur, quia ſunt tetrapetalæ ſiliculoſæ bicapſulares. Judicent æqui lectores de iis quæ hic & alibi proferimus, ſaltem impræſentiarum de hiſce conſulent Hallucinationes hujus capitis, & clarius apparebit illic meridiana luce noſtram opinionem, imo determinationem, depromptam eſſe ex libro naturæ, non ex libris ſcriptis à Botanicis.

13. *Veronica* minor virguloſa ſeu multicaulis Pannonica, nobis. Teucrium Pannonicum minus 5. Cluſ. Hiſt. Teucrium Pannonicum, Tab. Ger. Statim à radice virgulas quinta hæc Cluſ. Veronica dodrantales, purpuraſcentes, & humi procumbentes fundit, quas ex adverſo ſita ampleċtuntur folia, Chamædryos foliis formâ & colore ſimilia, & eodem modo per oras ſerrata, minora tamen, guſtu linguam exſiccante, deinde amariuſculo. Summæ virgulæ in ramulos diviſæ, numeroſos floſculos ſpicæ formâ naſcentes geſtant, quatuor petalis conſtantes; in ſingulorum florum umbilico ſtaminula hærent, & ſtilus è medio umbilico protuberat: floſculi ſunt cærulei coloris ſaturatiſſimi & elegantiſſimi, aut aliquando dilutioris, & quaſi cineracei: ſponte prædictis floribus decidentibus ſuccedunt ſiliculæ compreſſæ paululum, exili ſubruffo ſemine plenæ; radix etiam valde fibroſa & vivax eſt, ſingulis annis (ut plurimæ aliæ in hoc capite deſcriptæ) novas virgulas producens; quin & ipſi cauliculi nonnunquam ſecundum radicem fibras ex geniculis agunt. Naſcitur fere in omnibus ſiccioribus agris incultis, herboſiſque aggeribus, & colliculis, ſecundum vias publicas inferioris Auſtriæ, præſertim in Viennenſi agro, & apud Neapolim vicinam urbem loci natura munitiſſimam. Floret Maio & paulo poſt ſemina ſua perficit. Unicam hujus generis plantam inveniebat Car. Cluſius ad radices montis pago Glaſenfield imminentis, ſecundo à Neapoli jam memorata miliari, quæ florem ex carneo candicantem habebat, circa umbilicum carnei coloris venis diſtinctum; ſtamina & ſtilum ejuſdem poſſidebat coloris.

14. *Veronica* tetragona montana recta minima flore amplo, nobis. Veronica tetragona montana recta minima, Col. Chamædrys ſpuria latifolia minima, C. B. P. Hæc Teucrio pratenſi Veronicæ facie dicto admodum ſimilis eſt, at minor omnibus ſuis partibus, præter flores, qui in hac parva planta majores ſunt omnibus congenerum ſupradictarum floribus; colore ſunt cæruleo ſaturatiore, brevibus inſidentes petiolis, circa ſummas duas alas, quibus dividitur caulis principalis palmaris, quadratus, rubeſcens, hirſutus, geniculis ſenis, nunc pluribus, nunc paucioribus conſtans; ſingulis vero geniculis bina adhærent folia è regione diſpoſita, quæ in imo conſpiciuntur Tritici grano magnitudine paria, deinde ſuperiora majora ſunt, & indicis humani unguis magnitudinem aſſequuntur, hirſuta, oblonga, circumſerrata, obtuſis multis dentibus ſeu potius crenis; abſq; petiolo caulibus adhærent, eaque circa caulis genicula latiora: in ſummis alis, floribus majoribus cæruleis ſingulisſingulæ ſubveninnt capſulæ cordatæ, bivalves, cum apice in medio

medio hinc inde in valvulis à dextris & ſiniſtris continentes ſemina ſubruffa. Junio floret, & Julio perficitur ejuſdem ſemen in valvulis apice acuto ex ſepto medio exeunte diviſis: thecæ ſeu capſulæ ſeminales pro baſi habent quatuor foliola viridia, acuta, quæ omnium harum Veronicarum capſulis conveniunt: radix repit, ex geniculis compoſita, è quibus fibrillæ dependent. In ſummis frigidiſque montium paſcuis oritur, atque Æquicolorum loco Sancto Angelo appellato.

15. *Veronica* rotundifolia ſcutellata aut biſcutata Hederæ folio, nobis. Alyſſum Dioſcoridis montanum, Col. Alyſſum montanum, Park. Chamædrys ſpuriæ affinis ſcutellata planta, C.B.P. Veronica hæc Hederæ folio, & ad modum Hederæ repens, radice conſtat longe lateque repente, plurimas ſubinde ex eâdem demittente fibrillas: ex radice autem oriuntur quidam viticuli rotundi palmares, & aliquando ſeſquipalmares, per terram reſupini, rubentes, hirſuti, & ex geniculis ſeſe radicantes Hederæ modo, aliarumque quarundam plantarum procumbentium more; ex ſingulis geniculis bina oriuntur foliola rotunda, crenata, longis ſatis petiolis è regione prædictis geniculis adhærentia, unguem humanum lata ab initio, deinde latiora & majora, ad duas uſque uncias creſcentia, majoribus dentibus & hirſutie ſcatentia: ex alis ſingulis exeunt ramuſculi gerentes floſculos aliquot, tres quatuorve, tetrapetalos, cæruleos, ex tenui admodum petiolo hirſuto prodeuntes, foliaceam baſin quatuor foliorum habentes; atque ſingulis floribus tetrapetalis ſuccedunt ſingulæ capſulæ bivalves, rotundæ, ſcutulorum formâ conſtructæ, ſepto medio cum apice protenſo disjungente membranaceas valvulas ovales, hirſutas, hinc inde ſitas, in quibus continentur ſemina compreſſa fulva, quina aut ſena in ſingulis lateribus. Provenit in Campoclarenſium Mateſii montis jugis ſilvoſis umbroſiſque, & æſtate prope mandras florentem conſpexit Fab. Columna, qui inquit, adeo difficilis eſt Alyſſi Dioſcoridis inventio, ut quilibet recentiorum ſcriptorum foliaceum fructum edentem plantam pro Alyſſo Dioſcoridis propoſuerit. Harum plura genera inveniuntur, recta, repentia, ſupina, pratenſia, montana; ſed hujus folia longo petiolo hærent (non ita in aliis obſervatur) & rotundiora; fructuſque ſeu capſulæ magnæ, rotundiores. Miramur etenim alios plantas plurimas recepiſſe, quæ non duplices fructus ſive clypeolos aut folliculos habeant, ut Dioſcorides notat, ſed quamlibet ſimplici fructu aperto & diviſo & duplici valva proponunt, quod in multis cujuſvis generis eſt commune. Tordylio quidem ſemen duplex eſſe (hoc etiam contingit omnibus umbelliferis, uti à nobis alibi dictum) Dioſcorides notavit, illudque ſimile ſcutulis, non duplicibus ſcutulis, ut de fructu Alyſſi retulit. Nec Dioſcoridem notare conſiderarunt, ut ſemina inſint clypeolis duplicibus, non fructui, ut apparet ex textu παρ' οἷς ὁ καρπὸς ὡς ἀσπιδίσκια διάδιπλα, ἐν οἷς δὲ σπέρμα ὑπόπλατυ, juxta quæ verba fructus (ſubintelligitur *eſt*) velut clypeola duplicia, in quibus ſemen ſublatum. Quare ſi folliculi ſive duplicia clypeola continere debent ſemina, illa oportet valvulas habere proprias & diſtinctas, atque ſic fructus effigies non ſimplex, ut ab aliis proponitur, ſed duplex eſſe debet, ut duorum clypeorum repræſentet rotundas & ovales circumferentias & profunditates quæ ſingulæ ſemen continere poſſint, atque fructûs modo concipiant & ex foliorum alis ortum ducant. Nos concludimus duplicem clypeolum convenire Leucoiis biſcutatis omnibus ſupra explicatis cap. VIII. de Leucoio, non minus quam huic plantæ; ergo difficile admodum erit aſſignare genuinum Dioſcoridis Alyſſum propter brevitatem deſcriptionis, non ſolum hic, ſed & in multis aliis; ſed hæc omittamus & pergamus ad explicationem cæterarum Veronicarum hujus capitis. Fateor hanc plantam maximam habere affinitatem quoad clypeolum duplicem cum Leucoiis biſcutatis, ſed quænam harum plantarum ſit Alyſſum Dioſcoridis difficillimum erit determinatu.

16. *Veronica* minor anguſtifolia ramoſior & procumbens, nobis. Chamædrys ſpuria minor anguſtifolia, J. B. Chabr. Veronicam hanc minorem anguſtifoliam 5[tæ] Cluſii valde ſimilem, ſed ramoſiorem & altiorem, foliis duplo triplove præanguſtioribus præditam, in agris Rauracis ſterilioribus, & in agris circa Balneum *Brüglugen* copioſe obſervare eſt, authore Caſparo Bauhino. Talem mihi dedit (inquit Joh. Bauhinus) Thomas Platerus Baſiliæ collectam; eandem, inquit, flore albo reperi in hortis circa Montbelgardum.

17. *Veronica* minor tenuiſſime laciniata, nobis. Chamædrys ſpuria tenuiſſime laciniata, J. B. Chabr. Quam elegans eſt hæc Veronicæ ſpecies? caules enim erigit pedales, aliquando altiores, teretes (præterquam craſſiores, qui ab una parte quadranguli videntur) firmos, ramoſos, lanugine quadam modica obſitos: folia ſecundum genicula ſingula utrinque plura hærent, tenuiſſime ac profundis ſegmentis laciniata: ramulorum extremo capſulæ ex longis ſatis pediculis exeunt ſingulares, cordatæ, bivalves, Veronicæ vulgaris more foliaceo calyculo com-

prehenſæ, in quarum ſingulis latet ſemen exiguum, compreſſum, coloris ſpadicei: radix craſſiuſcula multis fibris nigris donata. In Goritienſi agro *D. Agerius* legit. En figuram inter cæteras ſuæ ſortis Veronicas damus. Floret & ſemina itidem æſtate perficit.

18. *Veronica* maxima latifolia ſeu Quercus folio, nobis. Veronica maxima, Lugd. Chamædrys ſpuria major latifolia, C. B. P. In Sequanis gignitur Veronica, quæ à nonnullis maxima dicitur, ad montium confragoſa præcipitia, inter ipſa ſaxa. Radice eſt nigra, pluribus fibris capillata, caulibus multis fruticoſa cubitalibus: foliis Quercus, multum crenatis, ſemper geminis, caulem quadratum Chamædrys inſtar amplexantibus, quam ob cauſam Chamædryos genus quidam eſſe volunt, ſurculis multis ex alarum ſinubus provenientibus, minime folioſis: floribus conſtat minoribus, Veronicæ more tetrapetalis, puniceis, denſe & quaſi ſpicatim in ſummis caulium digeſtis; quibus ſuccedunt capſulæ cordiformes, bivalves, rotundiores, ſepto medio junctæ, ſemina hinc inde à latere ejuſdem ſepti continentes. Floret ineunte æſtate, & paulo poſt ſemina perficit in Sequanis uti ab initio dictum.

§. 2. VERONICÆ TERRESTRES ANNUÆ.

Explicatio Tab. vigeſimæquartæ Sectionis tertiæ.

19. *Veronica* terreſtris annua folio Polygoni flore albo, nobis. Hæc eſt plantula palmaris cujus cauliculi ſunt recti, atque ejuſdem ſingulis nodis foliola oblonga, anguſta Polygoni inſtar adhærent: ex alis ſingulis inter cauliculos & folia exeunt ſinguli floſculi, albi, tetrapetali, quos ſequuntur capſulæ cordiformes, tumidæ, ſepto medio diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum rufforum, compreſſorum. Radix eſt tenuis, inutilis poſt ſemina ad maturitatem perducta, tunc exſiccatur tota planta. Floret Maio & ſemina perficit Junio, ubi ſponte oriatur ignoratur, ſed floret & ſemine deciduo ſingulis annis ſeſe propagat in hortis noſtris copioſe.

20. *Veronica* Hederulæ folio, nobis. Alſine Hederulæ folio, C. B. P. Alſine ſpuria prior ſeu Morſus gallinæ, Dod. Alſine annua folio Hederulæ, Park. Alſine hederacea, Tab. Ger. Alſine folio Hederulæ hirſuto, J. B. Chabr. Elatine prior, Lugd. Morſus Gallinæ Hederulæ folio, Ad. Lob. Hæc cauliculis tenuibus veluti Alſine minor procumbit: folia latiuſcula, hirſuta, inciſuras duas (interdum plures) Hæderæ aut Trifolii hepatici inſtar habent: ex caulium alis exeunt floſculi tetrapetali, cærulei, longiuſculis petiolis pendentes, cum ſtaminulis quibuſdam in medio floſculorum; quibus ſuccedunt capſulæ didymæ ſeu bivalves, ſatis craſſæ, & rotundæ quaſi, ſepto medio junctæ, quo ſeparantur hinc inde ſemina craſſa, & ſatis ampla pro proportione plantæ, gibba foris, intus cava naviculæ inſtar. Provenit paſſim in arvis ſatis, & hortis cultis. Floret exeunte Vere, & ineunte æſtate ſemen ſuum perficit.

21. *Veronica* floſculis cauliculis adhærentibus, nobis. Alſine Veronicæ foliis floſculis cauliculis adhærentibus, C. B. P. Alſine folio Veronicæ, Tab. Ger. Alſine ſerrato folio hirſutiore floribus & loculis cauliculis adhærentibus, J. B. Chabr. Elatine Polyſchides, Hiſt. Lugd. Alyſſum Col. in Phytob. Hæc Veronica radice nititur tenui & fibroſâ: caules fert multos dodrantales, aliquando majores, aliquando minores, rectos, parum ramoſos, hirſutos, in principio rubentes: folia longiuſcula, minus profunde ſerrata, nonnihil hirſuta, ſine pediculis ſecundum longitudinem caulium geniculis alternatim adhærentia: in ſummis caulibus oriuntur floſculi tetrapetali, ſubcærulei, ſtriati: quibus ſingulis deciduis ſuccedunt capſulæ cordiformes, compreſſæ, bivalves, ſepto medio bipartiente duplicem ordinem ſeminum parvorum, compreſſorum, & fulvorum: radix inutilis, ſeminibus enim ad maturitatem perductis totaliter perit planta: ſapor totius plantæ eſt amaricans. Provenit paſſim in pratis & arvis neglectis. Floret primo Vere, & paulo poſt ſemina ad maturitatem in thecis ſeminalibus producit.

22. *Veronica* floſculis oblongis pediculis inſidentibus Chamædryos folio, nobis. Alſine Chamædryfolia floſculis oblongis pediculis inſidentibus, C. B. P. Alſine foliis Triſſaginis, Lob. Icon. Tab. Ger. Alſine ſpuria altera, Dod. Alſine ſerrato folio glabro, J. B. Chabr. Pumila eſt hæc planta, quæ è radice alba & fibroſâ caules aliquot ſurrigit rubentes, nonnihil hirſutos, articulatos: ad quorum ſingula genicula oriuntur folia parva, bina ſemper ex adverſo, longiuſculis pediculis innitentia, nervis rubentibus interſecta, longiora quam latiora, ſerrata, ut ſunt Chamædryos vulgaris folia, glabra tamen, & pediculis ſatis longis appenſa: ex alis pediculi ſemiunciales prodeunt ſuſtinentes floſculos ex quatuor petalis cæruleis, rarius albis, inferne continuis conſtantes, ſtaminulis paucis ſtilum tenuem circumſtantibus: quibus deciden-

decidentibus ſuccedunt loculi bipartiti, cordiformes, longis petiolis inſidentes, ſepto medio ſeparante duplicem ordinem ſeminum rotundorum & compreſſorum, flaveſcentium. Invenitur paſſim in arvis ad radices murorum, florens Maio, & ſemina edens ſub initium Junii.

23. *Veronica* cærulea triphyllos nunc pentaphyllos ſeu trifida & quinquifida, nobis. Alſine triphyllos cærulea, C. B. P. Alſine parva recta, Lob. Icon. Cam. Elatine triphyllos, Hiſt. Lugd. Dactiliobotanon cæruleo flore, Thal. Alſine recta, Tab. Ger. Alſine folio profunde ſecto flore purpureo ſeu violaceo, J. B. Chabr. Plantula hæc eſt palmaris, aliquando duarum aut trium unciarum, coliculis ſupinis fere & piloſis, in quorum geniculis annectuntur plura folia uti dictum, terna ſuperius, quina inferius verſus radicem, pinguiuſcula; ex quorum ſinu oriuntur petioli longi ſuſtinentes floſculos tetrapetalos, cæruleos, qui poſt ſe relinquunt ſiliculas ſeu capſulas cordiformes, bifidas, & ſepto medio diviſas prædictarum more: radix parva, fibroſa, & inutilis poſt ſemina matura. Floret inter ſegetes menſe Martio. Obſervatur in agris verſus *Chaſtelaine* nonnihil variare foliis non diſſectis, ſed ex rotunditate oblongis.

§. 3. VERONICÆ PERENNES AQUATICÆ.

24. *Veronica* aquatica major folio ſubrotundo, nobis. Anagallis ſive Becabunga, Ger. Dod. Anagallis aquatica ſive Becabunga Germanorum, Ad. Lob. Lugd. Anagallis ſive Becabunga folio rotundiore flore cæruleo, quorundam Berula ſive Anagallis aquatica, Tab. Hæc Veronica aquatica (nullo modo Anagallis) caules habet pingues, rotundos, cavos, qui in nonnullas alas ſuperiore parte dividuntur: folia ex ſingulis geniculis è regione adnaſcuntur craſſa, lævia, pinguia, ſubrotunda, aliquando crenata, aliquando non crenata in margine, coloris obſcure viridis: flores in cauliculorum ſummis alis fert cæruleos, ſeu violaceos potius, tetrapetalos, cum pluribus ſtaminulis dilutius violaceis, quibus evanidis ſubveniunt capſulæ cordiformes, bifidæ, ſeu ſepto medio ſeparatæ, prædictarum Veronicarum terreſtrium more: radix ſubeſt candida, longe repens, ex ſingulis ejuſdem geniculis fibras demittens plurimas, ex quarum concurſu plurimi attolluntur caules. Provenit in reſidibus aquis & circa fontes, rivorum ac fluviorum margines. Junio, Julio ac Auguſto flores, & conſequenter capſulas cordiformes, longis ſatis pediculis innixas profert. Becabunga nominatur Germanica appellatione, à voce germanica **Bachbungen** & **Bunghen** mutata in vocem Becabunga. Galli *Berle* nominant, unde & Berula Latine dicitur. Marcellus tamen Berulam dici refert, quam Græci καρδαμίνην vocant.

25. *Veronica* aquatica major folio oblongo, nobis. Anagallis aquatica major folio oblongo, C. B. P. Anagallis aquatica minor, Ger. Berula major, Tab. Hæc Veronica aquatica floribus tetrapetalis & capſulis bivalvibus, cordiformibus, longiuſculis petiolis pendentibus, eſt omnnino priori ſimilis; folia autem gerit longa, acuta, magis crenata; flores itidem tetrapetali multo dilutius purpuraſcunt, atque hiſce ſolummodo notis primo intuitu à priore rotundifolia diſtinguitur. Exit itidem in ſtagnantibus aquis, circa fontes, ac fluviorum margines. Junio, Julio & Auguſto menſibus floret, & ſemina maturat.

26. *Veronica* aquatica folio ſubrotundo non crenato, nobis. Anagallis aquatica folio rotundo non crenato, C. B. P. Anagallis aquatica 3. Lob. Icon. Park. Anagallis aquatica altera, Lugd. Samulus Valerandi, J. B. Chabr. Veronica hæc aquatica pro radice habet fibras capillares, albas, ex quibus protruditur caulis pedalis, aliquando humilior, foliis alternatim veſtitus, unciam unam aut alteram longis, uncia latioribus, ex oblongo per extremum ſubrotundis, glabris, neutiquam in margine inciſis, craſſis, Centaurii lutei textura & conſiſtentia, formâ quaſi Bellidis, pediculo ſatis longo, verſus extremum ſemper latiuſculo & ſubrotundo: caulis ſurſum verſus in ramos crebros finditur, atque hi denique in alios minores, in quibus conſpiciuntur floſculi parvi, tetrapetali, albi; quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ bivalves, cordiformes, cæterarum ſuæ ſortis Veronicarum more, in binis loculamentis ſepto medio partitis continentes ſemina bifida. In aquoſis Iſtriæ obſervatur florens menſe Julio, ſicut in aquoſis & paludoſis plurimis locis Galliæ.

27. *Veronica* aquatica anguſtifolia minor Polygoni inſtar, nobis. Anagallis aquatica anguſtifolia, C. B. P. Anagallis aquatica 4ta Lob. Icon. Park. Anagallis anguſtifolia, J. B. Chabr. Radices habet hæc parvas ex pluribus fibrillis conflatas: caules habet pedales, ſingulos, interdum plures, ſurſum verſus in plurimos ramuſculos diviſos, ad quorum ſingulos nodos bina naſcuntur ex adverſo folia anguſta, in mucronem terminantia Polygoni Sanguinaria dicti æmula, trium quatuorve aliquando unciarum longitudine, culmi compreſſi latitudine,

nervo

nervo unico per medium currente; è quorum finibus ſeu alis enaſcuntur petioli ſatis longi, ſuſtinentes floſculos ex rubello albidos, tetrapetalos, quos ſingulos deciduos ſequuntur capſulæ bivalves, cordiformes, compreſſa ſemina flava in ſingulis valvulis continentes, ſepto medio bipartiente duplicem ſeminum fulvorum verſum, hinc unum, illinc alterum. In aquoſis provenit Helvetiæ, Galliæque paſſim juxta rivulos, ſtagna, & in paludoſis & foſſulis ubi ſtagnant aquæ. Floret æſtate cum cæteris, & verſus ejuſdem finem ſemina ſua perficit.

28. Planta heteroclita rotundifolia minus crenata Becabungæ foliis pentapetala capſula Alſines quinquifida, nobis. Hæc nova & inaudita planta participat folia Becabungæ, capſulam & florem Alſines quaſi, unde Alſinen aquaticam foliis rotundis Becabungæ deſignavimus: caules profert pedales, rotundos, ad quorum genicula ſingula proveniunt folia rotunda, glabra, lucida, minus crenata, quæ primo intuitu Becabungam foliis ſuis pinguibus glabris æmulantur: in ſummis vero caulium cymis oriuntur plurimi floſculi raro & quaſi ſpicatim diſpoſiti, integri in fundo, quinquefariam in margine diviſi, quorum ſingulis fatiſcentibus ſuccedunt capſulæ quinquefariàm etiam in margine diſtinctæ, in quarum ſingulis plurima minuta ſemina, fuſca, obtutum quaſi fugientia, Alſines aut Sedi ſeminibus haud diſſimilia. Planta eſt heteroclita & ſui generis, ſed propter conformitatem in foliis eandem adjunximus Veronicis aquaticis, quæ perperam authoribus Anagallides aquaticæ dicuntur. Provenit ſponte in foſſis prope Ptochodochium Divi Bartholomæi dictum, & prope pagum **Cowly** primo lapide ab oppido Oxonio, aliiſque humidis locis ſatis copioſe: detecta fuit primo à *Jacobo Bobert* filio.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Veronica *terreſtris perennis caloris & ſiccitatis cum amaritudine eſt particeps*, *ac tuſſi, incipienti hydropi, indurato lieni, ſtranguriæ, viſcerum obſtructionibus, cacochymiæ, virginum fœdis coloribus conferre tradunt Tragus, Lobelius, & Dodonæus. Tragus Veronicam tota ſua ſubſtantia amaram eſſe ait, eaſdemque cum Betonica & Chamædre facultates obtinere; atq; Teucrium vino maceratum & diſtillatum mirabili & efficaciſſima vi adverſus aeris peſtilentem intemperiem, & quaſvis peſtilentes febres pollere; ad eadem etiam commendat herbam in vino decoctam. Teucrium, inquit, præterea vitiis lienis opitulatur, lienem ipſum potenter abſumit per aliquot dies ex ordine potum. Aqua Teucrii ſtillatitia per aliquot dies binis unciis pota vertigini auxiliatur, lentam incidit pituitam, ſanguinem purgat, ſtomachum excalefacit, meatus jecoris aperit, pulmonis & lienis vitia emendat, venas purgat, thoracis craſſos humores diſcutit, nec non matricem & veſicam emundat ſordibus, ſudorem & venenum expellit, regiumq; ſimiliter morbum & calculum renum, & ſi quæ aliæ ſint corporis totius peſtilentes affectiones, curat. Pecoribus tuſſientibus paſtores herbam in pulverem redactam cum ſale exhibent. Folia in aceto vel tuſa, vel cocta, per aliquot dies impoſita induratum lienem diſcutiunt & abſumunt. Uncia Vitrioli in pulverem redacta, ac in aqua Teucrii liquata, collutione putrida ulcera, lichenas, ſerpigines, papulaſque, & alias quaſvis ſcabies purgat & ſanat. Idem ſuccus herbæ præſtat, vel per ſe, vel cum alumine, & ut paucis omnia concludat Tragus, Teucrium ſeu Veronica non ſolum hominibus, ſed & jumentis ad internas & externas affectiones utiliſſimum remedium prædicat. Fuchſius ex amaritudine quadam & vehementi aſtrictione, quam in guſtu præ ſe fert, calidam & ſiccam eſſe Veronicam conjicit. Mirifice ad cruenta vulnera, & ulcera ſananda conferre, ſcabiei denique & omnibus cutis vitiis mederi ait. Vide Tragum de cæteris ejus virtutibus. Crato trium Imperatorum Archiater Veronicæ extractio contra peſtem multum tribuebat. Veronica illa eſt optima quæ ad radices Quercuum creſcit. Colligitur ad uſum Julio.*

24. Veronica *aquatica major folio ſubrotundo Becabunga dicta, nobis. Anagallis ſive Becabunga, Ger. Qualitatem ac temperiem habet calidam & ſiccam, Naſturtio aquatico ſimilem, remiſſiorem tamen: editur etiam in acetariis ut illud, & ad Germaniæ maritimæ ἐπιχώριον malum* **Scheurbueck** *appellatum utilis quoque, eodem quo Naſturtium aquaticum ſumpta modo, facultate tamen & viribus minus potens. Cum aceto & butyro toſta Becabunga, ac calida impoſita & ſubinde renovata, tumoribus quibuſvis & ſacris ignibus prodeſt: apud veterarios in magno eſt uſu, eâ nempe in diſcutiendis tumoribus & ſanandâ equorum ſcabie, aliiſque id genus affectibus curandis utuntur, teſte Trago: tota guſtu eſt Naſturtii, odore non ingrato. Vide cætera apud Simonem Pauli in opere ſuo quadripartito pag. 216. claſſis tertiæ, & Schroderum.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 248. col. 2. pl. VI. *Chamædrys Alpina ſaxatilis, C. B. P. Veronica petræa ſempervirens, Ponæ. Ibidem pl.* VII. *Chamædrys Alpina minima hirſuta quarto loco in Prodromo deſcripta a Caſp. Bauhino. Ibidem pl. IX. Chamædrys Auſtriaca foliis tenuiſſime laciniatis quæ ſecunda in Prod. C. B. Ibidem pl. X. Chamædrys Hiſpanica foliis tenuiſſime diviſis quæ tertia in Prodr. C. B. Ibidem pl.* XI. *Chamædrys ſpuria major latifolia, C. B. P. Veronica maxima, Lugd. Ibidem pl. XII. Chamædrys ſpuria major altera ſive fruteſcens, C.B.P. Teucrium quartum, Cluſ. Hiſt. pag. 249. col. 1. pl. XIII. Chamædrys ſpuria hederacea repens ſive ſcutellata repens, C. B. P. Chamædrys hederacea in catalogo Altroff. Ibidem pl.* XIV. *Chamædrys ſpuria major anguſtifolia, C. B. P. Chamædrys ſilveſtris, Dod. Ibidem pl.* XV. *Chamædrys ſpuria minor rotundifolia, C. B. P. Teucrium pratenſe, Ad. Lob. Chamædrys ſilveſtris, Cluſ. Hiſt. Ger. Ibidem col. 2. pl.* XVI. *Chamædrys ſpuria minor latifolia, C. B. P. Teucrium 5. Cluſ. Hiſt. Ibidem pl.* XVII. *Chamædrys ſpuria latifolia minima, C. B. P. Veronica tetragona montana recta minima, Colum. Ibidem pl.* XIX. *Chamædri ſpuriæ affinis rotundifolia ſcutellata, C. B. P. Alyſſum Dioſcoridis montanum, Colum. Omnes hæ plantæ ſupra citatæ male a Caſparo Bauhino aliiſque authoribus pro Chamædryos ſpeciebus hic recitantur, & inter Chamædres collocantur, cum ſint plantæ ſiliculoſæ tetrapetalæ bicapſulares, quæ ad Veronicæ claſſem jure pertinent; Veronicæ enim gerunt teſſeram, flores ſcilicet tetrapetalos, & ſiliculas bicapſulares, Veronicæ veræ & genuinæ more; nec Chamædryos ſpecies accenſeri debent, cum nec ſint galeatæ, nec verticillatæ, ut infra patebit latius, cap. de Chamædre, Sectione octava.*

Pag. inſuper 248. col. 1. pl. V. *Chamædrys Alpina Ciſti flore, C. B. P. Chamædrys montana fruteſcens durior, Ad. Lob. Cum hæc plantula nec florem galeatum, nec capſulas ſeminales verticillatas gerat, Chamædrys non poteſt dici; ergo graviter primo lapſus eſt Lobelius, quem omnes reliqui authores cæcutientes ſunt ſequuti; cum autem florem gerat quinque aut ſex petalis albis conflatum, cingentibus ſtaminula plurima in medio, cui evaneſcenti ſuccedit globulus hirſutus admodum Caryophyllatæ modo; ergo magis appoſite mea ſententia appellabitur Caryophyllata Chamædryos folio duriore, ſequendo ductum naturæ, non authores nimium negligentes in examinationibus ſuis plantarum, quique num rite, an ſecus, nuncupentur, parum conſiderarunt hucuſque.*

Pag. itidem 248. col. 2. pl. VIII. *Chamædrys unicaulis ſpicata, C. B. P. Triſſago Apula unicaulis, Col. Plantula hæc florem gerit galeatum luteum, ſed capſulam non habet Galeatarum plantarum more, id eſt quinquefariam in margine diviſam & quaterna ſemina in fundo; ergo non eſt Chamædrys proprie dicta: capſulam enim poſt florem galeatum evanidum & ſemina ibidem contenta Euphraſiæ more gerit, ergo debet ad Euphraſiæ claſſem reduci, quemadmodum nos præſtabimus Sectione octava: appelletur ergo Euphraſia Apula unicaulis & tolletur lapſus authorum, Columnæ primum, deinde reliquorum ipſi mordicus adhærentium. Quam graviter lapſi ſunt authores hoc in loco, ſicut multoties alibi, cuivis librum naturæ evolventi & examinanti clare ſatis apparet.*

Pag. 250. col. 1. pl. 1. Alſine Hederulæ folio, C. B. P. Ibidem pl. 11. Alſine Veronicæ foliis floſculis cauliculis adhærentibus, C. B. P. Ibidem pl. III. *Alſine Chamædryfolia floſculis pediculis oblongis inſidentibus, C. B. P. Ibidem pl.* IV. *Alſine triphyllos, C. B. P. Hæ quatuor plantulæ notam Veronicæ eſſentialem habent, nempe flores tetrapetalos & ſiliculas bicapſulares, ligula ſeu ſepto medio diſtinguente duplicem verſum ſeu ordinem ſeminum, ergo ſunt veræ & genuinæ Veronicæ ſpecies; idcirco nos eaſdem huc reduximus ad ſibi ſimiles & conſortes plantas; appellando Veronicas terreſtres annuas; non autem reducendo ad Alſines genus, cum omnis Alſine proprie loquendo ſit planta pentapetala, ſeu quinis petalis ſinguli flores Alſines conſtent, ad medium bifidis, & floribus ſingulis deciduis ſuccedit conceptaculum unicapſulare, pyriforme utplurimum, aut oblongum, continens plurima ſemina minuta ambientia ſtilum nutritivum; ergo hæ plantæ male ab authoribus ad Alſines genus referuntur cum ejus notam non poſſideant, ſed Veronicæ; idcirco aptius Veronicæ deniminabuntur.*

Pag. 252. col. 1. pl. 1. Anagallis aquatica major folio ſubrotundo, C. B. P. Ibidem col. 2. pl. 11. Anagallis aquatica minor folio ſubrotundo, C. B. P. Ibidem pl. III. *Anagallis aquatica major folio oblongo, C. B. P. Ibidem pl.* VI. *Anagallis aquatica folio rotundo non crenato, C.B.P. Ibidem pl.* VII. *Anagallis aquatica anguſtifolia, C.B.P. Ibidem pl.* VIII. *Anagallis aquatica anguſtifolia ſcutellata, C. B. P. Omnes hæ plantæ, cum flores gerant tetrapetalos, ſiliculaſque bicapſulares, ſepto medio dirimente duplicem ſeriem ſeminum Veronicarum more, proculdubio ſunt accenſendæ Veronicæ aquaticæ ex libro naturæ ratiocinando; non autem ſub Anagallidis aquaticæ nomine militare debent, cum Anagallis proprie loquendo ſit planta pentapetala cujus capſula eſt rotunda ſine ſepto medio, ut clarius infra patebit, Sectione quinta. Collocentur ergo inter Veronicas & tolletur lapſus Bauhini aliorumque authorum, ante ipſum, & poſt ipſum ſcribentium. Quam enim habent affinitatem cum Anagallide videant oculati Botanici, ratione ducti, & diligenter examinent quæ hic & alibi dicimus ſecundum veram & rectam regulam a natura datam. Quod ad meipſum attinet, nullius teneor jurare in verba magiſtri; ſi omnes quot quot ſunt, errarunt, ut clare cernitur, nolite cum ipſis amplius errare: amicus Theophraſtus, amicus Dioſcorides, & neoterici omnes Botanici amici, ſed omnibus nobis magis amica erit veritas.*

Pag. 252. col 1. pl. 1. Anagallis aquatica major folio ſubrotundo, C. B. P. Berula ſive Anagallis aquatica, Tab. Anagallis ſive Becabunga, Ger. Ibidem, Anagallis aquatica minor folio ſubrotundo, C. B. P. Anagallis aquatica minor, Tab. Anagallis aquatica minor flore pallido, Ger. Hæ duæ plantæ, cum in nullis ſuis partibus diſtinguantur niſi ſolo & læta nutritione, neutiquam conſtituunt ſpecies diſtinctas ergo fruſtra multiplicantur entia ab authoribus ſine neceſſitate.

Ibidem pl. III. *Anagallis aquatica major folio oblongo, C. B. P. Aquatica, Ger. Ibidem pl.* IV. *Anagallis aquatica minor folio oblongo, C. B. P. Aquatica minor 2. Tab. & aquatica minor, Ger. Hæ duæ itidem eodem modo fruſtra pro duabus ſpeciebus a Caſp. Bauhino cæteriſque authoribus obtruduntur; cum a natalibus magis uliginoſis, nunc majores paulo,*

nunc minores conſpiciuntur, non debent accenſeri ſpecies diſtinctæ: & ideo falluntur authores dum multiplicant entia ſine neceſſitate.

SILICULOSÆ

Tetrapetalæ bicapſulares.

POLYGALA TETRAPETALA.

CAPUT XXVII.

Πολύγαλον *frutex brevis eſt, palmi altitudinem petens, foliis Lavendulæ, guſtu ſubacerbo (aſtricto Plinio) potus lactis abundantiam facere creditur, unde nomen habet, Dioſcoridi l. 4. c. 142. Plinio l. 27. c. 12. Sunt qui noſtram intellexiſſe velint, cum noſtra potius ad Onobrychidem Dioſcoridis referenda videatur.*

Polygala eſt vox πολύσημος, vel ſignificans Legumen alatum ſeu πλαγιόκαυλον, πολύγαλον dictum, vel Onobrychidem, de quibus egimus cap. VI. paragrapho 2. & 7. vel eſt planta tetrapetala ſiliculoſa bicapſularis, de qua agemus hôc capite.

Pars TABULÆ XXIV.

Polygala tetrapetala ſiliculoſa bicapſularis
- *Longo & anguſto folio*
  - *1. Major, nobis. Polygala vulgaris major, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - *Cærulea.* ⊙
    - *Violacea.* ⊙
    - *Cinerea.* ⊙
    - *Rubra.* ⊙
    - *Alba.* ⊙
  - *Minor*
    - *2. Nobis. Polygala vulgaris minor, Cluſ. Hiſt.*
    - *3. Lutea, C. B. P. Lugd.* ⊙
- *4. Brevi & lato folio Myrti inſtar, nobis. Chamæmyrſine Hiſt. Lugd.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæquartæ.

1. *Polygala* tetrapetala ſiliculoſa bicapſularis longo anguſto folio major, nobis. Polygala vulgaris major, Cluſ. Hiſt. & Pan. Polygala major, Tab. Park. Polygala major flore cæruleo, Ger. Polygala major duplex, J. B. Chabr. Polygalæ appellationem apud pleroſque recentiorum authorum etiam obtinet plantula hæc (valde tamen diſſimilis eſt Polygalæ inter Legumina nobis deſcriptæ cap. VI.) ubique fere in ſiccioribus pratis obvia: foliis eſt *Lini* ſeu Hyſſopi anguſtifoliæ vulgaris, quæ eſt vel flore cæruleo, vel purpureo dilutiore, vel rubello, aut interdum etiam albo variare conſpicitur. Geſnerus ab amaritudine Amarellam appellavit. Tragus Dioſcoridis πολύγαλον & γλαυκὰ eſſe exiſtimat. De majore elegantiſſimo quod in Auſtria & Pannonia ſuperiore obſervavit Car. Cluſius, tametſi tot florum colore diſcreto paſſim in iiſdem provinciis naſcatur, primo dicemus. Ex eadem interdum radice prodeunt quinque aut ſex virgulæ duriuſculæ, vix pedales, graciles, lentæ & obſequioſæ, foliis nullo ordine diſpoſitis obſitæ, anguſtis Floris tinctoriæ, aut Hyſſopi vulgaris anguſtifoliæ & minoris quæ ab Hiſpaniis *Uſſopillo* vocatur, foliorum æmulis. Flores confertim & ſpicatim naſcentes ſummas virgulas occupant, Fumi terræ floribus non multum abſimiles quoad diſpoſitionem, longiores tamen, & dilutioris purpurei coloris elegantiſſimi, ſive dilutiore rubro pulcherrimo nitentes: hiſce ſuccedunt loculi ſeu thecæ capſulæve pendulæ, planæ, Burſæ paſtoris ſimiles ſcilicet, cordiformes, bicapſulares, duabus valvulis membranaceis conſtantes, ſepto medio ſemina hinc inde ſeparante (quemadmodum in prædictis omnibus ſiliculoſis plantis contingit) nigricantia, longiuſcula, quæ aperientibus ſeſe ad latera præ maturitate burſulis decidunt: radix craſſiuſcula, brevis, lignoſa, vivax, quæ aliquot fibris donata eſt; tota planta amaricans eſt. Frequens admodum eſt in Leytenberg ſupra Manderſtorf circa Medeling totaq; illa montium ſerie quæ à Calemberg Danubio ſupra Viennam imminenti ad Auſtriacas uſque Alpes excurrit. Nuſquam non occurrit per Pannoniam etiam interamnem, ultra Dravum flumen. Floret Maio & Junio. Aliquoties ob florum venuſtatem transfertur in hortos ſed cicurari non vult.

2. *Polygala* tetrapetala ſiliculoſa bicapſularis longo & anguſto folio minor, nobis. Polygala vulgaris

vulgaris, C. B. P. Polygala vulgaris minor, Cluſ. Hiſt. Polygala recentiorum, Ad. Lob. Flos Ambervalis, Dod. Amarella, Geſn. ep. Polygala minor, Park. Polygalæ huic quæ flos Ambervalis Dodonæo dicitur, perquam tenues ſed duriuſculi ſunt coliculi, palmum aut ſemipedem aliquando longi, plurima parte procumbentes, aut humum verſus reclinati, qui foliolis conveſtiuntur exiguis, oblongis, acuminatis, foliis ſeu alis Lentium ſimilibus, ſed tamen anguſtioribus: floſculi tetrapetali in ſummis caulium faſtigiis ſpicatim proveniunt exigui, penduli quando ſunt expanſi, colore vel Violæ ſaturato-purpuraſcentes, vel dilute rubri, vel candidi, odore carentes; quibus ſingulis ſuccedunt valvulæ bicapſulares, minores quam ſunt thecæ Burſæ paſtoriæ, tenuibus membranulis utrinque valde minutilis ſtipatæ: radix dura, lignoſa & tenuis, reſtibilis eſt & de novo ſingulis annis regerminans. Nunc in collibus herboſis qui aratro proſcinduntur, nunc in novalibus & ſilvoſis; paſſim in Galliæ, Germaniæ, Belgii & Angliæ regionibus, læto ac mediocri ſolo, gignitur. Floret Maio menſe præcipue, aliquando citius: per totam æſtatem florens & ſemen perficiens reperitur. Flos Ambervalis dicitur Dodonæo, & Germanis **Creutzblumchin**, id eſt Ambervalis flos. Siquidem ſic appellari contingit, quoniam feſto Ambervalium præcipue vigeant hujus flores, ac ruſticæ virgines ex his pleriſque in locis corollas ſibi nectant. Ambervalia autem feſta ſunt quæ Romana Eccleſia Dies appellat rogationum. Germanis **Creutzlagen** dicitur, tunc enim arva à ſacerdotibus & populo luſtrabantur, qui mos etiamnum durat per totam pæne Europam. An lactis abundantiam facere poſſit hæc plantula, dubitatur: cum enim apud Dioſcoridem & Plinium breviſſima Polygalæ extet deſcriptio, quid hic, ſicut & alibi, affirmandum incertum: veroſimilius eſt Polygalon Legumen dictum (de quo cap. VI. Sectionis ſecundæ tractavimus,) eſſe verum Polygalon.

3. *Polygala* lutea 4. Dal[pii] Lugd. & C. B. P. In nivoſis Juræ montis cacuminibus proſilit: radice conſtat craſſa, ſpiſſa, lignoſa, brevi, candicante: cauliculis perquam multis, pedalibus: foliis Lini anguſtioribus, longioribus, inæquali poſitu è cauliculis prodeuntibus: flore conſtat luteo copioſo, parvo, in ſummis cauliculis nitente. Herba rara eſt, inquit Dalechampius, vix alibi quam in ſuperiore loco viſa.

4. *Polygala* folio brevi rotundo Myrti inſtar, nobis. Polygalæ affinis, C. B. P. Chamæmyrſine quorundam, Lugd. Hiſt. Polygala hæc convenit cum prædictis floribus & capſulis ſeminalibus bivalvibus, ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum, hinc unam, illinc alteram; nec alia ratione diſtinguitur, niſi quod folia producat brevia & rotunda Myrti inſtar, ſed minus acuminata. Etiamſi Dalechampius floribus ſex petala aſſignet, quatuor tantum enumeraſſe debuit. Creſcit in altiſſimorum montium ſuperciliis. Floret tardius duabus prioribus, aſt eodem tempore cum lutea Polygala Dalechampii.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Nota Caſparum Bauhinum male Polygalam niveam ſeu Polygalam repentem, Lob. Ludg. Tab. Ger. collocaſſe cum Polygalis prædictis tetrapetalis & capſulis bivalvaribus donatis; cum Polygala repens (male itidem ab authoribus repens adjicitur, cum procumbens dici debuit) nuperorum Lobelii & cæterorum authorum ſit Herniariæ ſpecies ideo eo debuit referri a Caſp. Bauhino, non huc inter toto cœlo diverſas ab ipſa plantas. Polygalæ tres figuræ a Lobelio exhibentur pro una & eadem Polygala differente tantum colore florum; item & author Hort. Eyſt. & Gerardus binas exhibent figuras pro una & eadem ſpecie differente florum colore; ergo fruſtra ſunt ab ipſis exhibitæ plures Icones, ſicut alibi inepte ab authoribus fit.

APPENDIX
Ad Sectionem tertiam plantas ſcilicet ſiliquoſas & ſiliculoſas continentem.

CAPUT XXVIII.

I. *Raphaniſtrum* monoſpermum capſulâ capitatâ & aculeatâ adinſtar roſtri aviculæ, nobis. Myagrum ex Sumatra aut Soria capſula ſpinoſa adinſtar capitis aviculæ, Zanoni. Hoc Raphaniſtrum monoſpermum folia protrudit ſinuata, denticulis quibuſdam eminentibus, Myagri monoſpermi Caſp. Bauhini foliis ſimilia: inter quæ exoritur caulis unus aut alter, interdum plures, palmares aut ſeſquipalmares, tenues, rotundi, lenti, cortice argenteo tecti, nodoſi ſeu geniculati, ex quorum ſingulis geniculis unicum exit folium, inferioribus quoad figuram ſimile, ſed minus, prona parte cavum, ſupina convexum, cum nervo medio protuberante: in ſummis caulibus apparent flores albi, plumoſi, quatuor fibroſis petalis conſtantes tam ſubtilibus, ut vix microſcopio animadverti poſſint: quibus ſingulis cadentibus verſus finem Julii ſuccedunt

capſulæ rotundæ cum roſtro in aculeum acutum terminante involucrum ſeminis, quod aviculæ caput cum roſtro refert: involucra ſingula rupta ſuggerunt unicum ſemem minutum, luteum, rotundum aliquando, aliquando ovatum, adinſtar aliorum ſeminum Raphaniſtrorum monoſpermorum à nobis ſupra deſcriptorum paragrapho tertio cap. XIII. Sectionis tertiæ. Non ſunt Myagra dicenda magis quam hoc hic deſcriptum, cum Myagrum proprie loquendo ſit planta filiculoſa ſepto medio membranaceo diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum, atque hæc planta & reliquæ loco citato deſcriptæ, conſtant ſiliqua fungoſa, unicum in ſe ſemen continente; ergo aptius Raphaniſtrum monoſpermum denominabitur quam Myagrum, ſicut & reliqua Raphaniſtra itidem, propter rationes ſupra allatas in Hallucinationibus pag. 268. hujus operis.

II. *Thlaſpi* Roſa de Hiericho dictum, nobis. Roſa Hierichuntea vulgo dicta, C. B. P. Roſa de Hiericho & Roſa Mariæ Monachis, Hiſt. Lugd. Roſa Hiericontea, Tur. Lon. Lob. Hæc Thlaſpios ſpecies aſſurgit ad altitudinem palmarem, aliquando altiorem: ramuſculi ſeu ſurculi immediate ex radice tenui, inferne fibroſa, ſuperne ſatis craſſa oriuntur, in alios plurimos ramuſculos brachiati, atque horum ſingulis geniculis ſingula adhærent folia, oblonga, anguſta, Oleæ foliorum æmula, inque alis ſingulis floſculos ſingulos protrudit tetrapetalos, ex herbaceo colore albidos: quibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ ſeu filiculæ bivalves, continentes ſemina aliorum Thlaſpiωn more ſubruffa, moderate calida. Quo jure hæc plantula dicitur Roſa ab authoribus, non poſſum ſatis aſſequi; nam primum hujus plantæ denominatorem aut fabrum forceps aut ars ignara fefellit, dum Thlaſpi cudere debuit cudit Roſam cui nihil ſimilis, & à qua toto cœlo eſt diverſa planta: atqui cum ſit tetrapetala filiculoſa, juſtiore titulo mea opinione, ad ſuas conſortes hic contentas plantas revocabitur. Poſt exſiccationem folia hujus plantæ decidunt, remanentibus virgulis ramoſis, lignea ſubſtantia donatis, quibus exſiccatis & Ericæ in modum induratis, adnaſcentes conſpiciuntur filiculæ bicapſulares; virgulæ ſic exſiccatæ globatim & ſine ordine in ſe complicantur reticuli in modum cavitatem in medio ſeu interius relinquentes, exterius vero convexitatem. Hanc plantam reperit Rauwolfius in Arabia deſerta ad litora Maris Rubri creſcentem in ſabulo. Provenit etiam in Syria; in tectis & ruderibus illic invenit Rauwolfius. Bellonius reprehendit Monachos qui fuerunt authores denominationis hujus plantæ, imo ſuperſtitionis, cui apud vulgus muliercularum obſtetricum in hodiernum uſque diem eſt obnoxia. Primo circa Hiericho nuſquam apparet, teſte Rauwolfio, itidemque Petro Bellonio Cenomano, atque idcirco illud ſacræ Scripturæ, *Sicut plantatio Roſæ in Hiericho*, falſo huic plantæ accommodatur, cum intelligendæ potius ſint Roſæ alioquin appellatæ rubræ vel puniceæ, & ideo falſum ſimul & ſuperſtitioſum hoc nomen à monachis inditum. Impoſtores monachi, ut ait Bellonius, hanc plantulam Roſam Hierichonteam appellarunt, quia planta hæc diu exſiccata, ſi poſtmodum aquæ imponatur (propterea quod omne ſiccum appetit humidum) ſeſe paulatim explicat, quod tolerabilis impoſturæ prætextum dedit, atque ſpectantibus admirationem induxit, dum affirmant hanc plantam in vigilia nativitatis Dominicæ duntaxat aperiri, vel mulieribus partûs difficultate laborantibus. Aut monachi hujus naturam ignorantes aut de induſtria ſuperſtitione inebriati ſcire nolentes, alio tempore non poſſe aperiri exiſtimant: ſed longe falluntur, eorumque ſine ratione nimium creduli ſequaces, ut cuilibet obſervanti clare apparet, non ſolum in hac, ſed & in aliis cùm plantis, tum earum ſeminibus, ut Geranii ſeminibus exſiccatis, quæ quocunque tempore madefacta ſeſe dilatant & extenduntur ſine ſuperſtitione ulla.

III. Minor ejus ſpecies floruit nobis anno elapſo in horto publico Univerſitatis, nata ex ſemine Venetiis ad nos miſſo. Dicitur Roſa Hiericontea ſilveſtris, C. B. P. Silveſtris ſpecies Rauwolfii, Cam. Vide Icones harum ad App. Tabularum.

Finis Sectionis tertiæ partis ſecundæ.

SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ BICAPSULARES·

1.&2. Braſsica capitata alba & rubra, I·B·



3. Braſsica ex pluribus capitulis, conglobata. C·B·P· capitata polycephalos. hiſt·Lugd·



4. Braſsica sabauda Hyberna, Lob·



6. Braſsica vulgaris Sativa, Dod·



12. Braſsica caule Rapum Gerens. Dod·Caulo-rapa, I·B·



10. Braſsica florida, hiſt·lugd·cauliflora, Dod·




15. Braſsica Sabauda Crispa, Ger·rugosa, I·B· & folium Braſsicæ tophosæ, Ger·



11. Braſsica asparagodes Dal·Pii hiſt·lugd·et Epiphyllitis, eidem·



13.&14. Braſsica lato & angusto apii folio C·B·P· Braſsica Selenoïdes, Dod·Ger·latifolia, laciniata, & tenuifolia, hiſt·lugd·





Auspiciis D·Iosephi Williamson Equitis aurati, D·noſtro Carolo 2·ſtatûs Secretarii principalis·


17. Braſsica ſylveſtris, Dod. Lugd. Ger.



19. & 40. Braſsica ſylveſtris perfoliata, Dod. Campeſtris 1. Clus. hiſt.



23. Braſsica ſyl. ramoſa tota pene hirſuta, nobis: Turrita maj: Clus. hiſt. eſt Leucorum vide Plan. 14. Tab. 8. deſcrip.



22. Braſsica ſyl. foliis integris, & hiſpidis. C.B.P. Turritis vulgatior Clus. hiſt. Park.



16 Braſsica marina repens monoſpermos, nobis.



1. Rapum vulgare, Dod. maj. Ger. rotundum hiſt. Lugd.



2. Rapum oblongius Dod. oblongum, I.B.



1. Napus ſativus hiſt. Lugd. Napus, Dod.



2. Napus ſylveſtris Dod.ai hiſt. Lugd.





Auſpiciis D. Iohannis Coventry Equitis Balnei.


SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ BICAPSULARES·
Tab 3·Section 3·
api nigrum, nobis. Rapiſtrum arbo-
m, Ger·Park·Rapiſtrum, hiſt·Lugd·
1. Sinapi Rapifolio, C·B·P·Satibum prius, Dod·
2. Sinapi apii folio Siliquâ hirſutâ, nobis·
Satibum alterum, Dod·
i Erucæfolio, C.B.P·syl·Dod·
estre minus, Park·Ger·
4. Sinapiſyl·monſpeſulanum lato fol·fl·
luteo minimo, ſiliquâ longiſsimâ, I·B·
1. Erysimum bulgare, C·B·P·
Irio Matth·li hiſt·Lugd·
2. Erysimum polyceratons. corniculatum,
C·B·P·Irio alter Matth·li Hiſt·Lugd·
3.
m latifolium maj·Glabrum,
lœvis alter, s·lœvi fol·Erucæ Col·
4. Erysimum Leptomacroceraton siliquis longiſsimis,
nobis· Rapiſtrum ſyl·Irionis folio, Col·
5. Erysimo similis hirsuta planta alba,
C·B·P· & Prod·
Auspiciis D·Guilielmi Coventry
Equitis aurati·

SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ.

1\. *Naſturtium Syl. minus, Noli me tangere, nobis. ſium minimum, Proſp. Alpin. de exot.*



6\. *Naſturtium Syl. tenuiſsime diviſum,* C.B.P. *Sophia Chirurgorum, Park.*



8\. *Naſturtium aquaticum ſupinum,* C.B.P. *aquaticum, Dod. aquaticum vulgare, Park.*





10\. *Naſturtium aquaticum erectum folio longiore,* C.B.P. *aquaticum Italicum, Park.*



7\. *Naſturtium pratenſe magno flore,* C.B.P. *Flos cuculi, Dod. idem flore pleno.*



11\. *Naſturtium aquaticum minus,* C.B.P. *Cardamine 4. Dalp. hiſt. Lugd.*



13\. *Naſturtium Alpinum trifolium,* C.B.P. *Cardamine Alpina trifolia, Park.*




3\. *Naſturtium Alpinum minus Reſedæ folio,* C.B.P. & *Prod.*



4\. *Naſturtium Alpinum minus Bellidis folio* ... *Plantula cardamines alterius æmula, Cluſ.* ...



Auſpicijs D. Richardi Powle Equitis Balnæi.


SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ BICAPSULARES.
Tab. 5. Section. 3iæ
Eruca latifolia alba ſativa Dioſc.dis C.B.P.
Eruca maj. ſativa annua flore albo ſtriato, I.B.
3. Eruca hirſuta Hieracij aſperi folio, nobis.
Lampſana Apula plin.ii Col.
7. Eruca ſyl. Thlaſpios effigie, nobis.
Myagrum alterum Thlaſpios effigie lob.
Eruca ſyl. anguſtifolia Ger. Park. hiſt.
lugd. ſyl. anguſtifolia fl. luteo, I.B.
9. Eruca vinealis parvo flore luteo, nobis.
Monſpel. minimo flore luteo, I.B.
10. Eruca inodora I.B.
4. Eruca gentilis s. Romana ſiliquâ
anguſta folio lato, I.B.
11 & 12.
lutea latifol. s. Barbarea, C.B.P. Barbarea
x, Park. Barbarea ſiliqua longiore, &
iore ejuſdemq. flos plenus.
13. Eruca montana repens ſij foliјs, flore
luteo nobis. Sium alterum aquaticum,
luteum tenuifolium montanum, Col.
6. Eruca cærulea in arenoſis creſcens,
C.B.P. Prod.
Auſpiciis D. Ionathan Trelawney Equitis
aurati in agro Cornubienſi.

14. Eruca maxima Canadenſis, Corn. 15. Eruca latifolia, C.B.P. & prod. 16. Eruca ſyl. vulgatior, Park.



17. Eruca aquatica, Ger. 19. Eruca Tanaceti folio, nobis. 20. Eruca ſiliquâ toroſâ, nobis Cakile ſerapionis, Lo



21. Eruca maritima italica ſiliquâ haſtæ cuſpidi ſimili, C.B.P. & Prod. 22. Eruca Ægyptiaca, Proſp. Alp. 24. Eruca Monſpeliaca ſiliquâ quad=gulâ echinatâ, C.B.P. & Prod.



Auſpiciis D. Henrici Capell Equitis Balnæi.

Guil. Sonmans delin. Hub. Van Otteren Leodienſis ſculp.

SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ BICAPSULARES.

1. Draba lutea Siliquis Stictiſsimis, C.B.P. lutea, Park.



3. Draba Siliquosa repens, C.B.P. Park.




4. Draba alba Siliquosa, C.B.P. alba Siliquosa minor, Park.




2. Draba Eryſimi flore & siliquis, C.B.P. Park.



6. Draba Cærulea annua fol. virente craſsiusculo, nobis. Leucoium marinum parvum fol. virente craſsiusculo, I.B.



5. Planta Siliquosa Bursæ Pastoris ſimilis, C.B.P. Aizoon Pilosella siliquata maj. Thal



1. Raphanus minimus, repens luteus, fol. tenuiter divisis, nobis.



2. Raphanus rusticanus, C.B.P. Ger. Park.



3. Raphanus Aquaticus fol. in profundas lacinias divisis, C.B.P. Palustris. hiſt. lugd.



4. Raphanus aquaticus alter fol. ſerratis, nobis. aquaticus alter, C.B.P. & Prod.





Auspiciis D. Walteri Saint Iohns Equitis Baronetti.

Leucoium incanum maj. C.B.P. purpureum roseum & album, I.B. & multiplex, Dod.

2. Leucoium maritimum candidum C.B.P. marinum candidum, Lob. Dod.

5. Leucoium annuum marinum latifolium præcox cœruleo parvo flore, nobis. marinum latifolium, Ger.



10. Leucoium saxatile Thymi folio hirsutum cœruleo-purpureum C.B.P. Lithoreoleucoium minimum supinum, Col.

Leucoium annuum sinuato angusto folio, fl. dilute violaceo, nobis.

11. Leucoium luteum Erucæ folio C.B.P. terreſtre maj. Col.

13. Leucoium marinum Cam. R. marinum, Park.




15. Leucoium luteum vulgare, C.B.P. luteum, Dod. idem fl. multiplici, Dod. Eyſt. flos Keiri ſimpl. & multiplex, Eyſt.

18. Leucoium ſyl. anguſtifolium luteum. C.B.P. Keiri, s. Leucoium ſyl. Clus. hiſt.

14. Leucoium album odoratiſsimum folio viridi, C.B.P. folio viridi flore albo, Eyſt.







Auspiciis D. Iohannis Danvers Armigeri, nepotis Nobiliſsimi Viri Hendrici Comitis de Danby, Horti Botanici apud Oxonienſes fundatoris & benefactoris munificentiſsimi.

1. [L]eucoium lunatum annuum siliquâ compressâ [r]otundâ, nobis·Viola lunaris, S·Bulbonac, Ger Park·

3. Leucoium lunatum perenne siliquâ oblongâ, nobis·Viola lunaris siliquis longioribus, Ger·

4. Leucoium lunatum, S clypeatum asperum alyssoides maj·nobis·alyssum Dioscoridis, Dod·



5. [L]eucoium alyssoides clypeatum minus C·B·P· [L]eucoium peltatum Romanum min⁹ Col·

6. Leucoium incanum siliquis rotundis, C·B·P· Eruca peregrina, Clus·hiſt·

7. Leucoium Montan·flore pedato, Col·Thlaspi biscutatum villosum fl·calcari Donato, C·B·P·



8. [Le]ucoium luteum spanosper=[m]um, nobis·Thalaspi luteum [s]panospermum, Corunt·

Leucoium biscutatum, asperum, hieracii fol· minus & maj·nob·Leucoium alyssoides umbel=latum montanum, Col·Thlaspi clypeatum, Clus·

12. Leucoium biscutatum aspe=rum min⁹, nobis Iondraba alyssoides altera ſpicata, Col·

9. Leucoium clypeatum Serpilli fol·nobis· Thlaspi clypeatum Serpilli folio C·B·P· Thlaspi minimum, spicatum, lunatū, Col·



Auspiciis D·Iohannis Evelyn Armigeri in agro Cantiano·

1 *Hesperis hortenſis, C.B.P. Viola matronalis, Dod. matronalis, & Damacena purp. & alba, ſimplex, multiplex nobis. I.B. hiſt. lugd.*



3. *Hesperis montana pallida odoratiſſima C.B.P. montana Clus. hiſt.*



4. *Hesperis Syriaca Cam. Park.*



5. *Hesperis peregrina ſiliquis articulatis, C.B.P. melancholica, Park.*



6. *Hesperis Allium redolens, nobis. Alliaria, Dod. Ger. Park. I.B. hiſt. lugd.*



1. *Dentaria triphyllos, C.B.P.* τριφυλλος, *Clus. hiſt. Ceratia plinii, Col. & enneaphyllos, Ger.*




2. *Dentaria VI. pentaphyllos I. Clus. hiſt. pentaphyllos Clus. ii Ger. quinquefolia, I.B.*



3. *Dentaria Pentaphyllos altera, Clus. Ger.*



4. *Dentaria heptaphyllos, Clus. Ger. & bulbifera, Ger.*





Auſpiciis D. Thomæ Henshaw ablegati extraor=narii a D. noſtro Carolo 2. ad Chriſtianum 5. Danorum Regem.


SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ, BICAPSULARES, & QUADRICAPSULARES pappescentes & non papp.
Tab. 11 Section 3.
1. elidonium maximum, Canadense, acaulon, Corn. Park.
nunculus Virginius albus, eidem, cum fig. pag. 326.
2. Chelidonium maj. vulgare, C.B.P. Cluſ. hiſt. & maj. fol. quernis, C.B.P.
1. Lysimachia latifolia, Chamænerion dicta, C.B.P.
3
2.
imachia angustifolia, Chamænerion dicta, C.B.P.
3. Lysimachia Siliquosa hirsuta magno flore, C.B.P.
4. Lysimachia Siliquosa hirsuta parvo flore, C.B.P.
5 & 6.
imachia Siliquosa major, C.B.P. Park.
Siliqua Glabra minor, C.B.P.
7. Lysimachia Virginiana latifolia, lutea, corniculata, nobis.
8. Lysimachia Virginiana, angustifo-lia, corniculata, nobis.
Auſpiciis Clariſs. Viri D. Christophori Wreen
Ædificiorum Regalium, aliorumq; operum
Publicorum Supervisoris,
& Equitis aurati.


SILIQUOSÆ VARIÆ SILIQUIS; FLORIBUS autem inter ſe conformes.
Tab. 12. Sect.
1. Fumaria Siliquoſa ſemper virens, Corn.
Americana Siliquoſa ſemper virens, Park.
5. Fumaria tuberoſa inſipida Corn.
bulboſa Americana, Park.
3. Fumaria Siliquoſa capreolis Donata, nobis. Cap
alba latifolia, & Split. Lob. lugd.
4.
Fumaria lutea montana, Hiſt. Lugd.
6. Fumaria radice cava major, flore pur-
-pureo & albo. nobis. Radix cava maj. Dod.
7. Fumaria tuberoſa
flore viridi, Park.
8. Fumaria radice non cava
nobis. Radix cava minor
9. Fumaria vulgaris latifolia, nobis.
officinarum, & dioſcoridis, C.B.P.
11. Fumaria minor tenuifolia C.B.P.
Ger. Capnos rubra tenuifolia, Eyſt.
13. Fumaria tenuifolia ſemine lini,
Fumaria Myconi, Hiſt. Lugd.
SAPIT QVI DEO
Auſpiciis D. Richardi Wiſeman Chirurgi
Caroli ſecundi, ab anno quinquageſimo
atque in Anglia uſque ad mortem Chirurgi

SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ

1. Raphanus niger, C.B.P. niger, rotundiore radice, Park. orbiculatus, Ger.

2. fungosæ non bivalves non bicapsulares. Raphanus niger radice longâ, nigrâ, aut alba, nobis. pyriformis rad. nigrâ, Ger.

3. Raphanus magnus sativus, nobis. Radicula Sativa, Dod.



1&2.

4. Raphanus minor oblongus, C.B.P. Radicula Sativa minor, Dod. Ger.

Raphaniſtrum ſiliquâ articulatâ Glabrâ majore & minore, nobis. Rapistrum alterum arvorum, Park.

3. Raphaniſtrum min. ſiliquâ articulatâ ſtriatâ, nobis. Alsine nodosa, Dal.[pm] hiſt. lugd.

4. Raphaniſtrum ſiliquâ articulatâ ſtriata minore, nobis. Rapiſtrum fl. albo ſtriato, I.B.



Raphaniſtrum ſiliquâ articulatâ Striatâ majore, nobis.

1. Rapistrum maximum monospermum, Corn. maximum rotundifolium monospermum Hispanicum, Park.

3. Rapistrum monospermum C.B.P. & Prod. Matth. ed. Bauh. Park.







Auspiciis D. Eduardi Hales Armigeri, primogeniti Eduardi Hales Equitis Baronetti in agro Cantiano.



TETRAPETALÆ. SILIQUOSÆ papaver Argemone.
1.2.3.4.
Section 3 Ta
1. Papaver Corniculatum, luteum, C.B.P. Eyſt.
2. Papaver Corniculatum Phœniceum Glabrum, C.B.P.
3. Papaver Cornicula:tum, violaceum, C.B.P.
Papaver hortense, Simplex & flore p laciniato cum capsulâ Seminal
6. Papaver erraticum Simplex & multiplex cum capsulâ Seminali.
9. Argemone Capitulis hirsutis, brevioribus canulatis, nobis.
10. Argemone capitulis longioribus hirſutis, nobis.
11. Argemone capitulis longioribus Glabris, nobis.
11.
11.
7.
12. Argemone lutea Cambrobritannica, Park.
5. Papaver Spinosum. C.B.P. & Prod cum Siliqua, ſpinoſâ.
13. Argemone lutea Ponæ, Ital. Alp. Coriandri folio, C.B.P.
Auspiciis D. Christophori Danby Armigeri, f Danby & Margaretæ, neptis D. Baronis Eure, Eboracensi.

SILIQUOSÆ VARIÆ FLORIBUS & SILIQUIS discrepantes·

1. Balsamina fœmina Persicæ folia, Lob·Icon·fœmina, C·B·P·

2. Balsamina Lutea, s. noli me tangere, C·B·P· impatiens herba, Dod·

3. Sesamum, Dod·Ger·Hiſt·Lugd·







4. Melochia seu Corchorus Park, I·B· Olus Iudaicum Avicennæ, & Melochia Arabum Rauwolfii, hiſt·Lugd·

5. Capparis portulacæ folio, C·B·P·

6. Leontapetalon, Lob·Lugd·Hiſt·







7. Leontapetalo affinis foliis quernis C·B·P· Chrysogonon, Park·I·B·

8. Soldanella Alpina maj· Clus·Ger·Park·

9. Soldanella Alpina minor, Clus·hiſt·Ger·


10 & 11. Isatis Sativa vel latifolia, C·B·P· Glastum Sativum, Park·hiſt·Lugd·











Auspiciis D. Richardi Grahame de Netherbie, Equitis Baronetti in Cumbriæ Comitatu, ex nobiliſsimâ & antiquiſsimâ Grahamorum familia in Scotia oriundi·

SILICULOSÆ TETRAPETALÆ DISCOIDES *Thlaſpi ſepto medio tranſverſaliter ſiliculam dirimente.*

Tab. 16. ſect. 3.

1. *Thlaſpi Narbonenſe Centunculi folio lob. Ad. Alyſſum dictum marinum,* C.B.P.



4. *Thlaſpi fruticoſum ſpinoſum,* C.B.P. *fruticoſum ſpinoſum Narbonenſe, lob.*



5. *Thlaſpi montanum incanum luteum ſerpilli folio majus,* C.B.P. *montanum luteum majus* Park.



6. *Thlaſpi ſaxatile incanum luteum ſerpilli folio minus,* C.B.P. *Ionthlaſpi luteo fl. incanum montanum* διοκοϊδες, *Col.*



2. *Thlaſpi Alyſſum Dictũ campeſtre maj.* C.B.P. *Alyſſum Matth hiſt. lugd.*



3. *Thlaſpi Alyſſum dictum campeſtre min?* C.B.P. *minus clypeatum, Tab.*



7. *Thlaſpi fruticoſum incanum,* C.B.P. *incanum Machlinienſe, lob.*




8. *Thlaſpi Creticum fl. albo* C.B.P. & *Prod.*



9. *Thlaſpi Alpinum maj. capitulis rotundis,* C.B.P, & *Prod.*



10. *Thlaſpi Alpinum minus capitulis rotundis,* C.B.P. & *Prod.*





Auſpiciis D. Roberti Whorwood Generoſi de Civitate Oxonienſi.

SILICULOSÆ TETRAPETALÆ.

Septo medio Longitudinaliter Siliquā derimente

12.
Thlaſpi arvenſe Siliquis latis, C.B.P.



13. *Thlaſpi arvenſe Vaccariæ lato, lævique. folio*, C.B.P.



14.
Thlaſpi maj Vaccariæ incano fol. C.B.P.



15 & 16.
laſpi arvenſe perfoliatum maj. & minus.



18. *Thlaſpi umbellatum arvenſe Iberidis folio* C.B.P. *amarum, Tab. Ger.*



19. *Thlaſpi umbellatum Monſpel. naſturtij folio*, C.B.P.



21.
ſpi umbellatum Creticum Iberidis folio, C.B.P. *Tab. Ger.*



22.
Thlaſpi Alexandrinum Cortuſi, I.B.



refer hoc Thlaſpi ad finem Tab. 16.
Thlaſpi Alyſſum minus capitulo rotundo foliis Serratis nobis.





Auſpiciis Clariſs. viri Dom. Jacobi Langham Equitis Baronetti

Guil. Sonman delin. *Vaughan Sculp.*


SILICULOSÆ TETRAPETALÆ, Perennes. Thlaſpi medio longitudinaliter ſiliculam dirimente.
Tab. 18.
24. Thlaſpi Alpinum Bellidis cæruleæ folio, C.B.P. montan. 1. Burſæ paſtoris fructu, Col.
25. Thlaſpi montan. alterum mitius fol. rotund. Burſæ paſtoris fructu, Col.
26. Thlaſpi montanum ſemper virens, C.B.P. Park. montanum candidum Dal. hiſt. lugd.
31. Thlaſpi ſaxatile vermiculato fol. C. thlaſpi montanum fruticoſius ver=culato folio acuto, Col.
32. Thlaſpi fruticoſum anguſtifolium Leucoij folio, C.B.P. Park. fruticoſum folio Leucoii minoris, lob. lugd.
33. Thlaſpi fruticoſum fol. Thymbræ hirſuto, C.B.P. fruticoſum minus, Ger.
27. Thlaſpi villoſum capſulis hirſutis C.B.P. & Prod. matth. ed. Bauh. Capſ hirſutis I.B.
28. Thlaſpi Allium redolens nobis Scorodothlaſpi Vliſsis Aldroandi I.B.
34. Thlaſpi montanum Glasti folio, C.B.P. montanum 1. vel peltatum, Clus. hiſt.
29. Thlaſpi parvum ſaxatile fl. rubenti, C.B.P. Litho=thlaſpi 4. fol. carnoſo rotundo, Col.
30. Thlaſpi ... num cap ... datâ, I.B.
Auſpicijs D. Johannis Ball Armigeri.

1. *Nasturtium hortense vulgatum,* C.B.P.



2. *Nasturtium hortense latifolium*



4. *Nasturtium hortense criſpum,* C.B.P. *latifolium & angustifolium.*



5. *Nasturtium petræum fol. Burſæ paſtoris,* C.B.P.



6. *Nasturtium pumilum vernum,* C.B.P.



7. *Nasturtium ſyl. Oſyridis folio,* C.B.P.



8. *Nasturtium ſyl. Erucæ affine,* C.B.P. *ſyl. Valentinū, Cluſ. hiſt*



9. *Nasturtium verrucoſum,* I.B. *Coronopus Ruel. hiſt. lugd.*



10. *Nasturtium Alpinum tenuiſſime diviſum,* C.B.P.





2. Burſa paſtoris mai. folio ſinuato, & non ſinuato, nobis.



4. Burſa paſtoris media, C.B.P. minima, Ger.



5. Burſa paſtoris major hirſuta loculo oblo[ngo] nobis. Draba minima muralis Dioſc dis C[…]



6. Burſa paſtoris minor loculo oblongo, C.B.P. paronychia vulgaris, Dod.



7. Burſa paſtoris minima verna petalis bifidis, loculo oblongo, nobis.



8. Burſa paſtoris minor hirſuta Alpina, loculo oblongo. C.B.P.



9. Burſa paſtoris lutea ſedi vermiculato folio, hirto, loculo oblongo, nobis. ſedum min. 12. Clus. hiſt.



2. Cochlearia folio ſinuato, C.P.P. Britannica, hiſt. Lugd.



1. Cochlearia folio ſubrotundo, C.B.P. Batava, lob.



3. Cochlearia Hederæ folio, nobis. Thlaſpi hederaceum lob. lugd. Ger. Park.



4. Cochlearia minima Armorica, flore dilute violaceo, nobis.





Auſpicijs D. Johannis Knight Sereniſsimi D. noſtri Carol. 2. Chirurgi principalis. & copiarum ipſius itidem Chirurgi Generalis.

1 Iberis latiore folio C.B.P. Cardamantica latiore folio, Park. perennis latiore folio, nobis.



2. Iberis ramoſior virginiana annua, nobis.




3. Iberis naſturtii folio C.B.P. Park. Iberis & Lepidium Matth.[li] Ed. Bauh. Lepidium Cam. Ep. matth.



1. Lepidium latifolium C.B.P. Piperitis s. Lepidium vulgare. Park latifolium rad. repente, nobis.



3. Lepidium latifolium C.B.P. Annuum lob. Ger. Park. non repens ſed perenne, nobis.



1. Draba umbellata maj. capitu=lis donata, C.B.P. Arabis seu Draba & Naſturtium Babylo=nicum, lob. ad.



1. Myagrum Sativum, C.B.P. Chamælina S. Myagrum, D.od. Pseudomyagrum, Matth. lugd.



2. Myagrum sylveſtre, C.B.P. Pseudomyagrum alterum, Cam. ep. Matth.



Refer hæc duo postrema ad Cap. 13.

Myagrum monospermon latifolium, C.B.P. & Prod. monospermon maj. Park. Myagrum monospermon, I.B.



Myagro ſimilis ſiliquâ rotundâ, C.B.P. & Prod. Park. Myagro affinis herba capitulis rotundis, I.B.





Auspiciis Clariſsimi viri D. Iohannis Browne Medicinæ Doctoris Sancti Albani nati, in agro Hartfordiensi.

1. *Veronica ſpicata, cærulea, Eyſt. flore cæruleo, Clus. hiſt. Pſeudolyſimachium cæruleum, Dod.*



2. *Veronica ſpicata latifolia, C.B.P. 1. erectior latifolia, Cluſ. hiſt. maj. latifolia folijs ſplendentibus & non ſplendentibus, I.B.*



3. *Veronica ſpicata anguſtifolia, C.B.P. rec vulgaris maj. Clus. hiſt. recta vulgaris maj. Cl et erectior anguſtifolia 2.da eidem.*



4. *Veronica ſpicata minor, C.B.P. recta minima, Clus. hiſt. Ger. lugd. ſpicata recta minor, I.B.*



5. *Veronica Alpina fruteſcens, C.B.P. Alpina minor ſerpilli folio, Ponæ deſc. montis Baldi 3. fruticans, Clus. hiſt.*



6. *Veronica mas recta, C.B.P. vulgar recta, Clus hiſt. mas, hiſt. lugd. aſsurgens, Dod.*



7. *Veronica mas ſupina, & vulgatiſsima, C.B.P. mas ſerpens, Dod. vulgatior fol. rotundiore, I.B.*



8. *Veronica pratenſis ſerpilli folio, C.B.P. pratenſis, Dod. Teucrium pe-træum pumilum, Ger.*



9. *Veronica petræa ſempervirens Ponæ D. mont. Bald. Teucrium pumilum 6. clus. hiſt. Chamædrys alpina ſaxatilis, C.B.P. Park.*





Auſpicijs Clariſs. Viri D. Gulielmi Jacob M.D. in agro Cantiano.

10. Veronica major altera frutescens, nobis Teucrium 4 Clus. hiſt. Chamædrys ſpuria maj. altera ſfrutescens. C.B.P. Chamædrys Spuria Latifolia, I.B

11. Veronica ſupina facie Teucrii pratensis, Lob. Icon. Teucrii 4. tertia ſpecies Clus. hiſt. Chamædrys ſyl. Dod.

12. Veronica minor rotundifolia, nobis. Chamædrys ſylquorundam, Clus. hiſt. Ger. Chamædrys ſpuria minor rotundifolia, C.B.P.







13. Veronica minor latifolia, nobis. Teucrium V. Clus. hiſt. Pannonicum, Ger. Chamædrys Spuria latifolia, C.B.P. Park.

14. Veronica tetragona montana recta minima, Col. Chamædrys Spuria latifolia minima, C.B.P.

15. Veronica procumbens, biscutata hederæ folio, nobis. Alyſsum Dioscoridis montanum, Col. Chamædri affinis rotundifolia ſcutellata, C.B.P.







16. Veronica minor angustifolia, nobis. Chamædrys Spuria minor angustifolia, I.B.

17. Veronica tenuiſsime laciniata, nobis Chamædrys ſpuria tenuiſsime laciniata, I.B.

18. Veronica magna fol. quercus Dal.pii hiſt. lugd.









Auspiciis D. Iohannis Auſten Equitis Baronetti in agro Cantiano.

SILICULOSÆ TETRAPETALÆ.

Veronicæ terreſtres annuæ

19. Veronica annua alba polygoni folio, nobis.



20. Veronica Hederulæ folio, nobis.



21. Veronica flosculis cauliculis adhærentibus, nobis.



22. Veronica Chamædryfolia flos[culis] oblongis pediculis inſidentibus, nobis.



23. Veronica triphyllos cærulea, nobis. Elatine triphyllos, lugd.



24. Veronica aquatica minor, folio ſubrotundo, nobis. Anagallis Seu Becabunga, Ger.



Veronicæ aquaticæ perennes.

25. Veronica aquatica major, folio oblongo, nobis. Anagallis aquatica major, Ger.



26. Veronica aquatica, folio rotundo non crenato, nobis. Anagallis aquatica folio rotundo, C.B.P.



27. Veronica aquatica augustifolia, nobis. Anagallis aquatica auguſtifolia, C. B. P.



28. Alſine aquatica perennis, folijs Becabungæ, nobis.



1. Polygala Vulgaris major. Clus. hist.



2. Polygala vulgaris minor, Clus. hist.





Auſpiciis D. Edvardi Austen Generosi, in agro Cantiano.

D. Loggan sculp.


TETRAPETALÆ SILIQUOSÆ & SILICULOSÆ. APPENDIX Section. 3. Tab. 25.
Sisymbrium Alpinum Palustre folio rotundo, Iacob. Zan. pl. 12 pag. 224.
Eruca Alpina radice Serpente, Zan. pl. 5. pag. 228.
Keiri Alpinum foliis multifidis fl. luteo odorato, Zan.
Eruca Chalepensis flore dilute violaceo siliquis articulatis, nob. pl. 23. pag. 232.
Thlaspi fruticosum Persicum flore albo odorato, Zan. pl. 23. pag. 290.
Thlaspi verum 1.um Dioscoridis, Zan. pl. 17. pag. 290. & 294.
Lepidium Dioscoridis Iacob. Zan. pl. 2. pag. 312.
Thlaspi fruticosum de Ierico majus & minus apertum & clausum, nobis. pl. 2 & 3. pag. 328.
Draba Dioscoridis, Zan.
Draba foliis magis viridibus πολυσπερμος Chalepensis, nob. pl. 2. pag. 313.
Myagrum de Sumatra, Zan.
Myagrum antiquorum quorumdam, Zan.
Myagrum maximum Chalepense flore luteo capsula rotunda, Striata. pl. 2. p. 267.
Auspiciis D. Richardi Edgcumbe Equitis Balnæi.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Univerſalis Oxonienſis
PARTIS II. SECTIO IV.
DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS.

E Nucleatis ſiliquoſis tetrapetalis bicapſularibus in præcedente Sectione tertia, jam in hac Sectione 4ta de plantis hexapetalis tricapſularibus cùm propter florum hexapetalorum (id eſt, ſinguli flores ſingularum plantarum in hac Sectione contentarum ſex petala ſeu folia habent, ſive ſint majores, ſive minores, cujuſcunque coloris) tum loculorum tricapſularium (id eſt, capſulæ ſeminales ternis loculamentis diſtinguuntur, ſive ſint majores, ſive minores) analogiam per univerſam Sectionem agendum eſſe decrevimus. Nota ergo generica omnibus plantis, in hac Sectione diſpoſitis, conveniens eſto hæc, quod ſingulæ flores producant hexapetalos, quibus fatiſcentibus conſtante ordine naturæ ſuccedunt capſulæ tribus loculamentis diſtinctæ, cujuſcunque ſint magnitudinis. Plantas Hexapetalas diſtribuemus quadrifariam habita ratione ſtructuræ radicum: in prima diſtributione agemus de Hexapetalis tricapſularibus, radicibus fuſiformibus, nodoſis ſeu tuberoſis, fibroſiſque longis præditis: in ſecunda de tuberoſis rotundis donatis: in tertia de bulboſis proprie dictis (id eſt, ſingulæ hujus tertii membri plantæ producunt radices, quarum tunica major & exterior involvit minorem & interiorem, & illa major eſt reſpectu interioris uſque ad meditullium, ex quo protruduntur deorſum verſus fibræ quibus nutriuntur prædictæ radices; ſurſum verſus protruduntur primo folia, deinde caules ſuſtinentes flores conſtanter hexapetalos, & poſtea capſulas triquetras tribus loculamentis diſtinctas, in quorum ſingulis continentur plurima ſemina anguloſa, rotunda, ſolida ſive membranea compreſſa:) in quarta diſtributione agetur de Hexapetalis tricapſularibus radice ſquamatâ ſeu ſquamoſâ donatis (id eſt, ſingulæ radices hujus quarti membri conſtant ſquamis imbricatim ſibi invicem adjunctis adinſtar tegularum tectorum ſibi invicem incumbentium) ſic ex quadruplici hac diſtributione abſorbetur in totum doctrina hujus Sectionis. Quare non abs re fore putamus vitio vertere authoribus qui hiſtorias generales plantarum ſcripſere, quod omnes plantas in hac Sectione contentas bulboſas appellaverint, cum omnis denominatio debeat eſſe adæquata rei denominandæ: atqui bulboſæ (proprie loquendo) non conveniunt omnibus ſed tantum iis quæ in tertio membro continentur; ergo non eſt apta & adæquata toti Sectioni denominatio bulboſarum plantarum, & per conſequens graviter hallucinati ſunt omnes quot quot hucuſque ſcripſere de plantis hiſce Hexapetalis tricapſularibus, quæ univerſaliter non debuere dici bulboſæ, ſed Hexapetalæ tricapſulares. Hexapetalæ tricapſulares ergo habita ratione foliorum ſunt vel latifoliæ, quæ ſunt aut planæ, aut carinatæ; vel anguſtifoliæ; vel denique foliis fiſtuloſis aut cavis: ratione florum, vel ſunt flore albo, cæruleo violaceove, rubro phœniceove, vel luteo: ratione uſus vel recreativæ, quoad pulchrum aſpectum florum; vel culinariæ, quarum aut radices aut folia uſurpantur in culinis victui humano inſervientes. De hiſce omnibus ordine dicemus.

DISTRIBUTIO PRIMA
De plantis hexapetalis tricapſularibus, radicibus tuberoſis fuſiformibus, nodoſis fibroſiſque præditis.
QUÆ SUNT
ASPHODELUS & PHALANGIUM.
CAPUT I.
ASPHODELUS.

A*SPHODELUS ſive Haſtula regia, quod Regii ſceptri effigiem dum floret referat.* Ασφοδελος *unius Dioſcorides lib.* 2. *cap.* 199. *meminit cujus flo-*

rem ἀνθέρικὸν appellant, & Theophraſt. 1. Hiſt. 10. & 7. ejuſdem 11, & 12, *qui* 1. *Hiſt.* 7. *ἀνθέρικὸν pro tota planta uſurpat. Aſphodelum aliquos Heroin appellaſſe, Dionyſium marem & feminam feciſſe, & aliquos Halymon Heſiodi exiſtimaſſe Plin. l.* 22. *c.* 12. *ſcribit. Sic l.* 21. *c.* 17. *teſtatur, Theophraſtum & fere Græcos & Pythagoram, caulem Anthericon, radicem vero, quæ ex octoginta ſimul acervatis bulbis* (tuberibus potius dici debere aſſerimus) *conſtat, Aſphodelum nominaſſe: cujus genera duo faciunt, quod etiam lib. & cap.* 22. *oſtendit.*

Pars TABULÆ I. Sectionis quartæ.

Aſphodelus — *Foliis*
- *Latis ſeu porraceis*
  - *Albus*
    - *Major*
      - 1. *Ramoſus, nobis. Park. Aſphodelus ramoſus, Lob. Icon. Ger. Aſphodelus major ramoſus flore albo, J. B. Chab.* ☉
      - 2. *Non ramoſus, nobis. Aſphodelus non ramoſus, C. B. P.* Ger. ☉
    - 3. *Minimus, nobis. Aſphodelus albus minimus, C. B. P. Aſphodelus minimus, Cluſ. Hiſt.* ☉
  - 4. *Purpuraſcens foliis maculatis, nobis. Aſphodelus flore incarnato pallido, Lob. Icon. Aſphodelus flore rubente, Cluſ. Hiſt. Tab.* Ger. ☉
- *Fiſtuloſis*
  - 5. *Planis, ramoſus albus minor, nobis. Aſphodelus minor, Cluſ. Hiſt. Dod. Lugd. Cam. Aſphodelus imo folio fiſtuloſo, J. B. Chabr. Phalangium Cretæ Salonenſis, Lob. Lugd. Hiſt.* Ger. ☿
  - 6. *Striatis, non ramoſus luteus & flore & radice, nobis. Aſphodelus luteus minor, Lob.* (cui & *Erizambac Arabum*) *Tab. Lugd. Haſtula Regia minor & Aſphodelus minor, Cam.* ☉
- *Et radice Acori inſtar, luteus*
  - 7. *Major, nobis. Pſeudoaſphodelus* 1. *vel major, Cluſ. Hiſt. Pſeudoaſphodelus paluſtris Anglicus, C. B. P.* ☉
  - 8. *Minor, nobis. Pſeudoaſphodelus pumilio foliis Iridis, vel* 2. *Cluſ. Hiſt.* ☉

Explicatio partis Tab. primæ Sectionis quartæ.

1. A*Sphodelus* albus ramoſus, nobis. Aſphodelus albus ramoſus mas, C. B. P. Aſphodelus ramoſus, Lob. Icon. Ger. Aſphodelus maritimus & mas caule ramoſo, Cæſ. Aſphodelus major, 1. Cluſ. Aſphodelus major albus, Eyſt. Aſphodelus major albus ramoſus, Park. Major ramoſus flore albo, J. B. Chabr. Aſphodelus hic folia habet multa oblonga, anguſta, triangula, & veluti carinata, fungoſa & lenta, mucronata: caulem rotundum, lævem, bicubitalem interdum, in multos ramulos ſuperne fiſſum, quem à medio fere ſurſum vergendo exornant multi ſtellati flores, quorum ſinguli ſex petalis conſtant, coloris intus albidi, foris verò nervo purpuraſcente, ſuccoſa petala ſecundum longitudinem quaſi diſtinguente (ut Ornithogali quaſi florum petala vireſcente linea diſtincta ſunt) totidem quot ſunt petala ſtaminibus medium occupantibus: floret per partes ut vere dicit Theophraſtus, & incipit ab imis florere, at in ſummis etiamnum apparent flores expanſi dum floribus imis evanidis conſpiciuntur capſulæ triquetræ, ſeu thecæ tricapſulares, tribus eminentioribus protuberantiis præditæ; in quarum ſingulis continentur ſemina, dura, rugoſa, atra, figura triquetrâ, quæ per maturitatem & ſiccitatem, apertis capſulis triangularibus, cadunt: radices numeroſæ ex uno capite exeunt oblongæ, tuberoſæ, exiguis Napis ſimiles, ſed inferiore ſede craſſiores, atque ſingulæ in ſingulas longas fibras deſinunt, ſucci plenæ, candicantes, ingrati & acris guſtus.

guſtus. Hujus radices ſe vidiſſe meminit Car. Cluſius dum Olyſippone Hiſpalin proficiſceretur, aratro erutas, ducentas aut plures ab eodem capite pendentes, quæ craſſos admodum Napos haberent ut quinquaginta & amplius libras totam pependiſſe putaverit, unde nihil mirum ſi Plinius octoginta, ſimul acervatis ſæpe radicibus fuſiformibus, referat. Nos maximas & copioſas numeroſaſve radices fuſiformes coacervatas obſervavimus in Orientali plagâ ſilvæ intra ſepta *Chambort* ſitæ, octavo à Blæſenſium capite milliari, etiam & alibi in ſilvis illic vicinis eundem Aſphodelum offendimus.

2. *Aſphodelus* albus non ramoſus, C. B. P. Aſphodelus alter, Cluſ. Hiſt. Aſphodelus albus, Dod. Tab. Haſtula Regia, Lugd. Haſtula Regia minor & Aſphodelus minor, Caſt. Aſphodelus non ramoſus, Ger. Aſphodelus major non ramoſus flore albo, J.B. Chabr. Hic ſecundus priori omnino ſimilis, exceptis caule (qui unicus eſt, nec ſurculoſus) & flore, qui omnino albus eſt, quin & illius radix non adeo numeroſa ſponte ſua naſcitur. Uterque provenit editioribus ſaxoſiſque Luſitaniæ & Hiſpaniæ, Galliæ quoque Aquitanicæ & Narbonenſis locis. Floret uterque illic Aprili, in hortis autem Maio & Junio; Julio & Auguſto ſemina triangularia in loculamentis perficit.

3. *Aſphodelus* albus minimus, C. B. P. Aſphodelus minimus albus, Cluſ. Hiſt. Novum hoc genus Aſphodeli, inquit Cluſius in Appendice à nemine deſcriptum, ſemine ſibi natum ſcribebat Jacobus Plateau. Minor eſt Aſphodelo fiſtuloſo ſeu Phalangio Cretæ Salonenſis, & ab eo plurimum differt, nam glanduloſas ſeu tuberoſas habet radices inſtar Aſphodeli non ramoſi, licet multo breviores & minores, è quarum capite prodeunt quina, aut ſena folia, valde anguſta, longiuſcula, porracea, inter quæ aſſurgit cauliculus rotundus, dodrantem aut pedem altus, ſingularis, nec ullis ramis præditus; in quo ſpicæ in modum naſcuntur multi flores albi, hexapetali, quorum ſingula petala interne & externe vera quadam linea ſecundum longitudinem ſunt notata, perinde ac Phalangii Cretæ Salonenſis. Julii initio flores proferre incipiebat, cum duæ prædictæ ſpecies ſuos abjecerant, proptereaque magis illis ſerotinum eſſe concludendum. Hyeme folia amittere, & nova deniq; acquirere circa Aprilis initium incipiebat.

4. *Aſphodelus* purpureus foliis maculatis, C. B. P. Aſphodelus flore incarnato pallido, Lob. Icon. Aſphodelus flore rubente, Tab. Ger. Hic Aſphodelus flore ſuaverubente, radicibus, caulibus & foliis omnino æmulatur Aſphodelum album non ramoſum: flores autem è medio verſus faſtigium uſque pallide incarnatos gerit: folia ejuſdem magnitudinis cum præcedente ſecundo, ſed maculis inſigniuntur. An talis varietas quæ ſemper eodem modo ſe habeat in hoc Aſphodelo, ut tradit Lobelius, ſit diverſa ſpecies, cujus varietatem non abſolute pernegamus, examinent poſteri, & præcedentis ſecundi Aſphodeli varietatem ſolummodo, quantum autumamus, invenient.

5. *Aſphodelus* folio fiſtuloſo plano minor ramoſus flore albo, nobis. Aſphodelus foliis fiſtuloſis, C. B. P. Aſphodelus minor, Cluſ. Hiſt. Lugd. Cam. Dod. Phalangium Cretæ Salonenſis, Lob. Ger. Phalangium Cretæ ſeu Phalangium Narbonenſe, Tab. Aſphodelus albus ſeu fiſtuloſus, Park. Parad. Aſphodelus imo folio fiſtuloſo, J. B. Chabr. Phalangium Narbonenſe, Tab. Hic albus foliis provenit non latis, carinatis, ut priores quatuor, ſed fiſtuloſis, planis & cepaceis: radicibus conſtat fibroſis, non autem tuberoſis fuſiformibus, ut ſuperiores quatuor primi: inter prædicta folia ſuperiora fiſtuloſa aſſurgunt cauliculi quini, ſeni, quorum ramos plurimos ſurſum verſus veſtiunt floſculi multi, albidi, parvi, hexapetali, qui ſunt ſuperiorum quatuor primorum floribus minores, & loco radicum glanduloſarum ſeu fuſiformium multæ fere craſſæ demittuntur fibræ in unum caput ſeu apicem coeuntes itidem. In Hiſpaniæ pleriſque locis ſponte gignitur: in Valentino regno nullus fere eſt alius Aſphodelus. Naſcitur & prope Gades & ad ipſum pontem de *Suaco* cognominatum & pleriſque Granatenſis regni locis: etiam in campo illo lapidoſo ſupra *Arelatem Marſileam* proficiſcens, ſecus ſemitas viarum illic collegit Car. Cluſius. Itidem in Galliæ Provinciæ neglectis locis; in Creta Salonenſi à Lobelio repertus hic Aſphodelus & ab ipſo appellatur Phalangium Cretæ Salonenſis, apud indigenas *le Crau de Salo.*

6. *Aſphodelus* folio fiſtuloſo ſtriato non ramoſus luteus & flore & radice, nobis. Aſphodelus luteus & flore & radice, C. B. P. Cam. Aſphodelus luteus, Dod. Cæſ. Lugd. J. B. Chabr. Aſphodelus luteus ſive fœmina, Cam. Ep. Haſtula regia minor & Aſphodelus minor, Caſt. Aſphodelus luteus ſeu Haſtula regia, Park. Parad. Huic Aſphodelo luteo folia ſunt fiſtuloſa ſeu cava, ſtriata, oblonga, in virore quaſi cærulea, longiora & anguſtiora cæteris, in convexa parte carinata & ſtriata, ſuperiore parte concava: ex horum per terram ſtratorum gremio exit caulis, rotundus, cubitalis, à cujus medio ad faſtigium uſque conſpiciuntur flores

 plurimi

plurimi inordinatim diſpoſiti, lutei, hexapetali, priorum floribus haud abſimiles, ſed majores cum ſtaminulis in medio, quibus ſuccedunt capitula rotunda, magna ſatis, tripartita, & ternis loculamentis diſtincta, & in ſingulis plurima continentur ſemina triquetra, ſuperioris ſeminibus majora: radices habet ſimiliter complures, luteos etiam, tenuiores & longiores radicibus fuſiformibus Aſphodeli albi; ex his radicibus fibræ quædam lateraliter exeunt, quibus in alias plures ſtirpes facile multiplicatur. Nuſquam in agris conſpicitur ſponte, ſed in hortis colitur ubique: floret Maio aut Junio menſe: folia autem exeunte hyeme & per hyemem virent, aut ſi hyems fuerit rigida pereunt & Vere novo denuo exeunt.

Aſphodelus minor luteus radice & floribus, nobis. Hic per omnia minor majore ſupra dicto. Meminere Tabernæmontanus & Gerardus Aſphodeli lutei minoris, qui Aſphodelo albo radicibus & floribus ſit ſimilis, ſed foliis brevioribus cauleque foliis cincto, quem Aſphodelum luteum nominant. Primo ſuſpectus eſt mihi Tabernæmontanus, quem ſequutus eſt Gerardus; nam prior horum fingit & multiplicat, alter facili nutu in plurimis ipſi mordicus adhæret; quare dubito an conſpectus ſit talis Aſphodelus luteus minor latis foliis quemadmodum pingunt & nobis exhibent prædicti authores, quos itidem ſequuti ſunt Johannes Bauhinus & ejus ſimia Chabræus. Inquirant poſteri & poſt debitum examen & exactam inquiſitionem, eorum valebit judicium num talis detur Aſphodelus,

7. *Aſphodelus* minimus luteus paluſtris Acori folio, Ad. Lob. Aſphodelus luteus paluſtris Anglicus Acori folio, Lob. Icon. Aſphodelus luteus paluſtris, Dod. Tab. Pſeudoaſphodelus paluſtris Anglicus, C. B. P. Pſeudoaſphodelus 1us vel major, Cluſ. Hiſt. Folia promit pulchre virentia, aliquantulum ſtriata, foliis Iridis aut Gladioli ſimilia, ſed anguſta, graminea & brevia: caulem rectum, pedalem, Antherico ſatis ſimilem; flores è ſenis petalis, cum ſtaminulis itidem in medio, colore luteo pallentes, Aſphodeli lutei æmulos, ſed minores: ſemen perexiguum in oblongis vaſculis: radix longa, geniculata, non abſque multis fibris ſerpit, Acori aut Graminis nodoſi modo acuminatis. Pſeudoaſphodelum ſeu Aſphodelum minimum Iridis foliis & radice flavo flore, quicunque hanc plantam dixerit, melius & aptius quam Aſphodelum paluſtrem flavo flore. Nihil enim habet ſimile cum Aſphodelo præter flores, nam caules non habet nudos ut Aſphodelus, ſed multis vaginulis ſeu foliolis eoſdem amplectentibus donatur. Poteſt & Pſeudoaſphodelus major Iridis foliis & radice flavo flore dici ad differentiam ſequentis minoris. Naſcitur in humidis quibuſdam ac paluſtribus Flandriæ ericetis: æſtivis menſibus reperitur florens. Floribus hujus lixivio maceratis puellæ crinem flavum efficiunt, teſte Lobelio.

8. *Pſeudoaſphodelus* pumilio Iridis foliis, Cluſ. Pan. 2. Cluſ. Hiſt. Pſeudoaſphodelus Lancaſtrienſis, Lob. Numeroſa ſunt huic folia ſeſe mutuo amplectentia ut in primo, brevia, anguſta, viridia, dura, graminea, amariuſculi & calidi ſaporis: è quorum medio cauliculus gracilis egreditur, pedalis interdum, aut major, perpaucis nonnunquam foliolis eidem adhærentibus, in ſummo floſculorum ſpicam ferens, quorum ſinguli ſex petalis conſtant, alterius & prioris florum inſtar, ſed minores & minimum palleſcentes ex herbaceo colore, ſed odoris expertes, horum ſingulis ſuccedunt capitula trigona, in ſingulis loculamentis plurima continentia ſemina ſubruffa: radix vix corpus habet ut prior, ſed tenuibus fibris conſtat. Minor Pſeudoaſphodelus dicitur à Cluſio ad differentiam majoris prioris. Provenit in Paluſtribus & humidis Lancaſtriæ locis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Aſphodeli, *ut Dioſcorides tradit, radices potæ urinam & menſes ciunt; ſanant etiam lateris dolores & tuſſes & rupta convulſaque drachmæ pondo potæ ex vino; faciunt ad vomitiones magis idoneè tali magnitudine in cibo ſumptæ: dantur utiliter à ſerpente demorſis trium drachmarum pondo, ſed imponere morſibus oportet & folia & radices & flores in vino contrita: ſordida item & depaſcentia ulcera, mammarum etiam ac teſtium inflammationes, phymataque & furunculos in fæce vini radix decocta curat: recentibus inflammationibus cum polenta auxiliatur. Succus radicis addito vetere vino dulci, Myrrha & Croco illinendis perquam utile oculis fit medicamentum ſi ſimul decoquantur. Ad purulentas aures idem per ſe & cum thure, melle, vino & Myrrha, tritus prodeſt. In contrariam aurem infuſus dentium dolores ſopit. Uſtæ radicis cinis alopecias impoſitus ad pilos reducit. Oleum in excavatis radicibus ad ignem decoctum, exulceratis pernionibus & ambuſtis prodeſt, & infuſum eorum doloribus auxiliatur. Vitiliginem albam linteo ante in ſale perfrictam, illita radix exterit. Semen & flores præcipue adverſus ſcolopendras & ſcorpiones excellens ſunt remedium.*

DE

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus fibroſis præditis.

CAPUT II.

PHALANGIUM.

Φαλαγγίου Dioſcorides lib. 3. c. 122. meminit: ſic dictum Galeno, 8. Simpl. de Medicam. Facult. quod demorſis à Phalangiis auxilietur, cui φαλαγγίτης; & Plin. l. 27. c. 12. Phalangites, à quibuſdam Phalangium, ab aliis Leucanthemum vocatum.

Pars TABULÆ I. Sectionis quartæ.

Phalangium
- 1. *Allobrogicum magno flore Lilii inſtar, nobis. Phalangium flore Lilii, J. B. Chabr. Allobrogicum majus, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- *Noſtras parvo flore*
  - 2. *Ramoſum, nobis. Phalangium ramoſum, Lob. Dod. Tab. Ger. Park.* ⊙
  - 3. *Non ramoſum, nobis. Phalangium non ramoſum, Lob. Dod. Tab. Ger. Park.* ⊙

Explicatio partis Tab. primæ Sectionis quartæ.

1. P*Halangium* Allobrogicum magno flore ſeu flore Lilii, nobis. Phalangium magno flore, C. B. P. Phalangium Allobrogicum majus, Cluſ. Hiſt. App. 2. Eyſt. Allobrogicum, Park. Phalangium flore Lilii, J. B. Chabr. Quina aut ſena producit hæc planta folia carinata, ſatis firma, longa, ſurrecta, viridia, ſummâ parte mucronata, inferna parte ſeſe amplectentia aliorum Phalangiorum more: inter quæ prodit caulis pedalis & amplior, viridis, teres, firmus, ſummo faſtigio inter ſingulares appendices (ſeu ex alis) denos aut plures geſtans flores, prorſum niveos, majores multo quam in Phalangio vulgari, hinc inde, aliquando in anteriorem partem propendentes, ſingulos ſex petalis conſtantes (quorum terna interiora latiora, criſpa & repanda; exteriora vero viridi mucrone prædita) florum parvi Lilii formam quodammodo referentes & odoratos, è quorum umbilico ſena prodeunt ſtamina, unciam longa, terna tamen aliis paulo longiora, extima parte curva, & flavis apicibus donata, oblongiori gracili in medio ſtilo, ut commodius mea opinione comparari poſſe non videantur quam parvo Lilio albo: floribus ſic ex ſex petalis conſtructis ſuccedunt trigona capitula fuſcum ſemen & inæquale continentia: radix in multas, candidas, longas & craſſas fibras, aliorum Phalangiorum radicibus non diſſimiles dividitur, & adnatis ſeſe propagat. Naſcitur in Allobrogum montibus, & etiam lectum fuit apud celebre illud & primarium Carthuſianorum cœnobium vulgo *Cartuſa Magna*, ubi ſponte naſcitur, & ab ipſis Lilium appellatur. Floret ineunte æſtate; ſenos, ſeptenos obſervavimus, nunc plures, nunc pauciores edere flores pro ætate & vigore radicum.

2. *Phalangium* parvo flore ramoſum, C. B. P. Phalangium ramoſum, Lob. Dod. Tab. Phalangium Lobi Lugd. Park. Ger. Eyſt. Phalangium quibuſdam ramoſius parvo flore, J. B. Chabr. Phalangii hujus graminis inſtar exeunt folia; è medio horum caulis aſſurgit teres, in ramulos diſtributus, inque hujus faſtigio ramulari apparent flores candidi, minores, ſex petalis conſtantes cum ſtaminulis aliquot concoloribus mediis, quorum ſingulis ſuccedunt capitula rotunda, minora, ternis loculamentis diſtinctis ſeparata poſt exſiccationem, in ſingulis horum plura continentur ſemina nigra, triangularia: radices tenues & oblongæ, multæ, in ſeinvicem implicatæ, quin & harum ſingulæ non deſtituuntur fibris ſuis. Provenit in acclivibus collibus apud Gallos, in pluribus locis, ut in monticulis prope pagum *Suraine* Sequanæ imminentibus, quarto lapide ab urbe *Lutetia* Pariſiorum: alibi etiam gignitur haud procul à fluminibus ac ripis aquarum decurrentium. Flores vigent Junio ac Julio, & Auguſto ſemina perficiuntur.

3. *Phalangium* parvo flore non ramoſum, C. B. P. Phalangium non ramoſum, Lob. Dod. Tab. Ger. Park. Pulcrius non ramoſum, J. B. Chabr. Secunda hæc ſpecies parvo flore præcedenti foliis, floribus, ſemine & radicibus ſimilis, ſed cauliculus ejuſdem in nullos ramulos in

ſuperiore parte diſtributus eſt: flores alternatim petiolis ſuis innitentes digeſtos profert Antherici fere modo, quem ſatis refert floribus, ſed radicibus ab eodem differt. Provenit ibidem cum Phalangio ramoſo ſupra deſcripto, atque eodem tempore floret & ſemina perficit. Quicunque Aſphodelum ramoſum & non ramoſum ejuſdem generis eſſe concluſerit, non obſtante numero ramorum eorumque radicum etiam magnitudine & parvitate numeroque majore aut minore differentium, non multum aberraverit à vero, cum mihi tantum videantur varietates diſcrepantes ætate: idem dicendum de Phalangio ramoſo & non ramoſo parvo flore.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Phalangium, *teſte Galeno, tenuium eſt partium & deſiccantis facultatis, hujus folia, ſemina ac flores cum vino epota auxilio eſſe contra ſcorpionum ac Phalangiorum ictus; & tormina patientibus ſuccurrere Dioſcorides tradit.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Phalangium Virginianum foliis latioribus radice repente flore tripetalo azureo, nobis. Phalangium Virginianum Tradeſcanthi, Ger. Ephemerum Virginianum Johannis Tradeſcanthi, Park. Parad. Allium ſeu Moly Virginianum, J.B. in App. ad Pinacem. Idem flore albo. Phalangium majus ramoſum Virginianum flore majore azureo foliis latioribus & radice repente, nobis in Prælud. Botan. & Jacobo Zanoni. Hæc eſt planta heteroclita & ſui generis nec poteſt admitti pro Phalangio, cum Phalangium proprie loquendo ſit planta Hexapetala tricapſularis, hæc autem eſt planta tripetala, atque in medio floris terna apparent ſtamina, tribus apicibus luteis donata; quibus ſingulis ſingula ſuccedunt conceptacula ad formam capitis ſerpentis os ſuum aperientis, in quibus continentur ſemina fuſca: radicem habet longam repentem, ac ex ſingulis geniculis fibrillas albas ſeu luteopallidas demittentem. Cum non ſit hujus loci hoc Phalangium ſeu Ephemerum, de eo ejuſq; ſpeciebus inter heteroclitas plantas ad finem hujus partis ſecundæ agemus diffuſius.

DISTRIBUTIO SECUNDA.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus tuberoſis rotundis præditis,

QUÆ SUNT

Crocus, Colchicum, Gladiolus, Dens caninus, Syſirinchium, Iris tuberoſa, & Xyris ſeu Spatula fœtida.

CAPUT III.

CROCUS.

Crocum puerum, cum Similacem puerum adamaret, in hunc ſui nominis florem verſum eſſe, Virgilius & Plinius lib. 16. c. 5. teſtantur. Κρόκον *vero filum villumque ſignificat, cujuſmodi ſunt Croci ſtamina ſeu villi, qui* κροκίδες *appellantur, qui plerumque terni, nonnunquam etiam plures in floris medio conſpiciuntur, & cum ſoli in uſum veniant, per excellentiam Croci nomine donantur.*

Genera duo fecit Theophraſtus, ſativum de quo 3. Hiſt. 6. ejuſdem 6, & 7. ejuſdem 9, & 10. Montanum de quo 6. Hiſt. 7. At Dioſcorides l. 1. c. 25. ſativi meminit, qui pro ratione regionum in quibus plantatur, variat. Sic ſilveſtrem dicimus, alium majorem, alium minorem, alium vernum, alium autumnalem: qui rurſum colore florum & foliorum parvitate aut magnitudine variat.

Crocus eſt planta hexapetala tricapſularis, radice conſtans tuberoſa, rotundâ, cujus flos ſex petalis conſtat in ſuperiore petioli parte; at tubo cavo, rotundo, immediate provenit ex radice ſine ullo caule viridi prout cernitur in aliis (præter Colchicum) hexapetalis tricapſularibus: differt à Colchico cujus folia ſunt lata admodum, atque radix major multo; Croci autem folia ſunt anguſta, graminea, linea utplurimum albâ medium ſingulorum percurrente.

TA-

TABULA II. Sectionis quartæ.

- **Crocus**
  - *Autumnalis*
    - 1. *Sativus ſeu hortenſis, nobis. Crocus autumnalis, Eyſt.* ⊙
    - 2. *Montanus, nobis. Crocus ſilveſtris autumnalis, Dod.* ⊙
  - *Vernus*
    - *Latifolius*
      - *Purpureus*
        - 3. *Magno flore, C. B. P. Crocus vernus latifolius purpureus magno flore, vel* 5. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 4. *Variegatus, C. B. P. Vernus latifolius purpureus verſicolore flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 5. *Albus vel cinereus & albus variegatus, C. B. P. Vernus latifolius albo flore & albo variegato ſeu ſtriato, nobis.* ⊙
      - 6. *Multiflorus, C. B. P. Crocus vernus polyanthos, Eyſt.* ⊙
      - 7. *Flavo flore varius, C. B. P. Crocus vernus latifolius flavo vario flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 8. *Flavo vario flore duplici, C. B. P. Crocus vernus latifolius* 2. *Conſtantinopolitanus, Lob. Ad. part.* 2. ⊙
      - 9. *Flavus, C. B. P. Crocus vernus polyanthos flore luteo, Eyſt. Meſiacus flore aureo, Theat. Floræ Pariſiis* ⊙
    - *Anguſtifolius*
      - *Flore purpureo*
        - 10. *Patulo, C. B. P. Nozilicha minor, Lob.* ⊙
        - 11. *Parvo, C. B. P. Nozilicha major, Lob.* ⊙
        - 12. *Minor, nobis. Juncifolius purpureus, C. B. P. Crocus vernus anguſtifolius* 4. *ſive violaceo flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙

Explicatio Tab. ſecundæ Sectionis quartæ.

§. 1. CROCUS AUTUMNALIS.

1. CRocus Autumnalis ſativus floridus & ſine flore, nobis. Crocus ſativus, C. B. P. Lugd. Crocus autumnalis, Eyſt. Crocus, Trag. Fuch. Dod. Lob. Tab. Crocum, Matth. Crocum hortenſe, Cam. Crocus vel Crocum, J. B. Chabr. Inter hexapetalas tricapſulares plantas radice tuberoſa (id eſt uniformis ſubſtantiæ dum ſecatur, ut Pomum, Pyrum, Rapumve) præditas primo occurrit Crocus ſativus autumnalis, cui ſunt folia oblonga, & perquam anguſta: flores ſunt hexapetali, pulcro colore cæruleo, quoad formam & pediculum cavum, rotundum, immediate ex radice continuatum, Colchici floribus ſimiles, cum quibus in floribus maximam habent affinitatem & omnimodam ſimilitudinem, ſed magis ſaturata purpura nitent, & in ſingulis ſtamina oblonga, terna utplurimum, colore flammeo ſubrubentia, odore cum inaruerint poſt collectionem forti, & caput impetente, quæ cæteris partibus præferuntur & in uſum colliguntur, Crocique nomine vel ſola væneunt: radix ſubeſt tuberoſa, carnoſa, rotunda & diu vivax (non autem bulboſa ſecundum doctrinam noſtram, uti in Prolegomenis hujus Sectionis dictum eſt) tunica conſtat reticulari, miro artificio textâ & coopertâ. Sativus dicitur hic inter alios Crocos, quod ejus ſtamina plurimi ſunt uſus, non ſolum in officinis, ſed & in culinis, embammatum & intinctuum loco inſervientia. Seritur in pluribus regionibus, inque agris ubi læte viret, ut in Cilicia, Cyrenis, Sicilia, Italia, Germania, Gallia, Britannia. Gaudet enim, inquit Theophraſtus, calcari pedibus, ideoque juxta ſemitas & fontes pulcherrimus exit Crocus. Ridiculum eſt Theophraſtum nos iſtuc admonere, & multo magis ridiculo ſunt noſtri neoterici Botanici obnoxii, qui ex Theophraſto deinde ex Plinio idem aſſerunt, ſed experientia ubiq; locorum contradicit authoritati & Theophraſti & Plinii ex ipſo haurientis, & omnium recentiorum Botanicorum ex ipſis ſcribentium. Nuſquam melior & vegetior in Gallia cernitur quam in agro Agenſi & Narbonenſi, teſte Ruellio. Nuſquam melior & vegetior exit Crocus quam in Anglia, & præcipue in comitatu Hereford, & Hamſhire, & ubi copioſe colitur circa Saffranwalden. Denique optimus ubicunque natus, qui pinguiſſimus recens fragranti eſt odore, & colore eſt rutilo: peſſimus tenuis, ſqualidus, & ſitum redolens. Autumno Crocus ſativus & verus florere incipit ſtatim primis imbribus ut ait Theophraſtus, ſub virgiliarum occaſu. Florem univerſaliter hic ſativus autumnalis & ſilveſtres omnes, tam autumnales,

nales, quam vernales, edunt ante folia (ut & Colchicum, cui valde ſunt affines floribus) quæ mox ſubſequuntur & hyeme tota virent in autumnalibus, at ineunte æſtate in vernalibus; quæ floruere exeunte Autumno, æſtate vero nullibi conſpicua, ſaltem per ſummum fervorem. Præter Crocum prædictum ſativum autumnalem, qui ſtaminum cauſa colitur, ſunt & plures ſilveſtres, quorum alii autumnali tempore florent, ſativum flore & tempore florendi itidem æmulantes, ſed inutiles; alii vernali tempore, qui non ſunt pariter uſui.

2. *Crocus* Alpinus autumnalis, C. B. P. Crocus montanus autumnalis, Lob. Crocus ſilveſtris autumnalis, Dod. Cam. Crocum montanum 1. Cluſ. Hiſt. Hic folia edit oblongiora, virentia, Croci ſativi æmula, ſed in quibus ſtriæ quædam inalbicant: flos dilutioris purpurei coloris. Viget Novembri, ſtamina fert crocea: floribus deciduis ſuccedunt Maio capſulæ tribus loculamentis diſtinctæ, in quorum ſingulis ſemina plura, rotunda, continentur: radix tuberoſa & uniformis, ſine tunicis aut pelliculis majoribus involventibus minores ſicuti in bulbis proprie dictis conſpiciuntur; ergo inepte ab authoribus bulbos gerere dicuntur Croci. Provenit in Luſitania; floret Autumno & brevi poſt ſemina in capſulis triquetris profert.

3. *Crocus* vernus latifolius flore purpureo magno, C. B. P. Crocus vernus latifolius purpureo flore majore, Cluſ. Hiſt. Hic foliis præcedentis eſt latioribus, atque inter folia è membranaceo involucro florem promit majorem ſativi flore, brevi pediculo innitentem, hexapetalum, violaceum ad purpureum tendentem, unguibus & ſummo pediculo ſaturatiore purpura rubentibus: radix prioris radici ſimilis & in edenda ſobole ſatis fœcunda interdum: ſemen fert rotundum, exalbidum, in capſula tribus loculamentis diſtincta.

§. 2. CROCUS VERNUS LATIFOLIUS.

4. *Crocus* vernus latifolius purpureus variegatus, C. B. P. Crocus vernus latifolius purpureus verſicolore flore vel 5. Cluſ. Hiſt. Hic flores profert ſuperiorum floribus ampliores, ex ſex petalis conflatos, quorum externa tria foris ex candido purpuraſcunt & ſaturiſſimæ quaſi arte purpuræ tribus vel etiam quinque lineis ſeu ſtriis ab infima parte ſurſum aſcendentibus inſignita ſunt, interne purpuraſcunt, interiora vero tria vel dilutioris vel ſaturatioris purpurei ſunt coloris, circa ungues tamen ſimilibus ut ſuperiora radiis inſignita: ſemen in triangularibus capitibus ſubfuſcum: folia ſuperiorum foliis longiora & latiora, duabus etiam lineis ſubtus diſtincta: radix paulo amplior.

5. *Crocus* vernus latifolius albus variegatus, C. B. P. Crocus vernus latifolius albo flore, Cluſ. Hiſt. Crocus ſilveſtris vernalis alter, Dod. Crocus ſilveſtris montanus flore albo, Lob. Hujus folia Croci ſativi & legitimi folia ſatis referunt, niſi breviora eſſent: inter quæ prodit ex involucro membranaceo flos unicus ſex petalis conſtans, in cujus meditullio conſpiciuntur ſtamina cum brevi ſtilo in apice trifido: radix tuberoſa, rotunda, pluribus corticibus tenuibus, rotundis etiam amicta, fibras ſeu barbillos candicantes deorſum verſus demittens. Nulla inter Croci verni ſpecies hac magis fœcunda reperitur in edenda ſobole: ejus vero flos interdum variat, nam terna illa exteriora petala nonnunquam purpuraſcentibus venis aſperſa ſunt, interdum ſoli petalorum mucrones purpuraſcunt, aliquando purpureus radius omnia petala ſecundum longitudinem per medium ſecat.

6. *Crocus* vernus latifolius multiflorus, C. B. P. Crocus vernus polyanthos, Eyſt. Crocus vernus multiplex albus facie lutei majoris, Swert. Hic in omnibus partibus convenit cum priore niſi quod quinos aut ſenos flores protrudat ex eodem radicis capite: eſt duplex habita ratione coloris florum, alter purpuroviolaceus lineis candidis, alter floribus candidis lineis purpurocæruleis notatus.

7. *Crocus* vernus latifolius flavo vario flore vel Croci verni 7^{mi} alia ſpecies, Cluſ. Hiſt. Crocus vernus latifolius flavo-varius, C. B. P. Crocus luteus lineis nigris notatus, Swert. Crocus vernus latifolius Conſtantinopolitanus flavo vario flore ſeu Crocus luteus alter, Lob. Ad. part. 2. Septimus hic quinque aut ſex habet folia, tenuia, longa, graminea fere inſtar Croci legitimi, ex infima parte nigricantia, è quorum medio unum aut alterum florem promit aurei fere coloris, legitimi fere Croci odorem referentem, ſex itidem petalis conſtantem, ut in reliquis Croci ſpeciebus obſervatur, quorum exteriora tria paulo anguſtiora & magis mucronata, tribus craſſiuſculis radiis ex atro purpuraſcentibus, ab imo ad ſummum ſecundum uniuſcujuſque petali longitudinem excurrentibus, & multis interdum venis in latera ſpargentibus inſignita, terna interiora latiora ſunt, & ungues etiam habent foris ex atro purpuraſcentes; pediculum, qui florem ſuſtinet, totidem purpurei coloris ſaturi radiis notatum,

quot,

quot ſunt in flore petala: umbilicum occupant tria flava ſtamina, inter quæ ſtilus eminet extrema parte trifidus, aurei coloris: floribus ſuccedunt craſſiuſcula trigona capita adeo ſaturo purpureo colore infecta ut atra videantur & ſplendentia, quæ maturitate hiſcentia ſemen continere conſpiciuntur ſuperioris æquale, ſed magis ruffum: radix tuberoſa & uniformis ſubſtantiæ ut in ſuperioribus (non bulboſa proprie loquendo, ut vult Carolus Cluſius cæterique authores graviter hallucinantes) multiplici, reticulatioreque cortice obducta, multiſque fibris ſeſſili parte per reticulati corticis maculas ſeſe exerentibus prædita, raro adnatas ſoboles ſeu radiculas tuberoſas proferens.

8. *Crocus* vernus latifolius flavo vario flore duplici, C. B. P. Crocus vernus latifolius 2 Conſtantinopolitanus, Lob. Ad. part. 2. Hic nec radice, nec foliis differt, nec floris colore à priore, exceptis radiis qui adeo late ſeſe ſpargunt, ut per oras trium petalorum exteriorum dorſum inficiant, pediculus etiam florem ſuſtinens totus ex purpura nigricante ſplendeat. Præcipua differentia conſiſtit in flore qui duodecim petalis conſtat, ſex internis aurei coloris, ſex externis purpureis radiis inſignitis; deinde ſingulis floribus decidentibus ſuccedunt hexagona capitula, ſingula ſemine plena. Hoc contingit à natura luxuriante in plurimis aliis itidem.

9. *Crocus* vernus latifolius flavus, C. B. P. Crocus vernus Polyanthos flore luteo, Eyſt. Crocus vernus Meſiacus flore aureo, Theat. Floræ Pariſiis. Huic folia ſunt 4[ti] Croci foliis valde accedentia, longiora tamen, & circa exortum latiora, binis candidis venis ſecundum medium nervum per longitudinem excurrentibus, ut in reliquis Croci ſpeciebus, quæ emergere incipientia, flores ſimul oſtendunt ſex petalis dum explicati ſunt conſtantes, exterioribus mucronatis, internis paululum orbiculatis, flavi coloris, utcunque odoratos, tria longiuſcula latiuſculaque ſtamina dilutius flaveſcentia intus continentes, & longiorem ſtilum ſummo faſtigio in tres apices diviſum, ſativi Croci ſtaminibus pæne concolorem; cui ſuccedit, ut in ſuperiore Croci verni ſpecie, membranaceum triangulare capitulum, rotundo ruffoque ſemine plenum: radix cum 4[ti] Croci radice convenit, vel etiam major eſt, ſolida etiam & tuberoſa ut ſunt omnium Crocorum radices (vide radicem ſecundi Croci diſſectam, ubi evidenter apparet eſſe uniformis ſubſtantiæ) fibris aliquot candicantibus ſeſſili parte donata, & aliquot tunicis obvoluta: binos, plerumque ternos aut quaternos, vel etiam plures profert flores: nulla enim Croci verni ſpecies hac liberalior in producendis floribus. Eſt flore flavo, aureo & pallide luteo, qui variant ſtriis nigris ſecundum ſationem & ſolum cui committuntur.

10. *Crocus* vernus anguſtifolius patulo ſeu magno flore, C. B. P. Crocus ſilveſtris Hiſpanicus vulgo Nozilicha major, Lob. Crocus vernus anguſtifolius 3. Cluſ. Hiſt. Crocus hic anguſtifolius foliis eſt longioribus, craſſioribus & incurvatis, ad medium ſurrectis, deinde repandis ſeu incurvis; flos præcedentis flore longe minor, totus cæruleus tribus exterioribus petalis exceptis, quæ foris vireſcente colore nonnihil aſſperſa ſunt: hujus radix prioris radici formâ ſimilis, multo tamen minor. Frequens reperitur Gadibus, locis ſalebroſis & apricis, Januario florens: quin & radix multis tenuibus tunicis ſive corticibus duris tecta exterius, etiamſi ſit ſolida intus & non bulboſa, ut & reliquorum omnium Crocorum radices.

11. *Crocus* vernus anguſtifolius parvo flore, C.B.P. Crocus ſilveſtris Hiſpanicus vulgo Nozilicha minor, Lob. Crocus vernus anguſtifolius Cluſ. Hiſt. 1. Icone. Crocus hic plura habet folia, anguſta, longa, viridia, alis crocinis foliis anguſtiora gracilioraque, rotunda, & quaſi capillaria, inter quæ bini ternive cauliculi oriuntur unciales, aliquando altiores, anguloſi, ſuſtinentes flores ſex petalis (ut reliqui omnes Croci) ima parte flaveſcentibus conſtantes, intus nonnihil candicantibus, cætera ad cæruleum tendentibus ſive violaceis (inveniuntur & toti candidi) quibus inſunt ſtaminula terna: hiſce ſuccedunt folliculi ſive capitella trigona, ſeu ex tribus loculamentis conflata, exile ſemen ſubfuſcum continentia; radix exigua nuculæ ſive avellanæ magnitudine, duro ſpadiceoque cortice ſive putamine tecta, intus alba, firma, dura, ſolida, ſubaſtringente guſtu, unde apud Hiſpanos Nozilicha quaſi nucula ſive parva avellana dicitur. Hæc una cum priore invenitur Gadibus, atque inter Aſindum (vulgo *Medina Sidonia*) & Calpen, locis itidem ſalebroſis & apricis. Floret exeunte hyeme, ſemina perficit ut & verni omnes Croci mediâ æſtate. Crocum vernum anguſtifolium violaceo flore 3. Cluſii & 1[um] ejuſdem, unam & eandem repræſentant ſpeciem, quorum 1[um] florem offert non plene expanſum, 3[um] florem unum plene expanſum, alterum non expanſum: Lobelius in Iconibus utramque figuram exhibet pro Croco patulo flore.

12. *Crocus* vernus juncifolius purpureus, nobis. Crocus vernus anguſtifolius 3. Cluſ. Hiſt. duodecimus hic Crocus ordine, tertius vero anguſtifolius, nobis, flore conſtat omnium minimo ex

albo purpuraſcente, vixque è terra prominente, ſex petalis conſtante; atque è terra erucbat Carolus Cluſius unam radicem tuberoſam, rotundam, florem habentem ex octo petalis conflatum, quatuor externis paulo majoribus & totidem interdum unguibus: radix erat gemina, candida, tuberoſa, una alteri inſidens, quarum ſuperior firma, dulcis & edulis erat; inferior flaccida. Hanc in Beturiæ collibus, Luſitaniæ finitimis, obſervabat Carolus Cluſius. Floret verno tempore cum reliquis Crocis vernis, & æſtate ſemina perficit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Crocus *ſativus Autumnalis quid aſtringens poſſidet, ſed ſuperat in eo calefaciens qualitas, ut tota ejus eſſentia ſecundi ſit ordinis excalefacientium, primi exſiccantium, proinde & coquendi vim quandam obtinet, adjuvante in eo pauculâ llâ aſtrictione, ut Galenus ait:* Sodam, *id eſt cephalalgiam, inquit Avicenna, facit & capiti nocet, id quod non exiguo ſed nimio ſui uſu efficere poteſt, vigilias ſiquidem copioſe ſumptus inducit, quæ modum excedentes capiti & ſenſibus obſunt. Moderatus autem Croci uſus cerebro prodeſt, ſenſus vegetiores reddit, ſomnum & torporem diſcutit, lætitiam gignit. Corroborat quoque Crocus cor, thoracis crudos humores ad concoctionem perducit, pulmones aperit, eoſque ab obſtructione expedit, & ad hæc tam efficax remedium eſt, ut ſubinde phthiſicis in ſummo vitæ diſcrimine & propemodum animam agentibus ſpiritum reducat, & ad aliquot dies proroget, ſcrupuli dimidii aut ad ſummum integri doſis cum paſſo aut vino dulci aliquo exhibita: quo modo etiam data graviſſimas ſubito irruentes citra febrim diſpnœas ſtatim & momento temporis tollere non ſemel ſed multoties à nobis compertum eſt, inquit Dodonæus. Crapulam etiam arcere hoc modo ſumptum Dioſcorides refert. Laudatur & ad hepatis & fellis obſtructiones, nec non ad regium morbum, atque hinc bonum colorem Crocum efficere Dioſcorides ſcribit. Additur, eodem authore, ad omnes quæ interaneorum cauſa adminiſtrantur potiones, ſed noſtra ætate ad ea potiſſimum quæ menſes, fœtus, & ſecundinas educunt. Urinam cit: Venerem excitat: ad vulvæ & ſedis cataplaſma additur, nec non ad emplaſtra & cerata, veteres tumores & dolores ſedantia & diſcutientia. Inflammationes eriſipelatodes mitigat: compoſitionibus auricularibus utiliter admiſcetur, oculos ab ecthymatis & exanthematis cum lacte aut fœniculi aut Roſarum liquore præſervat illitus, & humorum in eos inflammationes reprimit. Cætera vide apud Johannem Bauhinum pag. 639, & 640. Crocus, inquit Simon Pauli, qui in officinis venditur, omnibus gentibus ob frequentiſſimum uſum notus, nihil aliud eſt quam ſtamina Croci autumnalis aut ſativi, qui legitimus eſt, & ab aliis Crocis diſtinguitur, quod ſtaminibus donentur ſed non ejuſdem facultatis, & pro legitimis Croci ſtaminibus haberi nequeant. Adulteratur autem Crocus Cnici floribus, verum hi inodori & facile præ legitimo Croco cognoſcuntur. De cæteris conſule Simonem Pauli pag. 52, & 53. operis quadripartiti Botanici claſſis 2. ex quo quædam tranſcribemus. Proprietas Croci eſt quod lætificet, aſt nimia ejus doſis occidit, imo ſi ad tres drachmas exhibeatur. Præterea obſervavit Coſtæus, quod ii qui Croci ſacculo pulvinaris aut ſtrati vice uſi ſint, oborto inſigni capitis dolore cum incredibili gravitate interierint. Recordor ego, inquit Simon Pauli, cum ſuppreſſione menſium laboraret virgo quædam, Croci uſu nimio hos cibi concitare voluiſſe, ſed parum abfuiſſe quin præſenti vitæ diſcrimini ſeſe expoſuerit, quæ ab illo tempore licet viro nupſerit, enormes & juges capitis dolores perfert ac patitur, jam fere ſeptuagenaria. Caute itaque agamus, nec promiſcue & ſine moderatione ſumma uſum Croci commendemus opus eſt. Accipe duas inſignes hiſtorias ex Amat. Luſitani comment. in Dioſcor. lib. 1. enarratione 25. pagina 65, & 66. petitas. Crocus, inquit, riſum promovet, & ita promovet ut non ſit fabuloſum aliquando hominem riſu & cachinno ob nimium Croci uſum mori. Vidimus enim nos apud Mitinam à Campo, totius Hiſpaniæ celeberrimum emporium, Mercatorem quendam, qui cum plures Croci ſarcinulas ſive involucra emeret, & in Luſitaniam portaret, multum illius in ollam carnes jurulentas pro cœna continentem injecit, qui poſt earum eſum in tam intenſum ac vehementem riſum prorupit, ut non multum abfuerit quin riſu & cachinno tunc è vita diſcederet: & paucis intermiſſis ſequutus Galeni authoritatem, docet, Crocum dolorem capitis gignere; proinde non mirandum, inquit, ſi agaſo quidam apud Piſaurenſes ſuper duabus Croci ſarcinulis dormiens eâdem nocte obierit, ut ſuperioribus annis accidit teſtantibus omnibus Piſaurenſibus & Johanne Gondula Patricio Raguſino, viro non minus doctrinâ quam nobilitate claro, qui eo tempore apud Piſaurenſes agebat, & hoc ita eſſe confirmavit. Itaque ex dictis nimius Croci uſus, imo exhalatio nimia pernicioſa apparet.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

Radicibus tuberoſis rotundis præditis.

CAPUT IV.

COLCHICUM.

Κολχικὸν, quod plurimum in Colchide naſcatur, Dioſcoridi lib. 4. cap. 84. cui ἐφήμερον, quod eodem die, qua ſumptum, interficiat. Colchici appellatio apud Plinium lib. 22. c. 9. inter venena reperitur.

Colchicum floribus eorumque colore & formâ, capſulis triquetris (ſed majoribus,) radicibus tuberoſis rotundis ſive oblongis (etiam majoribus,) & tempore florendi convenit cum Croco; ſed facile ab eodem diſtinguitur foliis, quæ ſunt lata Lilii albi inſtar, pinguia, lævia, formâ iiſdem ſatis ſimilia; Croci autem radices ſunt multo minores; folia graminea, anguſta, radiis quibuſdam albis ab imo ad ſummum ſecundum foliorum longitudinem excurrentibus: atque hiſce notis quam facillime Crocus & Colchicum inter ſe diſtinguuntur, etiamſi floribus, radicibus tuberoſis uniformis ſubſtantiæ, & tempore florendi conveniant. Colchicum eſt vel latifolium, idque vel foliis planis, vel undulatis; vel anguſtifolium: quoad florum colorem eſt vel album, purpureum, violaceum ſimpliciter, vel teſſulatum, vel luteum: de hiſce omnibus ordine dicemus.

TABULA III.

- *Colchicum*
  - *Flore ſimplici*
    - *Latifolium*
      - 1. *Commune & legitimum album & pallide rubens, nobis.* ⊙
      - 2. *Vere & autumno florens, nobis. Colchicum biflorum, Eyſt.* ⊙
      - *Teſſulato Fritillariæ inſtar*
        - *Foliis*
          - 3. *Planis, nobis. Neapolitanum, Cluſ. Hiſt.* ⊙
          - 4. *Undulatis, nobis. Colchicum Chioenſe Meliagridis flore, Cornut.* ⊙
      - *Multiflorum candidum*
        - 5. *C. B. P. Colchicum Pannonicum πολυανθὲς albo flore, Cluſ. Hiſt. Cam.* ⊙
        - 6. *Lato Ellebori folio, C. B. P. Colchicum Bizantinum πλατύφυλλον πολυανθὲς, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - *Anguſtifolium*
      - 7. *Montanum Hiſpanicum & λεπτόφυλλον, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 8. *Pumilum Croci foliis, nobis. Colchicum minimum tenuifolium Gallæcium, J. B. Chabr.* ⊙
  - *Flore pleno*
    - 9. *Variegatum ſeu maculatum, nobis. Colchicum maculatum autumnale flore pleno, Eyſt.* ⊙
    - 10. *Albo & rubro, Swert.* ⊙
    - 11. *Multiplici, nobis. Colchicum polyanthos multiplex, C. B. P.* ⊙
- *Colchiconarciſſus autumnalis luteus*
  - 12. *Major, nobis. Cholchicum luteum majus, C. B. P.* ⊙
  - 13. *Minor, nobis. Colchicum luteum minus, C. B. P.* ⊙

Explicatio Tab. tertiæ Sectionis quartæ.

1. *Colchicum* commune, C. B. P. Colchicum, Fuch. Matth. Dod. Colchicum Ephemeron, Lugd. Colchicum commune pallido flore, Swert. Hermodactylus vulgo & Crocus ſilveſtris, Cæſ. Ephemeron venenoſum, Amati Luſitani. Colchico ſunt folia terna, quaterna & plura, oblonga, lata, lævia, pinguia, Lilii albi & formâ & lævore ſatis ſimilia; in brevibus pediculis exeunt duo aut tres paulo poſt Autumni æquinoctium flores (nullis adhuc apparentibus foliis,) Croci prædicti floſculis cùm formâ tum colore & petiolo breviore teneriorèque aſſimiles, dilutius tamen cærulei, aut rubri candicanteſque; ſtaminulis internis pallide luteis; ſingulis floribus ſuccedunt ſingulæ capſulæ triangulares ſeu tribus potius loculamentis diſtinctæ, ſingulæ craſſæ ad magnitudinem pollicis & ſingulæ unciam longæ (una reliquas duas magnitudine ſuperante,) quæ per maturitatem in ternas partes ſe explicant, ſemine plenæ rotundiuſculo & ruffo colore nigricante, quo maturo folia unà cum cauliculis intercidunt; radix tuberoſa & uniformis ſubſtantiæ, turbinata & oblonga, ab unâ parte in planum compreſſior, rimam ſeu ſulcum cum floret habens reliquo tempore non apparentem, etiamſi tuberoſa & ſolida ſit intus, quemadmodum affinis ſui Croci radix, extra itidem tunicis convestitur nigricantibus; radix inquam interior carnoſa, tuberoſa, candida, lacteo ſucco manans (fibras aliquot ſeu barbillas demittens) dum quidem viret & recenter è terra eruta; reſiccata etenim rugoſa & foris interiuſque nigricat, aut obſcure rubeſcit, teſte Valerio Cordo. Sapore autem eſt dulci, amaritudinis tamen exiguum ſalivam eliciens ſubſequitur. *Colchicum* vulgare ſeu commune reperitur in Italiæ, Galliæ, Germaniæ & Angliæ humidis, pinguibus & lætis pratis, & non raro in montium convallibus. Reperitur nonnullis locis foliis anguſtioribus. Dioſcorides in Meſſina & Colchide enaſci tradit, unde ei nomen. Germinant folia Vere; circa ſolſtitium æſtivum capſulæ cum ſemine maturantur: flores circa Autumni æquinoctium & paulo poſt aliquando, uti diximus, reperiuntur. Dicitur Hermodactylus, differens tamen eſt ab eo Hermodactylo quo in officinis vulgo utimur in medicamentorum compoſitionibus; eſt enim radix tuberoſa magnitudine & formâ huic ſatis reſpondens, verum reſiccata, albida permanens, æqualis, neutiquam rugoſa, modice dura, & tundi facilis, cujus pulvis candidus eſt, unde teſte Valerio Cordo, aliud reperitur Colchicum flore & radice candidum, cujus radix exſiccata, & in pulverem redacta ſpeciem refert farinæ triticeæ, ſapore ſuavi ac dulci. Hoc Colchicum in Germania non naſcitur, ſed aliunde infertur. Et veriſimile eſt albidi iſtius & peregrini Colchici radices eſſe quæ in officinis Hermodactyli nomine væneunt, nihilque aliud Hermodactylum iſtum eſſe quam radices Colchici prædicti: ſic duæ ſunt hujus generis diſtinctæ ſpecies Hermodactyli: ſcilicet communis prædicta, & legitima candida foris & intus radice tuberoſa non autem bulboſa, ut volunt & perperam nominant authores. In hac ſententia fuiſſe Avicennam quæ ab eo ſcripta ſunt cap. CCCLII. oſtendunt; Hermodactylum ſiquidem ait radicem eſſe plantæ habentis roſas (id eſt flores albos aut citrinos (rectius purpureos) & meliorem eſſe album nitentem, & nigrum malum ac pernicioſa venena.

2. *Colchicum* Vere & Autumno florens, C. B. P. Colchicum biflorum, Eyſt. Cluſ. Hiſt. Lob. Ad. part. 2. Novum & rarum hoc Colchici genus craſſa conſtat radice, tuberoſa, ut vulgare Colchicum, ex cujus infima parte caulis emergit quatuor uncias longus, ex membranaceo involucro florem promens oblongo pediculo nitentem, vulgaris flori formâ æqualem, ſex foliis conſtantem, ſed minorem, quorum terna externa majuſcula, interna autem tria anguſtiora & breviora, ſaturatius paulo purpuraſcentia eſſe videbantur. Nec folia nec ſemen (ſi quod tulit) obſervare licuit Cluſio propter morbum gravem, quo detinebatur, ut videre eſt in ipſius Hiſtoria. Ex radicibus quatuor ad Cluſium Heidelberga miſſis, binæ flores dederunt ſub finem Auguſti, & alios denuo inſequenti Aprili, & hac ratione ductus biflorum hoc Colchicum primum denominavit Cluſius, potius quam vernum: verno tempore floret, ut inquit Cluſius, in montano quodam prato non procul Hedelberga; conſpectum etiam fuit in *Halæ Suevorum* vicinis novo Vere florens.

3. *Colchicum* floribus Fritillariæ inſtar teſſulatis foliis planis, nobis. Colchicum floribus Fritillariæ inſtar teſſulatis, C. B. P. Colchicum Neapolitanum, Cluſ. Hiſt. & App. 1. Colchicum Fritillariæ facie pallidum, Swert. Hoc folia edit vulgaris Colchici omnino æmula, glabra, plana, non in marginibus undulata: florem profert hexapetalum, teſſulatum, quadris nigris diſtinctum Fritillariæ more, ſed multo pallidioribus atque hiſce notis à Colchico Chioenſi Cornuti facie diſtinguitur.

4. *Colchicum*

4. *Colchicum* Chioenſe floribus Fritillariæ inſtar teſſulatis, foliis undulatis, nobis. Colchicum variegatum Meliagridis facie, Corn. Autumno ſtatim ineunte flos emergit, cujus ſex petala hiantia ſurſum verſus mille quadratis teſſulis nigris obſcuris quaſi in quincuncem diſpoſitis obſervantur, ut in Meliagride Dodonæi; ſingulis ſex petalorum ineſt albeſcens quædam vena, quæ per ſingulorum medium ab infima parte ad mucronem uſque prorepit; filamenta ſex longiora, cæruleis apicibus donata, à cavitate floris oriuntur: radix hujus exterius aliquot tunicis involvitur, ex nigro ruffeſcentibus, bombace munitis, interius carnoſa, ſolida & uniformis ſubſtantiæ albidæ, prout cernitur in reliquis ſuæ ſortis radicibus: poſt florem evanidum folia fert atrovirentia, anguſtiora & breviora foliis vulgaris & noſtratis, in marginibus undulata, & quaſi fimbriata, atque foliis ſic conſtructis, & floribus teſſulatis, magiſque nigreſcentibus, facile diſtinguitur à priore 3^io^, foliis quippe planis & floribus teſſulatis, quadratis, pallidis nigricantibus ſeu potius fuſcis conſtante, at utrumque & 3um & 4um à reliquis omnibus, floribus teſſulis quadratis affectis, primo intuitu diſcernuntur. Vide folium undulatum Colchici Chioenſis adſculptum 3^io^ Colchico Fritillariæ floribus teſſulatis.

5. *Colchicum* candidum multiflorum, C. B. P. Colchicum Panonicum πολυανθὲς albo flore, Cluſ. Hiſt. Cam. Colchicum vulgare polyanthon, Eyſt. Colchicum Pannonicum albo flore, Swert. Colchicum hoc multorum eſt florum, quodque in quibuſdam pratis Viennæ Auſtriæ vicinis, nec procul à Danubio ſitis, inter vulgares plantas naſcens, multis abhinc annis obſervavit & eruit Carolus Cluſius ut in hortum ſuum transferret: poſt etiam in pratis arci *Sarenberg* vicinis magna copiâ inventum fuit. Quintum enim hoc denos aut duodenos vel etiam plures interdum promit flores, lactei candoris eleganti ſpectaculo: hujus etiam folia vulgaris Colchici foliis æqualia, ſed dilutius virentia, atque Vere duntaxat ineunte exeunt: copioſum fert ſemen ſubruffum, in laxis capitibus triangularibus: radix vulgaris radice major, ad Bizantini tamen magnitudinem non accedens. Iſtic & quædam etiam reperta, quorum flores eleganter rubeſcebant.

6. *Colchicum* polyanthos lato Ellebori albi folio, C. B. P. Colchicum Bizantinum πλατύφυλλον πολυανθὲς, Cluſ. Hiſt. Novo vere hoc genus Conſtantinopolitanum terna, aut quaterna producit folia ampliſſima, Ellebori albi foliis nec formâ nec magnitudine valde abſimilia, nec illis minus nervoſa, magis tamen viridia & ſeſe mutuo amplectentia. Autumno cum vulgari numeroſos fert flores, ut vicenos aliquando obſervaſſe meminit Carolus Cluſius, ex eadem radice prodeuntes, vulgaris quidem floribus formâ & colore prope ſimiles, ſed ampliores, craſſioreque multo pediculo innixos; foris dilutius, intus ſaturatius purpuraſcentes & tanquam venis quibuſdam per petala ſparſis notatos, in quibus ſtamina ut in vulgari: ſemen ſatis copioſum interdum fert in triangularibus capitibus laxis, triplo vulgaris capitulis craſſioribus: ejus radix craſſiſſima, pugnum æquans vel etiam pugno amplior. Conſtantinopoli ejus radices ſunt allatæ primo ad Car. Cluſium dum Viennæ vivebat. Floret eodem cum prædictis tempore; natales patent ſupra ex denominatione. Colchicum Bizantinum latifolium florens, Cluſ. Hiſt. Præcedentis Iconem cum floribus in Tabula ænea noſtra 3^ia^ exhibemus, ſicut prior Icon ibidem repræſentat folia & capſulas ſeminales coacervatas in medio foliorum.

7. *Colchicum* montanum anguſtifolium, C B. P. Colchicum montanum Hiſpanicum & λεπτόφυλλον, Cluſ. Hiſt. Colchicum montanum minimum anguſtifolium autumnale, Eyſt. Huic terna aut quaterna ſunt folia anguſta, firma, mucronata, humi tamen ſparſa, ſaturatius virentia & ſplendentia, vix ſemiunciam lata, acidi guſtus, ruffeſcentem colorem contrahentia, dum tabeſcere incipiunt. Flos ſine foliis primum exilit Septembri, aliquando etiam Auguſto, ſex longis, anguſtis, ex purpureo rubentibus petalis, totidem in medio ſtaminibus conſtans: hunc ſtatim (præter aliorum Colchicorum morem) folia ſubſequuntur, & totam deinde hyemem perdurant, uſque in menſem Maium vel etiam Junium: radix tuberoſa aliorum prædictorum more, non tamen magna, multis ex rubro nigricantibus tunicis ſeu pelliculis exterius amicta, intus alba, ſolida, & uniformis ſubſtantiæ, non autem bulboſa, quicquid voluerit Cluſius & omnes eum ſequentes authores Botanici, ſolo Cæſalpino excepto; eſt inſuper radix inſipida cum quadam aſtrictione dulci, longiuſcula ſede qualis in cæteris generibus obſervatur; adnatis itidem in radicis lateribus ſeſe propagans.

8. *Colchicum* pumilum Croci foliis, C. B. P. Colchicum minimum tenuifolium Gallæcium, J.B. Chab. Lob. Ad. part. 2. Novum hoc genus Colchici pumili (inquit Lobelius Adver. part. 2.) ex Gallæcia Hiſpaniæ regno delatum, foliis conſtat Croci montani minoribus, humi ſtratis, quaternis, quinis, carinatis, uncias binas aut ſeſquiunciam longis: radice Avellanæ nucleum æquante, flore unà cum foliis prodeunte, ſenis conſtante petalis anguſtioribus, purpuraſcentibus,

 totidem

totidemque ſtaminulis & apiculis luteis prædito, è brevi pediculo parum è terra emergente eâdem tempeſtate cum prioribus, Autumno ſcilicet; natales indigitantur in denominatione.

9. *Colchicum* variegatum pleno flore, C. B. P. Colchicum maculatum autumnale flore pleno, Eyſt. Hoc radicis effigie non alienum à cæteris antedictis: flos vero multiplici petalorum congerie, purpuraſcentibus maculis inæqualibus oblongis inſectorum, admodum oculis blanditur.

10. *Colchicum* flore pleno albo & rubro, Swert. Hoc florem producit multis petalis ſcatentem, partim albis, partim rubris, florem plenum efficientibus.

11. *Colchicum* polyanthos multiplex, C. B. P. Colchicum autumnale polyanthos flore multiplici pleno, Eyſt. Hoc nudo cauliculo aſſurgit: flores in ſummo cauliculi confertis petalis multis congeſti, ex albo purpuraſcentes, cum ſtaminulis flavo apice præditis. Hujus Colchici pleno flore aliæ plurimæ exhibentur Icones in Horto Eyſtettenſi, Swertio, & plurimæ itidem aliæ Colchici ſpecies flore ſimplici citantur apud Caſparum & Johannem Bauhinum in Pinace, quos conſule. Ludit natura in infinitum in multiplicatione varietatum in hoc genere, ſicut in multis aliis generibus longe patentibus.

12. *Colchiconarciſſus* autumnalis luteus major, nobis. Colchicum luteum majus, C. B. P. Colchicum luteum, Lob. Tab. Colchicum luteum ſeu luteo flore, Swert. Narciſſus autumnalis major, Dod. Cluſ. Hiſt. Ger. Narciſſus autumnalis flore luteo, Eyſt. Folia promit oblonga, lævia, reſplendentia, & ſaturate virentia, inter quæ pediculus aſſurgit brevis, faſtigio florem unicum adferens haudquaquam aliis Narciſſis ſimilem, ſed veluti Colchici aut Croci ex ſex petalis compoſitum, colore luteum, in cujus medio totidem ſtamina & piſtellus ejuſdem coloris: ſubeſt radix mediocris magnitudinis, fibras plantarum hujus ſortis more deorſum demittens. In Hiſpania & Italia gignitur, ac uno loco longioribus ac anguſtioribus, alibi vero brevioribus & latioribus foliis. Amat humentia & pratenſia ac etiam aliquando montana loca. Autumno ſub finem Auguſti & Septembri menſe floret in Italia.

13. Hujus reperitur & alia ſpecies minor, anguſtioribus foliis donata; in reliquis cum priore convenit, & dicitur Colchicum luteum minus, C. B. P. Narciſſus autumnalis minor, Cluſ. Hiſt. Colchicum montanum luteum minus, Tab. Florem & capſulam ſeminalem habet utrumque hoc poſterius Colchici genus at folia & radicem Narciſſi, id eſt bulboſam proprie loquendo, idcirco Colchiconarciſſum denominavimus, quia nobilior pars æmulatur Cochicum à fine ultimo.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Colchicum *Hermodactylus officinarum dictum, alvi dijectionem molitur, pituitamque craſſam ab articulis præſertim extrahit. Cæterum Hermodactylus, teſte quoque Paulo Ægineta, ſtomacho noxius eique nimis adverſatur, proinde aliqua ſunt miſcenda, quæ ejus malitiam corrigant ac vehementiam coerceant mitigentque, ut ſunt Cinnamomum, Maſtiche, Zinziber aut Piper longum. Datur cum Oxymelite ſcillitico aut melle roſaceo pondere drach.* 1. *plus minuſve pro ſumentis viribus. Colchicum autem noſtras vulgare intra corpus ſumptum haud tutò adminiſtratur, quippe venenatum. Neque interdum conſulerem Hermodactylis officinarum plus uti, cum jam non deſit nobis certiorum & tutiorum medicamentorum uberrima ſatis copia: præſertim cum radix Colchici in cibo acceptâ ſtrangulando enecat, ut Fungi lethales, authore Dioſcoride.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus tuberoſis rotundis præditis.

CAPUT V.

GLADIOLUS.

G*Ladiolus, à foliorum formâ, Dioſcoridi l.* 4. *c.* 20. Ξιφίον *&* φάσγανον *dicitur: & Gaza apud Theophr.* 7. *Hiſt.* 11, *&* 12. *Enſem vertit. Plin. l.* 25. *c.* 11. *&* 26. *c.* 8. *Xiphion & Phaſganon nominat.*

Gladiolus cum cæteris hujus ſecundæ diſtributionis convenit, quod radicem proferat tuberoſam, ſolidam intus & uniformis ſubſtantiæ, cum quibuſdam reticulatis corticibus ſeu tunicis extra

extrà eandem radicem involventibus, prout cernitur in quibuſdam Croci antedictis ſpeciebus; flores edit pariter hexapetalos, capſulas itidem trigonas; ſed præcipue diſtinguitur à cæteris ſuæ ſortis, in hoc ſecundo membro contentis plantis, quòd folia emittit lata, longa, paululum ſtriata, in acutum mucronem definentia, gladii laminæ formam referentia, unde ei nomen inditum.

Pars TABULÆ IV. Sectionis quartæ.

Gladiolus
- 1. *Maximus Indicus, C. B. P. Gladiolus maximus flore rubro incarnato Promontorii bonæ ſpei, Swert.* ⊙
- *Major*
  - 2. *Bizantinus, C. B. P. Gladiolus Bizantinus atropurpureus, Swert.* ⊙
  - 3. *Radice oblonga flore albo, nobis. Gladiolus flore albo, Swert.* ⊙
  - 4. *Floribus uno verſu diſpoſitis, C. B. P. Gladiolus Narbonenſis, Lob. Idem flore albo.* ⊙
- 5. *Minor floribus uno verſu diſpoſitis, C. B. P. Gladiolus minimus, Ad. Lob. part. 2.* ⊙
- 6. *Utrinque floridus, C. B. P. Dod.* ⊙
- 7. *Indicus è violaceo fuſcus, nobis. Flos Indicus è violaceo fuſcus, Ferr. Senen.* ⊙
- 8. *Stagnalis aut lacuſtris Dortmanni, Cluſ. Cur. poſter. pag. 40.* ⊙

Explicatio Tab. quartæ Sectionis quartæ.

1. G*Ladiolus* maximus Indicus, C. B. P. Gladiolus maximus flore rubro incarnato Promontorii bonæ ſpei, Swert. Hic radicem habet forma radicis Rapæ majoris inverſæ pluribus reticulatis tunicis involutam, ex cujus parte inferiore & latiore demittuntur fibræ plurimæ, & ex parte ſuperiore in collum tenuius definente protruduntur folia dena, duodena, atque ex eorum medio exit caulis cubitalis interdum bicubitalis; in cujus ſummo faſtigio, ad pedalem circa longitudinem prodeunt ex geniculis flores ſatis grandes, hexapetali, ex rubro incarnati, aliorum hujus ſortis florum more; quibus ſingulis evaneſcentibus ſuccedunt capſulæ triangulares, tribus loculamentis diſtinctæ ſeminaque aliorum modo, ſed magna in ſingulis continentes.

2. *Gladiolus* major Bizantinus, C. B. P. Gladiolus Bizantinus atropurpureus, Swert. Hic floribus, capſulis, ſeminibus & reliquis partibus convenit cum priore; ſed floribus atropurpureis præcipue, & à priore, & reliquis diſtinguitur.

3. *Gladiolus* major radice oblonga flore albo, nobis. Gladiolus flore albo, Swert. Hic convenit cum prioribus & cæteris ſui ordinis in omnibus partibus, excepta radice, quæ habet formam oblongam, atque eo nomine à cæteris diſtinctu facilis eſt.

4. *Gladiolus* major floribus uno verſu diſpoſitis, C. B. P. Gladiolus, Dod. Gladiolus Narbonenſis, Lob. Xiphion minus, Cluſ. Hiſt. Pan. & de rarior. Victorialis rotunda, Eyſt. Gladiolo huic folia ſunt oblonga, compreſſa, anguſta, paululum in ſuperficie ſtriata, gladii laminæ modo mucronata, Iridis foliis multo anguſtiora: caulis lævis, teres, cubito longior, circa cujus ſummum flores ſex aut ſeptem, ordine ſupra ſeinvicem ad unam caulis partem digeſti, & geniculis ſingulis adhærentes, quorum ſinguli ex ſex petalis conflantur, colore purpurorubentes, ſplendentes (vel quod tamen raro accidit) albicantes: hiſce ſingulis ſubveniunt ſingulæ capſulæ in rotundum oblongæ, putamine Amygdalæ majores, tribus loculamentis exſiccatæ hiantes; in quorum ſingulis plurima continentur ſemina oblonga, paleacea: radix rotunda, tuberoſa, intus dura, extra reticulato cortice obvoluta, gemina, altera ſuper alteram inſidens, quorum ſuperior Veris initio minor ac vegetior, inferior major ſed flaccidior, qui paulo poſt perit in plures ſeſe ſubinde multiplicans. Frequens in Hetruria in editis fruticoſis & herboſis locis in comitatu Goretienſi, in pratis & arvis inter ſentes illic.

5. *Gladiolus* minor floribus uno verſu diſpoſitis, C. B. P. Gladiolus minimus, Ad. Lob. part. 2. Hic priori in omnibus accedit, floribus concoloribus at minoribus, uno itidem verſu digeſtis, in pedali gracili caule: foliis pariter duplo minoribus: radix pariter minor. Provenit in ericetis & neglectis intra ſepta *Chambort* ſitis vix quingentis paſſibus à dicto palatio. Floret Aprili & Maio, & æſtate ſemina perficit, ſi quando id præſtat, propter rependi facultatem ei conceſſam.

6. *Gladiolus* utrinque floridus, C. B. P. Gladiolus, Matth. (cui & Gladiolus ſegetalis & lingua cervina Apuleii) Cæſ. Lugd. Gladiolus utrinque floridus, Dod. Hic in omnibus cum majore

majore floribus uno verſu diſpoſitis convenit, niſi quod ſingulis geniculis ſingulis innaſcuntur flores, non ex unà parte diſpoſiti, ſed hinc inde à dextris & ſiniſtris, ſex conſtantes petalis, uncia parum longioribus, ſimul ab uno exortu prodeuntibus, ex quibus quatuor ſemiuncia paulo latiora ſunt, colore eleganter roſeo, ſed multo lætiore & pulcriore, reflexis labris profundioris calathi figuram referentia, reliqua duo petala prædictis multo tenuiora ſunt, àc intra florem conſtituta inferius aliquantulum prominent, candidamq; & longam in medio maculam latiorem habent, quam undique purpurea linea circumſcribit & terminat; ſuperiori floris petalo ſtamen ſubeſt trifidum, & inter hoc & petalum ſingularis apex. Floret Aprili & Maio incipiendo ab inferiore geniculo, aperiente ſe qui in ſuperiore geniculo eſt flore, inferior flaveſcit & rudimentum capſulæ incipit; floribus ſic gradatim evaneſcentibus ſuccedunt capſulæ in rotundo oblongæ, tenuibus venulis diſtinctæ, magnitudine Amygdalæ cum putamine, quæ cum maturuerint, dividuntur trifariam ſeu in terna loculamenta; in quorum ſingulis continentur plurima ſemina tenuia paleacea, oblongiuſcula, flava: radicem habet parvam rotundam, tuberoſam, duram & ſolidam intus, ab ima baſi verſus germina turbinatam, aliquot crinitis & reticulatis tunicis veluti veſtitam; quibus detractis, duæ exiguæ candidæ, tuberoſæ apparent radices, una alteri inſidens, ſuperiore quidem Veris initio minore, ſed vegetiore, inferiore majore, & latiore, verum flaccido & fungoſo. Perire & flacceſcere incipit inferior radix tuberoſa Veris initio, ſupernaſcente alia, ita ſimul decreſcentem & increſcentem radicem habet; fibras etiam ab inferioris radicis tuberoſæ baſi emittit tenues candidaſque; ſaporem habent radices dulcem & modice acrem, relinquunt enim in palato aliquam acrimoniam aliquamdiu linguam & fauces urentem, & ſalivam elicientem.

7. *Gladiolus* Indicus è violaceo fuſcus radice tuberoſa, nobis. Flos Indicus è *violaceo fuſcus* radice tuberoſâ, Ferr. Senen. Gladioli hujus Indici tuber eſt effigie Rapuli, colore intus albo, extra ſubruffo, corpore binos ternoſve digitos lato, ſuperno infernoque umbilico anguſto & nonnihil introrſum venulis diſtinctis in eundem acto. Septembri menſe radix in fictili Romæ depoſita germinavit Octobri, tum verno tempore turgere cœpit in florem. Folia exeunt à tubere longa, & ſæpe cubitalia, lata, nervoſa, ſtriata, Gladii modo in acutum mucronem deſinentia, dilute virore albicantia, prope humum candida, rubriſque guttis interſtincta: ex gremio foliorum ſibiinvicem incumbentium exilit caulis bulboſæ Iridis aut Gladioli more articulatus, at brevioribus mucronatis foliis articulatim armatus, unde (licet florem fimbriatum fuſcum gerat) Gladiolo magis mea opinione radice ſua tuberoſa & foliis accedit: flores in ſex petala decuſſantur, cirrata ſeu fimbriata, ſubter vireſcentia, ſupra è violaceo fuſca, nativo tanquam holoſerico villoſa, furvis & veluti fuligine oblitis per ambitum cirris ſeu fimbriis criſpa & corrugata, atris albidiſque unguibus maculoſa, prominula linea intermeante diſtincta, quæ medium præterea ſtilum ſurrigunt ianthinis atque albicantibus maculis notatum, ſtaminulis tenuiſſimis, in imo violaceis, in ſummo luteolis capillatum, quaternis quoque majuſculis croceis, exteriorem in decuſſem dimiſſius digeſtis, coronatum. Diem aut paulo diutius vivunt hæc ſtamina breviſſima & flos ipſe, quæ fatiſcentia nigredine obducuntur, & veluti informia veſpertilionum cadavera illepide contrahuntur. Mira eſt hujus tuberis fœtura: ex imo umbilico inferiore fibra prodit modo longior, modo brevior, cujus ſumma pars in tuberculum paulatim ſoboleſcit. Quare factum eſt ut non ſemel ex eodem tuberculo ſoluto licet ob corruptam fibram nexu procul à matre præter morem fœtus inobſervato adhuc miraculo inveniretur: interdum quoque brevioris fibræ ligamine adhuc integro ſoboles matri cohærens & contigua, vel etiam de more adnata deprehenditur: capſula eſt trigona ſeu tribus loculamentis diſtincta, in ſingulis plurima ſemina, proculdubio in proprio & natali ſolo, continens; unde concludimus nos eſſe Gladioli peregrini ſpeciem.

7. *Gladiolus* ſtagnalis aut lacuſtris Dortmanni, Cluſ Cur. poſter. pag. 40. *Hujus* folia dodrantalem longitudinem raro excedunt, craſſiuſcula & concava ſunt, interſtitioque diſcreta inſtar ſiliquarum Leucoii maritimi, viridia, dulcis alioqui ſaporis, & anatibus urinantibus gratum pabulum, nam ad aliquot ulnarum altitudinem ſub aqua latent, quam tamen caulis inter illa emergens ſuperare conſpicitur, floribus albis onuſtus, Leucoii floribus amplioribus, cava illa & infirma parte petiolo à quo dependent proxima, ſubcærulei coloris, formam pene referentes floris Gladioli, non prorſus tamen ſimiles, quinque petalis tantum conſtantes, quorum duo ſuperiora ob petiolum ſeu calycem ſurſum reflectuntur, tria reliqua latiora propendent: ſingulis floribus ſic conſtructis ſuccedunt turbinata vaſcula, ruffo ſemine plena. Sub extremum Julii florentem hanc plantam ſe obſervaſſe ſcripſit Dortmannus ad pagum Norch & Weſterveide in Drentia & nuſquam alibi. Hæc planta non eſt Gladiolus proprie loquendo, quia

quia non eſt hexapetala, nec ſiliquam habet tricapſularem: nec eſt Leucoium, ut vult Caſparus Bauhinus, quemadmodum demonſtravimus pag, 250. inter Hallucinationes Caſp. Bauhini. Sit ergo Planta ſtagnalis ſeu paluſtris heteroclita & ſui generis, quam collocabimus inter heteroclitas plantas ad finem hujus Hiſtoriæ.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Gladioli *radix ſuperior dulcis decocta trita & farinæ admixta panem dulcem atque innoxium reddit. Permultas juxta eum ſcolopendras reperiunt, teſte Theophraſto, gaudent enim ea herba, frequenteſque congregantur in ea. Poteſt ex authoritate Dioſcoridis ſuperior radix cum vino & thure impoſita ſpicula & aculeos extrahere. Cum farina vero loliacea & aqua mulſa panos diſcutit, unde ejuſmodi emplaſtris additur. Ducit & menſes appoſita. Tradunt etiam ſuperiorem radicem cum vino epotam Venerem exſtimulare, inferiorem ſteriles facere; quin & ſuperiorem radicem cum aqua bibendam commode exhiberi pueris, quibus ex inteſtinorum hernia inteſtina in ſcrotum dilabuntur. Similes ei vires & Plinius lib. 25. c. 21. attribuit. Galeno Gladioli radix attrahendi, diſcutiendi & ſiccandi vim habet, & octavo de Facult. Medicam. Simpl. Xiphii radix, maxime autem ſuperior, trahit digerit deſiccatque.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 40. col. 2. Iris tuberoſa folio anguloſo, C. B. P. Iris tuberoſa flore obſcure viridi colore, Swert. Ibidem & pag. 41. Siſyrinchium ejuſque ſpecies & pag. 41. Gladiolus ejuſque ſpecies. Hæc tria genera plantarum cum radicibus conſtent tuberoſis, male & inepte collocantur a Caſparo Bauhino inter Hyacinthos & Iridem bulboſam, quippe veras bulboſas plantas, quarum radices conſtant tunicis ſeu pelliculis majoribus & exterioribus involventibus inferiores minores, & illas majores reſpectu inferiorum uſque ad meditullium, ex quo deorſum verſus demittuntur fibræ ſeu barbillæ beneficio quarum nutriuntur omnes partes, tam radices bulboſæ intra terram, quam reliquæ partes ſupra terram, ut folia, caules, flores, capſulæ ſeminales & ſemina ibidem contenta. Item pag. 65, 66, & 67. collocatur a Caſp. Bauhino Crocus. Item pag. 67, 68, & 69. Colchicum: cum hæc duo genera conſtent radicibus tuberoſis, non debuere adjungi Ornithogalo plantæ perfecte bulboſæ.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
radicibus tuberoſis oblongis præditis,

CAPUT VI.

DENS CANINUS.

D*Ens Canis* à forma radicis tuberoſæ oblongæ imitantis figuram dentis canini, nomen ſortitus eſt. Sex habet petala in ſingulis floribus, quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ tribus loculamentis diſtinctæ, & hac ratione ducti eundem hic cum ſuis conſimilibus locavimus. Flos ejus vel ex purpura rubet, vel candore micat, vel purpura & candore confuſis pallet. Qui flore rubro eſt, maculis rubris; qui albo, lacteis maculis folia variegata habet. Sic folia aliquando maculata, aliquando non maculata, & communiter bina habet: tantum bina Cæſalpinus, utplurimum terna Adverſaria tribuunt; raro terna Cluſius; quina etiam Hiſtoria Lugdunenſis tribuit.

Pars TABULÆ V. Sectionis quartæ.

Dens canis {
1. *Latiore rotundioreque folio flore purpuraſcente, nobis. Dens canis flore rubro, Eyſt.* ⊙
2. *Anguſtiore longiore folio flore albo, nobis. Dens caninus flore albo, Cluſ. Hiſt.* ⊙
}

Explicatio partis Tab. quintæ Sectionis quartæ.

1. DEns canis latiore rotundioreque folio flore purpuraſcente, nobis. Dens caninus purpuraſcente flore, Cluſ. Hiſt. Dens canis flore rubro, Eyſt. Satyrium erythronium, Lob. Icon. Tab. Pſeudohermodactylus, Matth. Lugd. Ut Colchicum Autumni initio flores ſuos hexapetalos ex radice tuberoſa producit, ſic huic plantæ ineunte Vere bina plerumque folia (raro terna) prodeunt mutuo ſe amplectentia, & florem occulentia, Liliaceis proxima, breviora tamen & latiora, ad Pulmonariæ formam accedentia, craſſa & carnoſa, maculis itidem multis ex atro purpuraſcentibus aſperſa, baſi anguſta paulatimque in latum extenſa, deinde in mucronem deſinentia, explicatis foliis conſpiciendum ſè præbet flos, dodrantali pediculo enodi & vacuo purpuraſcenti innitens, ſex oblongiuſculis petalis conſtans, deorſum inflexus & ſpectans, qui aëris (ſolis radiis ſplendentibus) tepore ſeſe explicat, petalaq; ſurſum reflectit Cyclamini inſtar, elegantis & dilutioris purpurei coloris, ſenis intus ſtaminibus purpureis & candido triſulco ſtilo, nulla odoris gratia placens, ſed ſola florum elegantia ſpectabilis & commendabilis: floribus ſingulis ſuccedit trigonum caput, ſeu capſula tribus loculamentis diſtincta, in quorum ſingulis continentur aliquot ſemina Leucoii bulboſi præcocis alterius ſeminibus fere reſpondentia, ſed longiora gracilioraque, flaveſcentis coloris: radix longa, tuberoſa, infima ſede craſſior, multiſque candidis fibris ſtipata, & plana quadam appendice unica, aut pluribus donata, quæ veluti radicum ſuperioris anni & præcedentium aliquot veſtigia ſunt; parte autem ſuperiore gracileſcens, unde caulis emergit ſumma tellure bina folia proferens. Quamdiu nullum florem dat hæc planta, unico duntaxat exit folio. Copioſe naſcitur ad quorundam montium radices, herbido & udo ſolo, non procul *Griitzio* Stiriæ provinciæ metropoli, & ſereniſſimi Archiducis Auſtriæ Caroli regiâ. Similis plane coloris in Allobrogum montibus erutam, & in Belgicam à *Valerando Doures* Carolus Cluſius ad ſe miſſam plantam meminit. Sed circa Baionam itidem naſci, in vicinis Cantabrorum montibus, Cluſio referebat clariſſimus vir medicus regius *Johannes de la Rivier.* Floret Aprili hæc planta, interdum etiam maturius præſertim in hortis culta.

2. *Dens canis* anguſtiore longiore folio flore albo, nobis. Dens Caninus flore albo, Cluſ. Hiſt. Cam. Eyſt. Erythronium foliis anguſtioribus albo flore, Lob. Icon. Satyrium trifolium & Satyrium Dal[pii], Lugd. Hoc Dentis canini ſecundum genus creſcit in Appennino & Euganeis montibus, cujus folia longiora, maculas albas retinentia, initio dum exeunt caulem etiam amplectentia; atque ejus flos utplurimum ſuperioris flore major eſt, vel lactei omnino candoris, vel miſtis purpuraſcente alboque coloribus conſtans, ſtaminibus albis, apicibus nigricantibus: huic ſuccedit trigonum caput ſemina prioris ſeminibus paria continens: radix etiam longa, paulo ſuperioris craſſior, ex Allobrogibus miſſa nomine Satyrii Erythronii, qua appellatione uſus eſt Lobelius in Adverſariis & Obſervationibus: Altera Pſeudohermodactyli & Dentis canini nomine ex Italia miſſa; utraque frigoris patientiſſima. Flos hujus lacteus eſt, aut ex purpuraſcente & albo mixtus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Stiriacas mulieres radicis hujus exſiccatæ pollinem pultibus puerorum inſpergere ſolere ad enecandas & ejiciendas tineas mihi relatum eſt, inquit Car. Cluſius. Ex vino autem hauſtum eundem pulverem mirifice coli dolores mitigare expertus eſt Doctiſſimus vir Thomas Hauſtain *ſereniſſimi Archiducis Caroli primarius medicus (qui multas ejus radices Viennam uſque non ſemel ad me miſit;) inſuper corporis vires reficere & nutrire, ex aqua vero pueros epilepticos juvare ſcripſit.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

CUm Dens caninus ſit planta radice tuberoſa longa prædita, & floribus hexapetalis donata, quorum ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ trigonæ ſeu tribus loculamentis præditæ, aptius collocatur hic cum ſuæ ſortis plantis, quam inter Ophrin & Orobanchen, quippe galeatas plantas, & toto cælo a Dente canino diverſas.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus tuberoſis oblongis & rotundis præditis.

CAPUT VII.

SISYRINCHIUM.

Σισυρίγχιον *Theoph. l. 7. Hiſt. 13. hoc peculiare habet, ut una radix primò augeatur hyeme, tum ineunte Vere quæ in imo excreverit contrahatur, ſupremaque creſcat, quæ manditur. Sic quoque Plinius l. 19. c. 5. adſcribit Siſyrinchio hoc mirum, imas ejus radices creſcere hyeme, verno autem tempore minui & contrahi, tum deinde radicem tuberoſam* (non bulbum, ut volunt authores) *pingueſcere; non ſolum ſuillo pabulo bulboſæ atque carnoſæ radicis aptitudo, ſed plantæ hujus radix utplurimum roſtro ſuillo ſimilis (unde ei nomen Fabio Columna notante inditum) nominis cauſa fuit.*

Pars TABULÆ V. Sectionis quartæ.

Siſyrinchium
- *Verum*
  - 1. *Majus Aſprenſium ſeu flore majore variegato, nobis. Siſyrinchium Aſprenſium anguſtifolium alterum, Col.* ⊙
  - *Minus ſeu flore minore*
    - 2. *Latifolium, nobis. Siſyrinchium alterum latifolium, Col.* ⊙
    - 3. *Anguſtifolium, nobis. Siſyrinchium Theophraſti Col.* ⊙
- *Spurium*
  - 4. *Majus flore luteâ maculâ notato ſeu* Ιεροξίφιον *majus, nobis. Siſyrinchium majus, Dod. Siſyrinchium majus flore luteâ maculâ notato, C. B. P.* ⊙
  - 5. *Minus flore albâ maculâ notato ſeu* Ιεροξίφιον *minus, nobis. Siſyrinchium Mauritanicum, Cluſ. Cur. poſter. Siſyrinchium minus, Dod.* ⊙

Explicatio partis Tab. quintæ Sectionis quartæ.

1. *Siſyrinchium* majus anguſtifolium radice roſtrata flore majore variegato, nobis. Siſyrinchium Aſprenſinm anguſtifolium alterum, Colum. Hæc parvula planta emicat minimo aëris tepore, florentemque Januario menſe obſervavit Fabius Columna in caſtro *Aſpra* dicto, in Sabinis olim *Caſperies* appellato: radix eſt tuberoſa & ſubſtantiæ uniformis, craſſior radicibus duorum ſequentium Apulorum: folia ſunt anguſta, quaterna, canaliculata, Pinus foliis ſimilia, ſed ita tenui ſciſſura ſive canaliculo, ut niſi animadvertatur juncea videantur: florem edit Croci figurâ & odore, magnum reſpectu plantæ, ſed Croci flore minorem, candicante colore, & in aliquibus ſummæ floris partes purpuro-cæruleæ, & imæ veluti ungues luteo colore; ſtamina intus tria, craſſo & oblongo capite prædita, lutea, medium vero apicem habet alium longiorem, in ſex tenues breveſque lacinias in ſummo diviſum, ex pallido candicante colore. Variat flos, nam tria ex ſex petalis exteriora dorſum habent vel rubens, & lineis variegatum; vel eſt luteo virente linea inter purpureum colorem, aut obſoletam purpuram: radice conſtat tuberoſa & uniformis ſubſtantiæ (non ex pluribus tunicis ſeu pelliculis conſtructa, ut ſunt bulboſæ proprie dictæ) inferius barbata, Apulo Columnæ ſimili, ſed majore duplo, ſapore caſtaneæ, ſeſe itidem radice tuberoſa propagante: iiſdem locis ubi congener altera hujus ſortis Apula planta ſequens oriebatur.

2. *Siſyrinchium* minus latifolium radice roſtrata, nobis. Siſyrinchium alterum latifolium, Col. Hujus radix ſimili formâ, ſed duplo minor priore & oblongior ac multiplici cortice nigrioreque tecta, inferius barbata ut & ſuperior; ſed ex altera parte oblonga, plana, roſtrata & flaveſcens adhæret radix, quæ anni præcedentis erat vetuſtior, cortice ſupra vegetam novam radicem relicto, ut in ſuperioris deductione diximus, & in Icone expreſſimus. Hæc radice præcedentis ſuccoſior eſt, atque ſapore parum amaricante: folia lata, porracea, brevia reſpectu latitudinis, lævia, ſplendentia, oris parum piloſis; fructu inter folia item hærente ut vix emineat & appareat, trigono ut ſuperioris, ſed majore, rubeſcente, in quo ſemina duodecim inſunt, quatuor ſingulis loculamentis, craſſiora, Orobi aut Viciæ fere magnitudine, parum anguloſa. Invenitur Martio menſe Cerinolæ, via qua ad Acquamenam vineam itur, inter Orchides ſphegodes.

3. *Siſyrinchium* minus anguſtifolium, C. B. P. Siſyrinchium Theophraſti, Col. Non ſolum ſu illo pabulo tuberoſæ hæ radices inſervientes, ſed & roſtrata forma radicum harum plantarum roſtro ſuillo ſimilis nominis cauſa eſt, teſte Fabio Columna: ſic enim apud Græcos Σισυρίγχιο ſonat, atque etiam Theophraſti notæ reſpondentes, qui inter tuberoſas plantas enumerat Siſyrinchium, & inde ait, *peculiare Siſyrinchio datum eſt, ut una radix augeatur hyeme, tum ineunte Vere, quod in imo excreverit contrahatur, ſupernumque creſcat quod manditur.* Et alibi inter foliofas ab radice enumerat bulboſas, tuberoſas, quibus reſpondere videtur planta illa per viarum margines herbidas Cerinolæ Martii initio proveniens; quæ radicem habet tuberoſam (non bulboſam ut vult Columna) parvam, Avellanæ nucis medullæ parem, cortice Colchici modo obductam ruffo qui facile evellitur, rotunda forma, oblonga verò, & inferius, non ut aliæ bulboſæ aut tuberoſæ, rotundam, planam & fibroſam baſin habentem, ſed in oblongum productam, ſinuoſam & in acutum definentem, delphini vel ſuis roſtrum efficientem, lævem veluti arte elaboratam, ſuperiorem animalis mandibulam imitantem, atque palati cavam partem: ex alia parte veluti inferiorem alteram mandibulam, quæ tenuis eſt & lata, mobilis menti inſtar, ex lata tenuiſſimis fibris diviſa, tandem denis veluti capillamentis donata, quibus terræ adhæret, & alimentum trahit: inter ambas vero linguæ modo, fibra carnoſa, rotunda, longa exit, ex qua ſe propagare videtur ut aliæ tuberoſæ ſolent, & radix tuberoſa anno ſequenti efficitur, cujus rei ſignum eſt cortex inanis qui ſupra vegetam radicem paulo ſuperius invenitur ut depingitur. Fibræ pullæ, diaphanæ ut Orchidum fibræ, non ſolidæ ut radix tuberoſa, quæ denſa, dura, alba, ſplendida eſt; caſtaneæ immaturæ ſapore. Duas uncias infra terram occultatur, & ſuprà folia emittit quatuor, quinque vel ſeptem, inæqualia, tenuia, dura, carnoſa, minora & breviora Croci ſativi, nec lata, ſed Xiphii modo per dorſum ſolida, duriuſcula, ſtriata. Binos emittere flores ſtellatos obſervavit Fabius Columna inter folia terræ hærentes, ſex *petalis* conſtantes, è calyce exeuntes; quorum tria exteriora vireſcunt, vel violacea ſunt, reliqua *alba*, & lineis tribus violaceis per longum ductis depicta ſilveſtris vel verni Croci modo, anguſta, brevibus intus ſtaminulis: his marceſcentibus capſula remanet oblonga, viridis, trigona, Tritici grano duplo major, in qua ſemina turgent, & in ſuperficie propter cutis tenuitatem extuberantia apparent, ſiccata diſrumpitur, & copioſa, minuta, rotunda, flaventia oſtendit ſemina. Novembris fine obſervata fuit hæc planta radicem emittere ſuperne, ut Gladiolus, cui radicibus eſt affinis, quæque tunc parva admodum erat, duobus foliis emiſſis, atque hyeme poſtea crevit foliaque alia emiſit: quare hyeme radicem tuberoſam creſcere & pingueſcere certum videtur, æſtate vero contrahi exſuccam, nam Vere capſulam perficit Aprili menſe, cum floruerit Martio.

4. *Siſyrinchium* ſpurium majus flore luteâ maculâ notato ſeu Ιελοξίφιον majus, nobis. Siſyrinchium majus flore luteâ macula notato, C. B. P. Siſyrinchium majus, Dod. Siſyrinchium flore cæruleo, Swert. Siſyrinchium bulbi eſculenti genus, Lugd. Huic folia ſunt *graminis* inſtar, bina aut terna, oblonga & anguſta: caulis rotundus, dodrantalis, in quo flores *bini* ternive conſpiciuntur, pulchri, colore cærulei, verum fugaces & paucis admodum in hortis vigentes, alternatim prodeuntes, formâ quodammodo Iridis, ex novem videlicet petalis compoſiti, quorum tria reflexa, quæ nobis menta dicuntur, pro fimbria maculam habent plurimâ parte luteam, alia tria ſurſum verſus aliquantulum eriguntur, quæ vexilla nobis nominabuntur; tria vero reliqua reſpondentia iis, quæ Iridis florum fimbriam ſeu mentum contegunt, linguæ trifidæ nobis appellabuntur; proportione huic floſculo ſub exortum tenuiora ſunt, verſus finem latiora, ſurſum erecta, medium petali dicti mentum tenent ſumma extremaque parte *trifida* ſeu trifariam diviſa: hiſce ſingulis ſuccedunt capitula oblonga tribus loculamentis *diſtincta, in* quorum ſingulis ſemen rotundum, parvum uti Rapi continetur: radix tuberoſa, *gemina, una* alteri ſuperpoſita ſicuti Gladioli radix, ſapore dulcis & edulis, quæ involucro *quodam* integitur reticulato, quod quidem majoribus ſpiſſius eſt, minoribus quidem minus craſſum. Duæ etenim hujus generis ſpecies eſſe videntur magnitudine ſola differentes, una quidem major, altera vero minor. In Luſitania & alibi apud Hiſpanos naſcitur. Florebant Machliniæ Maio menſe in horto ampliſſimo & inſtructiſſimo D. Johannis Branchionis. Hiſpani *Nozellhas* quaſi nuculas ſive parvas nuces majoris radices, minoris vero *Macucas* appellant. Dodonæo bulbi eſculenti genus illud eſſe videtur, quod Græci σισυείγχιον ἢ σισιγείχιον & Latinè à Plinio Siſyrinchium appellatur. Creſcit Valentino regno, ſed & Murciano frequentiſſimum obſervabat atque eruebat Car. Cluſius, præſertim tribus leucis ſupra Metropolin Murciam dictam.

5. *Siſyrinchium* ſpurium minus flore albâ maculâ notato ſeu Ιελοξίφιον minus, nobis. Siſyrinchium Mauritanicum, Cluſ. Cur. poſt. Siſyrinchium minus, Dod. Hoc flores protulit Siſyrinchii

ſyrinchii majoris ſupradicti (quod in Luſitania obſervabat Cluſius) prorſus ſimiles, non tamen cæruleos, ut illius, ſed purpurei dilutioris coloris, valde etiam fugaces & ephemeros, quorum terna majora, ſive menta tria, inflexa & terram ſpectantia, alba macula erant inſignita. Hujus radices tuberoſæ & uniformis ſubſtantiæ, & non bulboſæ proprie loquendo, ex ea Mauritaniæ parte, in qua *Feza* & *Maroco* urbes ſitæ ſunt, delatæ ſunt, initio anni 1590.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Siſyrinchii ut ſupra dictum nota generica fuit hæc, ut ſex petala gereret in ſingulis floribus, atque radicem cum ἐπιφυσι *ſeu appendice formam roſtri ſuilli referente ederet, ut recte monet Doctiſſimus Fabius Columna: atqui quarta & quinta planta ſupra deſcriptæ non pollent hiſce conditionibus, edunt enim radices rotundas ſine epiphyſi, atque flores Iridum floribus omnino conformes; ergo non ſunt proprie Siſyrinchia dicenda, ſed cum radicibus accedant Gladiolo, floribus autem Iridi, videntur mihi ambigere inter utrumque, Gladiolum ſcilicet, & Iridem; ſed cum a fine ultimo magis accedant Iridum claſſi, id eſt floribus & capſulis ſeminalibus ſeminibuſque, eaſdem immediate Iridum tuberoſarum claſſi præfiximus: quicunque has ancipites &* ἀμφιμεξείσας *plantas* Ιριοξίφιον *appellaverit, non ei reluctabor, quia radicem habent Gladioli, aſt nobiliorem partem, florem ſcilicet, Iridis: ideo nomen Iridis præibit Gladiolo in compoſitione vocis determinantis genus ad quod debent reduci.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
radicibus tuberoſis geniculatim & per juxtapoſitionem conſtructis.

CAPUT VIII.

XYRIS & IRIS TUBEROSA GENICULATA.

XYRIS & Iris tuberoſa conveniunt cum cæteris omnibus antedictis in ſecunda hac diſtributione contentis, quod ſint Hexapetalæ tricapſulares tuberoſa radice præditæ, ſed à cæteris etiam diſtinguuntur cùm modo ſtructuræ florum Hexapetalorum, tum textura radicum tuberoſarum. Primo Xyris & Iris tuberoſa radices ſuas tuberoſas, longas, per juxtapoſitionem & geniculatim conficiunt, à quibus ſecundum longitudinem demittuntur fibræ ex geniculis. Secundo flores producunt primo intuitu novenis petalis conſtantes, cum revera poſt debitam examinationem apparent tantum ſex, nam terna minora & anguſtiora petala carinata, & ad extremum fiſſa in tres partes (quæ linguæ nobis impoſterum denominabuntur) ſub exortum adeo arcte adhærent tribus majoribus petalis repandis (quæ nobis itidem menta dicuntur) ut linguæ appareant, & tantum appendices carinatæ incumbentes majoribus repandis petalis, quæ paſſim ſub mentorum nomine à nobis recitabuntur. Sic omnes Irides tam tuberoſæ, quam bulboſæ, terna habent petala majora, & ad extremum latiora cum fimbria diverſi coloris; hiſce terna anguſta carinata petala incumbunt, adeoq; arcte ſub exortum è calyce eiſdem ſeu mentis adhærent, ut pro tribus tantum à nobis paſſim in noſtra doctrina accenſeri debeant; terna alia petala ſurſum erecta vexilla demum appellantur. Hac ratione conſtant omnes Iridum flores tribus mentis ſeu petalis majoribus repandis cum epiphyſibus ſuis linguis, ab iiſdem inſeparabilibus ſine ruptura, & tribus vexillis ſeu petalis ſurſum erectis: ſic omnes Irides & Xyris erunt plantæ hexapetalæ tricapſulares, neutiquam enneapetalæ dicendæ ſunt ut volunt authores.

ΞΥΡΙΣ *ob folii ſimilitudinem, quaſi raſorium cultrum dicitur, de qua Dioſcorides l. 4. c. 22.* Ιρις ἀγρία, *Iris ſilveſtris Theoph. Plin. l. 21. c. 20. Iris ſilveſtris (à quibuſdam Xyris vocata) Spatula fœtida, tum ob folii figuram Gladiolum referentis, tum quod gravem odorem exhalet, vulgo dicitur.*

Pars TABULÆ V. Sectionis quartæ.

- *Iris tuberoſa radice*
  - 1. *Pendula folio anguloſo flore obſcure viridi colore, nobis. Iris tuberoſa obſcure viridi colore, Swert. Hermodactylus verus, Matth, Lugd. Tab.* ⊙
  - *Geniculatim ſeu per juxtapoſitionem compacta*
    - *Latifolia*
      - 2. *Agria fœtida vel Xyris, nobis. Xyris, Matth. Spatula fœtida, Eyſt.* ⊙
      - 3. *Zingiber dicta flore albo, nobis. Zingiber, C.B.P. Zingiber flore albo, Swert.* ⊙
      - 4. *Vulgaris Germanica ſive ſilveſtris, C. B. P. Iris latifolia major vulgaris, Cluſ. Hiſt. Iris latifolia vulgaris cærulea, Eyſt.* ⊙
      - 5. *Alba Florentina, C. B. P. Iris Florentina, Eyſt.* ⊙

        TABULA VI. Sect. IV.
      - 6. *Suſiana flore maximo ex albo nigricante, C. B. P. Iris Suſiana, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 7. *Major Aſiatica cærulea ſive 2. Cluſ. Hiſt. Iris Aſiatica cærulea polyanthos, C. B. P.* ⊙
      - 8. *Dalmatica flore purpureo dilutiore, J. B.* ⊙
      - 9. *Pannonica colore multiplici, nobis. Iris latifolia Pannonica colore multiplici, C.B.P. Iris latifolia major 15. Cluſ. Hiſt. Iris Portugalica, Eyſt.* ⊙
      - 10. *Candida purpureis venis diſtincta, C.B.P. Iris latifolia major 27. Cluſ.* Hiſt. ⊙
      - 11. *Paluſtris lutea ſeu Acorus* adulterinus, *J. B. Iris paluſtris lutea, Tab. Ger.* ⊙
    - *Anguſtifolia*
      - *Pratenſis*
        - 12. *Folio fœtido, nobis.* Iris *anguſtifolia major ſive* 1. Cluſ. *Hiſt.* ⊙
        - 13. *Non fœtida altior, nobis.* Iris *anguſtifolia 2. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - *Humilis ſeu Chamæiris*
      - *Latifolia*
        - 14. *Flore purpureo flaveſcente,* nobis. *Chamæiris latifolia minor* octava, *Cluſ. Hiſt. Eyſt.* ⊙
        - 15 *Minor flore purpureo* & ſubrubente, *nobis. Chamæiris* latifolia *minor 1. Cluſ. Hiſt.* ⊙

        Pars TABULÆ VII.
      - 16. *Anguſtifolia, Tab. Chamæiris tenuifolia,* Ger. *Iris graminea cui pereunt quotannis folia* flore *variegato, J. B. Chabr.* ⊙

§. 1. IRIS TUBEROSA RADICE PENDULA.

Explicatio partis Tab. quintæ Sectionis quartæ.

1. IRis tuberoſa folio anguloſo flore obſcure viridi colore, nobis. Iris tuberoſa flore obſcure viridi colore, Swert. Iris bulboſa præcox, Cluſ. Hiſt. Hermodactylus verus, Matth. Lugd. Tab. Satyrium, Cæſ. Ad Irides à fine ultimo pertinet hæc planta tuberoſa, cui folia ſunt oblonga & anguſta, anguloſa, ternis canaliculis donata : flos in cacumine erumpit, formâ omnino Iridis, veruntamen & minor habita ratione petalorum nguſtiorum ; obſcure viret, nihilominus in obtuſiore & prona menti parte fimbria nigricat: capitulum ſatis magnum perfecto ſemine dependet, in tres rimas fatiſcens : ſemen rotundum Ochri ſemine minus, initio inalbicat : radix binis aut ternis conſtat tuberibus, oblongis, à ſummo apice pendentibus Aſphodeli inſtar, & digitos referentibus. Peregrina ſtirps eſt, quæ ex Orientis partibus & Conſtanti-

ſtantinopoli regionibus vicinis, indeque in Italiam & Galliam aliaſque Septentrionales noſtras regiones infertur. De facultatibus hujus Iridis nihil ſcribendum occurrit.

§. 2. XYRIS.

2. *Xyris* vel Iris agria fœtida, nobis. Xyris vel Iris agria, Theoph. Dod. Gal. Lob. Icon. Xyris, Matth. Lob. Cam. Ger. Xyris ſeu Spatula fœtida, Park. Spatula fœtida pleriſque Xyris, J. B. Chabr. Spatula fœtida, Trag. (cui & Gladiolus Italicus) Fuch. Lon. Geſn. Hort. Cæſ. Tab. Dod. Hæc plantula fœtida (ob fœtorem gravem, quem folia abrupta edunt) caule foliiſq; Iridi figura omnino ſimilis; folia tamen nigriora, gravem fœdumque cimicum odorem ſpirant, præſertim ſi confricentur, atque digitis atterantur: flores quoque ſimiles, ſed minores, purpurei, ſordidi & obſoleti coloris, vel ut Valerius Cordus, ſaturatâ purpurâ arridentes, qui capſularum triangularibus rudimentis quaſi ab ipſis exorientibus inſident, quæ tandem defluentibus floribus, majores factæ & dehiſcentes, in tres dividuntur partes ſeu loculamenta, in quorum ſingulis plurima continentur ſemina Ochri ſive Erviliæ ſeminum magnitudine, rubentia, Pæoniæ ſeminum inſtar ſplendentia, quæ reficcata contrahuntur & nigreſcunt: radices novellæ plantæ fibroſæ, ſed adultioris rotundæ, tuberoſæ, longæ, per juxtapoſitionem geniculatim contextæ, atque ex geniculis craſſiores fibræ dependent. Veteribus & multorum annorum plantis multæ ſunt radices invicem implicitæ, magnum veluti ceſpitem, aliarum Iridum tuberoſarum more, conſtituentes, guſtu fervidæ, ſicut & ipſum ſemen. In Hetruria & aliis Italiæ & Galliæ locis multis exit. In Belgio autem vix in aliis locis quam in hortis reperitur. Florem edit Julio & Auguſto, ſemen Autumno maturatur. Figuræ Fuchſii, Matthioli, item Johannis Bauhini fibroſa radice pinguntur, dum enim adhuc juvencæ radicem habent fibroſam ſeu capillarem; ubi vero adoleverint, craſſæ tuberoſæque ſunt. Provenit prope prata & litoreos maris aggeres, & pariter inter dumeta paſſim prope Monſpelium & Blæſas reperitur.

Gladiolus fœtidus maritimus, C. B. P. Xyris maritima quam fluctus in litora cum aliis purgamentis rejiciunt, Hiſt. Lug. Hæc eſt eadem cum priore, radicitus fluctibus maris avulſa, & cum ejuſdem purgamentis ad litus projecta; cur primo multiplicet entia ſine neceſſitate Dalechampius in Hiſtoria Lugdunenſi, quem ſequutus Caſp. Bauhinus, nihil eſt cauſæ.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Xyris *tenuium eſt partium, inquit Galenus, aſtrictoriæ, digerentis & deficcantis eſt facultatis cùm radix, tum multo etiam amplius fructus, qui quidem & urinam ciet, & lienes induratos ſanare poteſt. Dioſcorides ait radicem contra capitis vulnera & fracturas facere, aculeos educere, & telum omne citra dolorem extrahere, admixta æris tertia parte & Centaurii quinta parte & melle: ſanare œdemata & inflammationes cum aceto impoſitam, ac convulſa, rupta, coxendicum dolores, ſtillicidia urinæ & diarrhœas; cum paſſo tritum fructum urinam potenter movere trioboli pondere ex vino bibitum, lienem vero minuere cum aceto potum.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus tuberoſis geniculatim & per juxtapoſitionem conſtructis.

§. 3. IRIS TUBEROSA LATIFOLIA.

I*Ris*, Ιρις *Dioſcoridi l. 1. c. 1. à cœleſtis arcus ſimilitudine nomen accepit. Species complures eſſe, colore floris differentes, idem oſtendit; nempe candido, pallente, luteo, purpureo, cæruleo ſeu cyaneo (alii nigros legunt) quam colorum diverſitatem non in uno flore reperiri, videtur Dioſcorides (ut aliqui credunt) voluiſſe, ſiquidem de Illyrica maxime loquatur, quam Braſſavolus in Illyrico plerumque candidis, aliàs pallidis, nonnunquam luteis & etiam purpureis conſpexit. Theophraſto 6. Cauſar. 13. Iris odorata eſt & à gratia palati nomen accepit, quæ in Illyride (6. Cauſ. 28.) melior quam in Macedonia: in Thracia vero, lociſque frigidioribus odore penitus caret. Gaza Iridis vocem conſecratricem vertit, Plin. l. 21. c. 7. Iris diverſicolor ſpecie floret ſicut & arcus cœleſtis, unde & nomen: laudatiſſima in Illyrico; proxima in Macedonia, quæ longiſſima, candicans & exilis:*

tertium

tertium locum habet Africana, quæ ampliſſima & guſtu amariſſima. Illyrica quoque duum generum: Raphanitis, à ſimilitudine (forte Aſtragalites Gal. & Ætii) quæ & melior, Rizotomis ſubruffa non improbatur; & Piſidica.

Recentiores multas differentias agnoſcunt: quare dividemus in eam quæ radice eſt geniculata, & eam quæ eſt radice bulboſa: hæ enim & foliorum latitudine anguſtiave, floriſque colore, & ratione loci natalis variant.

In hoc capite 8vo hujus quartæ Sectionis agemus de Iride tuberoſa radice geniculatim & per juxta poſitionem conſtructa donata, cum pluribus fibris in terram dimiſſis ex ſingulis prædictæ radicis geniculis; & hoc nomine quam facillime diſtinguitur ab Iride radice bulboſa prædita, cujus radix conſtat ex multis tunicis ſeu pelliculis majoribus & externis involventibus minores infra, atque illæ ſunt adhuc majores reſpectu inferiorum uſque ad meditullium, ex quo deorſum verſus demittuntur barbulæ ſeu fibræ, quibus ſinguli nutriuntur bulbi proprie dicti: ſurſum verſus vero protruduntur folia, caules ſuſtinentes flores hexapetalos, & conſequenter capſulas trigonas, ſeu tribus loculamentis diſtinctas, in quorum ſingulis continentur plurima ſemina rotunda aut aliquando oblonga, Piſi magnitudine. Tertio occurrit Iris tuberoſa, Zingiber dicta à calore radicis tuberoſæ, & ejus in culina uſu; Zingiber Latinis, Σιγγίβεεις Græcis dicitur.

Zingiber cùm folia Iridis & ſiliquam aliquatenus Xyridi ſimilem habeat, de eo hic agendum: quod Dioſcoridi l. 2. c. 190. Σιγγίβερις; *Galeno & Oribaſio* Ζίγγιβερ *dicitur: Plin. l. 12. c. 7. Zimpiberi & Zingiberi habet.*

3. *Iris* latifolia tuberoſa Zingiber dicta flore albo, nobis. Zingiber, C. B. P. Zingiber flore albo, Swert. Zingiber & ejus ſiliqua, J.B. Chabr. Zingiber Orientale floreſcens, *Park.* Gingiber & Zingiber, Herbariis. Zingiber folia edit Iridis paluſtris more, teſtibus Garzia ab horto & Monardo. Radicibus conſtat ex pluribus tuberibus geniculatim conjunctis conflatis, unciam aut ſemiunciam longis, digitali craſſitudine, anguſta cervice commiſſis eâdem ratione quâ Anemones radices, cortice extenſo, ex cinereo fuſco, ſubſtantia itidem intus cinereâ, albicante, ſolidiuſcula, fibris longis intertexta, ſapore fervido aromatico, piperis æmulo: ex radice oriuntur caules ſuſtinentes flores Iridis formâ, colore albo. In India Orientali colitur, vel radicibus ſectis & ſeparatis, vel ſeminibus ſatis: folia, inquam, habet Iridis paluſtris aut Gladioli, non autem graminea aut miliacea, ut vult Acoſta. Duplex eſt *Zingiber* quoad ſubſtantiam ſeu conſiſtentiam & colorem radicum, non autem quoad formam diverſum, nigrum, tenuius, at album intus candeſcit & mollius eſt, quod cùm in officinis, tum culinis uſurpatur; nigrum & durius & magis lignoſum & intus nigreſcit, cujus figuram hic damus. Floruit in Germania teſte Emanuele Swertzio ex relatione Dom. Stephani; nigri autem radix minor nigriorque, ejuſdem autem formæ eſt forte Zingiber foliis miliaceis aut Lachrimæ Jobi, Zingiber intus fuſcum Cord. in Hiſt.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Radicibus Zingiberis utuntur ad multa, quemadmodum nos (inquit Dioſcorides) Ruta, in potionibus quæ cibo præmittuntur coquentes, & aliis cocturis admiſcentes. Vim habet calefaciendi, coquendi mollifaciendique ſtomacho valde commodam. Facit etiam ad ea quæ oculorum pupillis tenebras effundunt. Admiſcetur quoque antidotis; & in ſummâ, Piperis facultatibus quodammodo ſimile eſt Zingiber. Zingiberis radix excalefacit fortiter, ſed non ſtatim primo occurſu veluti Piper, unde ſane & ipſum partium minus ſubtilium quam Piper exiſtimandum eſt, ſiquidem in tenues ſolveretur partes, & celerrime acta, ut illud fieret calidum. Apparet enim elaboratam & craſſiorem adhuc quandam ei ineſſe ſubſtantiam, nec eam ſiccam & terreſtrem, ſed humidam potius aut aqueam. Radix Zingiberis condita ad effectus ventriculi frigidos confert, ſumpta mane jejuno ventriculo. Corrigit omnem ventriculi humiditatem, ac omnem corruptionem generatam in eo ob nimium eſum fructuum. In ſyrupo aut ſaccharo condita confert tuſſi & refrigerationibus: pectus purgat atque maturat ſimul & pituitam viſcidam ac lentam. Valet contra obſtructiones hepatis, generatas à frigiditate & humiditate; memoriam juvat. Sperma auget, & ad venerem excitat. Denique Zingiber calefacit ac utile eſt in cibis; datum cum purgantibus vehementioribus ut Colocynthide, Hermodactylis, & ſimilibus, eorumque malitiam corrigit. Vide cætera apud Johannem Bauhinum pag. 746. Tom. 2. Optimum eſt Malabaricum Arabibus & Perſis maxime expetitum, ſecundum locum obtinet quod in Bengola colitur. Invenitur etiam in Inſulis Divi Laurentii & Comaro, quæ Æthiopiæ ſunt finitimæ regiones.

4. *Iris* vulgaris Germanica ſive ſilveſtris, C. B. P. Iris Germanica, Fuch. Iris cærulea, Dod. Iris ſilveſtris, Matth. Lugd. Tab. Iris ſilveſtris major, Matth. Ep. Cam. Geſn. Hort. Iris latifolia

folia major vulgaris, Cluſ. Hiſt. Iris, inquit Car. Cluſius, eſt ex earum ſtirpium numero in quibus ſumma varietas obſervabatur ab ipſo, in nullam enim provinciam peregrinationem inſtituit quin ejus aliquod genus ante ſibi non conſpectum invenerit, ut ex ſuis Hiſpanicarum & Pannonicarum ſtirpium Hiſtoriis, quæ ſeorſum ſunt editæ, videre licet. Omnes autem Irides tuberoſæ dividuntur in latifolias & anguſtifolias, latifoliæ in majores ſeu proceriores & minores ſeu pumilas. Iris autem tuberoſa latifolia major hortis vulgatiſſima radice geniculatim conjunctâ conſtat, & per obliquum agitur, craſſa, rugoſa, guſtu acri, conſumptoque ſuperfluo humore tandem odora: caules cubitales & ſeſquicubitales, ramoſi, teretes: folia unciam lata aut latiora, rigida, ſtriata, in gladii mucronem exeuntia: flores amœni, violacei, tribus petalis repandis per oras infimas variegatis, coſta interius ad medium uſque folium crocatis apicibus villoſa: totidem ſurrectis obtuſis mucronibus, & fere rotundis, carinata inclinatione coëuntibus: inter quæ tria longa, prædictis ſex minora, mentis ſeu petalis repandis incumbentia & ſub exortum arcte ipſis conjuncta, dilutiore violaceo colore tincta, in ſummo fiſſa, mordicus in exortu adhærentia & juncta repandis, quibus poſtica parte totidem concolores fibræ albicantibus apicibus apprimuntur. In ſumma totus flos Iridis omnes colores repræſentat, unde nomen invenit. Poſt octiduum flos contrahitur exſiccaturque, decidit, oblongum, ac triangulare capitulum relinquens, quod in tria loculamenta diviſum eſt; in quorum ſingulis conſpiciuntur ſemina rotunda, oblonga. Graviter tota herba, ut Sambucus, fere dum teritur, ſpirat; præſertim radix, quæ etiam guſtata Coccognidii modo fauces exurit. Iris tuberoſa ſilveſtris parum differt, aut paucis notis à ſativa diſtinguitur, foliis ſcilicet minoribus, & hyeme prorſus non apparentibus, cum ſativæ folia hyemis ſævitiæ contumaciter reſiſtant: caulem etiam ſilveſtris breviorem quam ſativa fert, è quo flores viginti fere diebus ante ſativæ flores erumpunt, colore magis purpureo; cætera convenit. Hæc eſt quam in tectorum culminibus, vinearum maceriis & muris plantare conſueverunt, quæ in hortis tranſlata cultura ſpecioſior eſt. Fit degeneratio floris qui aliquando eſt pallide cæruleus aut cyaneus, item & albus, & eſt Iris Germanica flore albo, C. B. P. & Iris candida, Dod. ſub Iride altera. Iris vulgaris candidis floribus, Lob. Icon. Lug.

5. *Iris* alba Florentina, C. B. P. Iris Florentina, Irios officinarum, Dod. Gall. Lob. Ad. Iris major alba, Illyrica vulgo, potius Florentina, Cam. Iris latifolia major alba, Cluſ. Hiſt. Qui purpuream vulgarem Iridem recte norit, is nullo negotio hanc albam Florentinam dignoſcet: nullam quippe in radicibus, foliorum, florum & capſularum ſeminalium formâ differentiam notabilem animadvertimus; at in coloris varietate & radicis odore intentiore non modicum eſt diſcrimen: folia enim colore ad glaucum magis accedunt: flores gratiore odore præditi, & lacteo candore perfuſi ſunt, extimorum coſtis non minus quam purpureæ extra virentibus, quibus intra lutea crocomata reſpondent; imorum autem foliorum margines luteæ ſtriæ percurrunt: radices hujus Iridis ſiccatæ non corrugantur, & differt à præcedente, quod hæc ſit radice minore. Cur Caſparus Bauhinus ſeparet Iridem Florentinam albam à vulgari alba ſeu Matthioli neſcimus, cum Florentia ſit in Hetruria, ubi obſervavit Matthiolus flore albo, nam utriuſque coloris Florentiæ obſervantur Irides, quæ ſolent pro Iride vendi, quæ ſunt majores, craſſiores, ſolidiores, candidiores & odoratiores quam ſunt radices Iridis vulgaris noſtratis. Forte regio ſolummodo eſt in cauſa diverſitatis à noſtra vulgari, hoc enim rationi conſonum eſt quod plantæ fragrantes floribus, aut odoratæ radicibus, intenſius in calidioribus & ſiccioribus regionibus, quam in frigidioribus & humidioribus redolent, ſuavioremque ſpirant & ſuffundunt odorem.

6. *Iris* Suſiana flore maximo ex albo nigricante, C. B. P. Iris Suſiana, Cluſ. Pan. Iris Chalcedonica variegata, Lob. Tab. Iris latifolia major 1. Cluſ. Hiſt. Iris Pharaonis vel nigra Cretica quibuſdam. Hæc ſena aut octona habet folia Iridis Luſitanicæ biflora foliis non abſimilia, mutuo ſeſe ut in aliis hujus claſſis ſpeciebus amplectentia: è quorum medio caulis exit cubitalis & amplior, rotundus, geniculatus, digitalis craſſitudinis; florem ſuſtinens omnium, quæ unquam inter Irides obſervatæ fuerunt maximum, ſex petalis cum tribus lingulis ut in cæteris Iridum ſpeciebus obſervare licet conſtantem, colore tamen ab omnibus differentem; nam tria ad terram inclinata petala craſſa, ſunt interiore parte omnino nigra, niſi quædam venæ ex purpura candicantes intercurſarent maculâ ab infimâ baſi ad medium uſque, nigri panni inſtar medium petalum occupante, foris multo dilutiora ſunt: terna minora iis incumbentia fornicata & bifida ſunt, & ejuſdem fere coloris, paulo tamen dilutioris, licet ad obſcuram purpuram accedentis: tria ſurrecta ſeu vexilla palmaris ſunt amplitudinis & membranaceæ pæne tenuitatis, plurimis lineis undulatis ab infima baſi ad extremum uſque petalum excurrentibus,

partim nigricantibus, partim ex cineraceo candicantibus, ut Americani Pavonis expanſam caudam fere imitentur, interne circa unguem nonnihil hirſuta. Nullus odor in hoc flore deprehenditur, ſed ſola coloris varietate commendabilis eſt; illi ſuccedunt, ſed raro admodum, capita trigona, craſſa, uncias tres quatuor interdum longa: ſemen numeroſum, rugoſum, fuſcum, Piſi forma magnum, in ſe continentia. Hæc Iris primo Conſtantinopoli miſſa flore eleganti variegato: florem enim fert ex albo & nigro variegatum, ſed nullum edit odorem gratum. Ego (inquit Cluſius) quia ex Suſis, Suſianæ provinciæ metropoli, primo in hortos Conſtantinopoli vicinos, ultra Boſphorum ſitos, illatam judico hanc Iridem (nam id nomen indicare videtur) Suſianam nuncupandam. Hyemis injuriam difficulter fert in horto repoſita, reliquis Iridis ſpeciebus tenerior & delicatior: rarius cæteris floret, & unicum utplurimum florem profert Maio; ſemen eſt maturum Julio & Auguſto.

7. *Iris* major Aſiatica cærulea ſive 2. Cluſ. Hiſt. Sena, ſeptena, octona habet folia hæc Iris cærulea Aſiatica, omnium Iridum ampliſſima & in latum expanſa, viridis cui erugo permixta videatur coloris, mutuo ſe amplectentia, è quorum medio caulem promit ſeſquicubitalem; interdum etiam bicubitalem vel ampliorem, firmum, craſſiorem ſuperiore, lævem, geniculatum, multiſque alis concavum: quibus copioſi (nulla enim feracior obſervatur) vaginulis inclusi prodeunt flores, magni, novem petalis conſtantes, quorum terna inflexa dilute purpuraſcentis, atque ad cæruleum tendentis ſunt coloris, multis purpuraſcentibus venis ab infima parte & ſtaminea fimbria flava in longitudinem & latera excurrentibus, bifida petala exalbeſcunt, gibbo tamen illorum dilute purpuraſcente; tria quæ ſe attollunt petala anguſtiore & ima parte quibuſdam purpureis brevibus venis diſtincta ſunt, ubi vero ſe *in latum ſeu* mentum expandunt ſubcæruleum habent colorem, dilutiorem adhuc quam inflexa, & *florum* Sambuci odorem, graviorem tamen, quodammodo æmulantur: iis ſuccedunt rariores capſulæ, craſſæ, magnæ, triangulares & obtuſo mucrone præditæ, quibus maturitate dehiſcentibus ſemen in tribus diſtinctis loculamentis latère deprehenditur, craſſum, anguloſum, durum, flaveſcens, ſuperioris ſemini par: radix craſſa, magna, nodoſa, tuberoſa, geniculatim compacta, multis longis craſſiſque fibris donata, lateribus ut reliquæ hujus ſortis ſeſe propagans; purgat, ſi exſiccetur odorata in remiſſiore gradu quam Florentinæ Iridis radix. Conſtantinopoli miſſa fuit hæc Iris ad Carolum Cluſium à Domino *Unguad* Cæſareo tum apud Turcarum imperatorem Legato. Floret etiam Maio.

8. *Iris* Dalmatica flore purpureo dilutiore, J. B. Hæc folio eſt anguſtiore: flores purpuræ dilutioris, terni, quaterni, ſingulis caulibus oblongiore pediculo inhærentes: ſemen in breviore triangula capſula anguloſum, pallidum & rugoſum. Floret ſerius Vere Iris Dalmatica minor, Iridi bifloræ facie omnique ſua parte perſimilis, ſed tota minor & flores dilutiores aliquanto. Alphonſii Pancii Medici Ferrarienſis munere miſſa Cluſio, Belgii inquilina facta, unde nobis communicata. Huic valde affinis eſt Iris biflora Luſitanica, flore tamen violaceo. Eſt odoris Oenanthen aut Lilium convallium Æmulantis. Floruit Vere, poſtea etiam Autumno menſe Novembri in arvis circa Conimbricam celeberrimam Luſitaniæ urbem. Item & ſalebroſis & lapidoſis locis circa *Caxcays* maritimam urbem & portum, unde detulit Car. Cluſius Olyſipponem & inde in Belgiam miſit: quia & Vere & Autumno floruit, bifloram Iridem appellavit.

9. *Iris* latifolia Pannonica colore multiplici, C. B. P. Iris latifolia major 15. *Cluſ. Hiſt.* Rugoſa ſunt huic folia, minus tamen lata, longa & viridia quam quartæ Cluſii, ſecundum radicem interdum purpuraſcentia, è quorum medio caulem promit cubitalem, lævem, *viridem*, aliquot ramulis donatum: quibus inſident flores è vaginulis emergentes, magni, *vel prorſus* inodori aliquando Oxyacanthæ vulgaris florum inſtar odorati, coloris varietate *commendabiles*: nam tria petala quæ ſurſum ſpectant & attolluntur, aut cacumine nutant & *plerumque* (niſi marceſcere incipiant) recta ſunt ut in Iride bulboſa, nonnihil tamen convexa, anguſtiora, lutei coloris quemadmodum & illa quæ mentum fimbriamque contegunt: tria repanda, ad terram reflexa, circa baſin & exortum pallent, reliqua parte conveniunt, multis tamen purpureis radiis ab ipſa ſede ad extremum uſque petali (quod plerumque ſaturatius purpuraſcit in earum ſtirpium floribus, quæ circa radicem nulla purpura ſunt ſuffuſæ) pallidas oras eleganti pictura decurrentibus: villoſa fimbria, qua parte integitur, lutea eſt, extremo vero exalbida, pallentes ligulæ: magna triangularia, & aliquando obtuſo mucrone capita ſemen Orobi magnitudine fuſcum, rugoſum continentia: radix nodoſa, tuberoſa, vulgaris Iridis inſtar foris flaveſcens, multis utrinque ex geniculis naſcentibus fibris firmata, quæ repurgata & exſiccata odoratiſſima eſt, & cum illyrica, quæ in officinis habetur, odoris gratia contendere poſſe

existi-

exiſtimatur. In montanis ſupra arcem Divi Georgii herbido ſolo & collibus *Stamphen* imminentibus, in Hungaria tranſdanubianâ aliquot miliaribus ſupra Poſonium creſcit. Floret Maio; ſub Junii finem ſemen maturum eſt.

10. *Iris* latifolia candida purpureis venis diſtincta, C. B. P. Iris major latifolia 27. Cluſ. Hiſt. Iris Portugalica, Eyſt. Hæc folia, caules & radicem producit priori ſimilia, ſed in cymis caulium producuntur flores bini ex vaginulis ex pallido vireſcentibus, colore autem variantes; nam terna petala propendentia candicant purpuras exoticas venis ab infima eorum ſede per latera excurrentibus, uſque ad extremam fimbriam ſubcæruleis venis conſtantem; terna autem incumbentia, & ligulam ſeu ſtamina tegentia, alba ſunt, ſubcæruleo tamen eorum gibbo; vexilla ſeu terna ſurrecta etiam candida, & ab infima ſede multis purpureis venis diſtincta, donec in latitudinem expandi incipiant: flori evanido ſuccedit triangulare caput, binas pæne uncias longum, craſſiuſculumque, quod maturitate dehiſcens Julio ſemen oſtendit, rugoſum, ſubfuſcum, Ervi magnitudine: radix hyeme folia non retinet. Floruit primum Maii initio ex ſemine deciduo alterius nata quemadmodum ſatu plurimæ oriuntur ſpecies diverſorum colorum, non ſolum in hiſce, ſed multis aliis longe patentibus generibus.

11. *Iris* paluſtris lutea ſeu Acorus adulterinus, J. B. Chabr. Iris paluſtris lutea, Tab. Ger. Pſeudoiris ſeu Iris ſilveſtris lutea, Dod. Pſeudoiris paluſtris, Eyſt. Acorus adulterinus, C.B.P. Acorus falſa Cordi in Dioſc. Geſn. Hort. Acorus vulgo, Cæſ. Butomon. Cluſ. Hiſt. Gladiolus luteus, Fuch. Icon. & Lon. Iris hæc paluſtris lutea folia quoque gerit Iridis vulgaris, ſed longiora & anguſtiora, dorſo aliquantulum utrinque extante: caules glabros Iridis latifoliæ haud diſſimiles, ſubinde bicubitales: atque in iis flores complures uti aliarum Iridum, niſi quod florum ſuperiora petala omnino parvula ſunt, & præ iis quæ in veris Iridibus viſuntur quædam veluti tantum ſunt rudimenta, ac prima lineamenta: florum ſingulorum tria ſunt petala repanda, lutea, cum fimbris itidem luteis, quibus lingulæ tres carinatæ, luteæ itidem incumbunt & ſub exortum iiſdem arcte adhærent uſq;ad medietatem mentorum & ultra, nec abſque ruptura inde avelli queunt: tribus vexillis parvulis, luteis pariter, & ſurſum tendentibus ſuccedunt rudimenta capitum, quæ tandem evadunt capſulæ trigonæ ſeu tribus loculamentis diſtinctæ, in quorum ſingulis continentur multa ſemina compreſſa, plana, ordine digeſta, cartilaginea, Lentibus majora: radices obliquè oblongæ, geniculatæ, cirroſæ, in propagines diviſæ, colore pallide rubentes, guſtu aſtringentes; atque ex ſingulis geniculis demittuntur fibræ ſatis craſſæ & longæ, quibus nutriuntur & prædictæ radices, & tota planta. Paluſtribus locis, & riguis & humidis tractibus Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Belgiique ſatis familiaris. Floret Maio & Junio, & verſus Autumnum ſemen ſuum perficit. Officinæ perperam olim Acorum appellavère, & majore cum errore radicibus ejus pro legitimo Acoro uſæ ſunt: nam nec formâ, nec fine ultimo conveniunt, ſed differunt, cum hæc Iris paluſtris florem & capſulam ſeminalem poſſideat omnino conformem Iridi latifoliæ; at Acorus verus iulum loco floris fert, & eo ipſo nomine viribus etiam differunt. Iridis paluſtris luteæ radix facultatem habet aſtringentem, quippe frigida & ſicca ſecundo exceſſu; dyſentericas & alias ventris fluxiones cohibet; menſes & ſanguinem undiquaque fluentem ſiſtit, ac ſupprimit in potu aut aliter ſumpta. Sunt & futiles quidam authores, qui ſolum geſtantem ab omni ſanguinis fluore tutum affirment: ſed hæc & hujuſmodi cum vanitate dicuntur. Johannes Bauhinus Tiguri aliquando guſtavit flores, qui ſibi tantum ardorem & fervorem excitarunt in faucibus, ut ſummam acrimoniam vix potuerit mitigare oxycrato: radix autem inſigniter aſtringit. Nos interim non exiſtimamus Pſeudoacori radicem ſterilitatem mulieribus inducere, quin imo utilem putamus ad promovendam conceptionem mulieribus nimium humidis ac gonorrhœa laborantibus.

§. 5. IRIS *tuberoſa pratenſis anguſtifolia.*

12. *Iris* tuberoſa pratenſis anguſtifolia folio fœtido, nobis. Iris pratenſis anguſtifolia folio fœtido, C. B. P. Iris anguſtifolia major ſive 1. Cluſ. Hiſt. & Eyſt. Explicatis Iridum tuberoſarum latifoliarum ſpeciebus aliquot præcipuis ſupra, jam ſuccedunt eæ Irides tuberoſæ explicandæ quæ anguſtiore ſunt folio. Prima hæc, quæ & major dicitur, multa profert folia, longa, rigida, anguſtiora & nigriora quam Tripolitana, quæ compreſſa vel confracta ingratum tetrumque odorem ſpirant, propemodum ut Spatulæ vulgo appellatæ & ſupra explicatæ folia, minus tamen graveolentem: inter quæ caules teretes, oblongi & cubitales, interdum etiam & longiores exſurgunt, quaternos aut quinos flores ex vaginulis lateralibus promentes, Iridis

bulboſæ verſicoloris floribus formâ non admodum diſſimiles, colore cæruleo ſaturatiore præditos: quibus ſuccedunt oblonga capita, trigona, ſubruffa, multa ſemina magiſque cartilaginoſa quam latifoliarum tuberoſarum Iridum ſemina, iis tamen paria quæ in Iride Tripolitana conſpiciuntur, angulis etiam eminentibus, & quodammodo geminis, qui dehiſcentes ſemen duplici ſerie diviſum, aliquantulum compreſſum & anguloſum, oſſeæque duritiei, ſubruffeſcente membranâ tectum oſtendunt: radices oblique longæ, nodoſæ ſeu tuberoſæ, graciliores quam in Iride latifolia, Tripolitanæ radicibus pares & æquales, foris nigricantes, intus candicantes aut palleſcentes, ſapore acri & fervido, multas longaſque fibras ſpargentes. Sponte hanc provenientem in quodam prato Rheno vicino ad viam quæ Maguntia Opheimum ducit, obſervabat Car. Cluſius, & aliquot deinde poſt annos herboſis quibuſdam locis juxta vias, & ad quorundam pratorum margines non procul à **Manderſtorf** quinto à Vienna Auſtriæ miliari, atque etiam apud **Walterſtorf**, deinde in pratis quibuſdam Hungariæ apud **Lindwa** domini *Banfy* arcem.

13. *Iris* tuberoſa pratenſis anguſtifolia non fœtida altior, C. B. P. Iris anguſtifolia 2. Cluſ. Hiſt. Altera hæc Iris tuberoſa pratenſis anguſtifolia, quæ perelegans eſt, nulibi mihi conſpecta fuit, inquit Cluſius, antequam in Auſtriam proficiſcerer, habetque cubitalia, interdum etiam longiora folia, admodum anguſta, minimi digiti ſive ſemiunciæ latitudinem non excedentia, viridia, non tamen ſplendentia, ſumma parte mucronata, infima vero qua ſub terra latent purpuraſcentia, nullo ingrato odore, ut pleræque aliarum Iridum anguſtifoliarum, ſunt præditæ: caules habet ſeſquicubitales, nonnunquam bicubitales aut ampliores, rectos, teretes, firmos, licet intus cavos, geniculatos, virides, ſummo faſtigio in binos aut ternos ramulos diviſos; quibus inſident bini aut terni flores Iridis bulboſæ latifoliæ floribus formâ *ſimiles*, odorati; quorum terna petala deorſum inflexa ſeu repanda infima parte, & quatenus carinato aut alato bifidoque petalo ligulam occulente, teguntur, furvo colore ſunt, reliqua vero parte (quæ in nonnullis brevior & latior eſt, in aliis oblongior & anguſtior) nunc candicante, nunc purpureo ſeu violaceo colore venis ſaturatiore purpura nitentibus per petali longitudinem & latitudinem excurrentibus, & fimbria ſive ſupercilio carente; tria petala ſurſum erecta anguſtiora ſunt, cum bifidis illis exalbidas illas lingulas tegentibus, & purpurei ſaturi ſive violacei ſunt coloris: breves deinde ſuccedunt capſulæ triangulares, breviores quam in Iride anguſtifolia Cluſii, neque adeo mucronatæ, neque gemina coſta eminente præditæ, quæ per maturitatem nigricantem colorem contrahunt & dehiſcunt, ſemen inæquale, anguloſum, nonnihil compreſſum & durum continentes: radix nigra, tenuis, dura, nodoſa, inſtar radicis anguſtifoliæ primæ Cluſii, fibris duris & tenuibus etiam prædita. Sponte provenientem invenit Car. Cluſius non procul Vienna Auſtriaca in pratis ſupra Himbergam, **Eberſtorf** ad paludes, & etiam in aliis pratenſibus locis. Floret Maio, interdum duntaxat Junio; ſemen maturum eſt Auguſto.

§. 6. *IRIS tuberoſa humilis ſeu Chamæiris latifolia.*

14. *Chamæiris* latifolia flore purpureo flaveſcente, C. B. P. Chamæiris latifolia minor 8va, Cluſ. Hiſt. Eyſt. Hæc Chamæiris novem habet reliquarum Iridum tuberoſarum more petala ut vult Cluſius & omnes ejus ſequaces, ſed uti ante diximus ſub initium hujus capitis, ſex obſervantur tantum petala diſtincta & diſcreta, quorum tria deorſum inflexa (quæ à nobis paſſim menta dicentur) ſeu terram ſpectantia, longa, & præter reliquarum Iridum ſupra deſcriptarum morem adeo incurva ſunt, ut extremo menti mucrone floris pediculum averſa parte amplectantur: colorem habent infima parte flaveſcentem, deinde dilute purpuraſcentem, ſaturatioribus tamen venis diſtinctum, infima baſi & villoſa fimbria candicante, flaveſcentibus apicibus donata; atque ſingula horum mentorum ſeu petalorum reflexorum integunt ſingulæ lingulæ carinatæ, ad extremum bifidæ, exalbidæ, & palleſcentis ex dilute cæruleo coloris, quali etiam ſurrecta tria petala vexilla nobis dicta. Odor fere florum Sambuci, aut Thalictri florum æmulus. Huc referri debet Chamæiris latifolia flavo & purpuraſcente flore, Eyſt.

15. *Chamæiris* latifolia minor flore purpureo, C. B. P. Chamæiris latifolia minor 1. Cluſ. Hiſt. Iris minor, Dod. Chamæiridi latifoliæ huic minori Cluſii flores paulo ſunt minores, folia etiam breviora anguſtioraque, qualia ſunt Chamæiridis majoris Cluſii: capita triangula & mucronata, etiam minora: ſemen itidem minus; in floribus ſumma varietas, licet omnes fimbriæ villos ſupra ſtamina cæruleos habeant, infra vero ut in modo dictâ luteos. Ex Iridibus paucas adnotavimus; nam omnes valde erit difficile, natura in infimitum ludente & variante colores in productione florum tam Iridum majorum latifoliarum & anguſtifoliarum, quam Chamæiridum latifoliarum, anguſtifoliarum. Idem dicendum de varietatibus colorum emer-

emergentium ex ſatione Iridum bulboſarum proprie dictarum, de quibus agetur Cap. ſequente.

§. 7. *IRIS tuberoſa humilis ſeu Chamæiris anguſtifolia.*

16. *Chamæiris* anguſtifolia, Tab. Chamæiris tenuifolia, Ger. Iris graminea cui pereunt quotannis folia flore variegato, J. B. Chabr. Iris anguſtifolia 6. Cluſ. Hiſt. Sexta (inquit Cluſius) omnium quas conſpexerim minima, multa promit è radice tuberoſa folia graminea, anguſtiora cæterarum ſuæ ſortis foliis, nec adeo dura, ſed mollia, dilutiuſque virentia, cujus etiam duas differentias deprehendit Car. Cluſius; nam una pedalem acquirit caulem, teretem, binos aut ternos in eodem gerit flores reliquarum floribus formâ ſimiles, ſed dilutioris coloris; deinde capita longiuſcula & turgida, valde eminentibus coſtis prædita. Alterius caulis vix dodrantalem ſuperat altitudinem, & unicum magna ex parte florem profert, alterius flori ſimilem, Armeniaci mali ut & pruni maturi odorem quodammodo referentem. Utriuſque radix tenuior & gracilior eſt antedictarum Iridum radice, non minus tamen nodoſa, nigro ſimiliter cortice tecta, & antrorſum atque lateribus ſerpens, ut brevi tempore magnum ceſpitem occupet, & cum difficultate erui queat. Provenit utraque hæc minima Chamæiridum ſpecies paſſim in pratis Viennæ Auſtriacæ vicinis, ad radices montium ſitis, ut apud *Medeling Gumpoſtkirche* & Badenſes thermas, præſertim ea quæ in altiorem caulem aſſurgit, pluresque flores profert. Sunt enim Chamæiris ſimpliciter Dodonæi & Iris puſilla ſilveſtris anguſtifolia Lobii una & eadem cum hac ſupra deſcripta à Cluſio, atteſtante ipſo in Hiſtoria ſua.

Iridum omnium prædictarum ſpecies colore florum differentes, complures eſſe Dioſcorides manifeſte oſtendit. Flores ſiquidem, ait, varii ſunt, aut candidi, aut lutei, aut purpurei, aut nigri, aut cyanei. Quam coloris diverſitatem non in uno flore, ut *Andreas Lacuna* exiſtimavit, ſed in differentibus ſpecie reperiri, ipſa obſervatione conſtat. Αὐτόπτης etiam teſtis eſt Antonius Muſa, qui à ſe conſpectos in Illyrico Iridis flores pleroſque candidos, alios pallidos, nonnullos luteos, quoſdam purpureos, in Examine Simplicium ſcriptum reliquit. Nos obſervavimus Pariſiis apud Johannem Morinum 30. abhinc annis in horto ſuo ovatim Cupreſſis conſtructo, maximam varietatem cùm Iridum tuberoſarum, tum bulboſarum diverſis coloribus differentium, quas per multos bene annos ex ſatione produxit prædictus Johannes Morinus. Differunt denique Irides, primo habita ratione radicum vel ſunt radicibus nodoſis tuberoſis & per juxtapoſitionem geniculatim conſtructis, quæ ſunt vel majores, eæque vel latifoliæ, vel anguſtifoliæ; vel minores, quæ Chamæiridis nomine donantur, ſuntque etiam latiore vel anguſtiore, gramineove folio, de harum multis jam dictum in hoc capite octavo: vel ſunt bulboſa radice præditæ, quales ſunt quæ veniunt ſequenti capite explicandæ. Propter affinitatem in floribus utriuſque diviſionis, diverſitatem quoque colorum, Irides bulboſas immediate ſubjungemus Iridibus tuberoſis, initium ſequentis tertiæ Diſtributionis ducendo ab Iridibus bulboſis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Iridis *tuberoſæ radices recentes, & adhuc ſucco plenæ, impenſe calidæ ſunt & ad quartum fere coloris gradum pervenientes. Succus earum non modo bilem, ſed potiſſimum aquoſos humores potenter educit, & hydropicos inſigniter purgat, cum lactis ſero, aut alio liquore, qui caliditatem ejus contemperet, epotus. Radices aridæ in ſecundo ſunt ordine calefacientium & exſiccantium. Craſſos ac lentos humores, qui ægre & difficulter educuntur attenuant: reſpirationis difficultati, tuſſi veteri, & omnibus thoracis vitiis, quæ hinc oriuntur, multum in eclegmate proſunt. Auxiliantur his quibus genitura profluit cum aceto, inquit Dioſcorides, potæ: cum vino menſes ducunt: decoctum ad inſeſſus muliebres utilis eſt; emollit & locos apperit. Radix manſa oris halitum commendat, dentium dolores mulcet ſi radicis decocto iidem foveantur: coquit idem, abſtergit, digerit, reſolvit, lenit, reſerat, expurgat & dejicit: vulneratis medicamentis immiſta radix Iridis ſarcotica eſt. Radicis ſuccus, inquam, expreſſus bilem flavam pituitam, & aquas cutem ſubeuntes pellit: hæmorroidas fotu elicit. Radix ipſa contrita, & ex aceto bibita omnibus admiſta verſatur venenis: ſuccus auribus infuſus cerebrum à pituita mirifice purgat, ventriculo tamen nocet cum per ſe tantum bibitur, ideoque à peritis medicis exhiberi non ſolet, niſi admiſto mulſo & Nardo Indica.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI Aliorumque Authorum.

Pag. 34. col. 1. pl. 11. Acorus adulterinus ſeu Iris lutea paluſtris collocatur cum Acoro Iulifero planta 1. illic, ſed male. Acorus adulterinus enim omnibus ſuis partibus convenit cum Iride, præcipue floribus & capſulis ſeminalibus; ergo debuit cum ſuis conſortibus conjungi plantis, non autem diſponi cum Acoro Iulifero propter conformitatem foliorum; nam Acorus verus ſeu Calamus aromaticus officinarum debet diſponi inter plantas aquaticas paniculatas ſeu iulos ferentes, & adjungi Cyperi odorati ſpeciebus, non autem Acoro adulterino, qui eſt perfecta Iridis ſpecies, uti ſupra docuimus.

Pag. Pinacis 38. 39. & 40. Caſparus Bauhinus agit de Iride bulboſa, & collocat eandem inter tuberoſas, ſcilicet Iridem tuberoſam, Siſyrinchium & Gladiolum; cum Iris bulboſa, a conformitate radicis bulboſæ, debet inter plantas bulboſas diſponi: hoc cuilibet clare videnti apparet erratum.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS, radicibus bulboſis proprie dictis præditis.

DISTRIBUTIO III.

Iris bulboſa, Narciſſus, Hyacynthus, Ornithogalum, Cepa, Allium, Porrum, Moly, Scilla & Tulipa.

CAPUT IX.

IRIS BULBOSA.

QUandoquidem in prima Diſtributione plantarum hexapetalarum tricapſularium egimus de Hexapetalis tricapſularibus radicibus fuſiformibus fibroſiſque donatis; & in ſecunda de Hexapetalis tricapſularibus radicibus tuberoſis & nodoſis: in 3ia hac Diſtributione agemus de Hexapetalis tricapſularibus radicibus bulboſis proprie ſic dictis donatis. Nos bulboſas, proprie loquendo, plantas appellamus, quarum radices conſtant plurimis tunicis, quarumq; major & exterior ſemper involvit minorem, & illa inferior & minor, major eſt reſpectu inferioris uſque ad minimam & meditullium, ex quo deorſum verſus protruduntur, ſeu in terram demittuntur barbillæ ſeu fibræ, quarum beneficio nutriuntur cum radices ipſæ, tum folia & caules ſuſtinentes flores hexapetalos, & capſulas ſeminales, ipſaque ſemina ibidem contenta. Sicut ſecunda Diſtributio definit cum Iridibus tuberoſis & nodoſis radicibus geniculatim & per juxtapoſitionem donatis, ita tertia hæc Diſtributio Hexapetalarum tricapſularium incipiet ab Iridibus bulboſis, quæ conveniunt cum tuberoſis florum ſtructura & compoſitione, capſularumque figurâ triangulari; differunt tamen radicibus & foliis, cum harum radices ſint plane & perfecte bulboſæ, folia anguſta, cava, carinata; illarum vero radices tuberoſæ nodoſæ, quin & folia ſunt lata, compreſſa, Gladioli inſtar. Irides bulboſæ habita ratione foliorum ſunt, vel latifoliæ, vel anguſtifoliæ: habita vero ratione colorum florum, variis modis, ſicut in tuberoſis, ludit natura.

Pars TABULÆ VII. Sectionis quartæ.

- *Iris bulboſa*
  - *Latifolia*
    - *Præcox acaulos*
      - 1. *Odora, nobis. Iris bulboſa latifolia, Dod. Lugd. Cam. Iris latifolia 1. Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 2. *Inodora Perſica variegata, nobis. Iris præcox Perſica variegata, Baptiſt. Ferr. deſc.* ⊙
    - *Serotina caule donata*
      - 3. *Anglica flore*
        - *Cæruleo ſtriis violaceis, luteis & purpureis diſtincto.* ⊙
        - *Violaceo.* ⊙
        - *Atropurpurante, Swert.* ⊙
        - *Cinereo ſtriis violaceis diſtincto, Swert.* ⊙
        - *Albo, Eyſt. & Swert.* ⊙

4. Pur-

Iris bulboſa { *Anguſtifolia ſeu foliis cepaceis* { *Flore* {
- 4. *Purpureo inodoro, C. B. P. Iris bulboſa, Dod. Ger.* ⊙
- 5. *Luteo, Cluſ. Hiſt. Iris bulboſa 3. luteo flore, Dod.* ⊙
- *Luteo verſicolore* {
  - 6. *Major & elatior, C. B. P. Iris flore luteo, du Bry.* ⊙
  - 7. *Ramoſa, nobis. Iris verſicolor* πολύκλονος, *Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 8. *Pleno, nobis* ⊙
- *Luteo* {
  - 9. *Pallido, nobis. Iris flavo flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 10. *mixto, nobis. Iris bulboſa anguſtifolia lutea mixta, Eyſt.* ⊙
- 11. *Albo, Eyſt.* ⊙

§. 1 *IRIS bulboſa latifolia præcox.*

Explicatio partis majoris Tab. ſeptimæ Sectionis quartæ.

1. IRis bulboſa latifolia præcox acaulos odora, C. B. P. Iris bulboſa latifolia, Dod. Lugd. Cam. Iris bulboſa latifolia 1. Cluſ. Hiſt. Iris bulboſa latifolia purpurea, Swert. Hæc ſena utplurimum habet folia, longiuſcula,& latiuſcula,Hemerocallidis Dod. ſive Lilioaſphodeli foliis fere ſimilia, breviora tamen, alternatim invicem amplectentia, mollia, in terram prona, ſuperne ex viridi pallentia, inferne vero incana, è quorum medio flos exſilit è membranaceo involucro unicus odoratus, cæruleus (interdum lactei candoris) ſex petalis conſtans, Iridis latifoliæ ſuprà deſcriptæ figura, quo marceſcente utrinque alii ſingulares ſuccedunt: nullus eſt illi caulis, ſed flos brevi duntaxat pediculo inſidet ut in Croco: radix bulboſa, candida, avellanæ inſtar dulcis (nam deguſtabam inquit Cluſius) multiplici cortice nigricante involuta cui (præſertim dum floret) aliquot fibræ craſſæ, longæ, enaſcuntur, quibus adnaſcuntur radiculæ aliæ, ut in reliquis bulboſis tuberoſiſque fieri ſolet. Invenitur in Luſitaniæ, Bæticæ, collium radicibus non procul ab Ana flumine ſitis,& copioſe circa Aniqueram & Cordubam. In Luſitania Januario,in Bætica Februario florentem obſervavit & eruit Cluſius. Poſt flores evanidos ſubvenit caput longum triangulare ſeu tribus loculamentis diſtinctum, in quorum ſingulis multa granula candida matura obſervantur æſtate.

2. *Iris* bulboſa præcox minus odora Perſica variegata, nobis. Iris Perſica præcox variegata, Bapt.Ferr.deſc. Radix hujus ſuperioris minor: folia pauciora dilute virore veluti rorulenta atq; in caulis effigiem concava, trium aut quatuor digitorum longitudine, duum latitudine definiuntur;exiguo poſt foliorum exortum ſub extremum Februarii aut initium Martii flores protruduntur terni, quaterni, quinive pro cujuſq; bulbi viribus niſi quod toti albicant, petala terna linguæ carinatæ & ad extremum bifidæ dicta dilutiore cæruleo colore,albo interfuſo liveſcant,nec arcte petalis repandis ſeu reflexis adhæreant,ſed immediate ex calycis rudimento ſeparatim exeant integentia ligulam ſeu ſtamen unicum cum apice ſemiunciali,pallide albido,linguæ parvæ effigiem referente: menta ſeu petala repanda hiſce ſubjecta, tum prominula, crocea linea intercurſante diſtincta, tum fuſcis ſeu obſcure violaceis guttis & lineolis circumlita, grandiore ianthini coloris veluti holoſerica maculâ devexum labrum ſeu menti extremum obtuſius infuſcante ſplendide nigreſcunt: loco trium petalorum ſurrectorum ſeu vexillorum, ſurſum eregi ſolitorum in aliis Iridum ſpeciebus, terna conſpiciuntur petala, exigua, anguſtiſſima & brevia ex interſtitiis petalorum repandorum & ſulcatorum ſeu mentorum exeuntia, alba, conſtituentia cum caule ipſo angulum rectum, non vero aliarum Iridum more ſurſum tendentia & ex gremio petalorum orta: fatiſcenti vero floſculo ſuccedit capſula ſeminalis tribus loculamentis diſtincta, in quorum ſingulis Junio menſe conſpicitur ſemen maturum.

3. *Iris* bulboſa latifolia ſerotina caule donata, C.B.P. Iris bulboſa Anglica flore cæruleo & violaceo, Eyſt. Hæc Iris bulboſa latifolia caules edit pedales,aliquando altiores; flores primæ multo tenuiores: & longioribus petalis donatos; capſulas ſeminales triangulares multo longiores etiam & tenuiores; variat floris colore, eſt cæruleo, violaceo & atropurpurante: eſt & cærulea luteis violaceis vel purpureis, ſic & cinerea violaceis ſtriis diſtincta, quas Swertius pinxit nomine Iridis Anglicanæ bulboſæ latifoliæ, quæ eſt Iris bulboſa Anglica flore cæruleo & violaceo Eyſt. vel flore candido eidem & Swert. Vide in Tabula 7ma. radicem bulboſam bifariam diſ-

ſectam

ſectam, & capſulam ſeminalem triangularem, cujus unicum loculamentum eſt apertum, atque ibidem ſemina tam intus adhuc, quam extra, depicta apparent naturali magnitudine.

§. 2. *IRIS bulboſa anguſtifolia.*

4. *Iris* bulboſa anguſtifolia foliis cepaceis maculatis flore purpureo inodoro, C. B. P. Iris bulboſa, Dod. Ger. Iris bulboſa flore violaceo, Cluſ. Hiſt. Hæc eſt folio craſſo ac veluti cepaceo, viridiore, parte interiore ſtriato, multiſque maculis argenteis reſperſo: caule conſtat craſſo firmoque, quem quaterna aut quina folia amplectuntur: binos ex vaginulis utplurimum promit flores, invicem ſuccedentes, interdum unicum duntaxat ſex petalis conſtantem cum tribus lingulis bifidis violacei prorſus elegantiſſimi coloris, interdum dilutioris, inodorum tamen: tria majora repanda, prona & in terram inclinata, quæ nobis paſſim dicuntur menta, ut in cæteris hujus ſortis; hiſce incumbunt terna alia anguſtiora, carinata, arcte ſub exortum è calycis rudimento adhærentia extremâ parte uti dictum bifida uſque ad menti extremum, maculam quæ pro fimbria eſt in mento pertingentia: menta autem extrema parte petali repandi latiuſcula ſunt & ſubrotunda (unde iis menti nomen) intimâ autem parte valde anguſta, mediâ vero concava recipientia lingulas ipſis incumbentes: floribus evanidis ſuccedunt trigona laxaque capita, in quibus ſemen rugoſum, fulveſcens latet, Ervi magnitudine, quod cum maturum eſt crepitat ſi moveantur prædictæ capſulæ: radix ſatis magna pluribus membranis ſive pelliculis tenacibus, nigricantibus, exterius circumvoluta, intus alba, & ſeſſili parte fibris prædita, qua ſingulis annis ſoboles circa latera profert: hujus folia novo Vere germinant. Eſt communiter flore violaceo, interdum elegantiſſimi, interdum dilutioris coloris; eſt & atrorubens, eſt & flore albo in Pyrenæis, aliquando macula flava flori albo aſpergitur. Huc referendæ Iris bulboſa anguſtifolia cærulea Eyſt. item Iris bulboſa flore atropurpuraſcente, albo cinereo, & item verſicolores, tricolores.

5. *Iris* bulboſa lutea inodora major, C. B. P. Iris bulboſa anguſtifolia flore luteo, Cluſ. Hiſp. Iris quarta ſive lutea, Cluſ. Hiſt. Iris bulboſa 3. luteo flore, Dod. Hujus terna petala terram ſpectantia flava ſunt, aureâ maculâ mentum occupante, à qua ad infimos ungues interna parte ſparſæ ſunt quædam venæ dilutius purpuraſcentes; linguæ iis incumbentes exalbeſcunt, præter nervum medium ad extremum petalum excurrentem & gibbum, qui pallidi eſt coloris: vexilla ſeu ſurrecta terna petala infima parte ex cæruleo purpuraſcentibus venis ſunt diſtincta, ſupernâ candicant. Huc pertinet Iris bulboſa lutea inodora minor, C. B. P. Iris Mauritanica, Cluſ. Cur. poſt.

6. *Iris* bulboſa lutea verſicolor major & elatior, C. B. P. Iris bulboſa flore luteo & cæruleo, de Bry. Iridis bulboſæ verſicoloris vel flavæ variæ claſſis tertiæ prima, Cluſ. Hiſt. Iridem hanc flavam variam majorem & omnium elegantiſſimam merito appellare poſſum, inquit Cluſius. Caulem non minus altum habet quam tertia Cluſii verſicolore flore prædita. Scilicet cubitalem & ampliorem: folia latiora & breviora, media fere inter illius & ſecundæ Cluſii: florem majuſculum, cui terna petala inflexa terramve ſpectantia lutei ſunt coloris, & aurea macula in medio mento inſigniuntur, oris quodammodo purpuraſcentibus, anguſtiore petalorum repandorum parte, quæ gibbo integitur intrinſecus multis ſubpurpureis venis in latera excurrentibus notata: incumbentia petala ſeu carinata minora, lingulæ dicta, diluto purpureo colore ſunt prædita: tria vexilla ſeu petala erecta valde ſatura purpura nitent, & quaſi violacea ſunt, præſertim medius per longitudinem extenſus nervus.

7. *Iris* bulboſa anguſtifolia verſicolor ramoſa, nobis. Iris bulboſa verſicolor ramoſa, C. B. P. Iris verſicolor πολύκλονος, Cluſ. Hiſt. Variat binis, ternis quaterniſve floribus, iiſque diverſi coloris; hæc propter magnam humiditatem à frequentibus imbribus ferax eſt in producendis pluribus & amplioribus floribus; ita multas ſtirpes quæ ſingulari caule eoque non ramoſo utplurimum eſſe ſolent, πολυκλόνους reddidit natura. Hoc contingit in Tulipis, Narciſſis aliiſque plurimis copioſa nutritione, adulto bulbo, & frequentibus ingruentibus Vere imbribus.

8. *Iris* bulboſa anguſtifolia flore pleno, Swert. Hæc à luxuriante natura accedente magnitudine & adulta ætate bulbi, loco ſex petalorum id eſt trium reflexorum & repandorum ſeu mentorum, triumque linguarum ipſis incumbentium, & trium ſurrectorum ſeu vexillorum, geminando petalorum numerum, multiplicia edit in ſingulis floribus petala. Hoc familiare eſt permultis aliis, in pluribus claſſibus præter bulboſas plantas, quod obſervatu erit facillimum paſſim in hac noſtra Hiſtoria.

9. *Iris* bulboſa anguſtifolia flore flavo, Cluſ. Hiſt. Hæc eſt tantum varietas Iridis quartæ Cluſii, cujus flos ſaturate luteus eſt, hujus dilutius flaveſcit.

10. *Iris*

10. *Iris* bulboſa anguſtifolia lutea mixta, Eyſt. Hæc conſtat petalis partim luteis, partim albis.

11. *Iris* bulboſa anguſtifolia flore albo, Eyſt. Hujus terna petala inflexa lactei ſunt candoris, aureâ macula mento impreſſa; linguæ ſeu petala curta, carinata, bifida, prioribus incumbentia; & terna erecta (vexilla dicta) alba, & circa ungues menti ſubcærulea ſunt.

Has differentias Iridum bulboſarum tantum impræſentiarum in medium adferendas judicavimus; nam in tanta varietate colorum florum, quis ſingularum Iridum diſcrimina commode verbis exprimere queat, ut ait Cluſius, quem conſule, ſi plura deſideras. Item & Johannes Bauhinus longa verborum ſerie de harum Iridum bulboſarum ſpeciebus ſeu potius varietatibus agit. Maximam hanc varietatem in florum coloribus, à ſatione conciliatam eſſe neutiquam eſt dubitandum; quemadmodum in aliis generibus plantarum numeroſis ſatis obſervare licet. Irides quæ ſunt latiore flore, plerumque liberaliores ſunt in producendis floribus, breviores & craſſiores capſulas ſive trigonum caput & æqualis ubique craſſitudinis habent: anguſtifloræ autem Irides capſulas longiores, & infima parte graciliores gerunt. Item latifloræ Iridis radix brevior & craſſior eſt, anguſtifloræ autem longior & multo gracilior. De virtutibus autem Iridis bulboſæ nihil compertum habemus, aut ab aliis traditum accepimus.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis præditis.

CAPUT X.

NARCISSUS.

NAPKIΣΣOΣ ϗ Λείριον *Dioſcoridi l. 4. c. 161. & Theophr. 6. Hiſt. 6, & 7. ejuſdem 12. dicitur, non à Narciſſo adoleſcente nimium ſeipſum adamante, ut Poetæ fabulantur, ſed à vi ſtupefaciendi, quam* νάρκωσιν *Græci vocant: ſeu ut Plinius à Narce, quam vim Narciſſo ineſſe l. 21. c. 19. teſtatur: hinc Plutarcho in Sympoſio, quaſi nervos hebetans & torpidas gravitates efficiens, dicitur.*

Unius Theophraſtus meminit: at Dioſcorides differentiam in flore notat, qui albus ſit, intus croceus, in quibuſdam purpureus, ita ut alius ſit πορφυρώδης, *alius* κροκώδης, *& Plinio l. 21. c. 5. Narciſſus alter flore candido, calice purpureo, alter calice herbaceo; per calicem intelligens quod in floris medio eſt, nullius Græci authoris exemplo: & ſequente cap. 19. Narciſsum unum purpureo flore, & alterum herbaceum dixit.*

Narciſſus eſt planta hexapetala tricapſularis bulboſa, pro nota generica hanc habens, quod florem producat petalis ſenis conſtantem, cingentibus calicem medium ſive brevem, ſive longum tubi inſtar, ſive in margine planum, ſive fimbriatum aut laciniatum (ubi autem luxuriat flos multiplici petalorum ſerie deletur hæc nota generica, non ſolum hic, ſed in multis aliis generibus: ex ſimplice ſerie petalorum ad certum numerum à natura reductorum fit incertus & multiplex ſeu flore pleno) aut crenatum ſinuatumve: flori fatiſcenti ſuccedit caput trigonum ſeu capſula rotunda ex tribus loculamentis conflata, in quorum ſingulis plurima continentur ſemina craſſa, mucronata, Piſi minoris magnitudine. Habita ratione foliorum Narciſſus eſt vel porraceus latifolius; vel anguſtifolius; vel denique anguſtiore & junceo folio; vel exoticus maximus latiſſimo folio: ratione colorum in floribus eſt vel luteus; luteopallidus; vel flavus & ochroleuchos; vel totus albus: omnes ſunt vel ſimplices ſeu flore ſimplici; vel multiplices ſeu flore pleno; exoticorum flores ſunt ampliores Lilii parvi inſtar, qui ſunt vel albi, vel purpurei, vel phœnicei.

TABULA VIII. Sectionis quartæ.

- *Narciſſus*
  - *Flore*
    - *Simplici*
      - 1. *Uno, medio purpureo, nobis.* *Narciſsus medio purpureus*, Dod. ⊙
      - *Multiplicato*
        - 2. *Toto albo, nobis.* *Narciſſus orientalis major polyanthos totus albus*, Eyſt. ⊙
        - 3. *Conſtantinopolitanus calice fimbriato medio croceus*, Eyſt. *Donas Narbonenſium*, Lob. Icon. ⊙
        - 4. *Luteus totus polyanthos de Argiers, nobis.* *Narciſſus polyanthos totus luteus de Argier*, Eyſt. ⊙
      - *Juncifolius*
        - 5. *Præcox major, nobis.* *Narciſſus juncifolius præcox major*, Swert. ⊙
        - 6. *Major*, Dod. *Odoratiſſimus*, Cam. *Major juncifolius*, Eyſt. ⊙
        - 7. *Minor luteus, nobis.* *Narciſſus juncifolius minor*, Dod. Cam. Cluſ. Hiſt. ⊙
      - *Latifolius*
        - 8. *Maximus albus calice brevi luteo*, C.B.P. Eyſt. ⊙
        - *Tubo*
          - *Longo*
            - 9. *Pallidus calice longo aureo, crenato, nobis.* *Pſeudonarciſſus albus calice luteo*, Eyſt. ⊙
            - 10. *Albus oblongo calice luteo, nobis.* *Pſeudonarciſſus albus calice luteo*, Eyſt. ⊙
            - 11. *Subflavus tubo ſexangulo, nobis.* *Narciſſus falſus flavus tubo hexangulari*, Swert. ⊙
            - 12. *Luteus repens, nobis.* *Pſeudonarciſſus minor luteus repens*, Eyſt. ⊙

            TAB. IX. Sect. IV.
          - *Brevi*
            - *Totus albus*
              - 13. *Petalis reflexis, nobis.* *Totus albus reflexus*, Swert. ⊙
              - 14. *Petalis rotundis circinatis, nobis.* *Petalis rotundis circinatis*, Swert. ⊙
      - 15. *Juncifolius tubo amplo aureus montanus minimus, nobis.* *Pſeudonarciſſus junifolius minimus aureus* Eyſt. ⊙
    - *Pleno*
      - 16. *Orientalis nobilis polyanthos mixtus*, Eyſt. *Narciſſus orientalis flore multiplici & pleno albo-luteo*, C. B. P. ⊙
      - 17. *Flavo*, Swert. *Narciſſus multiplex totus flavus*, C. B. P. ⊙
      - 18. *Albo, nobis & Swert.* *Narciſſus totus niveus multiplex*, C.B.P. ⊙
      - 19. *Silveſtis calice carens*, Eyſt. *Narciſſus multiplex calice carens*, C. B. P. ⊙
      - 20. *Variegato*, C. B. P. *Narciſſus Septentrionalis flore pleno luteo*, Eyſt. ⊙
      - 21. *Luteo ſilveſtris duplici & triplici tubo aureo*, C. B. P. *Septentrionalis calice luteo pleno duplicatis foliis*, Eyſt. ⊙
      - 22. *Luteo juncifolius*, Eyſt. *Narciſſus juncifolius flore pleno*. Cluſ. Cur. poſt. ⊙

Pars TABULÆ IX. Sectionis quartæ.

Narciſſus – Dictus Leucoium bulboſum –

Præcox –

23. *Minus tribus petalis albis minoribus cingentibus terna herbacea, nobis. Leucoium bulboſum tripetalon nobis. Triphyllon, Dod.* ⊙

24. *Majus tribus petalis albis majoribus cingentibus terna herbacea cordiformia, nobis. Leucoium bulboſum Byzantinum præcox, Cluſ. Hiſt. & Lob. Ad. part. 2.* ⊙

25. *Maximum ſex petalis æqualibus albis, nobis. Leucoium bulboſum hexahyllon (potius hexapetalon, nobis.) Cam. Bulboſum præcox majus 1. Cluſ. Hiſt. & Pan.* ⊙

26. *Serotinum multiflorum petalis ſenis æqualibus, nobis. Serotinum majus, Cluſ. Pan. Leucoium bulboſum polyanthemum, Dod.* ⊙

27. *Autumnale* – *Latifolium, C. B. P. Narciſſoleucoium autumnale, Swert.* ⊙ – *Tenuifolium, Cluſ. Hiſt. Leucoium bulboſum autumnale minimum, Dod.* ⊙

TABULA X.

Lilionarciſſus – Albus –

Maritimus –

28. *Minor, nobis. Hemerocallis Valentina, Cluſ. Hiſt. Dod. Narciſſus Pancratium maritimum flore albo, Swert.* ⊙

29. *Major, nobis. Lilionarciſſus Hemerocallidis facie, Eyſt. Narciſſus Conſtantinopolitanus vel 3. Matth.* ⊙

30. *Indicus pumilus monanthos, nobis.* Atamoſco *vulgo hortulanis dictum.* ⊙

Ruber –

31. *Jacobæus Indicus, nobis. Narciſſus latifolius Indicus flore rubro, Cluſ. Hiſt.* ⊙

32. *Indicus ſaturate & dilute purpuraſcens, nobis. Narciſſus Indicus liliaceus ſaturato & diluto colore purpuraſcens, Baptiſt. Ferr.* ⊙

33. *Japonicus, nobis. Narciſſus Japonicus rutilo flore, Cornut.* ⊙

34. *Indicus pumilus polyanthos, nobis. Narciſſus Indicus pumilus polyanthos, Cornut.* ⊙

35. *Indicus maximus ſphæricus floribus pluribus liliaceis, nobis. Narciſſus Indicus ſphæricus flore liliaceo, Baptiſt. Ferr.* ⊙

§. 1. *NARCISSUS latifolius porraceo folio ſimplex uno flore.*

Explicatio Tab. octavæ Sectionis quartæ.

1. N*Arciſſus* flore ſimplici uno medio purpureo, nobis. Narciſſus latifolius 6. Cluſ. Hiſt. & Narciſſus albus circulo purpureo, C. B. P. Narciſſus medius purpureus, Dod. Eyſt. Narciſſus 1. Cluſ. Hiſt. Hic folia habet virentia, oblonga, Porri foliis ſimilia: caulem anguloſum abſque foliis, dodrante aut pede altiorem, & in ſummo florem è membrana erumpentem, utplurimum unicum, ſubinde geminum, mediocriter amplum, odoratum, ſex petalis congeſtum, in quorum medio brevis calix eſt circinatæ rotunditatis, purpurei per oras coloris, intra quem ſtamina brevia cum apicibus luteolis: capitula inde trigona, ſemina in ternis loculamentis nigra continentia: radix bulboſa pluribus tunicis rotundis, oblongiuſculis, majoribus, exterioribus involventibus minores ſibi ſubjectas Cepæ modo, quæ nucleos ſeu ſoboles ex ſe demittens, facile ſeſe multiplicat aliarum bulboſarum & tuberoſarum plantarum ritu: itidem huc pertinet Narciſſus alter medio ruber & luteus qui folia habet longiora latioraque & aliquantulum minus virentia; caules proceriores, craſſiores, & in ſingulis flores tres aut quatuor prioribus ſimiles, ſed medio colore luteo: ſeminibus & radice neutiquam diſcrepant. Exit Narciſſus medio purpureus in pleriſque Galliæ locis apud Heduos & Sequanos, non procul Burbona ubi ſunt Thermarum calidarum ſcaturigines, decimo ab urbe lapide in pratis copioſiſſime menſe Maio florentem Narciſſum hunc odoratum medio calice purpureo offendimus nos.

§. 2. NARCISSUS *latifolius ſimplex pluribus floribus.*

2. *Narciſſus* Orientalis major polyanthos totus albus, Eyſt. Caulis hujus eſt protenſus, elatus, cubitalis: folia habet lata, ex vagina inferiore, quina, ſena prodeuntia; in cacumine caulis ex membranaceo involucro flores fuſci profiliunt, multi & copioſi, albicantes, odore fragrantes, ex ſex petalis, amplis ſatis, conflati, cum tribus ſtaminulis luteis brevibus. Huc pertinent Narciſſus Orientalis medius totus albus polyanthos, & Narciſſus Orientalis polyanthos minor totus albus, Eyſt.

3. *Narciſſus* Conſtantinopolitanus minor calice fimbriato medio croceus, Eyſt. Donas Narbonenſium, Lob. Icon. Dod. Superioribus haud abſimilis viſitur hic Narciſſus, minor dictus Conſtantinopolitanus; calix croceo colore fimbriatus cingitur ſex petalis niveis peramœnis.

4. *Narciſſus* de Argier polyanthos totus luteus, Eyſt. Hic Narciſſus ab Argier oriundus, quinis aut ſenis foliis ſuperbiens eſt: floribus luteis denis aut duodenis pluribuſve ornatur faſtigium: caulis pedalis & altior aliquando, depreſſo quidem caliculo, crocei coloris; quem ambiunt petala ſena, ex albo pallentia. Huc pertinet Narciſſus Orientalis albus odoratus calice ſtellato, Eyſt. Narciſſus hic odoratus amœnus minor albus flores quinos ſenoſve in cauli- um faſtigio ex membranaceo tegmine protrudit, albidos; in quorum ſingulorum medio ſtolones ſeu ſtamina, ſtellas æmulantia, radiatim concentrata ſunt, aureolutea.

§. 3. NARCISSUS *juncifolius ſimplex luteus & albus.*

5. *Narciſſus* juncifolius præcox major, Swert. Hic à foliis junceis & flore majore ſimplici perjucunde odorato, & ineunte Vere ſeſe expandente, facile à cæteris Narciſſis juncifoliis diſcernitur: quaternos edit flores, luteos, majores; calicem etiam luteum: radix intus alba, extra tunicâ nigrâ tecta.

6. *Narciſſus* major juncifolius, Eyſt. Narciſſus hic major juncifolius, præcox dictus quia ante alios juncifolios Narciſſos floret, caule exit unico rotundo, erecto inter folia (ſicut reliqui Narciſſi;) juncis lævore, flexibilitate, viriditateque ſimillimo: polyanthos autem eſt, & totus floribus luteis, odoratis, circinatis quaſi, effuſus: ejus bulbus major cum pluribus aliis bulbillis adnatis, atque capillamentis pluribus, ex bulbo illo majore deorſum ſparſis cernitur Huc pertinent Narciſſus major, minor, & minimus juncifolius Eyſt. & reliqui juncifolii citati in Pinace Bauhini.

7. *Narciſſus* juncifolius luteus minor, C. B. P. Narciſſus juncifolius minor, Dod. Cam. Cluſ. Hiſt. Hic parvitate floris à priore differt, atque ejus flos odoratior; cætera cum prædicto convenit. In pleriſque humentibus herboſis & montoſis Hiſpaniæ locis gignitur.

§. 4. NARCISSUS *magno & brevi calice.*

8. *Narciſſus* latifolius albus maximus calice brevi luteo, C. B. P. Narciſſus albus maximus calice luteo brevi, Eyſt. Narciſſus hic medius, odoratus ſeſe exerit bulbo longiore, foliis itidem longioribus & in ſummo contortis, è quorum gremio protruduntur bini caules, quorum ſingulis ſinguli inſiſtunt flores hexapetali, ex pallore albentes, in medio protenſo & parum crenato calice luteo. Huc pertinent reliqui Narciſſi calice brevi in Pinace Bauhini citati.

§. 5. NARCISSUS *magno & oblongo tubo vel calice latifolius.*

9. *Narciſſus* latifolius pallidus calice longo aureo crenato, nobis. Pſeudonarciſſus albus calice luteo, Eyſt. Pſeudonarciſſus montanus floribus albis calice luteo, Cluſ. Cur. poſt. Florum hujus ſex petala ſunt alba cingentia calicem luteum, fimbriatum.

10. *Narciſſus* albus oblongo calice, C. B. P. Pſeudonarciſſus albo flore, Cluſ. Hiſt. App. Pſeudonarciſſus totus albus, Eyſt. Narciſſus oblonga tuba totus albus, Swert. Hic & ſex petala alba, & tubum oblongum, tenuem, fimbriatum, aliquando album, aliquando luteum habet.

11. *Narciſſus* ſubflavus tubo ſexangulo, C. B. P. Narciſſus falſus tuba ſexangulari dilutior flavus non deſcriptus, Swert. Hic à tubo ſexangulari ſex petalis ſubflavis cincto facile inter cæteros cognoſcitur.

12. *Narciſſus* luteus repens, C. B. P. Pſeudonarciſſus minor luteus repens, Eyſt. Narciſſi montani ſeu Pſeudonarciſſi vulgaris hæc eſt effigies ultimo loco in Tab. noſtra 8. exhibita. Hic in ſingulis caulibus florem unicum promit è vaginula prorumpentem, totum luteum, ſex petalis luteis cingentibus calicem ſeu tubum oblongiorem, protenſum, in margine fimbriatum &

& profunde laciniatum: caules circumdantur foliis porraceis, anguſtis, carinatis, elatis: bulbo donatur multiplici tunica obtecto, albicante, fibras craſſiores ex ſe in terram demittente. Huc refer Narciſſum totum luteum montanum majorem, Eyſt. & Pſeudonarciſſum totum luteum montanum minimum, Eyſt.

13. *Narciſſus* totus albus reflexis petalis, nobis. Narciſſus totus albus reflexus, Swert. Hic tubum habet album ſine oris crenatis, & petala ſex exteriora alba itidem, reflexa, quibus notis facile à cæteris dignoſcitur.

14. *Narciſſus* petalis rotundis circinatis, Swert. Sex petala exteriora hujus ſunt in extremo margine rotunda, alba, & eo nomine à cæteris notu facilis.

15. *Narciſſus* montanus juncifolius calice aureo, C. B. P. Pſeudonarciſſus minimus juncifolius aureus, Eyſt. Hic Pſeudonarciſſorum minimus eſt, ſurrectis tenuibus funditur foliis, in quorum medio cauliculus exilis exit: florem minorem edit ſex petalis anguſtis acutis præditum, quæ cingunt calicem aureum, evidenter crenatum, longiuſcule extuberantem.

§. 6. *NARCISSUS pleno flore.*

16. *Narciſſus* Orientalis flore multiplici & pleno albo-luteo, C. B. P. Narciſſus nobilis orientalis polyanthos mixtus, Eyſt. Suavem odorem ſpirat Narciſſus nobilis orientalis ſeptem nunc plurium florum, ab aliis in hoc diverſus quod pluries decuſſata & radiatim juxta ſe habeat petala diſpoſita, albentia; in quorum meditullio, loco calicis, cumulantur glomerata petala parva, amplius diffuſa, alternatim alba & lutea, mirâ ſedulitate & naturæ arte picta: pediculi ſunt virentes: caulis ex foliis, pallore viridibus, carinatis prodiens, nudus, rotundus adinſtar Porri caulis.

17. *Narciſſus* multiplex totus flavus, C. B. P. Narciſſus flavus pleno flore, Swert. Narciſſus plenus 4. flavo flore, Cluſ. Hiſt. Hic toto flore & medio candidus & plenus eſt.

18. *Narciſſus* totus niveus multiplex, C B. P. Narciſſus albus pleno flore, Swert. Narciſſus pleno flore 6tus, Cluſ. Hiſt. Hæc eſt ſpecies Narciſſi floribus albis calice purpureo donati fœcunda proles, cujus flos eſt totus albus, plenus, & uberius multiplicatur quam Narciſſus major medio calice, melino colore.

19. *Narciſſus* multiplex calice carens, C. B. P. Narciſſus ſilveſtris calice carens, Eyſt. Hic decuſſata habet florum petala, acutiora, ſublutea aut pallide lutea, multiplicia, ſeu plenum florem conſtituentia: unico aſſurgit caule: oblonga habet folia, carinata, rotundiora & anguſta: bulbum cepaceum multis aliorum more conſtantem tunicis, ſeinvicem contegentibus.

20. *Narciſſus* flore pleno variegato, C. B. P. Narciſſus Septentrionalis flore pleno luteo, Eyſt. Pſeudonarciſſus hic Septentrionalis flore pleno ſeu multiplici in unum congeſto conſtat: caule oritur rotundo & protenſo: flos multifidus & ob gravitatem pendulus, petala ultra 30. habens mixta è luteo aureo & pallido colore loco calicis ſeu tubæ, ſumme lutea, criſtata, quæ aliis petalis pallidioribus aliquibus etiam herbaceis expanſis circumdantur, ex involucro membranaceo prodeuntibus.

21. *Narciſſus* luteus ſilveſtris duplici & triplici tubo aureo, C. B. P. Narciſſus Septentrionalis calice luteo pleno duplicatis foliis, Eyſt. Narciſſus duplici tuba flore luteo, Swert. Pſeudonarciſſus pleno flore ſeu triplici tuba, Cluſ. Hiſt. App. ult, & Cur. poſt. Priori non abſimilis Pſeudonarciſſus hic ſeptentrionalis alius, niſi quod ſtellatim habeat in flavo flore duplicia petala, ſubtus poſita, acuminata; calice intenſe croceo, compacto & aliquot parvis petalis crenatis in ſe involutis confecto, attamen tubulato. Huc pertinet Narciſſus Septentrionalis calice pleno luteo oris inciſis, Pſeudonarciſſus vulgaris Septentrionalis pleno calice dictus: ex quatuor petalis rubricatis, caule glabro in membranaceum tegmen definente, & nodo emergit petalis florum reflexis, pallidioribus & circinatim circumeuntibus tubum. Calice prominet multiplicibus tubis in ſe inſertis, in margine fimbriatis & crenatis.

22. *Narciſſus* juncifolius luteus flore pleno, Eyſt. Narciſſus juncifolius flore pleno, Cluſ. Cur. poſt. Narciſſus juncifolius aureus multiplex Anemones formâ, C. B. P. Elegantior ſurgit hic Narciſſus luteus odoratus, binatim, ternatim ex uno caule prodiens: plenis ſingulis floribus odoratis ſinguli pediculi onerantur: folia longa juncorum flexibilitate, lævore, & colore æmula, ex radice bulboſa effert.

§. 7. *NARCISSUS Leucoium bulboſum dictus.*

Λευκόιον *apud Theophr. 6. Hiſt. 7, & 7. ejuſdem 13. Gaza violam albam Vertit. Leucoium, inquit, florum prima ſe oſtendit, emicat ubi cœlum clementius ſtatim, etiam nondum hyeme exacta;*

ubi vero immitius, poſtea. Plin. l. 21. *c.* 11. *Viola alba florum prima Ver nunciantium, cujus vita longiſſima eſt trimatus.* Fallitur hic Plinius, nam in multos annos ejus bulbus durat.

23. *Leucoium* bulboſum minus præcox tribus petalis albis minoribus cingentibus terna minora herbacei coloris, nobis. Leucoium bulboſum præcox minus, Cluſ. Pan. & Hiſt. Leucoium bulboſum triphyllon (potius tripetalon) Dod. Leucoionarciſſolirion vernum omnium minimum, Ad. Lob. Hujus folia non multum à ſequentis foliis forma diſcrepant, verum anguſtiora & firmiora, ac quodammodo Halimo latifolio foliorum colore magis accedentia; cauliculi graciliores, palmares, nudi & concavi, à vaginula unicum ſemper florem (plures obſervare non memini) promunt, ſequentis minorem, nutantem etiam & pendulum, atque ſex petalis præditum, quorum tria externa omnino nivea, aliis ternis interioribus longiora latioraque ſunt, radiiſque ſolaribus illuſtrata aut ſudo cœlo alarum modo ſeſe explicant; tria interna brevia ſunt, & cordis, ut vulgo ab imperitis pingitur, formam ſive ſagittæ crenam referunt, binis viridibus maculis circa crenam foris notata, interne ſex viridibus radiis ab umbilico ad extremas oras inſignita: medium horum ſex etiam ſtaminula crocea, ſtiluſque exilis, candicans, occupant; odor nullus aut perquam exiguus: capita inferioribus fere ſimilia ſuccedunt, minora tamen, triangularia, & olivæ virentis formam pæne exprimentia; in quibus ſemen ſequentis candidius: radix ſuperne minor, multis tunicis ſeu pelliculis albis conſtans, externa tamen parte nonnihil nigricante, & ſeſſili parte multis tenuibus fibris prædita. Provenit in udis locis ſolummodo & umbroſis ſilvis prope Blæſas, & affatim in ſilva dicta *le Coſtè de Chaile.*

24. *Leucoium* bulboſum majus præcox Bizantinum tribus petalis albis majoribus terna minora herbacea ſeu viridia cingentibus, nobis. Leucoium bulboſum triphyllon majus Bizantinum, Eyſt. Leucoium bulboſum præcox Bizantinum, Cluſ. Hiſt. Hoc priori fere ſimile eſt & ineunte Martio bina folia promit illi ſimilia, ſed latiora ſunt & ejuſdem coloris, caulem amplectentia ut in priore; craſſiuſculus tandem caulis ſuccreſcens unicum florem vaginula incluſum ſuſtinet, forma ſuperiori ſimilem, duplo fere majorem, tribus externis foliis alarum modo expanſis, prorſus niveis, interioribus tribus brevibus biſulcis & cordis forma, ſurſum verſus ut in ſuperioris flore ſimul coeuntibus, & veluti tubulum ſeu calicem quendam efformantibus, foris plerumque circa ungues vireſcentibus, reliqua parte albis: oras tamen ſecundum crenas virides maculæ inficiunt, interius vero aut magna ex parte viridia ſunt, aut octo radiis ab imis unguibus ſecundum longitudinem ductis prædita; prioris fragrantiam utcunque æmulatur hic flos & ſuavius quippiam ſpirare mihi videtur: radix duplo major. Hoc in Viennenſi & Leytano ſaltibus, & in pleriſque Pannoniæ pratis creſcit; umbra tamen magis delectari videtur.

25. Leucoium bulboſum præcox majus ſex petalis æqualibus & albis, nobis. Leucoium bulboſum præcox majus, Cluſ. Hiſt. & Pan. Leucoium bulboſum hexaphyllon (ſed perperam, hexapetalon debet dici) Dod. Hoc folia habet Colchiconarciſſi autumnalis, nobis ſic dicti, & ſupra deſcripti Cap. de Colchico, foliis ſimillima, admodum viridia & nitida, non tamen adeo viriditate ſplendentia: caulem è medio illorum exeuntem, ſeſquipalmarem, nudum, ſtriatum, infirmum, concavum, membranaceum folliculum ſeu vaginulam in ſummo ferentem, è qua unus, interdum alter, raro tertius erumpit flos, ſex petalis æqualibus conſtans (non tribus majoribus albis, & tribus minoribus herbaceis intus, ut in prioribus) candidis, ſed extima & anguſtiore parte veluti macula è viridi flaveſcente infectis, nutans & deorſum ſpectans exigui cymbali modo, medium occupantibus ſex flavis ſtaminulis cum candicante ſtilo, floriſque ſpinæ appendicis ſive Oxyacanthæ vulgo creditæ odorem referens, nec ingratum: flori ſuccedunt capitula triangularia, ternis loculamentis diſtincta, in quorum ſingulis ſemen ex candido flaveſcens, oblongiuſculum, durum continetur: radix bulboſa eſt, multis candidis tunicis (extimâ tamen fuſcâ) conſtans, & denſâ candicantium fibrarum comâ formatâ. Hoc provenit mature admodum, & florem oſtendit vix liquefactis nivibus in Pannoniæ plurimis locis umbroſis; menſe Maio folia ſua copioſe protrudit, & paulo poſt ejuſdem ſemen matureſcit. Huc pertinet Leucoium bulboſum flore patulo 11. C. B. P.

26. *Leucoium* bulboſum ſerotinum majus multiflorum, nobis. Leucoium bulboſum ſerotinum majus 1. Cluſ. Hiſt. & Pan. Leucoium bulboſum polyanthemum, Dod. Leucoium bulboſum majus & multiflorum quod aliqui Acrocorion Plinii ſtatuunt, C. B. P. Huic quina aut ſena ſunt folia, virentia, Narciſſinis ſimilia: è quorum medio caulis pedalis & amplior aſſurgit, nudus, concavus & aliquantulum planus, binis acutioribus angulis præditus, viridis etiam, è membranaceâ vaginula quinos aut ſenos flores ſummo ſuo faſtigio proferens, tintinnabuli modo pendulos, ſex æqualibus & niveis petalis conſtantes, quorum extimam partem virides maculæ inficiunt,

inficiunt, ſenis intus ſtaminulis flavis, medioque lacteo ſtilo apice viridi inſignito: floribus deciduis ſuccedunt magna & trigona capita angulis obtuſis Pyri in modum turbinata, nigrum ſemen Orobaceum, Lilioaſphodeli flavo flore ſemini non abſimile, continentia: radix craſſa & bulbacea multis ſucculentis tunicis conſtat majoribus, minores involventibus, & plurimis fibris cæterarum bulbacearum & tuberoſarum hexapetalarum plantarum more. Hoc ſerius ſuperioribus tribus allatis germinare ſolet, atque Maio demum menſe flores proferre. Uno duntaxat interamnis Pannoniæ loco hanc ſpeciem obſervavit Cluſius, ſcilicet in uliginoſis pratis ſupra *Waraſdinum*. Meminit etiam Cluſius in pratis Lateræ vicinis obſervaſſe, cum Monſpelii viveret.

27. *Leucoium* latifolium bulboſum autumnale tenuifolium, Cluſ. Hiſt. Leucoium bulboſum autumnale minimum, Dod. Leuconarciſſolirion minimum autumnale, Lob. Hoc minimum autumnale eſt cauliculo palmum alto, gracili, unicum, interdum alterum & tertium, ferens florem omnino lacteum, pendulum, ſex petalis conſtantem, & tintinnabuli modo formatum, inodorum, ingrati guſtus, in quo ſex pallida ſtamina: flore jam aperto demum prodeunt quaterna aut quina capillaria viridiaque folia: radix bulboſa, ſatis craſſa pro plantæ exilitate, è multis glutinoſis tunicis candicantibus compacta, amara eſt. In extrema Bætica, quæ Luſitaniæ contermina eſt non procul *Badojoz* quam *Pacem Auguſtam* eſſe exiſtimant ad flumen Anam ſitam, naſcitur, ubi ſub finem Octobris, & Novembris initium cum ſuo flore eruebat Cluſius proficiſcens Olyſipponem. Huc revoca Leucoium bulboſum latifolium autumnale 7. C. B. P. Primum Leucoium hic at Narciſſus 23. in hac tabula, à Rizotomis mulierculis dicitur Viol apaluſtris: Germanis, Gallis etiam Viola Februarii & Viola alba. Narciſſus 26. Leucoium 3. C. B. P. à Germanis Gutta nivea ab inſigni candore appellatur. De facultatibus horum Leucoiorum nihil quod ad feramus habemus, cum à veteribus de iis nihil reperiatur proditum, & à recentioribus nihil quoque obſervatum. Icones omiſſas vide ad finem in App. hujus Sectionis.

Hoſce paucos Narciſſos explicatos & ſculptos tantum exhibuimus, cum omnes omniumque varietates exhibere admodum erit difficile: de cæteris colore variantibus, vide Caſpari Bauhini Pinacem & Johannem Bauhinum, Hortum Eyſtettenſem, Florilegium Swertzii, de Bry, Paſſæique. Succedunt paragrapho 7mo Leucoium bulboſum, 8vo & ultimo Lilionarciſſi explicandi; & quia flores producunt Liliorum inſtar, capſulaſque pariter eorundem capſulis ſimiles ſeminaque itidem conformia Liliis, Lilii nomen in compoſitione præfiximus, quia denominatio omnis debet à nobiliore & potiore parte deſumi; atqui flores & capſulæ ſeminales ipſaque ſemina primatum in omni genere obtinebunt: ſed quandoquidem radices omnium harum infra deſcribendarum plantarum ſint perfecte bulboſæ & multis pelliculis ſeu tunicis majoribus involventibus minores præditæ Narciſſorum reliquorum more, non autem ſquamoſæ ſeu ſquamatæ Liliorum proprie dictorum modo, nos aptiore titulo Lilionarciſſos deſignavimus: quoniam utriuſque ſcilicet Lilii & Narciſſi naturam participant, nomen ſic compoſitum obtinebunt, ſicut in aliis hujus Sectionis claſſibus præſtitimus. Nam datur Colchiconarciſſus, Iris radice tuberoſa pendula ſui ſolummodo generis, Hyacinthus tuberoſa radice ſimpliciter, & Hyacinthus partim tuberoſa partim bulboſa radice flore amplo albo odoratiſſimo, item & Hyacinthus foliis & radice ſquamoſa Lilii inſtar, habet vero folia & radicem Lilii, ſed cum omnino florem, capſulam ſeminalem, & ſemina ibidem contenta producat Hyacinthi, erit Hyacinthus, & radix ſquamata unà cum foliis liliaceis determinabit ſpeciem, facillimam diſtinctu à cæteris omnibus Hyacinthis bulboſis; & ſic de aliis bulboſis dubii & ambigui generis concludendum cenſemus: ita ad finem Liliorum cernere eſt Lilioaſphodelum, ejuſque ſpecies diverſas, quæ à flore Lilii, capſulis, ſeminibuſque eidem conformibus, Lilii in prima & præcipua nominis compoſitione nomen obtinuere, atque à radicibus Aſphodeli inſtar, Lilioaſphodeli non Aſphodelolilii nomen ſortitæ ſunt. Idem in aliis generibus poſtea explicandis nobis dicendum veniet.

§. 8. *LILIONARCISSUS.*

Explicatio Tab. decimæ Sectionis quartæ.

28. *Lilionarciſſus* albus maritimus minor, nobis. Hemerocallis Valentina, Cluſ. Hiſt. Dod. Narciſſus pancratium maritimum flore albo, Swert. Pancratium Monſpelienſium & Squilla minor Pharmacopœorum, Geſn. Hort. Huic plantæ (quæ inter Narciſſi genera referenda eſt ſecundum authores) quina aut ſena ſunt folia, oblonga, lata, Narciſſinis quidem ſimilia, ſed planiora firmioraque, ſubcineracei quodammodo coloris: caulis rotundus aſſurgit cubitali interdum

terdum altitudine, nudus & ſine foliis, qui in cacumine membranaceum promit involucrum, & eo dehiſcente quinos aut ſenos, interdum plures edit flores, Pſeudonarciſſi vulgaris ſimiles, Lilii odorem ſpirantes, albos omnino, præter externa ſex petala & extremos mucrones, qui viridi colore aſperſi conſpiciuntur: è medio oblongo protuberante calice, per oras laciniato, exeunt ſex candida oblonga ſtamina, ſuis apicibus flavis ornata, & medio longiore ſtilo, ut in Lilio albo fere: marcidis & defluentibus floribus ſingulis ſingula ſubſunt capita triangularia, in craſſitudinem ſucceſſu temporis extuberantia; in quibus ſemen continetur nigrum, magnum, compreſſum, fungoſum, ſeparatim in ternis loculamentis: radix bulbacea, magna, alba, oblongior, lento humore plena, nigricante cortice exterius obducta, quæ interdum adnatis nucleis aliorum Narciſſorum more ſeſe multiplicat & propagat. Caulis etiam & folia conciſa aut confracta lentum humorem extillant. In maritimis circa Valentiam Hiſpaniæ frequens, & toto illo maritimo tractu infra Monſpelium, ubi Maio menſe florentem, Julio & Auguſto ſemen maturum ferentem inveniebat, & radicem magna difficultate ante multos annos eruebat Carolus Cluſius alte arena maris fluctibus aggeſtam merſamque. Allatus etiam eſt Conſtantinopoli Viennam ejus bulbus aliquoties, inquit Cluſius, dum iſtic vivebat.

29. *Lilionarciſſus* albus maritimus major, nobis. Lilionarciſſus Hemerocallidis facie, Eyſt. Narciſſus Conſtantinopolitanus vel 3. Matth. Pancratium Indicum alterum verum ſive Narciſſus Indicus alter facie Pancratii Monſpeliani, Lob. Ad. par. 2. Hujus bulbus Muſcari craſſitudinem æquat, imo etiam adultus multum ſuperat & longior eſt, multis tunicis involutus, quarum extima fuſca eſt, ſubſequens ſubruffa, tertia & reliquæ inferiores candidiores, radicis fibræ graciliores & frequentiores quam in Muſcari: ſub Aprilis demum finem (nullos bulbos adeo tarde emergentes obſervavimus) ſena aut plura producit folia, duplo latiora quam Muſcari, ſed illis breviora, & ſub extremum Auguſtum marceſcentia, diſſimili plane ratione quam Hemorocallis Valentina ſupra deſcripta, cujus folia Auguſto emergunt, deinde tota hyeme viridia permanent. Ex eodem bulbo bini interdum prodeunt caules, ſinguli ferentes circa Junium menſem folliculo incluſos ſex aut octo, nonnunquam plures, flores albos, parvo Lilio non diſſimiles, medium occupante parvo calice albo, in multas lacinias per oras ſecto, odorato, in quo ſtamina ſex alba, flavis apicibus prædita, & medius ſtilus albus; ſemen in thecis ſeu capſulis triangularibus minus, & magis rotundum Hemerocallidis ſuperioris ſemine. Ego Lilionarciſſum orientalem lubens appellarem, inquit Cluſius, ſed frequenter in Europa ſponte naſcens reperitur, ut in Corſica, & Sardiniæ montibus altiſſimis: aſt ego verſus meridionalem plagam, ad oram maritimam in Inſula dicta *l' Iſle de Reè*, apud Gallos non procul Rupella copioſe ſatis naſcentem & florentem offendi, cujus radix arena vento agitatâ occulta ad ulnam & profundius latebat, adeo ut binos vinitores illic in vineis laborantes advocandos curaverim, qui plurimâ arenâ projectâ tandem bulbos nobis detexêre. Unde ex deſcriptione ſupra allata & montanus & maritimus ex noſtra opinione Lilionarciſſus jure nuncupari poſſit.

30. *Lilionarciſſus* Indicus pumilus monanthos albus (*Atamoſco* vulgo hortulanis dictum) nobis. Hic caulem protrudit ſemipedalem, cui innititur unicus flos liliaceus albus, ſex petalis conſtans & totidem ſtaminibus cum ſtilo aliorum prædictorum more: flos magnitudine æqualis eſt flori Lilioaſphodeli lutei; poſt florem evanidum folia profert Narciſſinis foliis ſimilia, aliquantulum latiuſcula, magis mucronata: bulbum habet cepaceum, multis tunicis majoribus involventibus minores conſtantem, à quo plurimæ barbillæ ſeu fibræ demittuntur quibus tota planta nutritur. Hunc primo florentem obſervavimus in hortulo D. *Caroli Hatton*, cui ab hortulanis nomen *Atamoſco*, ab Indis mutuatum, inditum fuit.

31. *Lilionarciſsus* Jacobæus latifolius Indicus rubro flore, nobis. Narciſſus Jacobæus latifolius Indicus rubro flore, Cluſ. Hiſt. Sena vel plura habet hic Narciſſus folia, Narciſſi vulgaris foliorum inſtar longa, ad quorum latus emergit caulis lævis & enodis, intus concavus, ſummo faſtigio in nodum deſinens, membranaceum quoddam involucrum purpuraſcentis coloris ſuſtinentem, è quo unicus flos ſeſe exerebat, ſex longis & anguſtis petalis conſtans, qualia fere in majoris Gladioli ſingulari flore conſpiciuntur rubri & ſaturi ſplendentis coloris, aut inſtar floris Arundinis Indicæ vulgo appellatæ, cui non valde abſimilis eſt, è quorum medio prodibant ſex ſtamina ejuſdem pene coloris, oblonga (quibus inſidebant apices fuſci coloris, quia forſitan ex attritu corrupti) & medius ſtilus ſub quo rudimentum triangularis capitis, quod haud dubie ſemen dediſſet, forte etiam maturum, niſi ipſe florem præcidiſſet, ubi mihi conſpiciendum præbuit poſſeſſor: radicem habet bulboſam, Cepis vulgaribus prorſus ſimilem, unicam habebat ejus plantam poſſeſſor ipſi miſſam ab eruditiſſimo viro D. *Simone Touar* Hiſpalenſi

Hiſpalenſi medico, quæ florem exhibuit Junio, alterum autem expectabat ſequente menſe, quoniam præcedente anno eadem planta bis illi florem protulit menſibus Junio & Quintili. Radix hujus bulboſa, Cepæ rotundæ ſimillima, ſuperna vero tunica pulla: folia prima emittit craſſa, oblonga, foliorum Narciſſi maritimi, Hemerocallis Valentina dicti, æmula: ſecundum folia autem atque adeo ex latere, pedalis & longior emicat caulis, plerumque unus, aliquando vero & alter (quanquam hoc raro contingit) interdum ſucceſſive, dilute rubens, rotundus, cavus, & interius ſubalbidus, qui in membranaceam definit vaginulam, ſaturate rubentem, & ad extremum acuminatam fiſſamque: è quâ flos unicus erumpit oblongus pediculo nixus viridiore, qui deorſum inflexus & veluti procumbens (ut in Leucoio bulboſo vel Lilio rubro, tametſi non æque nutans, deorſumque inclinans) ſex conſtans petalis eleganti minii colore rubentibus, tribus ſuperioribus, totidem inferioribus; quorum quod è ſuperioribus medium eſt, ſurrectius eminet, reliqua duo ad latera à medio reflectuntur, inferiora autem deorſum curvantur, cunctis ita concinnatis, ut enſis etiam rubri, qui ab ordine ſancti Jacobi equitibus in veſte geſtatur, figuram valde referat, unde Jacobæi nomen ipſi à Cluſio inditum. Sunt porro in hoc elegantiſſimo flore ſtaminula ſeptem ſimiliter rubra, quorum medium aliquanto longius in triangularem apicem definit, cæterum ſex apices tranſverſi finiunt, interius fuſci, ſuperficie luteo pulviſculo obducti: cuncta aut ad mediam fere eorum longitudinem medium ex inferioribus folium ambit: idem etiam à reliquis duobus inferioribus complexum; atque ubi hæc deorſum flectuntur, ſtamina ipſa ſurſum elevantur.

32. *Lilionarciſſus* Indicus ſaturato colore purpuraſcens, nobis. Narciſſus Indicus liliaceus ſaturato colore purpuraſcens, Baptiſt. Ferr. Hic Lilionarciſſus Indicus jam familiaris factus Italiæ, magnitudine & formâ candido Lilio par, florum petalis magis continuatis minuſque reſupinis diſpar, florum numero aliquando ſuperior ex eodem centro, caulis ſcilicet faſtigio exeuntium, albo rubroque blande temperatis circa calendas Septembris pingitur, ut ipſius pulchritudo ex ſanguine & lacte coaluiſſe videatur: albidæ membranæ rupto involucro, floris petala primo modice rubent coloratioribus tantum lineis in longitudinem virgata, in calathi deinde figuram deducta adulto pudore ſuffunduntur; adeo vel in floribus pudibunda pulchritudo publicam lucem erubeſcit. Toto denique ſenili vultu rubicundiore dum defloreſcunt, floridiora ſunt, unus umbilicus intus foriſque flavet: ſex inæqualia ſtamina una parte candicantia, in ſummo ſubrubentia, lunatos in crocos ex viridi flaventes definunt. Piſtillus denique prolixior, coloratus, apice multo inſignitus. Viceni pluresve flores è pediculis ſatis craſſis, binos ſeu ternos digitos longis ex atro virentibus, & ſive devexis, ſive erectis, modo in orbem penduli, modo in ſilvam prominuli, necnon particulatim dehiſcentes ſuum caulis faſtigium coronant: caulis ipſe rotundus, digitum craſſus, ac prope pedalis, ex viridi obſoleſcit in rubicundum: folia liliacea viroris & magnitudinis narciſſinæ, arefacto jam flore à latere caulis enata in ipſum caulem incumbunt. Bulbus hic in Neapolitano tepore Scillam prope exæquat, Romano ſub cœlo minus tumet; inſtar Eriophori ſummo ſub cortice membranaceo lanoſus extra pallet, nec florem fert, niſi ad juſti mali punici molem adoleverit. Hic etiam Lilionarciſſus cæterorum more ſe propagat, parco tamen proventu. Alter Narciſſus Indicus Baptiſtæ Ferrarii differt à priore ſolo dilutiore purpureo colore; ideo inepte Ferrarium judicamus duplicem adhibuiſſe Iconem in florum Cultura.

33. *Lilionarciſſus* Japonicus rutilo flore, nobis. Narciſſus Japonicus rutilo flore, Cornut. Inter omnes Narciſſos qui hactenus apud nos conſpecti extiterunt, prima (ut arbitror) authoritas, inquit Jacobus Cornutus, nobiliſſimo huic debetur, cujus radices ex Japonia allatæ, & ex navi naufraga, Batavica an Anglica incertum, ejectæ in litus arenoſum Inſulæ *Gernſay* ditioni ſereniſſimi Caroli ſecundi ſubjectæ: ibi inquam bulbi incuria projecti in litus arenoſum inter Sparta maritima & vento fortiori arenam eo pellente, qua demum prædicti bulbi tecti, poſt aliquot annos ſumma cum incolarum admiratione flores rutilos amplos & elegantes ſponte dedêre. Hoc flore detecto, aliquot annis poſtea radices plurimas communicavit Botanicis & elegantium florum cultoribus Dominus *Carolus Hatton* filius natu ſecundus nobiliſſimi viri *Chriſtophori Hatton* Baronis de *Hatton* & Inſulæ *Gernſay* prædictæ gubernatoris. Huic Lilionarciſſo ſpectabilis eſt ab initio thyrſus ſeu caulis nudus foliis, qui paulatim in pedis altitudinem ſe erigit, ſuperiore parte virens, inferne mille purpureis maculis infuſcatus, in cujus faſtigio novem aut decem florum gemmæ, totidem petiolis biuncialibus adhærentes in hæmiſphericam figuram diſpoſitæ, quæ prius longa & rotunda quâdam vaginâ membranaceâ celabantur; hæ dum florem patefaciunt, in ſex petala deduci ſolent, ſi bulbus læto ac pingui ſolo committatur; nam ſi aut ſiccus bulbus, aut in macro ſolo poſitus, macros flores ſaltem

 non-

nonnullos & uno aut altero petalorum mutilatos producit. Hoc omnibus fere floribus familiare eſt, qui ab exteris regionibus extra natale ſolum tranferuntur, quorum integritatis & elegantiæ non minimum ſoli macies detrahit. Hæc namque fructus etiam natura dulces, in acerbos, & læves in hiſpdos vertit: Groſſulæ ſilveſtres fidem faciunt: in uva criſpa ſilveſtri uvas obſervamus ſpinoſas, & undique aculeatas; tranſlatæ in uberius ſolum cultura & opimæ terræ adjectione ſterilitatem omnem deponunt, & ita facile vice verſâ incuria aut ſoli ſiccitate priſtinum & ſilveſtrem ſtatum denuo induunt. An hic Lilionarciſſus Japonicus rutilo flore ſit idem, an minor ſpecies Narciſſi Indici Baptiſt. Fer. ſaturato & dilutiore colore purpuraſcentis, examinent poſteri Botanici. Prædicti Lilionarciſſi cujuſque floris ſingula petala duas uncias ſunt longa, admodum anguſta, & exigua veluti lacuna ſulcata, quæ juxta floris centrum brevi acumine gracileſcunt, extrema parte inflexa reſupinantur more Lilii montani, quod Martagon vocatur: color floris eſt cinnaberis aut laccæ elegantioris, vena ſanguinea lacunarum medium diſcriminante: ſicut ſex ſunt in ſingulis floribus petala, ſex itidem ſtant in medio filamenta, petalis longiora & pallidius rubentia, totidem apicibus atropurpureis ornata: ſolus odor abeſt huic flori eleganti, cujus defectum natura ſupplevit vivacitate coloris, quem non modo pigmentorum mixturæ artificio quivis aſſequi nequit, ſed nec ullis hactenus floribus ſimilem conceſſiſſe naturam obſervatum eſt; nam præter eximium hunc colorem, quo intuentium obtutum hebitat, ſi forte ſerenus dies affulſerit, floremque ſol meridianus illuſtraverit, mille veluti ſcintillas evibrat, quas pertinax oculus inconnivenſque vix momento ſuſtineat. Subeſt bulbus tunicatus priorum bulbis ſimilis: folia vero non niſi tabido caule erumpunt, quorum color non glaucus, nec obſcurus, ſed grata viriditate renitet.

34. *Lilionarciſſus* Indicus pumilus polyanthos, nobis. Narciſſus Indicus *pumilus polyanthos*, Cornut. Huic Narciſſo quod infelicius creſcat, nec ultra palmum ejus caulis adoleſcere conſueverit, pumili nomen datur; radix eſt carnoſior, majorque bulbus: folia octo aut novem, ſingula palmum longa, pollicem lata, glaucè virentia, non recta ut reliquorum, ſed modice flexuoſa, juxta terram nata oblique prodeunt: inter quæ caulis brevis, nudus & liber erumpit, relictis hinc inde ad latera foliis; hic non rotundus ut reliquorum caulis, ſed latus ſemiunciam, poſtquam medii palmi proceritatem implevit, membranam turbinatiorem in ſummo caulis faſtigio relinquit, qua veluti capite flores clauduntur, quâq; apertâ apparet tandem eximius novem, decem aut viginti florum faſciculus, quaſi ex eodem centro caulis ſcilicet ſummitate actorum umbellatim & ſuperficiem rotundam convexam conſtituentium, qui pro ſoli cœlique ratione languidius aut ſaturatius rubeſcunt; ſingulis eſt Colchici pratenſis & figura & magnitudo; ſex enim conſtant petalis, quæ ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſeſe laxant; foris ſinus ſecundum eorum longitudinem fertur, qui in ſubjectum flori capitulum producitur, tot pariter criſtis extuberans, quot folia ſtriis excavantur: ſex ſtant in floris medio filamenta longa, apicibus cæruleis donata: ſubſunt quibuſdam floribus pediculi triangulares; hi inter ſe caulis in ſummo committuntur, miroq; prorſus ordine diſpoſiti, naturalem & nullatenus arte imitandam hæmiſphericam formant figuram: flores quoque ut aſpectu ita & ſuavitate ſunt inenarrabili, præcociores etiam ſunt reliquis, florent ſiquidem ante Arcturum, atque paulo poſt (octiduum ſcilicet) in horto Botanico Regio Pariſienſi inutiliter ſine ſemine, teſte Veſpaſiano Robino, collapſi ſunt.

35. *Lilionarciſsus* Indicus maximus ſphæricus floribus plurimis rubris liliaceis, nobis. Narciſſus Indicus ſphæricus flore liliaceo, Baptiſt. Ferr. Hanc plantam alii Ornithogalum ſphæricum, alii Moly maximum Indicum vocant. Bulbus hujus longe ſcillitico ſeu ſcillino major eſt, ventrem prope rotundat corium ferrugineum, quamvis tenue, duriſſimum tamen induit, imam partem protuberantem pro corporis amplitudine làte circinat: fibras minimi digiti inſtar præcraſſas prælongaſque diffundit: floris vagina ad calendas Septembris exit in lanceæ formam cuſpidata, ternos lata digitos, quinos longa, extuberanti cinnabere ſaturata, poſt aliquot dies ſubnaſcente ſcapo in palmum exerta, turgente jam atque urgente numeroſo fœtu in geminas partes, oris anguinei modo, latiſſime dehiſcit, non ut linguis triſulcis horribilis, ſed ut pluribus floribus amabilis micet. Apparet primo conniventium florum conferriſſima congeries, quæ ramoſo paulatim incremento rotundam ita rareſcit in ſilvam. Scapus exſurgit pedalis & amplior, binos digitos latus, ex rotundo preſſior, & ex viridi rubens, qua parte ſolem adſpicit coloratior, in ſummo capitatus. Funduntur è capite denſioris more capillicii frequentes, prolixæ, ſuavique rubore viſendæ laciniæ, quibus internati radiata rotunditate porriguntur cauliculi triangulares, palmo longiores, minuſculum digitum lati, interfuſo rubore virentes, in capita extumidi Tuliparum triquetro folliculo ſeu perferratæ trifidæ clavæ ſimi-

ſimillima. Plerique inſtar candidi Camelino collo Narciſſi cervicem deflectunt, recto rigidoque ſtatu nonnulli circumſtant. E ſingulorum verticibus eminent ſurſum verſus ſpectantes elegantiſſimi flores, rubro convolutoque montium Lilio æquales, nec abſimiles, quippe Phœniceo rubore colorati, & petalis quinis nativos in cirros reflexis calamiſtrati, exteriore petalo cum ſtaminibus aſſurgente, quæ ſane conſpicienda ſtamina ſic extant, ſena, læto colore punicea, & in totidem verſatiles apices, primum flavos & grandiuſculos, deinde contractiores, ſubter ſubfuſcos, ſupra ſubalbidos & veluti farinâ conſperſos degenerant: in horum medio piſtillus ſine apice productior, craſſior, longâ utrinque rimula interſecante ſtriatus, ſumma parte recurvus pariter purpurat. Omnes inter ſe flores ternis quaternisve digitis intercurſantibus diſtant, per partes dehiſcunt, nec prior floridus ante defloreſcit quam virent univerſi; ſenium illos non contrahit, ſed infuſcat, ac demum decutit. Menſtrua ipſi vita & Ver autumnale; September ſcil. eoſdem pariter oriens, perimit occidens. Hæc enim multorum florentium capitum Hydra non calore ſed frigore interficitur. A florum interitu triangula capita grandeſcunt, pleraque inania, perpauca nonnullo obortivi ſeminis rudimento fœta, ſive quod noſtratis Autumni frigus reformidat, ſive eadem apud nos nondum robuſtæ fœcunditatis eſt: caules tandem & inhærentes cauliculi penitus directi atque in orbem diradiati ſic exareſcunt, ut floris pulcherrimi cadaver ſidus ſit: neque enim hoc inſolens eſt, ut Hydra mutetur in ſidus; nec iſti hortorum ſideri mors parcit: præmorſui floris decorum cadaver ingruentia primum frigora iterata morte corrumpunt, neque clavæ multiplicis armatura formoſum tueri germen adverſus ævi demolientis injuriam poteſt: folia circiter Octobris exitum apparent, flore non proveniente; in ejuſdem proventu ſerius, extremo ſcilicet Novembri menſe exiſtunt, pauciora initio, ſex tandem flori præluſere, longitudo illis bipalmaris, latitudo palmaris, dimidiati ferme digiti ſeu cultri craſſitudo, retuſa forma, læta viriditas, & fuſco per oras rubore circumlita; corpus humi erraticum lateque procumbens, vita uſque ad extremum Maium ſive ad primos calores producta. Hunc Lilionarciſſum menſe Septembri florentem Pariſiis apud Johannem Morinum, Anglum vulgo dictum, obſervavimus, Anno Dom. 1657. cujus florum aſpectus elegantiſſimus ac amœniſſimus fuit, nec capſularum triangularium intuitus minus gratioſus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Dictum autem Narciſſum à νάρκη *refert Plutarchus in Sympoſ. quaſi nervos hebetantem & torpidas facientem gravitates. Dicitur etiam* λείριον, *& Apuleio teſte* ἄνυδρος, βολβὸς ἐμετικὸς, αὐτοφυής, ἄνυδρος *autem proprie eſt Narciſſus montanus, eo quod ab aquis remotus proveniat,* βολβοῦ ἐμετικοῦ *nomen ab effectu habet, Dioſcoridis ſiquidem authoritate Narciſſus vomitum etiam concitat. Eſt & alius bulbus vomitorius proprie dictus, de quo infra Cap. ſequente. Narciſſi radix, ut Galenus ait, uſque adeo facultate exſiccandi pollet, ut & maxima vulnera glutinet, vel ad inciſiones uſque, quæ circa tendones accidunt: habet vero quid abſterſorium & attractorium. Eadem, authore Dioſcoride, ſive eſtur, ſive bibitur, vomitus movet; prodeſt ambuſtis cum melle trita: præciſos quoque nervos agglutinat impoſita: laxatis item malleolis diutiniſque articulorum doloribus trita cum melle & impoſita ſubvenit: expurgat ephalin & alphum cum Urticæ ſemine & aceto; at cum Ervo & melle ulcerum ſordes expurgat, & abſceſſus qui ægre maturantur rumpit: educit & aculeos infixos cum Lolii farina & melle. Narciſſus herbaceus vomitorius, ac ideo ſtomacho inutilis, alvum quoque ſolvens, nervis inimicus, caput gravans. Narciſſi cujuſque generis radicem præmanſam vomitum ciere Cluſius ſæpenumero expertus eſt, quod nobis etiam compertum, dum ſerva cujuſdam amici forum olitorium petens porracea folia ſibi comparare voluit, quibus incuria an datâ operâ hortulani ejuſve ſervi ſecantis multa Narciſſi vulgaris folia immiſta, quæ ſecta & indiſcriminatim ollæ indita omnes quotquot totius familiæ commedêre, de hoc juſculento cum foliis Narciſſi, vomitu vehementi correpti, me accerſendum curarunt, atque ſtatim cauſam univerſalis hujus vomitionis inveſtigans quædam folia Narciſſi ſilveſtris inter porracea folia in caniſtro quo prædicta folia ex foro detulerat ſerva, adhuc reſtantia & immiſta porraceis foliis obſervavi, quæ cauſa fuere univerſalis hujus vomitus per totam familiam.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis prædititis.

CAPUT XI.

HYACINTHUS.

Y Ακινθος unus eſt Dioſcoridi l. 4. c. 63. at Theophraſto 6. Hiſt. 7. duplex, ſativus & ſilveſtris: & ut Plin. l. 21. c. 11. Hyacinthum duplex fabula comitatur, luctum præferens ejus quem Apollo delexerat (Hyacinthum vocatum) aut ex Ajacis cruore editi, ita diſcurrentibus venis, ut Græcarum literarum A. I. inſcripta legatur. Duplicis veteres meminere; alter Poeticus, alter medicus: illum, aliqui fabuloſum vel poeticum: hunc, hiſtoricum ſive medicum vocant: rurſus alius Græcorum, alius Latinorum eſt; Græcorum eſſe Hemerocallida Dioſcoridis ſive Lilium rubrum Plinii, Latinorum quidam Iridem radice tuberoſa recenſent; Medicorum vero ab utroque variat, de quo in præſens.

Hyacinthus folia producit anguſtiora; flores minores Narciſſinis, eſtque comoſus, vel racemoſus ſeu botryoides (id eſt, flores racematim gerit Unidonis florum æmulos;) vel flore oblongo, vel ſtellaris (à florum petalis ſtellam imitantibus;) vel à loco in quo provenit, eſt vel Orientalis (iſque vel flore ſimplici, vel pleno ſeu potius altero alteri innato:) vel Indicus: eſt à tempore, vernus ſeu præcox, ſerotinus vel autumnalis: à foliorum compoſitione vel latifolius, vel anguſtifolius: à florum colore eſt cæruleus, violaceus, cinereus, ruber & albus. De hiſce omnibus ordine agemus.

TABULA XI. Sectionis quartæ.

Hyacinthus
- *Comoſus*
  - 1. *Major purpuraſcens, C. B. P. Hyacinthus ſpurius, Eyſt.*
    - *Violaceus.*
    - *Ruber.*
    - *Albus.* ⊙
  - 2. *Saneſius panicula violacea, nobis. Hyacinthus Saneſius coma paniculoſa, Colum.* ⊙
- *Racemoſus ſeu Botryoides flore arbuteo*
  - 3. *Latifolius ſpecioſior*
    - *Cæruleus.*
    - *Carneus.*
    - *Niveus.* ⊙
  - 4. *Anguſtifolius & minor ſeu juncifolius*
    - *Cæruleus.*
    - *Violaceus.*
    - *Carneus.*
    - *Albus.* ⊙
  - 5. *Ramoſus cæruleus, nobis. Hyacinthus Botryoides ramoſus, du Bry. Park. Parad.* ⊙
  - *Moſchatus Muſcari dictus*
    - 6. *Albus.* ⊙
    - 7. *Luteus.* ⊙
    - *Purpureus*
      - *Obſolete.* ⊙
      - *Ex viridi.* ⊙
    - *Pullus.* ⊙
    - *Carneus.* ⊙
- *Floribus*
  - 8. *Oblongis pendulis*
    - *Major Anglicus ſeu Belgicus*
      - *Cæruleus.*
      - *Carneus.*
      - *Albus.* ⊙
  - 9. *Campanulæ inſtar*
    - *Utrinque diſpoſitis C. B. P. Hyacinthus Neopolitanus, Swert.*
      - *Cæruleus.* ⊙
      - *Albus.* ⊙
    - *Uno verſu diſpoſitis, C. B. P. Hyacinthus totus albus, Campanilla ex Luſitania, Lob. Ad. Part. 2.* ⊙

10. *Cæru-*

Hyacinthus
- *Orientalis*
  - 10. *Cæruleus, Tab. Ger.* ⊙
  - 11. *Caule maculato, C. B. P. Hyacinthus orientalis, Eyſt.* ⊙
  - *Serotinus floribus erectis*
    - 12. *Cæruleis* ⊙
    - *Albis.* ⊙
    - 13. *Striatis.* ⊙
  - 14. *Flore duplici ſeu altero alteri innato, nobis. Hyacinthus flore duplici ex albo vireſcente, Cluſ. Cur. poſt.* ⊙

TABULA XII.

- *Stellaris*
  - 15. *Præcox Germanicus aut Gallicus*
    - *Bifolius* / *Trifolius*
    - *Flore*: *Cæruleo.* / *Carneo.* / *Albo.* ⊙
  - 16. *Spicâ latâ depreſſâ ſeu faſtigiatis in metam floribus, nobis. Stellatus Bizantinus ſive exoticus Someri faſtigiatus latâ depreſſâ ſpicâ, Lob. Ad. part.* 2. ⊙
  - 17. *Caulibus pluribus, ſingulis pluribus floribus onuſtis, nobis. Hyacinthus caulibus pluribus floribus onuſtis, Swert.* ⊙
  - 18. *Autumnalis*
    - *Major, C. B. P. Hyacinthus autumnalis major, Ad. Lob. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - *Minor, C. B. P. Hyacinthus autumnalis minor, Cluſ. Hiſt. Dod.* ⊙
  - 19. *Peruvianus multiflorus Floribus*
    - *Cæruleis.* ⊙
    - *Albis.* ⊙
  - 20. *Eriophorus dictus, nobis. Eriophorus orientalis, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - *Peculiari radice*
    - 21. *Squamoſa* λειριόφυλλος *ſeu foliis Lilii, nobis. Hyacinthus ſtellaris foliis & radice Lilii, C. B. P. Hyacinthus ſtellatus* λειριόφυλλος, *Cluſ. Hiſt. & App. alterâ ejuſdemque Auctar. & Cur. poſt.* ⊙
    - 22. *Tuberoſa tantum, nobis. Hyacinthus tuberoſa radice, Cluſ. Hiſt. Lob. Ad. part. 2. J. B. Chabr.* ⊙
    - 23. *Partim tuberoſa, partim bulbacea autumnalis flore amplo albo odoratiſſimo, nobis. Hyacinthus Indicus major tuberoſa radice, Park.* ⊙

Explicatio Tab. undecimæ Sectionis quartæ.

§. 1. *HYACINTHUS COMOSUS.*

1. HYacinthus major comoſus purpureus, C. B. P. Hyacinthus comoſus Matthioli, Cluſ. Hiſt. Hyacinthus Neotericorum ſive comoſus ſpurius 3. Dod. Hyacinthus ſpurius, Eyſt. Hyacinthus magnus& bulbus vomitorius, Lon. Hic folia habet longa, pinguia, aliquantulum lata: caules longos, ſubinde dodrante altiores: flores è medio ſurſum verſus, undequaque circa caulem multos, parvos, cavos, primum purpurei, ubi vero flacceſcunt obſoleti coloris (reperiuntur rubri & candidi) cacumine comoſo: radicem uti aliorum bulboſam, ſubruffam, ac ſubpurpurei coloris. In Germaniæ quibuſdam provinciis, uti in Norica ſive Bavaria, frequenter in pratis gignitur; quandoque etiam ad agrorum margines apud Gallos & Italos inter ſegetes ſatis frequens. Aprili & Maio, ſubinde Junio, ejus flores vigent; ſemen poſtea æſtate perficitur. Huc refer Hyacinthum comoſum Belgicum album, & comoſum album Bizantinum, & comoſum Hiſpanicum C. B. P.

2. *Hyacinthus* comoſus panicula cærulea, C. B. P. Hyacinthus Saneſius paniculoſâ comâ Colum. Hyacinthus comoſus, ramoſus, purpuroviolaceus nondum deſcriptus, de Bry. Mirum quidem dictu quod planta hæc bulboſa Hyacinthis vulgaribus non abſimilis, etiam foliis & ſemine vidua infrugiferaque ſit adhuc viſa; ignoramus quænam ſit cauſa, an tranſlationis culpa, an

an alia, veluti nimia floreſcendi cupido atque luxuria ab ubertate proveniens, ut Theophraſtus docuit: ſilveſtrem quidem hunc videre non licuit: ſpecioſiſſima quidem eſt coma florida, in coni effigiem efformata; ex uno caule proveniens ipſe flos in numeroſos ramulos veluti vinaceus racemus abit, faſtigiatus paululum miliacei Graminis paniculæ modo; quare Hyacinthus paniculoſa coma fuit appellatus, & in manuſcripto volumine Icone coloratus à quodam ſedulo viro rerum naturalium ſcrutatore, & ſua forſitan manu, cujus nomen ignoratur: ſub Icone addita ſunt hæc verba, Comam habet ſive paniculam ex cæruleo purpuraſcentem, odore conſtantem cum gravitate jucundo; caule pedali provenit in agro Papienſi ab Angelo Beneventano dono datus. In horto ornatiſſimo eminentiſſimi Cardinalis Saneſii colebatur tempore Fabii Columnæ, atque hac ratione ductus, Saneſii Hyacinthi nomine donavit ipſe Columna. Menſe Martio incepit tribus foliis erumpere, & circa idus Aprilis florem edidit, qui per totum Aprilem menſem vegetavit, & ſaturo efficitur colore purpureo, atque deinde Maio menſe in plures ramulos ſcinditur, conſiſtitq; flos hilaris menſe Junio, poſtea evaneſcente paulatim colore flaveſcit. In multos annos durat, atque ex eadem radice flores comoſos purpureos emittit; quò bulbus fortior, flores grandiores ſunt & lætius purpuraſcunt. Jam paſſim in hortis rei Botanicæ ſtudioſorum conſpicitur, nam copioſe ſatis ſobole ſeu nucleis bulbilliſve adnatis matri ſeſe propagat. Degenerantem tantum hanc Hyacinthi varietatem à Hyacintho ſuperiore floribus facile concludere auſim, atque primus bulbus comam paniculoſam filamentoſamque loco florum protrudens, ſoboles ſeu nucleos inde manantes produxit qui eandem elegantiam in floribus retinent, nec flores pentapetalos poterint reſumere, quemadmodum Matricaria flore pleno viridi aliæque plantæ perennes non reſumunt perfectum ſtatum ſemel vitiatæ.

§. 2. HYACINTHUS *racemoſus ſeu Botryoides authoribus, arbuteo flore, nobis.*

3. *Hyacinthus* racemoſus major latifolius ſpecioſior arbuteo flore cæruleo, nobis. Hyacinthus Botryoides major, Eyſt. Hyacinthus Botryoides cæruleus major, Tab. Ger. Hyacinthus hic longioribus, firmioribus eſt foliis, quæ humi diffundi non ſolent, nec flexuoſa ſunt, ſed ſurrecta: hujus flores licet ſuperioribus forma ſimiles, longe tamen aſpectu hilariores, dilutioris purpuræ atque etiam in cæruleum tendentis colore præditæ ſunt. Hic provenit in vicinis Viennæ locis, multiſque aliis etiam, atque in Tyrolenſi agro ſeu comitatu vegetat. Floret Maio. Idem & flore albo reperitur qui eſt Hyacinthus flore albo, Cluſ. Hiſt. Hyacinthus hic à floribus racemi in modum in extremo caule congeſtis Βοτρυώδης cognominatur. Hujus duæ reperiuntur ſpecies, prior latioribus, craſſioribus, longioribuſque donatur foliis, florumque etiam racemo longiore denſiore & odoratiore: altera minora omnia habet & magis vulgaris eſt; utraque ſpecies florem admodum ſaturati coloris violacei & quaſi nigrum habet, aliquando etiam lacteo aut niveo colore donatur, cujus folia ſunt latiora. Florent utplurimum Aprili, interdum etiam Maio, ſi vernum tempus ob præcedentis hyemis aſperitatem ſerius incipiat. Proveniunt in Italia, Gallia; lacteo flore collectus fuit in monte Baldo. Eſt & minor qui Hyacinthus Botryoides minor Cluſii dicitur in Hiſtoria. De cæteris Hyacinthis racemoſis flore caliculato Unidonis flore conſule Caſp. Bauhinum in Pinace, Johannem Bauhinum, Eyſtettenſem Hortum, & Florilegia Swertzii.

4. *Hyacinthus* racemoſus minor juncifolius, nobis. Hyacinthus Botryoides & minor, Cluſ. Hiſt. Hyacinthus Botryoides cæruleus, Eyſt. Folia habet hic anguſtiora, longiora; & florum ſpica etiam longiore, denſiore, & odoratiore donatur: verbo omnia minora habet quam prædictus.

5. *Hyacinthus* racemoſus ſeu Botryoides & ramoſus flore arbuteo cæruleo, nobis. Hyacinthus Botryoides ramoſus, du Bry. Park. Parad. Hic radicem habet cæteris hujus generis intermedii majorem, caulem etiam ampliorem & craſſiorem, ex cujus lateribus à medio uſque pullulant plurimi pediculi breves ſeu curti, ſuſtinentes ramatim non in ſingulari & unico caule plurimos racemos florum amœnè cæruleorum, caliculatum Unidonis florem æmulantium. Huc pertinent Hyacinthi racemoſi omnes reliqui Caſp. Bauhini in Pinace.

6, & 7. *Hyacinthus* racemoſus ſeu Botryoides major ſeu Muſcari majus obſoleto albo flore, nobis. Muſcari obſoleto flore, Cluſ. Hiſt. Muſcari majus obſoleto flore, Eyſt. E vicinis Conſtantinopoli hortis, ultra Boſphorum in Aſia ſitis, primum noſtræ Europæ communicata fuit hæc planta, quæ ob ſuaviſſimum florum odorem ſupprimenda minime fuit. Quina, ſena, aut plura habet folia, oblonga, humi diffuſa, & oblique inflexa, canaliculata, ſatis craſſa & ſucculenta,

culenta, Hyacinthi majoris ſeu 1. Matthioli foliis perquam ſimilia & tenuia; ſtamina ſeu filamenta (ſi rumpantur) oſtendentia, non adeo tamen abunde ut Eriophori folia, quæ cum primum germinant, purpuraſcunt aut albeſcunt, interdum pulcherrimo rubro colore nitent: ex horum medio caulis oritur verno tempore ſatis craſſus, rotundus & nudus, admodum infirmus pro ſua craſſitudine; hunc à medio ad ſummum fere racematim cohærentes ambiunt flores urceolis primo propemodum ſimiles, initio interdum virides, aut purpuraſcentes, deinde pallide flaveſcentes, vel ab initio pallidi, poſtea flavi, poſtremo ubi tabeſcere incipiunt nigricantes aut pulli, iique mucrone quam in aliis craſſiore & obtuſiore interdum, qui marceſcere incipientes gratiſſimum moſchi fere aut aromatum odorem referunt, licet in hoc genere flavo colore prædito gravius quidpiam quodammodo ſpiret; niveo omnino flore reperitur & egregio rubente, quos ſane nobis videre non contigit. Hujus flavi ſeu obſolete albi coloris caules multo breviores ſunt caulibus flore obſolete flavo aut purpuraſcente oneratis: omnibus ſuccedunt capitula trigona, magna: in quibus ſemen continetur nigrum, rotundum, magnitudine Orobi aut ſeminis Hyacinthi 1. Matth. ſed majus: radix ſubeſt magna, albicans, multis tunicis Ceparum modo contexta, & frequentibus craſſis fibris ex ima ſede prodeuntibus firmata, perennibus, nec ſingulis annis marceſcentibus & pereuntibus, ut Hyacinthorum, Narciſſorum, Tuliparum, Liliorum & multarum aliarum bulbacearum ſtirpium fibræ. Ab imo flores explicare incipit hic Hyacinthus ut cæteræ bulbaceæ ſpicatim Botryoidem florem ferentes. Obſervatur interdum hæc ſtirps caulem in binos ramos dividere, quorum ſinguli multis floribus onuſti fuerunt.

§. 3. HYACINTHUS *oblongo flore.*

8. *Hyacinthus* major cæruleo oblongo pendulo flore, C. B. P. Hyacinthus Anglicus, Ad. Lob. Ger. Eyſt. Belgicus, Lob. Icon. Hyacinthus non ſcriptus ſeu Dioſcoridis, Dod. Lugd. Hyacintho huic folia ſunt oblonga, anguſta, lævia ſplendentia, Porri foliis anguſtiora & minora: caulis foliis viduus, glaber, teres, cujus coma florum pondere & mole cum primum dehiſcere incipiunt, gravata deorſum recurvatur: flores oblongi, teretes, concavi, in latus ſe pandunt, per oras reflexi, colore utplurimum cærulei, ſubinde rubri aut candidi ſive nivei, Violæ nigræ aliquando etiam dilutam purpuram referentes: ſemen in capſulis triangularibus parvum, rotundum: radix bulboſa, candida, perennis, lento ſucco uti & tota herba plena. Gignitur ſponte in pluribus regionibus; & in nonnullis major ac præcox, in aliis minor & magis ſerotinus. Paſſim provenit in ſilvis & dumetis Galliæ, & Angliæ.

9. *Hyacinthus* floribus Campanulæ utrinque diſpoſitis, C. B. P. Hyacinthus Neapolitanus, Swert. Hic flores campanulatos cæruleos gerit, integros in fundo, diviſos in margine, alternatim diſpoſitos (id eſt à dextris & ſiniſtris caulis flores dependentes edit.) Eſt & altera hujus varietas floribus uno verſu diſpoſitis: hæc floribus donatur cæruleis uno verſu diſpoſitis, id eſt, flores ex unâ tantum parte caulis promit. Et prior & poſterior ſpecies, aut ſi mavis varietas, conſpicitur flore albo. Cætera conſule Caſp. Bauhinum, Johan. Bauhinum, Hortum Eyſtettenſem, & Florilegia prædicta.

§. 4. HYACINTHUS ORIENTALIS.

10. *Hyacinthus* Orientalis, Dod. Matth. Lug. Cluſ. Hiſt. Cæruleus, Tab. Ger. Eyſt. Hic pauciores fert flores cæruleos, cinereos & albos campanulatos, itidem propendentes, & integros in fundo, in margine diviſos. Alter eſt plures flores cæruleos propendentes proferens, prioris floribus ſimiles ſed cineraceos, quodammodo purpuraſcentes, omneſque in unum latus propendentes, & reliquis non minus odoratos, ſemen itidem in capſulis triangularibus aliorum more. Hujus datur unus major, plures proferens flores; alter minor, pauciores gerens flores.

11. *Hyacinthus* caule maculato, C. B. P. Hic caules profert craſſiores maculis nigris ſeu fuſcis obductos: folia flores & radicem majora gerit prioris foliis floribus & radice.

12. *Hyacinthus* Orientalis ſerotinus erectis cæruleis vel albis floribus, Eyſt. Hyacinthus ſerotinus minimus cæruleus, Cluſ. Hiſt. & App. 2. Hic profert ex radice bulboſa olivæ puſillæ magnitudine, fuſca membrana tectâ, & multis fibris donatâ, quina aut ſena folia, longa, anguſta, ſtriata, & ſupina parte carinata, viridia, recurva, ſeu verſus terram reclicantia, nonnihil purpuraſcentia, nec valde abſimilia foliis Hyacinthi Botryoidis, inter quæ exiliebat

gracilis

gracilis cauliculus dodrantalis longitudinis, obſolete purpuraſcens, lævis, ſummo faſtigio ſuſtinens ſenos aut ſeptenos floſculos, concavos in fundo, campanulæ inſtar, & in ſex parvas lacinias per oras diviſos inſtar Hyacinthi Orientalis prioris caule maculato, ſed longe minores, inodoros, cæruleo & tandem ſubcæruleo colore præditos; ſex ſubflavi coloris ſtaminulis ex umbilico prodeuntibus, in quorum medio exiguus apparet ſtilus: ſingulis floribus ſingula ſuccedebant capitula trigona, mucronata; ſemen aliorum more continentia.

13. *Hyacinthus* Orientalis ſerotinus ſtriatus, C. B. P. Hyacinthus Orientalis ſerotinus mixtus, Eyſt. Flos hujus ex colore dilutius cæruleo, ſenis venis ſaturatius cæruleis mixto conſtat. Huc pertinent reliqui Hyacinthi Orientales apud Caſp. Bauhinum, Johan. Bauhinum, Hortum Eyſtettenſem & Florilegia prædicta, quæ variant mille modis, numero & colore florum à ſatione.

14. *Hyacinthus* Orientalis flore duplici ſeu altero alteri innato ex colore albo & cæruleo ad pediculum parum vireſcenti, nobis. Hyacinthus flore duplici, C. B. P. Hyacinthus flore duplici ex albo vireſcente, Cluſ. Cur. poſt. Hyacinthus Orientalis pleno flore ſubviridi, Swert. Hyacinthus Orientalis flore duplici, Eyſt. Hic flores gerit duplice campanula una alteri innata conſtructos adeo ut minor & interior adaptetur majori exteriori.

HYACINTHUS bulbus Eriophorus dictus.

Bulbi ἐριοφόρϰ, id eſt laniferi, inter veteres Theophraſtus 7. Hiſt. 13. meminit, illum in litoribus naſci, lanamque ſub primis tunicis habere, ex qua togæ & aliæ veſtes conficiantur: cujus & Plinius l. 9. c. 11. meminit, Theophraſti teſtimonio uſus.

§. 5. HYACINTHUS STELLARIS.

15. *Hyacinthus* ſtellaris Germanicus præcox bifolius & Hyacinthus ſtellaris præcox trifolius, nobis. & C.B.P. Hyacinthus Fuchſii, Dod. Hyacinthus ſtellatus, Cluſ. Hiſt. Hyacinthus ſtellatus flore cæruleo, Cam. Eyſt. Hic Hyacinthus minor præcox foliis, modo binis, modo ternis, aut aliquando pluribus, latiuſculis, ſed Porri foliis multo minoribus provenit: floribus circa cauliculi faſtigium ſparſis, multum radiantis ſtellæ fere ſimilitudine patentibus, ſex petalis conſtantibus, colore cæruleis, rubris candidiſve: quibus ſuccedunt capitula rotunda Ochri, ſed humida verna tempeſtate Piſi majoris magnitudine: in quibus ſemen Milio ſimile: radice conſtat bulboſa, rotunda. Reperitur ſponte naſcens in pleriſque Germaniæ & Galliæ locis umbroſis, & alibi læto pingui & inculto ſolo: nos affatim obſervavimus in ſilva cœdua prope Blæſas dictâ *le Coſtè de Chaile* florentem Februario & Martio. Bulbus eſt exiguus & cauliculus brevis gerens quinque, ſex ſeptemve flores aliquando pauciores ſecundum ætatem & vigorem bulbi.

16. *Hyacinthus* ſtellaris ſpicatus ſeu faſtigiatus lata depreſſa ſpica, nobis. Hyacinthus ſtellatus cineracei coloris, Cluſ. Hiſt. Hyacinthus ſtellatus Bizantinus ſive exoticus Someri lata depreſſa ſpica faſtigiatus, Lob. Ad. part. 2. Hyacinthus ſtellatus multiflorus cineracei coloris, J. B. Chabr. Hic multa habet folia humi jacentia, inſtar Hyacinthi Anglicani vel Belgici fere, inter quæ prodit cauliculus palmaris, aliquando ſeſquipalmaris, vicenos, tricenos aut plures interdum flores ſpicæ vel racemi uvarum inſtar congeſtos ferens, ſenis petalis ſtellatim conſtructis conſtantes, medium occupante umbone ſeu capitello ex ſex ſtaminibus, non ſecus ac in Hyacintho, qui ſtellati cognomen obtinuit, ſed longe dilutioris ac veluti ex cæruleo cineracei coloris, unde à numero florum in metam congeſtorum eorumque colore cineraceo facile inter cæteros ſtellatos cognoſcitur. A forma florum in metam congeſtorum proxime accedit ad Hyacinthum Peruvianum: floribus ſingulis fatiſcentibus ſingula ſuccedunt capitula trigona, ternis (aliorum more) loculamentis diſtincta, in ſummo mucronata, ſemen nigrum continentia: radix bulboſa, candida inſtar radicis Hiacinthi Belgici. Floret exeunte Martio & ineunte Aprili in calidioribus; at ineunte Maio in frigidioribus regionibus.

17. *Hyacinthus* ſtellaris caulibus pluribus ex eodem bulbo ortis ſingulis pluribus floribus oneratis, nobis. Hyacinthus caulibus pluribus floribus onuſtus, Swert. Hic caules quinos, ſenos ex eodem bulbo protrudit, atque ſinguli caules ad medietatem uſque floribus pluribus, ſtellatis, cæruleis onerantur. Hoc fit à luxuriante natura quemadmodum cernere eſt in Aſphodelo & Phalangio ramoſo, aliiſque plurimis hujus Sectionis ſtirpibus.

18. *Hyacinthus* ſtellaris autumnalis major, C. B. P. Hyacinthus autumnalis major, Dod. Ad. Lob. Lugd. Ger. J.B. Chabr. & Hyacinthus ſtellaris autumnalis minor, C. B. P. Hyacinthus autumnalis

tumnalis, Cluſ. Hiſt. Lob. Lugd. Ger. Hyacinthus ſtellaris autumnalis hic major quina ſenave habet folia, latiuſcula, flexuoſa, viridia, aliquantulum carinata, inter quæ prodit unus, nonnunquam bini, terni aut plures caules, palmo altiores, ſatis firmi, floſculis multis ſex petalis ſtellæ inſtar expanſis conſtantibus & dilute purpuraſcentibus ſtipati; in quibus ſunt quædam ſtaminula nigricantibus apicibus prædita: marceſcentibus floſculis illico ſuccedunt tenuia admodum & trigona capitula, quæ brevi matureſcentia & hiantia, puſillum nigrum ſemen oſtendunt, quod terræ gremio exceptum ſui generis plantulas generat, quæ tertio aut quarto anno flores dant: radix craſſiuſcula, candicans, infima ſede multis fibris donata. Hic Hyacinthus cauliculos dedit Cluſio ramoſos, quorum ſinguli caules ſeu rami ſuis floſculis (ut ſuperior ſupra deſcriptus) onuſti fuere. Hyacinthus ſtellaris autumnalis minor à priore ſtellari autumnali majore ſolummodo differt parvitate partium.

19. *Hyacinthus* ſtellatus Peruvianus multiflorus floribus cæruleis aut albis in rotundam metam faſtigiatis, nobis. Hyacinthus ſtellatus Peruvianus multiflorus flore cæruleo, Sweſt. Hyacinthus ſtellatus Peruvianus, Cluſ. Hiſt. Lob. Ad. part. 2. Eſt omnium Hyacinthorum elegantiſſimus hic, primo ex Peruviano orbe delatus, jam hortis omnium rei Botanicæ amantium ſatis familiaris: folia habet multa, lata, craſſa, mucronata, Hyacinthi Eriophori dicti foliis ſimilia, humi magna ex parte ſparſa, ſaturate viridia: inter quæ nudus prodit caulis, curtus, vireſcens, & terræ vicinus, ſummo faſtigio permultis floribus metæ in modum faſtigiatis & ſimul congeſtis onuſtus, qui ab imo primò ſe explicare incipiunt inſtar Scillæ, Ornithogali & ſimilium; in cymis caulium vix palmarium (niſi in ſolo pingui) pediculi oblongi, ex atro vireſcentes, ex foliorum gremio orti, flores ſuſtinent odoros, ſex petalis ſtellæ inſtar expanſis conſtantes, purpurei foris coloris, intus ex purpura cærulei, umbone (quemadmodum in ſtellato vulgari) floris medium cum ſex ſtaminulis illum ambientibus occupante: poſt quos evanidos ſubveniunt capita trigona, ternis loculamentis diſtincta, in quibus maturantur ſemina nigra: hiſce enim terræ commiſſis à diligente & intelligente hortulano rei Botanicæ peritiſſimo *Edvardo Morgan* in hortulo ſuo ſuburbano pone Abatiam Weſtmonaſterienſem pullularunt infinitæ plantulæ, quæ flores poſt quinquennium aut ſeptennium tulêre: radix bulboſa craſſaque inſtar radicis Hyacinthi orientalis, fuſco colore exterius prædita, & multis craſſiuſculis fibris ab imâ ſede prodeuntibus firmata. Conſpicitur idem floribus niveis, viſu peramœnis. Pro natalibus primò habuit regionem Peru. Floret Maio exeunte.

20. *Hyacinthus* Eriophorus orientalis, C. B. P. Eriophorus orientalis, Cluſ. Hiſt. Lob. Dod. Cam. Lugd. Tab. Ger. Bulbus Eriophorus ſeu laniferus Cluſii, J. B. Chabr. Hic eſt ille bulbus quem multis abhinc annis deſideravêre Botanici omnes, quique ſumma cum diligentia apud Botanicæ rei ſtudioſos colitur in hortis. In maximam amplitudinem excreſcit ut Allium, atque ſe mirum in modum adnata ſobole propagat: huic bulbo Eriophoro multa ſunt oblonga folia, hyacinthinis fere ſimilia, non narciſſinis, minus comoſa & ſucculenta, duriora etiam, viridia, mucronata, ingrati ſaporis, quibus etiam minutiſſime confractis tenuia quædam ſtamina inſtar telæ aranearum deduci poſſunt: ex horum medio caulis exit cubitalis aut amplior, rectus, Scillini caulis æmulus, lævis, nudus, vireſcens, ſuprema parte ad cæruleum colorem tendens; oblongamque veluti ſpicam gerit in denos vel plures verſus antequam explicetur flos diſtinctam, primum viridem, ſed paulatim (dum ſeſe explicat in flores) cæruleum colorem contrahentem: flores ſenis petalis ſtellatim expanſis conſtant, triangulo umbone in medio protuberante, Hyacinthi autumnalis majoris floribus valde ſimiles, inodori, cærulei, ſuis pariter quibus inſident pediculis internis donatis ſtaminibus, quorum apices initio purpurei, ubi ſeſe expandêre palleſcente quâdam veluti farinâ aſperſi, qui ab imo incipiunt florere, ut in Scilla & plurimis magna ex parte bulbaceis ſtirpibus; flores inquam racematim & ſpicatim confertos habere ſolet: radix craſſa & bulboſa eſt, e plurimis tunicis albis majoribus involventibus minores & inferiores contexta, tomentoſa, & veluti aranearum telis obſita, quemadmodum ſuprà dictum in foliis: bulbillos adnatos ad latera habet, & ex ſede infima craſſis oblongiſque fibris nitet. De cæteris Hyacinthis conſule Caſpari Bauhini Pinacem, Johan. Bauhinum, Hortum Eyſtettenſem, & Florilegia Swertii, du Bry & Paſſæi.

§. 6. *HYACINTHI ſtellati peculiares, radicibus diſcrepantes.*

21. *Hyacinthus* ſtellaris foliis & radice Lilii, C. B. P. Hiacinthus λειριόφυλλος radice ſquamata Lilii, nobis. Hyacinthus ſtellatus λειριόφυλλος, Cluſ. Hiſt. & App. altera, ejuſdem Auctario & Cur. poſt. Hic folia ſena, ſeptena aut plura fert, Lilii albi (antequam in caulem abeat) foliis ſimilia, è quorum medio caulis exilit pede brevior aut ſpithamæus, multos flores in ſummo

mo ſuſtinens, Hyacinthi ſtellati vulgo nuncupati floribus omnino pares, ſex petalis conſtantes, intenſe cæruleis ſive violaceis (aliquando, ſed rarius, niveis) eminente ex medio quodam veluti umbone cum ſtaminulis ſex, & ſtilo, aliorum prædictorum more: floribus ſingulis deciduis ſuccedunt capita trigona, tribus loculamentis diſtincta, atque in ſingulis ſemina multa, nigra continentur: radicem habet ſquamatam, flaveſcentem, oblongam tamen, tegulis veluti tectorum imbricatim ſibi invicem incumbentibus contextam, Liliorum ſive Martagonis radicibus ſimilem. Propter enim florem & capſulam ſeminalem adinſtar Hyacinthi, hic inter congeneres Hyacinthos ſtellatos locavimus etiamſi enim radice ſquamata & foliis Liliis conveniat, apte ſatis Hyacinthus foliis & radice Lilii, ſeu Hyacinthus λειριόφυλλος radice ſquamata, nuncupabitur. E Biſcaiæ montibus radicem erutam & ad D. Mutonum aſportatum primo Lobelius teſtatur. Ejuſdem radices miſit Joachimus Venerius, quas partim in Pyrenæis, partim in monte Galliæ Aquitanicæ collegit. Floret finiente Vere. Radicem itidem ejus, cui flos advenerat albus, in monte *Puiole* in Hiſpania idem Joachimus Venerius reperiebat.

22. *Hyacinthus* Indicus tuberoſa radice, Cluſ. Hiſt. Lugd. Ad. part. 2. J. B. Chabr. Hyacinthus Indicus minor albus radice tuberoſa, Swert. Hic Hyacinthus (quemadmodum prior radice ſquamoſa à cæteris omnibus Hyacinthis vere & proprie dictis bulboſis differt) diſtinguitur radice tuberoſa ſeu uniformi ſubſtantia conſtante, quâ recedit à reliquis Hyacinthi ſpeciebus proprie dictis, ſed uterq; floribus & capſulis ſeminalibus convenit cum cæteris Hyacinthis; ideo ad finem Hyacinthorum hos duos, unà cum ſequenti & ultimo Hyacintho utriuſque naturam participante quoad radicem partim tuberoſam inferius, partim bulboſam ſuperius, remiſimus; attamen à flore & capſula ſeminali eſt perfecte Hyacinthus, ſicut priores duo, non obſtantibus radicibus diverſimode conſtructis. Ex hujus radice tuberoſa, Ari Ægyptii aut Colocaſiæ inſtar, ſed longe minore & graciliore, adnatis ſe propagante, nonnulliſque fibris prædità prodeunt folia multa, humi ſparſa, oblonga, anguſta, mucronata, Allii foliorum æmula; atque ex eorum medio plures caules aſſurgunt, rotundi, longi, bicubitales & non raro longiores, imo fere tricubitales, duriuſculi, læves, minimi digiti craſſitudinem nunquam ſuperantes, unde ob nimiam illam longitudinem ac tenuitatem infirmi obliquè, quo tempore flores ferunt, ſe contorquent, ac humi plerumque procumbunt, niſi bacillis, fulcris adminiculiſve ſuſtineantur: hos autem caules per intervalla ſingularia folia alternatim latâ baſi veluti Perfoliatæ folia ambiunt, breviora, multa, ſed magis acuminata quam circa radicem, atque in eorum ſummo permulti ſpicatim cohærentes inſident flores candidi, Hyacinthi orientalis floribus omnino ſimiles; & ut, ait Cluſius, tubera quæ accepi à comite Arembergio, inſequente Sextili folia produxerunt longa, humi ſparſa, carinata inſtar foliorum Eriophori, ſed anguſtiora, longiora, & in mucronem longum definentia, ſeſeque invicem amplectentia quemadmodum Iridis latifoliæ caulis expertis folia, quæ avulſa & confracta, non ſecus in ſtamina deducebantur quam prædicti Eriophori folia; itaque à floribus & capſulis ſeminalibus hi tres poſtremi Hyacinthi nuncupandi ſunt, etiamſi 21[us] ſit radice ſquamoſa ſeu ſquamata & foliis Lilii, 22[us] tuberoſâ, 23[us] partim radice tuberoſa verſus imam partem, & partim bulboſa ſeu tunicata bulbaceave in ſuperiore ſui parte.

23. *Hyacinthus* Indicus autumnalis flore amplo albo odoratiſſimo radice partim tuberoſa partim bulbosâ, nobis. Hyacinthus Indicus major tuberoſa radice, Park. Hyacinthus Indicus tuberoſa radice non deſcriptus, Swert. Hic peregrinus autumnalis Hyacinthus flore conſtat omnium maximo, albo, odoratiſſimo, caulibus pedalibus inſiſtente: quos deorſum verſus circa radicem ambiunt plurima folia, dilute virentia, palmaria longitudine, mucronata: radicem habet inferiore ſua parte tuberoſam, ſuperiore autem bulboſam ſeu tunicatam, ut apparet ex Icone à nobis exhibitâ ſub finem Tab. duodecimæ. Ex inferiore, tuberoſa ſcilicet, parte plurimæ craſſæ fibræ in terram demittuntur, quibus nutritur tota planta.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Radix Hyacinthi Anglicani ſeu Belgici flore oblongo cum vino albo impoſita, authore Dioſcoride, impuberes ſervare creditur; ſiſtit autem alvum & urinam ducit pota; at ſemen majore vi aſtringendi præditum eſt, & ipſum in theriacis medicamentis adverſus venenatas beſtias commodum eſt. Morbum regium quoque depurgat cum vino potum. Galen. de Simpl. Medicam. Facult. Hyacinthi radix ordinis eſt primi in ſiccando, in frigefaciendo ſecundi jam completi, aut etiam tertii initio. Radix Plinio in vino dulci marcerata & illita pubertatem coercet ſeu pilos non patitur erumpere. Urinam impellit. Contra ſerpentes, ſcorpiones & morbum regium ſemen ejus cum Abrotano datur. Et hæc partim Dioſcorides habet. Omnes bulbi acres ſunt, & calefaciunt, & ad venerem

venerem concitant; *de culinariis hoc dictum puto*, *de quibus infra dicemus, quare Martialis Poeta in Xeniis*,

> *Quum tibi ſit anus conjux & ſunt tibi mortua membra,*
> *Nil aliud bulbis quam ſatur eſſe potes.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis præditis.

CAPUT XII.

ORNITHOGALUM.

Ορνιθόγαλον *propter lacteum colorem, qui in flore nitet, ſimilem ei, qui in alis aut ovis Galinarum obſervatur, nomen accepiſſe videtur. Dioſcorides l.* 2. *c.* 174. *unius, ut & Plin. l.* 21. *c.* 17. *Ornithogale nominans, meminère. Sunt qui Bulbinam Theoph.* 7. *Hiſt.* 13. *& Athenæi cenſent.*

Ornithogalum à candore radicis ſimili ovis galinarum aut plumis avium nivearum (quaſi lac avium diceres) deducitur. Flores gerit ſtellatos, ſex petalis, ſingulis notis viridibus utplurimum affectis, donatos; eſtque vel flore albo, & hoc eſt vel umbellatum, vel ſpicatum, vel Indicum; vel flore luteo. Denique de hiſce in hoc capite duodecimo ſingulatim tractabitur.

TABULA XIII. Sectionis quartæ.

Ornithogalum
- *Umbellatum*
  - 1. *Maximum Arabicum multiflorum album umbilico interiore nigro, nobis. Ornithogalum Arabicum, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 2. *Majus anguſtifolium, C. B. P. Ornithogalum medium, Eyſt.* ⊙
  - 3. *Minus candidum vulgare, nobis. Ornithogalum candidum vulgare, Ad. Lob. Bulbus leucanthemus minor, Dod.* ⊙
- *Spicatum*
  - 4. *Maximum floribus albis innumerabilibus, nobis. Maximum, Cluſ. App. & Myconi, Hiſt. Lugd.* ⊙
  - 5. *Majus anguſtifolium floribus ex albo vireſcentibus, C. B. P. Ornithogalum majus* 1. *Cluſ. Hiſt. Aſphodelus bulboſus Galeni, Dod. Lugd. Ger.* ⊙
  - 6. *Majus flore lacteo, Eyſt. Ornithogalum Monſpelianum flore lacteo, Lob. Icon. Ornithogalum majus* 2. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 7. *Majus Pannonicum flore albo linea viridi in dorſo prædito, nobis. Ornithogalum Pannonicum flore albo, Cluſ. Hiſt. & Pan.* ⊙
  - 8. *Exoticum ſeu Neapolitanum flore minore majori innato, nobis. Ornithogalum Neopolitanum flore interius candido exterius cineraceo, Swert. Ornithogalum Neopolitanum, Cluſ. App.* 2. *Eyſt. Ger. J. B. Chabr.* ⊙
  - 9. *Neapolitanum priori valde affine ſi non idem, nobis. Hyacinthus arvorum Ornithogali prioris flore æmulus, Col.* ⊙
- *Indicum*
  - *Latifolium*
    - 10. *Floriferum ſphæricum colore coloſſino aut albo, nobis. Moly latifolium Indicum flore purpureo, Swert.* ⊙
    - 11. *Bulbiferum non floriferum, nobis. Moly latifolium Indicum, C. B. P. Caucaſon, Icon. Lob.* ⊙
- *Luteum*
  - 12. *Majus floriferum, nobis. Ornithogalum luteum, Swert. Ornithogalum luteum, Lob. Lugd. Col. Swert.* ⊙
  - 13. *Minimum bulbiferum, nobis. Anguſtifolium campeſtre luteum minimum bulboſum, Colum.* ⊙

 §. 1. *OR-*

§. 1. *ORNITHOGALUM UMBELLATUM.*

Explicatio Tab. decimætertiæ Sectionis quartæ.

1. ORnithogalum umbellatum maximum Arabicum umbilico interiore nigro, nobis. Ornithogalum Arabicum, Cluſ. Hiſt. &Pan. Eyſt. Ornithogalum Arabicum multiflorum album umbilico interiore nigro, Swert. Ornithogalum magnum Syriacum ſeu Lilium Alexandrinum, J. B. Chabr. Oblonga habet folia, viridia, carinata, Hyacinthi orientalis foliis adeo ſimilia, ut ab iiſdem vix diſcernat quiſquam, niſi in hoc ſtudio bene exercitatus, præſertim plantâ ſuo caule & floribus viduata, minime autem Narciſſi foliorum æmula: inter quæ cubitalis emergit caulis, lævis, nudus, gracilis, vireſcens, quem aliquot in ſummo naſcentes, confuſo ordine ambiunt ramuli ſive pediculi, flores magnos ſuſtinentes, Narciſſinis magnitudine pares, ſed Ornithogali forma omnino præditos, illorum more ſub veſperam ſeſe claudentes, ſex petalis prorſus albis conſtantes, medicati odoris, & præmanſum Coriandrum fere referentes, triangulari capitulo, nigro, ſplendente, medium florem occupante, quod ambiunt ſex alba ſtamina, flavo apice coronata: ſemina nunquam adhuc obſervare mihi licuit, inquit Cluſius, licet ſingulis annis Bizantio cum aliis ſtirpibus ejus bulbi Viennam miſſi fuerunt, quorum nonnulli flores dederint: capitula tamen incrementum capientia ſeneſcente flore, & ex nigro viridem colorem contrahentia ut ſemen datura viderentur, paulatim tamen contabeſcere cœperunt: radix bulboſa, Hyacinthi æmula, candicans, plerumque è multis tunicis conflata, latâ admodum ſede & in ambitu fibras ſpargente. Floret Maio. Provenit ſponte in Arabia, unde ei denominatio. Mira eſt hujus bulbi natura; nam plerumque experti ſumus vix ulla folia promere, niſi ſingulis annis exemptus aliquanto tempore aſſervetur, deinde terræ denuo concredatur, tum enim demum germinare ſolet, etiam ante brumam, nullus autem florere mihi conſpectus eſt, niſi recens Conſtantinopoli allatus. Nam ex eorum eſt numero, qui niſi iſtic eruti jam conceptum in utero florem habeant, in frigidiores regiones tranſlati nullum dent. Præterea cum frigoris valde impatiens ſit, neque Viennæ, neque in magis Septentrionalibus plagis hyemem in horto ferre potuit, ſed in fictilibus reponendus, ubi bulbi circa adnatis nucleis feliciter ſeſe propagare ſolent.

2. *Ornithogalum* umbellatum majus anguſtifolium, C. B. P. Ornithogalum medium, Eyſt. Bulbi ſilveſtris Dodonæi deſcriptioni hujus Ornithogali hiſtoria quadrare videtur: nititur enim bulbo Ceparum figuram æmulanti, capillamentis ſuffulto, aſſurgentibus foliis anguſtis, longis, mucronatis, reflexis, viridibus: ex caulibus ſummis oriuntur flores ſuis peculiaribus pediculis innitentes, petalis ſex numero conſtantes explicatis, interius candidis cum ſtaminibus ſpiſſis, exterius vero vireſcentibus.

3. *Ornithogalum* umbellatum minus candidum vulgare, nobis. Ornithogalum umbellatum medium album anguſtifolium, C. B. P. Ornithogalum candidum vulgare, Ad. Lob. Ornithogalum 5. ſive vulgare, Cluſ. Hiſt. & Pan. Bulbus leucanthemus minor, Dod. Hujus radix bulboſa candida eſt, quæ multos bulbulos adhærentes habet, veluti racematim compactos, ſeſe plurimum multiplicantes, guſtu amaricante, lenta ſpumoſaque mucagine maſticatos os replentes: folia promit anguſta, tenuia, longa etiam ad cubitum ipſum, caules multum ſuperantia, carinata, per medium eorum lactea diſcurrente linea, in terram ſtrata, mollia, & inter hæc caulem dodrantalem & ſemipedalem, tenerum, teretem & nudum, qui circa faſtigium pediculos emittit, (quorum unicuique ſubjectum foliolum, oblongum, membranaceum, acutum,) flores ſuſtinentes è petalis ſenis oblongis compoſitos, lacteo intus candore, foris non niſi per oras, medio herbido: intra quæ ſtaminula latiuſcula, ſena, candida, apicibus luteis donata: in medio capitulum canalatum, hexagonum ſtilum è ſummo profert albidum, ex quo vaſculum ternis loculamentis diſtinctum, continens ſemina compreſſa nigri coloris. Ornithogalum Dioſcoridis & Plinii affirmaremus, ſi crudum mandi obſervaremus. In Gallia paſſim inter ſegetes & in arvis nuſquam non reperitur florens menſe Maio.

§. 2. *ORNITHOGALUM SPICATUM.*

4. *Ornithogalum* ſpicatum maximum floribus albis innumerabilibus, nobis. Ornithogalum latifolium & maximum, C. B. P. Ornithogalum maximum, Cluſ. App. 1. Ornithogalum maximum Myconi, Hiſt. Lugd. Ornithogalum vel Lilium Alexandrinum floribus albis innumerabilibus, Swert. Hoc Ornithogalum magnum Myconi oritur cubitali altitudine, interdum majore:

majore: caulem habet lævem, rotundum, ſolidum Aſphodeli inſtar, in cujus ſuperiore parte conſpiciuntur flores intus candidi, ex ſex petalis conflati; per ſingulorum exortum foliolum prodit ipſum petiolum amplectens; in florum medio ſtamina multa ſunt veluti in Roſa: radix craſſa eſt, bulboſa, candida, dulcis, inferiore parte fibras in orbem emittens, ejus exteriorem ambitum cingentes coronæ capitis monachorum inſtar: cum idem huic ſit ſapor, qui Ornithogalo vulgari, foliorum & florum eadem forma, Ornithogali ſpeciem eſſe cenſet Myconus etiamſi folium ſit in hoc cæterorum foliis duplo majus & latius. Raram plantam eſſe ait Myconus, ſeque bis tantum reperiiſſe, ſemel Toleti, iterum juxta Barcinonem.

5. *Ornithogalum* ſpicatum majus anguſtifolium floribus ex albo vireſcentibus, nobis. Ornithogalum majus 1. Cluſ. Hiſt. Aſphodelus bulboſus Galeni, Dod. Lugd. Cam. Ger. Ornithogalum ſpicatum flore virente, Aſphodelus bulboſus Galeni Dodonæi, J. B. Chabr. Maxima habet folia porracea, ſena aut plura; caulem inter ea emergentem cubitalem & ampliorem, rectum, nudum, firmum, magnam florum ſpicam gerentem, qui explicati ſenis petalis conſtare conſpiciuntur, ex albo vireſcentibus, & foris herbaceis omnino; in iis ſuccedunt tria loculamenta ſimul in unum juncta, nigrum magnumque ſemen in ſe continentia: radix ſatis craſſa, bulboſa, multis tunicis candicantibus conſtans: provenit ſponte primo à capite Blæſenſium lapide in ſilva cædua dicta *le Coſtè de Chailè*; floret Maio; Julio ſemen matureſcit.

6. *Ornithogalum* ſpicatum majus lacteo flore, Eyſt. Ornithogalum majus ſpicatum flore albo, C. B. P. Ornithogalum Narbonenſe, Dod. Lugd. Ornithogalum Monſpelianum flore lacteo, Lob. Icon. Ornithogalum majus 2. Cluſ. Hiſt. Hoc majus 2[dum] Cluſii non minore altitudine aſſurgentem habet caulem, ſuperiori ſimilem, ſed viridiorem, quem à medio fere ad ſummum faſtigium multo plures exornant flores, prioris quinti floribus majores, foris præter oras quæ albæ ſunt omnino virides, interius vero dum explicati ſunt lactei omnino candoris: ſemen in triangulis capitibus alterius ſimile, ſed paulo majus & oblongius: radix candidior & longior, interdum in amplam magnitudinem extuberat: folia illi longiora, magis viridia, & extremo mucrone acuminata. Bizantinum valde accedit huic, ſed paulo eſt humilius, dilutiore etiam caule eſt, & foliis. Sponte provenit in Gallia Narbonenſi; floret Maio & Junio.

7. *Ornithogalum* ſpicatum majus Pannonicum flore albo lineâ viridi in dorſo prædito, nobis. Ornithogalum ſpicatum flore viridi lacteſcente, C. B. P. Ornithogalum Pannonicum flore albo, Cluſ. Hiſt. & Pan. Ornithogalum flore albo viridique linea in dorſo prædito, Swert. Ornithogalum Pannonicum, Tab. Ger. Eyſt. Huic Ornithogalo Pannonico quinque aut ſex ante hyemem, ut in Arabico, ſed præter reliquorum conſuetudinem germinant folia, humi expanſa, anguſta, digitalis longitudinis, ex viridi incana, & Caryophyllorum altilium florum foliis forma & colore valde reſpondentia, aliquantulum hirſuta, herbacei guſtus & inſipidi: ſubſequente Aprili foliis flacceſcere incipientibus, inter illa exilit dodrantalis cauliculus ſenos aut plures ſpicatim cohærentes ſuſtinens flores, qui è ſenis petalis compoſiti Maio menſe aperiuntur, interiore parte non minus lactei candoris, quam in ſecundo & vulgari, triangula deinde capita ſuccedunt, nigrum rotundum ſemen continentia: radix ſubeſt bulboſa, longa, candida, lento humore plena, guſtus primo inſipidi, deinde acris, foris cineracea, tenui membrana obducta & ſeſſili parte multis candicantibus fibris capillata. Illud peculiare habet hæc planta, ut naturali loco ubi ſponte naſcitur, magna ex parte cum floribus onuſta ſit, ſine foliis conſpiciatur, aut ſaltem jam fere evanidis & flaccidis. At in hortis culta diutius plerumque folia retinere ſolet, & in majorem amplitudinem excreſcit, ſpicam vicenûm aut plurium florum nonnunquam proferens. Hoc largiſſime provenit in aperto illo & late patente campo ſecundum ſilvulam prope Lachn imminentem, & in ſiccioribus pratis ſecundum *Danubium* in monte Badenſibus thermis imminente, totaque illa montium ſerie inde uſq; ad *Calenberg* excurrente & in Hambergenſi monte, apertis & gramineis locis.

8. *Ornithogalum* exoticum ſeu Neopolitanum flore minore majori innato, nobis. Ornithogalum Neapolitanum flore interius candido exterius cineraceo, Swert. Ornithogalum Neapolitanum, Cluſ. App. 2. Eyſt. Ger. J. B. Chabr. Terna aut quaterna profert folia carinata, longa, Hyacinthinis non valde diſſimilia, verum anguſtiora, viridia, inter quæ prodit caulis ſatis firmus, dodrantem altus, lævis, viridis, ſuſtinens ſuperna parte quinos, ſenos, vel etiam plures interdum flores, in anteriorem partem propendentes, (tametſi alternatim in ſingulis caulis lateribus naſcantur, à cujuſdam membranulæ ſinu,) ſex petalis conſtantes unciam longis, quadrantem vero unciæ latis, interna parte candidis, externa autem ex cineraceo vireſcentibus, oraſque albas habentibus: floris quodammodo umbilicum occupat alter floſculus ſex etiam petalis minoribus præditus, quæ extima parte alba ſunt

&

& veluti tubulum formant, in quo apparent ſex alba ſtaminula flaveſcentibus apicibus donata, & medius ſtilus albus: flores prorſus erant inodori, quibus ſuccedebant trigona capita craſſiuſcula, in oblongum mucronem definentia, quæ caulem propter gravitatem deprimentia ſemen nigrum, rugoſum continebant: radix eſt bulboſa, candicans, fuſca tamen membrana tecta, in conum ſuperna parte faſtigiata, inferna autem plana perinde ac Ornithogali Arabici radix, minus tamen ampla ſede, ſed multis candidis fibris in ambitu prædita; flores proferebat Aprili cum in fictili per hyemem aſſervata, & Maio quæ anno priore terræ commiſſa.

9. *Ornithogalum* Neapolitanum flore pendente priori valde affine ſi non idem, nobis. Hyacinthus arvorum Ornithogali flore, Col. Nuſquam ab aliis deſcriptam aut depictam memoramus (inquit Fab. Columna) hanc bulboſam plantam in agro Neapolitano frequentiſſimam, eodem tempore cum Hyacintho vulgari botryoide florentem, eundemque agrum diligentem. Radice magna parvo ovo pari, foris rugoſo parum cortice, atque ex albo flavicante, ſubtus corollam fibris innumeris quibus innititur effigiante, dodrantem infra terram obruta: foliis ab radice tripedalibus, brevibus, leniter canaliculatis, quatuor aut quinque: caule ſupra terram bipedali rotundo, lævi, ex viridi albicante, craſſo: à medio florere incipit ad ſummum, atque floribus alternatim diſpoſitis, magnis admodum, ſtellatis, triunciali diametro ſenis petalis conſtructis, latis, è quorum medio flos alius, oblongus lagenulæ oblongæ effigie, oblongis petalis etiam formatis, bicornibus oris, luteo medio ſtamine, in quibus fructus occultatur longo apice prominente. Flos totus eſt albus interius, exterius vero vireſcens Ornithogali more, limbum tenuem tantum per ora habens: virens exterior color ob tenuitatem petalorum floris tranſmittitur, & averſa interna parte dilute apparet: flores noctu clauduntur, atque etiam cum fructus perficiunt, quos Melonis effigie ſtriatos efformant unciali diametro, ſeſquiunciam longos, apice in ſummo flavicante longo: ſemina intus copioſa, nigra, diaphragmatis diſtincta, Hyacinthi æmula. Hoc ſi non idem cum priore, parum differt, etiamſi Phalangii nomine Honorius Belli ex Creta miſerit, atque Narciſſus 4. Matthioli à Cluſio denominetur in App. 2. & Hyacinthus arvorum Ornithogaloides Columnæ dicatur, idem mihi apparet, ſicut & Caſp. Bauhino, cum priori Ornithogalo Neapolitano, non obſtante varia denominatione authorum.

§. 3. *ORNITHOGALVM Indicum maximum latifolium.*

10. *Ornithogalum* Indicum latifolium floriferum ſphæricum colore coloſſino aut albo, nobis. Moly latifolium Indicum flore purpureo, Swert. Moly latifolium liliflorum, C. B. P. Moly Homericum, Scillæ alterum genus & Pancratium Dioſcoridis, Cæſ. Moly latifolium, Moly Theophraſti, Dod. Cluſ. Hiſt. Flore eſt rubente aut coloſſino vel candido rubente: foliis eſt Scillæ, tribus aut quatuor longioribus invicem amplexantibus; cubitali aut ampliore conſtat caule, craſſo, concavo, rotundo, foliorum experte: multos flores ſtellatos candide rubentes vel ſubalbidos, humi ſphæricam figuram conſtituentes, ſummo faſtigio ſuſtinente, longis pedicellis inhærentes; nigro in capitulis ſemine, Ceparum ſemini fere ſimili: radix craſſa, alba, rotunda, nigro cortice tecta. Juxta caulem inter folia alius plerumque exit cauliculus planus & foliaceus ſeu verius folium in ſummo veluti Allii nucleum gerens, initio candicantem, deinde palleſcentem, qui terra exceptus germinat, & ejuſdem generis plantam profert. Ejus bulbus primo Conſtantinopoli Viennam allatus fuit. In agro Neapolitano ſponte provenit, authore Ferdinando Imperato.

11. *Ornithogalum* Indicum latifolium bulbiferum non floriferum, nobis. Moly latifolium Indicum, C. B. P. Caucaſon, Icon. Lob. Moly Indicum, Cluſ. Hiſt. Moly hoc alterum genus Cluſio Indicum cognominatum (quod nonnullis Caucaſon barbaro nomine dicitur) quia ex India primum in Hiſpaniam perlatum eſſe ferunt, & inde ad Italos & Gallos tranſiviſſe, & ab illis forte Belgæ acceperunt (quemadmodum plures alios flores rariores;) ſuperiori foliis & reliqua forma ſimile eſt, nunquam flores apud nos Septentrionales fert, ſed loco florum nucleos: caulis palmaris adeo infirmus uti niſi aliquo fulciatur adminiculo attolli non poſſit; ſummo faſtigio conglomeratum caput fert, multis veluti Allii nucleis Meſpili vulgaris magnitudine conſtans, initio viridibus, deinde palleſcentibus, qui etiam in terram nondum repoſiti germinant Alliorum ſilveſtrium quorundam more, telluri tamen commiſſi in majores bulbos adoleſcunt. Radix ut alterius ſuperioris cepacea, rotunda, alba, multis tunicis amicta, quarum externa fuſca vetuſtate ſeſe ſeparans & alios bulbos pangens. Bulbus hujus itidem Conſtantinopoli primo advectus, nunc hortis Italiæ & Galliæ ſatis familiaris.

§. 4. ORNITHOGALUM LUTEUM.

12. *Ornithogalum* luteum majus floriferum, nobis. Ornithogalum luteum, Swert. Cord. in Dioſcorid. Ad. Lob. Tab. Lugd. Swert. Bulbus, Trag. (cui & Cepa agreſtis.) Ruell. Fuch. Tur. Geſn. Dod. Cam. Lugd. Eyſt. Ornithogalo vulgari, ſeu Bulbo leucanthemo minori Dodonæi ſupra deſcripto, non multum abſimilis videtur hic Bulbus, quem Leonardus Fuchſius & Hieronimus, Tragus, Bulbum ſilveſtrem agnominant. Sunt tamen huic folia pauciora (unicum aut bina tantum) anguſta, porracea: caulis brevis, tenuis, rotundus, dodrantalis, aliquando palmaris, aliquot pediculis in ſummo caulis faſtigio adnatis: in quibus floſculi ſtellatim radiati, hexapetali, Bulbi leucanthemi floribus multo minores, colore ex herbaceo in luteum elangueſcentes, ſtaminibus in medio capillaceis: capitula ſemen ferentia ſunt triangularia cæterorum bulborum proprie dictorum more: radix bulboſa eſt lenti ſucci, nullius odoris, ſapore aliquantulum, ſed perobſcure, Cepam referens. In Germaniæ locis umbroſis & ad margines pratorum arvorumque, ac ſecus rivulos exit. Nos frequentem ſatis hunc bulbillum nobis obviàm habuimus, & ineunte Vere florentem in planicie frugibus conſitâ inter Lutetiam Pariſiorum & pagum à Sancto Dionyſio nominatum: item poſtea circa Blæſas inter ſegetes, ſecus viam communem, quâ itur ad Sancti Dionyſii illic pagum, ſecundo à Blæſenſium capite lapide. Floret Aprili exeunte, & ineunte Maio.

13. *Ornithogalum* luteum anguſtifolium minimum bulbiferum, nobis. Ornithogalum anguſtifolium bulbiferum, C. B. P. Ornithogalum anguſtifolium campeſtre minimum bulbiferum, Colum. In agris cum calidarum, tum frigidarum regionum, primo Vere floret hæc plantula Ornithogalo aſſimilis, flore hexapetalo luteo, Februario menſe in calidioribus regionibus, Martio & Aprili frigidioribus. Planta eſt ſemipedalis, radice bulboſa conſtans, ruffo cortice tecta, bulbo intus albo capillamentis Cepæ modo tenuibus admodum infrà ſcatente: folia bina, tenuia, Croci vel Ornithogali vulgaris leucanthemi minora, anguſtiora, pedali longitudine, caule triunciali, è terra non multum exeunte, ſupra quem thyrſi modo vel Cyperi folia ſunt quina, ſena, graminea, tres aut quatuor uncias longa, in imo latiora, rubentia circa ortum: in quorum centrum coacervati globuli inſtar Milii, vel Rapæ ſeminis magnitudine, aut etiam majores, flaveſcentes & purpuraſcentes, folia ſingula ſinguli emittentes ſui proportione anno ſequenti; at inter foliorum ſinus, qui bulbillos circundant, petioli duo aut tres rubeſcentes, triunciales proveniunt, flores habentes hexapetalos aliorum hujus Sectionis more, intus luteos, foris vero virentes, cum totidem ſtaminulis luteis & apice in medio craſſiore, ex fructu prominente, qui paulatim creſcit trigonus, ſuperne latior, ſeminibus minutis arenæ inſtar refertus: at bulbilli illi ſiccata planta ex ſe in terram ſparguntur, atque ſeminis vice pro anno ſequenti inſerviunt. Variat pro ratione locorum; in pinguioribus folia ſunt latiora & plura; flores etiam, qui in petiolis alis diviſis inſunt, plures, atque in geniculo foliolum; variat itidem quoad foliola, quæ circa bulbillos hirſuta & candidiora ſunt, reliqua vero ex radice non differunt. Differt ab Ornithogalo luteo Lobelii, nam illud folio eſt digitali latitudine, atque pedali longitudine, majoribus duplo floribus itemque bulbo, atque non in agris ſed in montibus & montium radicibus humentibus umbroſiſque ſponte naſcitur. Invenitur & aliis in locis abſque bulbillis in caulis faſtigio; nos majorem Lobelii cum bulbillis in caulis faſtigio offendimus in arvis prope Blæſas.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Radix bulboſa Ornithogali coquitur, à Dioſcoride, cum pane, atque ut Melanthii ſemen cruda & cocta manditur. Camerarius citans Dioſcoridem addit, Eſt enim dulcis & ſuavis: ubi hoc invenit neſcimus, in nullo noſtrorum Ornithogalorum ullam dulcedinem aut ſuavitatem experimur, imo nobis amaricat. Deſcribit porro & aliud Ornithogalum Ruellius l. 2. c. 77. quod à ruſticis in Sueſſionum agris eruitur, cujus radix in orbem fere collecta, eſt cortice pullo, carne intus candidiſſima, pulpaque perquam odorata Vere vel æſtate cum fronde viret, hyeme vel autumno cum exarantur agri radicitus velluntur; diu ſervari poteſt: & ubi annonæ premit inopia, plebis ruſticæ famem & jejunia caſtanearum more ſatiat; nec aliud ex humo genitum promptius in cibum cedit, cum frugum penuria gliſcit. Mire ſuibus expetitur: rura ex agris ſponte natum gratiorem cibum non norunt: lautiores etiam menſas ditiorum non reformidat. Pueris non incognitæ radices, qui prope aſtantes cùm aratro terra proſcinditur aut in latiores porcas ſeu liras ſulcatur

ſulcatur, erutos bulbos vomere colligunt, multo caſtaneis ſuaviores; quibus, & crudis, & in cineribus coctis veſcuntur. Sueſſionenſis ager Churlos *vocare conſuevit. Hactenus Ruellius.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 75. col. 1. pl. 1. Moly liliflorum, C. B. P. Moly Theophraſti, Dod. Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Ornithogalum Indicum latifolinm liliflorum, nobis. Moly Indicum flore purpureo, Swert. Pag. eadem pl. 11. Moly Indicum latifolium, C. B. P. Caucaſon, Lob. Icon. Ornithogalum Indicum latifolium bulbiferum, nobis. Moly plane eſt planta calida, & acris fervidique guſtus; palatum enim accendit, quemadmodum pleræque hujus membri culinariæ plantæ: at hæ plantæ nec odore, nec ſapore cum Moly conveniunt, ergo inepte ſatis a Caſparo Bauhino cæteriſque authoribus pro Moly ſpeciebus recenſentur.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
radicibus bulboſis proprie dictis præditis,
Culinariis calidis & acribus, conſtituentibus ſecundam partem hujus Diſtributionis: ſuntque

Cepa, Allium, Porrum, Moly, & Scilla.

CAPUT XIII.

C E P A.

Ægyptiorum numina, Cepas & Allium (Plin. l. 19. cap. 6.) proſequamur. Cepa à capitis magnitudine Græcis Κρόμμυον, ὅτι κόρας συμμύειν ποιεῖ, *quod oculi pupillam comprimere cogat, utpote ſecundum Ariſtotelem 20. Probl. 22. mordaci nimium vapore lancinando & lacrymas movendo.*

Genera Theophraſti 7. Hiſt. 4. à locis cognominata refert, Gardiam, Cnidiam, Samothraciam, Setanicam, Aſcaloniam & fiſſilem. At Dioſcorides l. 2. cap. 181. longæ, rotundæ, flavæ & candidæ meminit. Plin. l. 19. c. 6. Cepæ inquit genera apud Græcos Sardia, Samothracea, Alſidena, Setania, ſciſta, Aſcalonia &c.

Quare alia major eſt, alia minor; alia candida, alia viridis, alia ruffa, alia ſubrubens; alia eſt rotunda, alia eſt oblonga: omnes utplurimum duplici aut triplici membrana, quas Feſtus tallas, alii tunicas vocant, veſtitæ. Sic aliæ acerrimæ, aliæ mediocriter acres, aut nihil fere acredinis habentes. Sic aliæ ſeruntur, aliæ deponuntur; aliquando ſeminis loco bulbos gerunt, ut Dalechampius notavit.

Explicata prima parte plantarum bulboſarum recreatricium (id eſt, quæ odore, ſapore, aut floribus variis pictis coloribus ſenſus afficiunt & recreant, delectantque, quæque ſemina in capſulis triangularibus proferunt rotunda, craſſiuſcula) his propter ſemina conformia interjiciamus plantas culinarias ab uſu in culina expetitas, ſemineque itidem rotundo donatas; cumque omnes ſint calidæ & acres guſtui, facile à prioribus recreatricibus herbis bulboſis proprie dictis cognoſcuntur: à recreativis autem hexapetalis bulbaceis ſemine compreſſo membranaceo duplici ſerie in ſingulis loculamentis contento, in poſteriore hujus Sectionis parte explicandis, parvo negotio itidem dignoſcuntur. Inter culinarias bulboſas proprie dictas plantas exordium faciemus à Cepa, quæ à reliquis culinariis notu eſt facilis, quod caulis in medio craſſeſcat & intumeſcat ad pollicarem amplitudinem, & ſit duplo aut triplo craſſior in medio quam in ortu aut faſtigio: hoc non cernitur in reliquis ſuæ ſortis culinariis plantis, atque eo nomine facile inter cæteras bulbaceas diſcernitur. Eſt à duratione, vel annua, vel perennis: à figura radix eſt vel rotunda, vel longa: à ſapore, acris vel minus acris ſeu dulcis: à colore pellicularum eſt vel rubra, vel alba. De hiſce omnibus infra agemus. Nota ergo generica Cepæ eſt hæc, quod folia producat fiſtuloſa, vacua, rotunda; atque hæc illi cum quibuſdam Allii ſpeciebus eſt communis; ſed nota præcipua diſtinguens Cepam à cæteris, eſt producere caulem in medio duplo aut triplo craſſiorem quam in ortu & faſtigio, uti dictum.

Pars

Pars TABULÆ XIV. Sectionis quartæ.

Cepa
- Annua
  - 1. *Rotunda vulgaris, nobis. Cepa rotunda, Dod. Cepa alba & rubra, Geſn. Hort. & Cepa radice candida dulci, C. B. P. Cepa 4ta Geſn. Hort.* ☿
  - 2. *oblonga, Dod. Geſn. Hort.* ☿
- Perennis
  - 3. *Aſcalonica, Matth. Lugd.* ⊙
  - 4. *Sectilis juncifolia, nobis. Schœnopraſum, Dod. Lob. Tab.* ⊙

Explicatio partis Tab. decimæquartæ Sectionis quartæ.

§. 1. *CEPA ANNUA.*

1. CEpa vulgaris, C. B. P. Cepa rotunda, Dod. Cepa alba & rubra, Geſn. Hort. Lon. Tab. Cepa ſativa Matthioli, Lugd. Hujus folia ſunt anguſta, rotunda, fiſtuloſa ſeu intus cava: è quorum medio ſecundo anno exit caulis ſingularis, teres, in medio craſſior magiſque tumidus quam in ortu aut faſtigio; atque in ſummo ejuſdem faſtigio capitulum oritur membrana tenui velatum, qua diſrupta floſculi in globuli formam congeſti apparent candidi aut purpuraſcentes, quibus ſubveniunt plurima capitula triangularia, ſemen triangulare nigrum in ſe continentia, ſed albicantibus glumis implicitum: pro radice eſt illi bulbus ex pluribus compactus tunicis, majoribus involventibus minores, aliorum bulborum proprie dictorum ritu, fibras aliquot à medio deorſum demittens, qui quandoque latior Rapi inverſi in modum extuberat, non raro ovi modo oblongus; exterius prætenuibus membranis conveſtitur, utplurimum ſubrubentibus, aliquando albis. Terram autem Cepa deſiderat pinguem, vehementer ſubactam, irriguam, ſtercoratam, ut Palladius ait. Paſſim per utramque Germaniam, Flandriam, Belgiam & Angliam in hortis olitoriis, pingui beneque foſſo ſolo, colitur. Subinde autem in areis ſola ſeminatur, quandoque Vere cum aliis herbis permixta veluti Lactuca. Palladius cum Satureia ſeri probat, quoniam melius, Plinius ait, provenit. Seritur Martio aut Aprili; in Italia vero etiam Januario & Februario, Palladio authore; vel etiam Novembri, ut per univerſam Tuſciam, teſte Petro Creſcentio. Bulbi Vere plantandi ſunt, à quibus ſemen ſperatur, quod Auguſto menſe ad perfectionem pervenit. Huc pertinet Cepa radice candida dulci C. B. P. Cepa quarta Geſn. Hort. & Cepa plurium caulium C. B. P. Cepa ovata à radicis figura Cord. Hiſt. & Cepa ſectilis Matth. ſeu Cepula Columellæ.

2. *Cepa* oblonga, Dod. Geſn. Hor. Cepa Hiſpanica oblonga, Lob. Icon. Cam. Hæc minor eſt atque à priore forma longa radicis præcipue differt.

§. 2. *CEPA PERENNIS.*

3. *Cepa* Aſcalonica, Matth. Lugd. (cui forte Bulbus Setanius, quem Theoph. & Plinius Cepæ genus eſſe teſtantur. Cepis affinis, Aſcolonia vulgo, Cæſ. Scaliones, Tur. Cepa Aſcalonica & Aſcalonitis antiquorum radices habet multas, oblongiuſculas, minores, in uno acervo conjunctim naſcentes: folia habet rotunda, fiſtuloſa, ſeu concava Cepæ inſtar, ſed multo minora; raro caulem, florem, multo minus ſemen fert, quia abundat radicibus de novo ſingulis annis genitis. Has Cepas Aſcalonias ſeu Aſcalonitides ſive Paleſtinas eſſe putant docti, quas Galli vocant *Eſchallottes*, ſervato priſci vocabuli veſtigio, quæ quod ancipitis & dubiæ ſint naturæ inter Cepam, Allium & Porrum, peculiarem quandam naturam, vel figuram iis tradit Theophraſtus. Sunt autem Cepis ſimiliores radicibus, ſed multo minores, & numeroſiores, ſimul compactim creſcentes, foliis itidem fiſtuloſis ſeu cavis præditæ, & crudæ in cibis lautiores frequentioreſque habentur, quapropter Franci etiam *Apetitz* appellant, quia edendi aviditatem excitant.

4. *Cepa* ſectilis juncifolia perennis, nobis. Cepa fiſſilis & Gethion, Tur. Scœnopraſum, Dod. Lob. Tab. Hi poſtremi authores à foliis rotundis, cavis, fiſtuloſis Junci inſtar, & à ſapore magis Porro accedente, hanc herbulam Schœnopraſum dixêre, nomine ex Junco & Porro compoſito. Folia multa promit, ſed palmo raro longiora, tenuia, teretia, concava, exiguis juncis rotunditate ſimilia; inter quæ ſubinde cauliculi breves eminent, capitula quædam tenui membrana ſeu vaginula incluſa ſuſtinentes; ex quibus floſculi proferuntur hexapetali, rubentes, & inſtar Cepæ, ſed minores multo: bulbilli ſubſunt multi exigui ſimul cohærentes (ſicut in

Cepa Aſcalonica) à quibus fibræ plurimæ deorſum demittuntur: odore aut ſapore Cepam, potius inquam Porrum, referunt cum bulbilli tum folia. Colitur in hortis Germaniæ, Galliæ, Belgiæ, Angliæ & alibi. Diutine vigent ac pluribus annis reſtant, hyemis ac frigoris ſunt patientes. Subſecatur ac attonditur Schœnopraſum frequenter ut Porrum ſectivum.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Cepa *omnis acris eſt & odore lachrymoſa, calida & ſicca, authore Galeno, ordine quarto, ſed tamen minùs quam Allium fervet: ſuccus tenuis aqueæ aereæque ſubſtantiæ, reliquum craſſarum eſt partium, optima quæ rotundiſſima, longa acrior quam rotunda, ruffa ſive* ξανθὴ *quam candida, ſicca quam viridis, cruda quam cocta, aut ſale condita. Mordicant autem omnes Cepæ, excepta dulci, extenuant, ſitim excitant: acrimoniam coctæ deponunt, præſertim bis terve aquâ mutatâ; extenuandi tamen potentiam ne ſic quidem amittunt: flatus vero etiam diſcutiunt, urinas movent, & coctæ alvo quam crudæ utiliores, alimentum autem crudæ corpori nullum, coctæ exiguum conferunt: natura bilioſis adverſantur: his autem qui crudum ac craſſum ſuccum pituitoſumque coacervarunt, conveniunt, & quibus menſtrua ex frigiditate deficiunt, obſtructa etiam aperiunt, refrigerata excalefaciunt, & menſes provocant. Hæmorrhoides & eædem appoſitæ, vel cum aceto inunctæ, provocant, ut ait Galenus. Dioſcorides vero aperitivas ait eſſe Hæmorrhoidum, & aliarum* ἐκκρίσεων *ſive expurgationum, detractis tunicis & in Oleum conjectis, ac glandis inſtar ſubditis. Succus Ceparum per nares attractus caput purgat, crudos pituitoſos humores extrahit. Frequenter etiam Cepa in cibo etiam cocta, comeſa capitis dolores efficit, oculos lædit, ac aciem eorum retundit, & ſenſus ſtupidiores reddit. Trita autem cum ſale Ruta ac melle, canis rabioſi morſui impoſita, prodeſt.*
4. Cepa *ſectilis juncifolia perennis, nobis. Scœnopraſum, Dod. Facultate valde Porro accedit, eſt enim excalefaciens & reſiccans, attenuans, aperiens, urinas provocans, calidiorem & noxium ſuccum ingenerat, frigidos humores contemperat, concoquit, incidit, vapores craſſos ſurſum mittit, oculis cerebroque moleſtos; tumultuoſa inſomnia adfert, & quæcunque Porrum, iſtud quoque poteſt.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis donatis.

CAPUT XIV.

ALLIUM.

A*Llium forte ab* ἅλλεσθαι *exilire, quod exiliendo creſcat.* Σκόροδον *Dioſcoridi l. 2. c. 182. vel quaſi* σκαιὸν ῥόδον, *id eſt, rudis Roſa, propter odorem gravem: vel quod comeſtum vapores excrementitios ad cutim pellat, & veſcentibus pandiculationes moveat. Sunt qui ab halante gravi odore deducant, & Alium ſcribant.*

Genera Dioſcoridi ſativum ſeu hortenſe, quod vel multiplici in Ægypto, vel ſingulari ut Porrum, capite conſtet, cujus nucleos Græci ἀγλίδας *nominant: aliud ſilveſtre, quod* ὀφιοσκόροδον. *At Theophraſto 7. Hiſt. 4. aliud præcox, aliud ſerotinum: differunt præterea magnitudine ſingulari: quædam etiam non nucleis, quædam vero multis coagmentantur, quos* γέλγεις *Theoph.* ἀγλίδας *Galenus;* σχελλίδας *Ægineta l. 4. c. 33.* ὄνυχας *Ætius l. & c. 11. vocat. Verum Plinio l. 19. c. 6. Generum Allii differentia in tempore, præcox matureſcit 60. diebus, tum in magnitudine. Ulpicum quoque in hoc genere Græci appellavere. Allium Cyprium, alii Antiſcorodon (forte rectius Aphroſcorodon) &c. ſunt qui velint Allium Ulpicum Plinii, Allium Ægyptiacum Dioſcoridis eſſe.*

In Virginea multis locis Allium naſcitur ab Anglicano parum differens, Deſcript. Virginiana: quod ut & Cæpe in Hiſpaniola, vix unquam bonum evadit. part. 4. Americæ c. ult. Et Indi ex omnibus Europeis radicibus Allium eligunt, quo ventriculum reficiant, Joſeph. Acoſta l. 4. c. 18.

Allium eſt planta hexapetala, tricapſularis, calida & acris fervidique guſtus. A forma foliorum eſt, vel folio cepaceo, cavo, fiſtuloſo; vel porraceo ſeu lato; vel Narciſſino; vel latiſſimo folio: ratione finis ultimi, vel in ſummo caulis faſtigio producit cum flores, tum nucleos ſeu ſoboles, ex quibus terræ commiſſis proveniunt plantulæ: vel flores & capſulas triangulares, atque inibi ſemina, ex quibus propagantur denuo itidem plantæ ejuſdem ſpeciei: ratione radicum, vel

unica

unica conſtat radice, bulbacea; vel plures ſimul junctas unico involucro communi tectas habet: ratione colorum florum, vel flores producit albos, rubros eoſque diverſimode tinctos, atropurpureos & luteos: habita ratione loci, eſt vel ſilveſtre, aut campeſtre, vel montanum. Initium faciemus ab Alliis ſilveſtribus, foliis cepaceis fiſtuloſis ſeu cavis præditis; quia à ſimilitudine foliorum plus affinitatis habent cum Cepis ſuperiore capite traditis.

Pars TABULÆ XIV.

- *Allium*
  - *Folio*
    - *Cepaceo ſeu fiſtuloſo*
      - *Flore*
        - 1. *Obſoleto, C. B. P. Allium rubentibus nucleis, Lob. Icon.* ⊙
        - 2. *Exalbido, C. B. P. Allium ſive Moly montanum 3. Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 3. *Obſoletiore, C. B. P. Allii montani ſpecies 2da Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 4. *Purpureo capite rotundo, nobis. Allium montanum capite rotundo, C. B. P. Allium ſive Moly montanum 5. Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 5. *Purpuraſcente, minus bicorne anguſtiore folio, nobis. Allium ſive Moly montanum 2. Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 6. *Albido moſchato lineis fuſcis notato, nobis. Allium ſilveſtre perpuſillum juncifolium moſchatum, Ad. Lob. part. 2. Moly moſchatum capillaceo folio, C. B. P. & Prod.* ⊙
        - 7. *Eleganter purpureo, nobis. Allium ſphærocephalum bifolium, J. B. Chabr.* ⊙
        - 8. *Luteo, C. B. P. & Prod.* ⊙
    - *Porraceo ſeu lato folio*
      - 9. *Sativum ſeu vulgare, nobis. Vulgare, Fuch.* ⊙
      - 10. *Sativum alterum ſive Allioprasum ſummo caulis circumvoluto, nobis. Scorodopraſum 2. Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 11. *Maximum foliis porraceis multis latioribus ſphæriceo capite ex floribus albis conflato, nobis. Scorodopraſum, Ger.* ⊙
      - 12. *Majus foliis porraceis latis ſphæriceo capite ex multis floribus exalbidis conflato, nobis. Scorodopraſum 1. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - *Narciſſino*
      - 13. *Majus, nobis. Allium ſeu Moly narciſſinis foliis 1. Cluſ. Hiſt. & Pan.* ⊙
      - 14. *Minus, nobis. Allium ſive Moly foliis narciſſinis minus 2. Cluſ. Hiſt. & Pan.* ⊙
    - *Latiſſimo*
      - 15. *Paluſtre, nobis. Allium urſinum, Matth. Cluſii Lugd. Allium urſinum bifolium verum ſilvaticum, J. B. Chabr.* ⊙
      - 16. *Montanum maculatum, nobis. Allium anguinum, Matth. Lugd. Serpentinum, Caſt. Victorialis longa, Cluſ. Hiſt. & Pan. Eyſt.* ⊙

§. 1. *ALLIUM ſilveſtre bicorne foliis cavis ſeu fiſtuloſis cepaceis.*

Explicatio partis Tab. decimæquartæ Sectionis quartæ.

1. A*llium* ſilveſtre bicorne flore obſoleto, C. B. P. Allium rubentibus nucleis, Lob. Icon. Allium caninum alterum, Trag. Allium ſilveſtre, Tur. Huic eſt puſillus oblongus bulbus, non ex nucleis compoſitus, ſed unico lævique capitulo perfecte bulboſo, nonnullis interdum adnatis minoribus ſeſe propagante: juncea pauca foliola, cava, fiſtuloſa, ſeu cepacea, carinata ſeu ſulcata, gracili, tenui & pedali caule nixa, non floribus ſed nucleis ſeu radiculis rubentibus onerato, quæ diu durantes & pluviali tempeſtate Septembri adventante, in ſummo caulis ſæpe germinant, & viridia protrudunt foliola, quæque poſtea præ ſiccitate in terram decidentes, radices in terram demittunt, ac novellas producunt plantas. Obſervabit lector radicem ejus tunicatam, bifariam diſſectam apparere in Tab. 14. ſculptam.

2. *Allium* montanum bicorne flore exalbido, C. B. P. Allium ſive Moly montanum 3. Cluſ. Hiſt. Folia habet juncea, viridia, cingentia caulem lævem, viridem, rotundum, qui in ſummo faſtigio ſuſtinet binas membranaceas tunicas, oblongâ caudâ inſignitas; caput ſuſtinet ex multis exiguis bulbis, punicantis itidem è viridi coloris, & in longiuſculam herbaceam cuſpidem plerumque deſinentibus, confertimque naſcentibus, conflatam; inter quos dependent in

 oblongis

oblongis gracilibuſque pediculis flores, ſequentis floribus formâ & magnitudine ſimiles, coloris exalbidi, quorum media petala ſecundum longitudinem & utraſque oras, vena obſolete purpuraſcens inficit: radix etiam rotunda eſt, candicans, longis albicantibus fibris prædita. Provenit ſponte in longe porrectâ montium ſerie, qui à Stiriacis Auſtriaciſque Alpibus ad Danubium ſupra Viennam excurrunt.

3. *Allium* montanum bicorne flore obſoletiore, C. B. P. Allii montani ſpecies ſecunda, Cluſ. Hiſt. & Pan. Moly lurido colore, Swert. Hoc caulem emittit pari fere altitudine cum priore provenientem, ſimilibus foliis, cavis, fiſtuloſis, cepaceiſve præditum, cujus coma inter laxas membranaceaſque & longum mucronem habentes tunicas late ſe explicat, floribus coloris valde obſoleti plena: radix ſuperiori ſimilis, nucleos etiam in lateribus profert. Viget circa Poſonium Hungariæ nunc Metropolin, ad ſiniſtram Danubii ſitam; omnium abundantiſſime circa Badenſes thermas creſcit.

4. *Allium* montanum capite rotundo, C. B. P. Allium ſeu Moly montanum 5. Cluſ. Hiſt. Hoc Allium montanum capite rotundo cubitali pariter aſſurgit caule, nudo, viridi, paucis foliis viridibus, cavis, fiſtuloſis Cepæ inſtar obſito, cujus faſtigio inſidet caput orbiculare, è multis floribus, brevi petiolo præditis congeſtum, qui ſex petala in ſingulis floribus nunquam ſe prorſus explicantia habent, ſex itidem ſtaminula in medio cum ſtilo, elegantis purpurei coloris: radix bulboſa, alba, nucleos interdum tenui membrana tectos, proxime caulis lateribus adnatos habens, & ſeſſili parte multas albicantes fibras: ejus odor Allii inſtar eſt. In Hungaria circa Poſonium duntaxat obſervaverat Cluſius, cum Pannonicarum ſtirpium hiſtoriam publici juris faceret, ad vinetorum in collibus Danubio imminentibus ſitorum margines, Maio & Junio floribus onuſtum; imo ipſum hoc Allium copioſe florens & ſemina perficiens in ſilva *Fontain belleau* & aliis vinetis collibuſque circa Blæſas eodem tempore reperimus.

5. *Allium* montanum bicorne anguſtifolium flore purpureo, C. B. P. Allium ſive Moly montanum 2. Cluſ. Hiſt. & Pan. Allium hoc quintum cubitali aſſurgit altitudine, cujus caulis aliorum more, lævis, rotundus, viridis; cui terna per intervalla adhærent folia, rotunda, cepacea, ſuperioris anguſtiora ac veluti graminea: ſummus caulis caput ſuſtinet, duabus laxis membranaceis tunicis, longiore mucrone præditis, obvolutum, quibus ſe aperientibus multi exigui bulbi ſimul congeſti apparent; inter quos flores ſex purpuraſcentibus petalis conſtantes, & oblongis pediculis inhærentes dependent: rotundam, albam, longis candicantibuſque fibris capillatam radicem habet. Ibidem provenit cum Allio ſecundo ſupra nobis ſic dicto, & eodem etiam tempore floret.

6. *Allium* ſilveſtre perpuſillum juncifolium moſchatum, Ad. Lob. part. 2. Moly Moſchatum capillaceo folio, C. B. P. & Prod. Hoc bulbo eſt parvo, oblongiuſculo, ruffeſcente & veluti reticulato cortice tecto, ex quo cauliculus tenuis, palmaris, rariſſime pedalis emergit, circa quem folia juncea vel potius capillacea, ſed ſine ordine, quæ modo unicam, modo tres quatuorve uncias longa (quæ nimis lata in figurâ antepenultima Tabulæ 14. exprimuntur;) cauliculi ſummo pedicelli quini, ſeni, ſepteni, veluti in umbella diſpoſiti, à duobus foliolis ſuſtentati inſident, quorum ſinguli floſculum ex ſex petalis acutis compoſitum, obſcure albentem, lineis fuſcis per medium diſcurrentibus diſſectum & ſtaminulis aliquot donatum, ſuſtinent: his capitula rotunda, ſemina tria vel quatuor, nigra, oblonga, triquetra continentia ſuccedunt: flos Moſchi vel Zibethi odorem ſpirat, & in collibus Monſpelio vicinis provenit, unde D. Saltſmannus anno 1598 attulit, & poſtmodum aliquot annis in hortulo coluit Caſp. Bauhinus; floruit Maio, & Junio ſemen perfecit.

7. *Allium* ſphærocephalum bifolium, J. B. Chabr. Vix hoc ſeſquipalmarem altitudinem adæquat: radicula nititur olivari, albâ, fibratâ, nullo tunicarum foris conſpicuo veſtigio præditâ: coliculus rigidus pro plantæ proportione, ſatis craſſus tereſque ſurgit, atrovirens, binis foliis craſſis & canaliculatis veſtitus: in ſummo flores gerit in glomum congeſtos, eleganti purpura conſpicuos, ex quibus ſtaminula quædam muſcoſa proſiliunt: ſapor Allii haud diſſimilis: parum abeſt quin ipſam plantæ magnitudinem & proportionem figura exprimat. Cultura mutatum magnitudine obſervamus. Roma aliquot bulbillos ad Johannem Bauhinum attulit gener ejus Cherlerus. Floret toto Maio, & æſtate ſemina perficit, ingruente tandem æſtu fatiſcit, ut & cætera hujus ſortis, & ſeſe renovat anno vertente.

8. *Allium* juncifolium bicorne luteum, C. B. P. & Prod. Ex bulbo oblongo, capillaceo, tunica alba veſtito, caulis rotundus, palmo altior, foliis junceis duobus tribuſve veſtitus exſurgit, umbellam parvam luteam ſuſtinens; cujus flores ſinguli filamentis oblongis inſident, ex ſex petalis luteis compoſiti, in quorum medio ſtaminula totidem unà cùm ſtilo, quibus capitula

cula trigona, ſemen continentia,ſuccedunt: ipſi umbellæ foliola ſunt duo anguſtiſſima, quorum alterum communiter longius & alterum in latius expanſum, ſubjiciuntur. Monſpelio D. *Saltzmannus* attulit, & D. *Burſerus* in Auſtria prope *Stain* & *Baden* eruit. Huc pertinent reliqua Allia montana contenta in Pinace Bauhini.

Deductis Alliis ſilveſtribus & montanis bicornibus foliis cavis ſeu fiſtuloſis cepaceiſve ſuprà, jam in hac Tabula 15ta. agetur de Alliis ſativis, porraceis ſeu latis folis donatis, quoniam Allia ſilveſtria & montana bicornia plus habent conformitatis in foliis cavis cum Cepa; idcirco de iis in Tab. præcedenti actum, per eandem rationem de Alliis foliis porraceis ſeu narciſſinis & latioribus in hac Tab. 15. immediate ante Porrum tractabimus.

§. 2. ALLIUM *porraceis ſeu latis foliis.*
Explicatio partis Tab. decimæquintæ.

9. *Allium* porraceis foliis dividitur in ſativum & ſilveſtre. Sativi Allii bulbus tenuiſſimis membranis ex albido purpuraſcentibus velatus, intra quas plurimi cohærentes nuclei, ſive, ut vocant, ſpicæ ſeparatim exiſtunt & communi membrana conveſtitæ coagmentantur, à quibus inferius tenues quædam fibræ dimittuntur: foliis viret oblongis, Porri ſimilibus, ſed non tam latis, inter quæ caulis, ſed admodum raro, nec primo aut altero anno, ſed ſerius aſſurgit; quamobrem & caule, floribus, & ſemine carere quibuſdam creditur. Novembri aut Decembri menſe Allium bene ſeritur, Palladio authore, in terra maxime alba, foſſa & ſubacta ſine ſtercore, licet in aliâ etiam ſtercoratâ, addit Petrus Creſcentius, proveniat, qui ſeri poſſe Allium menſe Septembri & Octobri, Februario aut Martio, in calidis autem regionibus menſe Decembri tradit. Plantantur autem radices, ut idem ait, diſtantes uno palmo, in areis.

10. *Allium* ſativum alterum ſive Allioprasum caulis ſummo circumvoluto, C. B. P. Scorodopraſum 2. *Cluſ. Hiſt.* Bicubitalem habet hoc decimum Allium caulem, multis ab infima parte ad medium uſque porraceis foliis, Scorodopraſo 1. Cluſii anguſtioribus circundatum, medio inter Porrum & Allium odore, reliquam partem ſurſum verſus nudum, viridem, lævem, ſummo faſtigio ſuſtinentem caput ex multis bulbis, ut in Moly Indico Caucaſon Lobio dicto, congeſtum, & candicante membranaceo involucro, cuſpide longa, viridi, prædito tectum, quod deinde bulbis excreſcentibus rumpitur, nudoſque bulbos, initio purpuraſcentes, poſtea exalbidos detegit; inter quos floſculi quidam naſcuntur: ea caulis extima pars cui caput innititur initio ſeſe cum ſuo capite convolvere ſolet, ut ſerpentis obtorto collo ſimilitudinem quodammodo referat, deinde ſenſim paulatimque ſeſe explicare incipit, donec tandem caput erigat: radix è multis nucleis ſimplici aut duplici tenui membrana tectis conſtat, & numeroſis albidis fibris ſeſſili parte donata. Junii initio caput ſuum contorquet, Julio vero erigit, eodemque menſe bulbillos ſeu nucleos ad maturitatem perducit, qui terræ crediti ſui generis procreant plantas. Hoc à quibuſdam ὀφιοσκόροδον dicitur, quia caput cum ſuprema caulis parte ſerpentis inſtar ſe contorquet. Hujus unicus bulbus quem habuit Car. Cluſius, mirum in modum ſe propagavit, & ubique in hortis cultus ſeſe propagat, ut ſucceſſu temporis ejici ex hortis poterit. Hujus bulbum apud Turcas in deliciis eſſe Cluſio referebat Augerius de Busbeque.

11. *Allium maximum* multis porraceis foliis latioribus ſphæriceo capite ex floribus albis conflato, nobis. Scorodopraſum, Ger. Hoc folia habet longa, craſſa, porraceis & longiora & craſſiora multo, caulem amplexantia mollem, ſucculentum, digito craſſiorem: atq; in caulis ſummo faſtigio caput craſſius & majus pila ſphæriſteriali, membranacea vagina involutum, Cepæ capitis inſtar antequam rumpatur; quâ ruptâ apparent flores multi globulatim provenientes, albi, hexapetali, quibus evaneſcentibus ſubveniunt ſemina nigra, in capſulis triangularibus contenta: radix eſt bulboſa, excedens Cepæ majoris magnitudinem. Tota planta redolet Allium, ſed compoſitione partium magis Porro accedit, unde ei nomen Scorodopraſum, quaſi diceres ex Allio & Porro conflatam plantam; eſt potius Allium majus degenerans, quoad magnitudinem partium. Huc pertinent Allium ſativum radice ſimplici, C. B. P. 3. in Pinace, & Allium Cyprium, C. B. P. 4. in Pinace.

12 *Allium* majus foliis porraceis ſphæriceo capite ex multis floribus exalbidis conflato, nobis. Scorodopraſum 1. Cluſ. Hiſt. & Pan. Ampelopraſum 1. Dod. Scorodopraſum ſive Allioporrum, Ad. Lob. Hoc oblonga & latiora profert folia quam decimum ſupra deſcriptum, Porri foliis majora, etiam carinata: caulem edit ſeſquicubitalem, nonnunquam bicubitalem, digitalis craſſitudinis, ſuperiore parte nudum, ferentem in ſummo caput membranaceo involucro tectum, ut Cepa, quod explicatum multos floſculos ſimul congeſtos, cepaceis ſimiles, ſex

 exalbidis

exalbidis petalis conſtantes oſtendit: quibus ſuccedunt trigona capitula, in quorum ſingulis loculamentis plurima ſemina nigra cernuntur, Cepæ ſeminibus paria: radix ſubeſt craſſa, quæ vetuſtate in alios majores bulbos ſe dividit, atque alios minores ad latera adjunctos habet, gravis, medii inter Allium & Porrum, odoris. Junio & Julio floret. Hujus pauci Bulbi, Ornithogali Arabici bulbis permixti, Bizantio demum delati ſunt paulo poſtquam Viennam Cluſius veniſſet, quorum unicus mire ſe propagavit, parvis nucleis ſeu radiculis ex matre manantibus. Huc pertinet Allium ſphæricco capite folio anguſtiore, C. B. P. 7. in Pinace, quod ſolis foliis anguſtioribus à priore diſcernitur.

§. 3. ALLIUM *narciſſinis foliis.*

13. *Allium* montanum Narciſſinis foliis majus, C. B. P. Allium ſive Moly Narciſſinis foliis 1. Cluſ. Hiſt. & Pan. Quina aut ſena ex radice promit folia, oblonga, plana, ſucculenta, Narciſſi alterius niveo flore Cluſii foliis ſimilia, viridia admodum & ſplendentia; inter quæ cubitalis plerumque exit caulis, nudus, firmus, viridis, ſtriatus, in ſummo multos ferens flores, ſex purpuraſcentibus petalis, totidemque interius ſtaminulis præditos, ſimul congeſtos, veluti globoſum caput conſtituentes, quemadmodum in Cepa; quibus ſingulis ſuccedunt trigona capitula, quæ maturitate dehiſcentia rotundum nigrum ſemen continere deprehenduntur: radix bulboſa ſimul & nodoſa anterius progrediens Polygonati modo, extima parte globoſa, candida, multis tunicis circumvoluta, pluribus albis fibris prædita, & adnatis nucleis feliciter ſeſe propagans.

14. *Allium* montanum Narciſſinis foliis minus, C.B.P. Allium ſive Moly narciſſinis foliis 2. Cluſ. Hiſt. & Pan. Hoc folia quinq; aut ſex non minus lata, ſed breviora aliquantulum ſe contorquentia, viridia & ſplendentia habet; caulem pedalem, ſuperiore graciliorem, ſed non minus firmum, ſtriatum, qui ſummo faſtigio è membranacea tunica multos floſculos promit, in orbiculare caput ſimul congeſtos, prioris floribus ſimiles, ſed elegantiore purpura nitentes; capitulis & ſemine cum priore reſpondet: ſimiliter radice bulboſa, quæ & nodoſa eſt, & adnatis in ambitu non infelicius illa ſeſe propagat. Utraque hæc ſpecies ſerius priori genere floret, nempe Julio & Auguſto. Naſcuntur in *Leytenberg* ſupra *Manderſtorf* (ubi tepidæ ſunt aquæ, quarum uſu multi valetudinem recuperant, præſertim calculo obnoxii) & aliis itidem montibus urbi Viennæ vicinis.

§. 4. ALLIUM *latiſſimo folio.*

15. *Allium* latifolium paluſtre, nobis. Allium ſilveſtre latifolium, C. B. P. Allium urſinum, Matth. Cluſ. Hiſt. Lugd. Allium urſinum latifolium, Ad. Lob. Lugd. Allium urſinum bifolium verum ſilvaticum, J. B. Chabr. Allium ſilveſtre recentioribus duplex eſt, vel anguſtifolium ſeu juncifolium, (de juncifolio Allio bicorni ſupra egimus in paragrapho 1.) vel latifolium quod eſt ſativum porraceis foliis, aut ſilveſtre narciſſinis, de quibus dictum paragrapho 2do. & 3tio; jam dicemus de Alliis latiore folio præditis, & primo de urſino, quod folia emittit bina, terna, quaterna, palmo longiora, binos digitos lata, lævia & dilute virentia: caulem dodrantalem, tenuem, comantibus aliquot in ſummo faſtigio caulis floſculis candidis, hexapetalis, totidem ſtaminibus præditis: pro radice bulbus eſt oblongus, qui fibris plurimis quas deorſum dimittit, & membranis conveſtitur. Proveniens reperimus in ſilvis humidis & umbroſis, & ad rivulorum margines per totam Burgundiam, Burboniamque, dum operam dabamus in hirciſcundis rarioribus plantis Celſiſſimo Aurelianenſi Duci Gaſtono Ludovici Gallorum regis XIII. fratri unico: ibidem & plantam clandeſtinam deteximus ſecus margines rivulorum Maio perpulchros edentem coloſſini coloris flores, primo à Burbonia lapide. Allium urſinum, quaſi Arctoſcorodon dicitur, Dod. Gall.

16. *Allium* latifolium montanum maculatum, C. B P. Allium anguinum, Matth. Lugd. Serpentinum, Caſt. Victorialis longa, Cluſ. Hiſt. & Pan. (cui & major) Eyſt. Allium Alpinum, Dod. Geſn. Hort. Tab. cui & Victorialis mas. Eſt enim mas & femina, ille latioribus foliis, hæc anguſtioribus, quare Victorialis mas & femina Camerario dicitur. Caulis hujus digitalis eſt craſſitudinis, fungoſus, infimâ parte purpuraſcens, ſuperne viridis & ſtriatus, multos in ſummo ferens floſculos, oblongis pediculis inhærentes, ſenis candidis petalis ſtellatis conſtantes, Ceparum floribus ſimiles, ſenis intus ſtaminulis ſtiloque medio præditis: deinde trigona fert capitula, in quibus ſemen rotundum, nigrum; caulem circa medium amplectuntur & quaſi veſtiunt bina aut terna folia, nervoſa, oblonga & lata, Gentianæ majoris foliis

foliis pene ſimilia: radix oblonga, extrema parte bulboſa, multiſque validis & perennibus fibris donata, multiplici cortice variis fibris tranſverſim coeuntibus conſtans, & quodammodo reticulato involuta, quæ ſingulis annis aliis feliciter bulbis circa ipſum adnatis ſeſe propagat, è fibris adeo implicatis, ut difficile ſit bulbos conjunctim natos & cohærentes ſejungere. Copioſe naſcitur in montibus qui Bohæmiam à Sileſia diſterminant. Quia qui effodiendis metallis operam dant, magnas certaſque illius vires ſe experiri prædicant ad ſe muniendos adverſus impurorum ſpirituum inſultus, à quibus frequentiſſime impetuntur, Victorialis nomen ab effectu inditum contendunt. Vulgus herbariorum Victorialis longæ & majoris cognomen dedit, ut à Gladiolo decernant: cujus radicem ob corticis qua integitur, cum ſuperiore ſimilitudinem, Victorialem rotundam parvam appellant.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

9. Allium *ſativum acre admodum eſt, exſiccat & calefacit quarto, ut ait Galenus, exceſſu; ſummam corporis cutem veſicas educendo ulcerat. In cibo ſumpta corpus inſigniter excalefacit, & qui in ipſo ſunt humores craſſos attenuat tenaceſque incidit, digerendi etiam vim, ac obſtructiones aperiendi facultatem quoque habet: adverſatur & omnibus venenis frigidis, & virulentorum animalium ictibus; quamobrem & à Galeno Theriaca appellatur ruſticorum. Alimentum autem corpori confert omnino nullum, ſuccum autem ingenerat pravum ac acrem: ab ejus idcirco uſu, eos qui calido ſunt præditi temperamento abſtinere vel maxime oportet. Quod ſi autem in aqua elixum fuerit eouſque donec acrimoniam depoſuerit, vires habet imbecilliores, & ſucci quidem pravitatem, ut ait Galenus, non amplius retinet, alimenti tamen corpori quam pauciſſimum confert, utile vero in cibo ſumptum contra aquarum mutationes, aſperam arteriam clarificat, veterem tuſſim lenit, ac mitiorem reddit, urinas cit, flatus diſcutit, Hydropicis ex aqua frigida auxiliatur, ventris vermes interimit atque expellit. Datur vero & pueris lac, in quo decoctum fuerit, utiliter adverſus vermes. Nonnulli cum carnibus coctum Allium edunt, & ſic quidem minus quoque acre eſt, ventriculum vero frigidum adjuvat, flatuſque cum in hoc, tum in inteſtinis hærentes diſcutit, urinas mediocriter promovet, & à peſtilentis aëris contagio tutos reddit. Allii comæ decoctum in inſeſſionibus menſes & ſecundas, Dioſcorides ait, trahit, quod & ſuffitu poteſt. Cum Origani vero decocto Allium epotum pediculos & lendes enecat: uſtum & cum melle permiſtum illitumque hypopia & alopecias ſanat. Cum Nardino unguento, ſale & oleo exanthemata curat. Aufert vero & alphos, impetigines, lentigines, achoras, furfures & lepras cum melle. Cum tæda & thure decoctum, ſi in ore contineatur, dentium dolores mitigat. Contra muris aranei ſive μυγάλης morſum cum Fici foliis & Cumino imponitur.*

14. *Eſt autem ſilveſtre Allium omne & præcipue Ophioſcorodon Lon. ſeu Allium urſinum, authore Galeno, ſativo valentius ac potentius. Allii autem ejuſdem folia contuſa, nonnulli in Belgio in quorundam piſcium ſalſamentis pro condimento edunt.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis & foliis latis donatis.

CAPUT XV.

PORRUM.

Quod πράσον Dioſcorides l. 2. c. 179. vocavit, & in κεφαλλατὸν capitatum, & ἀπελόπρασον diſtinxit; id Latini Porrum, quod porro eat, & longe lateque graſſetur, vocarunt. Theoph. 2. cauſ. 20. & 3. ejuſdem 23. τὸ κέκαρτον πράσον tonſum Porrum addidit: alias 7. Hiſt. 1, 2, 3, 4, 5, & 6. de Porro egit. At Plin. l. 20. c. 6. eſt ſectivum & capitatum; & illud l. 19. c. 6. duplex fecit.

Cepis, Alliis præcipue latis foliis præditis, Porra (in hoc capite deducenda) propter affinitatem cum in ſapore & odore, tum in foliorum ſtructura, adjungere æquum duximus. Porrum eſt planta hexapetala tricapſularis radice bulboſa proprie dicta & foliis latis prædita, cujus radix, non eſt rotunda, ſed oblonga, tunicis multis tenuibus, pellucidis, albis, compactilis,

&

& in ſeſſili parte fibrata, ſapore mitiore quam ſunt Cepæ; folia non ut Cepa fiſtuloſa aut cava habet, ſed lata, carinata; atque hiſce notis à Cepa facile diſcernitur.

Pars TABULÆ XV. Sectionis quartæ

- *Porrum*
  - *Sativum*
    - 1. *Commune capitatum, C. B. P. Porrum vulgare, Dod.* ☿
    - 2. *Sectivum latifolium, C. B. P. Porrum ſectivum Plinio, Dod. Porrum ſectile ſeu tonſile, Cam.* ☿
  - *Silveſtre*
    - 3. *Vinearum, C. B. P. Ampelopraſum, Matth. Lugd.* ⊙
    - 4. *Gemino capite, C. B. P. Ampelopraſum ſeu Porrum ſilveſtre, Lob. Lugd.* ⊙
    - 5. *Vitigineum caule folium perforante, nobis. Porrum ſilveſtre vitigineum, Ger.* ⊙

Explicatio partis Tab. decimæquintæ Sectionis quartæ.

1. P*Orrum* commune capitatum, C. B. P. Porrum commune, Matth. Lugd. Porrum vulgare, Dod. Porrum capitatum vulgare, Cam. Porro ſativo folia ſunt oblonga, latiuſcula, ſed compluria & dorſo eminentiore carinata, odore ſaporeque ſimilia Cepæ, ſed mitiore: caulis, ſi non frequenter ſubſecantur folia, altero aut tertio anno aſſurgit rotundus, lævis & æqualis, nullas protuberantias vacuas in medio caulis edit, ut videre eſt in Cepæ caule: flores profert in orbiculum collectos, in cacumine caulis, ut Cepa: floribus ſingulis evaneſcentibus ſuccedunt capitula trigona, ternis loculamentis diſtincta, in quorum ſingulis continentur ſemina Cepæ ſeminibus ſimilia, ſed non nigra: bulbus tenuis, oblongus eſt, potiſſimum ſectivi Porri bulbo craſſior ac major: quod non attonditur mediocrem terram poſtulat Porrum; in pingui, ſtercorata & mediocriter ſolutâ bene proficit. Seritur in Galliæ, Germaniæ, Angliæ Belgiæque hortis, Martio aut Aprili in utraque Germania, in Italia etiam Februario. Sectivum ſive ſectile poſt duos à ſatione menſes manens in areis ſuis deſecari poteſt, ſed quod capitatum ut fiat deſideratur attondendum non eſt, & Octobri menſe vel etiam prius transferri debet. Πράσον Græcis, Latinis Porrum, & Palladio maſculino genere Porrus dicitur.

2. *Porrum* ſectivum latifolium, C. B. P. Porrum ſectivum Plinio, Dod. Cæſ. Lugd. Porrum tonſile & capitatum, Lob. Porrum tonſile ſive ſectile, Cam. Porri natura eſt creſcere in cervicem longam & craſſam, magis quam in caput: adjuvat & cultura, denſius ſerentes hortulani transferunt poſtea anno ſequenti, altius circumobruentes fimum, ut candorem, teneritatem ſimul & dulcedinem acquirant uſque ad folia: conſtat tunicis multiplicibus, longe tenuioribus Cepæ tunicis, foliis glauce viridibus, prælongis, latitudine unius digiti, canaliculatis, non tamen fiſtuloſis, ſeinvicem amplectentibus alternatim ſeu hinc inde: caulis è medio foliorum exit, ſecunda æſtate cubitalis, in cujus cacumine comam gerit rotundam capitis modo, floribus candidis & vaſculis parvis triangularibus ſeminibus nigris ſucceſſive onuſtam. Sectivum denſius ſeritur, quod genus Neroni placuiſſe teſtantur authores; ut autem creſcant in caput rarius ſunt ſerenda, & cum transferantur, ſummis foliis leviter reciſis, capita retrahenda & extremæ tunicæ aut leviter ſarculo convellendæ radices ut delumbatæ alant. Antiqui ſilice aut tegulâ ſubjectâ capita dilatabant. Sectivum autem appellatur quaſi ſciſſile, quia adeo adhærent invicem, ut unum ex multis congeſtum videatur: hoc genus non transferunt, ſed in eadem area relinquunt, donec deficiat, ſemper ſtercorantes: læto enim ſolo & fimo gaudet, cum tamen rigua oderit. Seritur ſemine ab Æquinoctio Autumni. Dioſcorides primum hic allatum Porrum capitatum vocat, ſejungens ab altero ſectivo. Hæc duo Porra, capitatum & ſectivum ſeu ſectile non differunt ſpecie, cum ex eodem ſemine generentur, ſed cultura ſola diſcrepant, quia id quod ad culinaria juſcula ſæpius deſiderari ſolet, ſectivum aut ſectile Columellæ & Palladio nominatur: quod vero capitatum fieri debet, non tondendum, ſed autumnali tempore transferendum etiam Plinio monente.

3. *Porrum* ſilveſtre vinearum, C. B. P. Ampelopraſum, Matth. Lugd. Eſt & Porrum ſilveſtre quod Græcis ἀμπελόπρασον dicitur, id eſt, Porrum vineale, eſt enim caule bicubitali; foliis porraceis ſed anguſtioribus: flore conſtat candido, radice bulboſa, gracili, longa. Provenit in vinetis in agrorum marginibus & amœnis collium locis. Nos multoties inter vineas paſſim quaſi, ſed nullibi frequentius obſervavimus quam inter vineta eundo à pago dicto *Surain* & tendendo verſus faſtigium ſeu culmen montis Valeriani duabus leucis Gallicanis ab urbe

Lutetia

Lutetia Pariſiorum, non longe à vico *Sancto Clodovio* dicato. Datur & Porrum ſilveſtre inodorum, C. B P. Porro ſimile, dictum exilius & inodorum, Lob. Hoc in omnibus convenit cum 3^tio^ niſi quod odoris ſit expers.

4. *Porrum* ſilveſtre gemino capite, C. B. P. Ampelopraſum ſeu Porrum ſilveſtre, Lob. Lugd. quod à Matthioli Porro ſilveſtri eſt diverſum. Eſt Allii ſilveſtris tenuifolii folio non diſſimili, ſed majore & acriore, in caule bicubitali; radice bulboſa unica, non ex nucleis conſtante, Porri ſativi minore & duriore, acriore, nonnullis adnatis ſeſe propagante; loco florum & ſucceſſive capſularum ſeminalium ſeminumque ibidem contentorum, nucleos ſeminis vice fert, triticeis granis pares, in glomeratis geminis capitibus, nec diſpares pluribus aliis Allii ſpeciebus. Vinetis, arvorum marginibus, ſenticetis & dumetis Galliæ & Belgii gaudet. Galenus ſcribit Ampelopraſum tantum à Porris diffidere, quantum in omnibus aliis generibus agreſtia omnia à domeſticis differunt; item Ampelopraſum agreſte eſſe Porrum; quare & acrius & ſiccius eo eſſe, ſicut agreſtia omnia reliquis hortenſibus, ac proinde ſtomacho quam illud nocentius.

5. *Porrum* ſilveſtre vitigineum, Ger. Porrum vitigineum caule folium perforante, nobis. Radicem habet & hoc unicam rotundam, duram, lævem multos nucleos à ſe mittenem, ex qua protruduntur folia rarius diſpoſita, vaginæ inſtar cingentia caulem cubitalem, ſuſtinentem in ſummo faſtigio membranaceum, tenue involucrum, quo aperto, apparent flores hexapetali in globum acti, Cepæ floſculorum inſtar. A foliis ocreæ inſtar tibiam tegentis ad longitudinem ſingulorum geniculorum & cavâ ſuorum parte caulem amplectentibus diſcernitur à cæteris ſuæ familias.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Porrum *capitatum commune excalefacit, exſiccat & extenuat perinde ac Cepa, corpus excalefacit, craſſos lentoſque humores incidit, noxium tamen ſuccum ingenerat, tumultuoſa ac terribilia inſomnia parit, oculos offendit, viſus aciem obſcurat, naturâ calidiores ac bilioſiores lædit: ingratum eſt ventriculo, inflationes facit. Coctum minus nocens, acrimoniæ ſuæ parte depoſitâ, & nec ſic tamen bonum ſuccum corpori confert, cum frigidis autem oleribus permixtum, qualitatem frigidam eorum contemperat. Cum Ptiſana coctum & commeſtum, quæ in pectore cruda ſunt, concoquit & educit, ſcribitur etiam in delinctu utile eſſe, & aſperam arteriam purgare. Succus cum melle potus contra ferarum morſus prodeſt: folia ſimiliter trita & impoſita. Idem vero ſuccus cum aceto, thure & lacte, aut roſaceo inſtillatus aurium doloribus & ſonitui prodeſt; veteres ſanguinis rejectiones cohibent ſeminis drachmæ duæ, cum æquali Myrti pondere potæ. Idem in vinum conjectum, ipſum in acetum mutari prohibet, & jam converſum emendat, ut nonnulli ſcribunt.*

4. Porrum *ſilveſtre gemino capite, C. B. P. Ampelopraſum ſeu Prorum ſilveſtre, Lob. Stomacho magis quam Porrum adverſatur, ut tradit Dioſcorides, plus excalefacit, urinam & menſes vehemetius ciet, ejus eſus contra ſerpentum morſus utilis eſt, de quo hæc Plinius. Ampelopraſum in vinetis naſcitur foliis Porri ructu gravis, contra ſerpentum ictus efficax, eruptiones ſanguinis per genitale inhibet potum impoſitumque. Datur & à partu mulieribus, & contra canis morſum.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 72. col. 1. pl. 111. Porrum ſectivum juncifolium, C. B. P. Scœnopraſum, Dod. Cum Porrum ſit planta bulboſa hexapetala tricapſularis, foliis latis carinatis prædita, nullatenus convenit huic plantulæ bulboſæ, foliis quippe fiſtuloſis ſeu cavis donatæ, Porri nomen; imo odore & ſapore magis Ceparum familiæ accedit; ergo inepte Schœnopraſum ſeu Porrum junceum dicitur Dodonæo primo, & quibuſdam aliis authoribus; cum omnibus ſuis partibus Ceparum claſſi magis accedat, jure ergo potiore nos Cepam ſectilem juncifolium perennem deſignavimus. In hac animadverſione, ſicut in aliis memet ſubmitto judicio doctorum & verſatorum in arte Botanica.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis præditis.

CAPUT XVI.

MOLY.

MΩΛΥ ἀπὸ τοῦ μωλεύειν τὰς νόσους, *ab amoliendis morbis. Unius Theophraſtus* 9. *Hiſt.* 15. *& Dioſcorid. l.* 3. *c.* 54. *meminere : at Plin. l.* 25. *c.* 4. *duplex propoſuit : alterum radice rotunda : alterum vero longa.*

Moly omnibus ſuis partibus eſſentialibus convenit cum Allio, imo ſapore non multum ab Allio recedit; eſt enim planta calida & acris fervidique guſtus, non minus quam Allium: quicunque Moly Allium montanum latioribus ſeu planis compreſſiſque foliis habuerit, ei crimini non dandum exiſtimo. Eſtque à foliis, vel lato compreſſoque folio, vel latiore, nunc magis, nunc minus viridi; à colore florum, eſt vel flore purpureo, luteo, aut albo.

Pars TABULÆ XVI. Sectionis quartæ.

Moly
- *Purpureum*
  - 1. *Latifolium Hiſpanicum, nobis. Moly latifolium purpureum Hiſpanicum, Cluſ. Cur. poſt.* ⊙
  - 2. *Africanum umbella purpuraſcente, C. B. P. & Prod.* ⊙
  - 3. *Nobis. Moly atropurpureum, Swert.* ⊙
- *Luteum latifolium odore Allii*
  - 4. 1um, *C. B. P. Moly montanum latifolium flavo flore, Cluſ. App. alt. Moly latifolium flavo flore foliis rectis, nobis.* ⊙
  - 5. 2um, *C. B. P. Moly latifolium flavo flore, Eyſt. Moly latifolium flavo flore foliis contortis, nobis.* ⊙
- 6. *Exoticum floribus albo-viridibus, C. B. P. Moly flore albo lineis viridis coloris, Swert.* ⊙
- *Album anguſtifolium*
  - 7. *Umbellatum, nobis. Moly Dioſcoridis, Lob. Icon. Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 8. *Humile folio gramineo, nobis. Chamæmoly an Moly Dioſcoridis, Col.* ⊙
  - 9. *Peſaurenſe parvum caule triangulari, nobis. Moly parvum Peſaurenſe, Ponæ Ital.* ⊙
  - 10. *Petalis rotundis ſeu orbiculatis, nobis. Moly minus, Cluſ. Hiſt. Moly minimum albo flore, Swert.* ⊙
  - 11. *Foliis reflexis, C. B. P. Moly ſerpentinum vocatum, Lob. Icon. Lugd.* ⊙

Explicatio partis Tab. decimæſextæ Sectionis quartæ.

§. 1. *MOLY PURPUREUM.*

1. Moly Hiſpanicum purpureum, vel Moly latifolium purpureum Hiſpanicum, Cluſ. Cur. poſt. Moly latifolium Hiſpanicum, C. B. P. Moly latifolium Indicum flore purpureo, Swert. Hoc Moly omnium hujus generis maximum eſt: folia habet longa Gladioli inſtar & carinata: caulem protrudit ex radice ampliſſimâ bipedalem, craſſum, rotundum, in ſummo faſtigio ſuſtinentem globatim (adinſtar Moly Indici authoribus, nobis Ornithogali potius dicti) plurimos floſculos majores purpureos; quibus ſingulis decidentibus ſingula ſuccedunt capitula triangula, ſemina nigra in ſe continentia. Odorem ſuffundit inter Allium & Moly. Flores majores ſtellatos plus minus ſexaginta gerit, dilute rubentes aut purpuraſcentes. Conſule ejus Iconem apud Swertzii Florilegium.

2. *Moly* Africanum umbella purpuraſcente, C. B. P. & Prod. Ex radice bulboſa exit caulis (modo unus, modo plures) cubito altior, nudus & cavus, quem cingunt in inferiore parte folia aliquot latiuſcula, in acutum mucronem deſinentia, palmaria & ſeſquipalmaria, per marginem inſtar graminis hirſuta, piloſa: umbella caulis ſummo inſidet, cujus flores ſinguli communiter ſenis petalis, dilute purpuraſcentibus (non quinis ut vult Caſp. Bauhinus in Prodromo) pediculis

diculis oblongis & firmis inſident, quibus ſingulis veſicula ſeu capſula tribus loculamentis diſtincta, in ſingulis bina aut terna ſemina rotunda includens, ſuccedit. Odore eſt Allii graviore. Hoc Argentina à D. Meyero acceptum habuit Caſp. Bauhinus. Floret æſtate, & paulo poſt ſemen ſuum perficit.

3. *Moly* atropurpureum, Swert. Hoc folia habet anguſta, porracea, pedalia, caulem cingentia altiorem, in cujus ſummo faſtigio oritur capitulum coniforme, infinitis ſcatens floſculis, minimis, atropurpureis, quorum petala ſingularia nullatenus obſervari poſſunt diſtincta, ex Icone autem Swertzii mihi apparent adinſtar calicum membranaceorum Scabioſæ Hiſpanicæ, & eo nomine Icon mihi ſuſpecta, cum flores non producat hexapetalos, Moly verum & genuinum eſſe diffido: examinent Authores plantam ipſam ad quorum manus pervenerit. Conſule Tab. 16. plantam 5to loco poſitam; cum debeat eſſe 3^tia^ planta à colore florum, in hac Tabula male & extra ordinem diſpoſita eſt.

§. 2. MOLY LUTEUM.

4. *Moly* latifolium luteum primum odore Allii, C. B. P. Moly montanum latifolium flavo flore, Cluſ. Hiſt. App. altera. Moly flavo flore, Swert. Moly luteum, perperam Ornithogalum luteum multifolium Botanicorum, Lob. Ad. part. 2. Folia habet hoc bina, infima parte ſeſe amplectentia, decem aut plures uncias longa, unam lata, ſurrecta, firma, ſupina parte nonnihil carinata, porracei coloris, & odoris Allium referentis: inter quæ aſſurgit caulis enodis & ſatis gracilis, firmus tamen, vireſcens, pedem altus aut paulo altior aliquando, ſuſtinens ſummo faſtigio prodeuntes ex foliaceo folliculo, bifariam diviſo, tricenos aut plures flores uncialibus aut longioribus pediculis iiſque firmis ſubnixos, ſenis petalis ſtellæ in modum expanſis conſtantes, foris palleſcentes, interiore parte prorſus flavos; occupante umbilicum triangulari capitulo, ſex flavis ſtaminibus cincto præditum, quorum apices etiam flavi: floribus qui menſe Junio explicantur trigona ſuccedunt capitula, ſemen nigrum inæquale continentia: radix eſt bulboſa, gemina, ut Orchidis radicem quodammodo æmuletur.

5. *Moly* latifolium flavo flore foliis contortis, nobis. Moly latifolium luteum ſecundum odore Allii, C. B. P. Moly latifolium flavo flore, Eyſt. Hoc terna profert folia, lata, contorta, non recta ut ſuperius; caulem rotundum, dodrantalem, in cujus faſtigio plurimi floſculi, hexapetali, lutei, cum ſtaminulis ſex, & ſtilo in medio ejuſdem coloris, quos ante expanſionem cingunt bina involucra membranacea: floribus ſingulis deciduis ſuccedunt ſingula capitula, tribus loculamentis diſtincta, atque in ſingulis duplex ſeries ſeminum nigrorum, inæqualium, continetur, ſicut in priore: radix eſt bulboſa gemina ut Orchidis radicem quodam modo æmularetur. Provenit in Pyrenæis montibus. Floret ineunte æſtate, atque ſub ejuſdem finem ſemina ſua perficit.

6. *Moly* exoticum floribus albo-viridibus, C.B.P. Moly flore albo lineis viridis coloris, Swert. Hoc foliis, caule & radice, pediculiſque longis florum, convenit cum Alliis Narciſſinis foliis: at flores ex gemino involucro denos, duodenos, hexapetalos, albos, linea viridi in dorſo notatos gerit, quod mihi innueret hoc non eſſe Allium ſed Ornithogalum, ſi vero habet odorem Allii (quandoquidem ipſam plantam nec dum viderim, ſed ejuſdem picturam in Florilegio Swertzii, unde ex floribus depictis, & ipſius plantæ denominatione à Caſp. Bauhino allatâ, mihi videtur perfecta Ornithogali ſpecies;) ſi uti dictum odor Allii adſit, determinabit dubitationem. Examinent poſteri plantam ipſam quando habuerint ad manus.

7. *Moly* anguſtifolium umbellatum album, nobis. Moly anguſtifolium umbellatum, C. B. P. Moly anguſtifolium, Dod. Moly Dioſcoridis, Lob. Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Hoc Moly Dioſcoridis bina aut terna anguſta, porracea fere, habet folia, mollia, ad terram inflexa, exteriore parte aliquantulum lanuginoſa; inter quæ caulis exilit dodrantalis, lævis, rotundus, cavus, ſumma faſtigii parte membranaceum quoddam involucrum ſuſtinens, ex quo multi emergunt floſculi candidi, ſex petalis conſtantes cum totidem ſtaminulis: radix bulboſa, avellanæ nucis magnitudine, intus alba, ſucculenta, aliquantulum acris, ſubingrati odoris, foris nigricantibus membranis involuta. Naſcens hoc Moly, & initio Februarii flores proferens, Gadibus ea veteris urbis parte quæ in mare protenditur, eruebat Car. Cluſius, non procul à Sacello locum occupante in quo Herculis templum fuiſſe ferunt.

8. *Moly* humile folio gramineo flore albo, nobis. Chamæmoly an Moly Dioſcoridis, Col. Huic cum caulis longitudo deeſt, Chamæmoly nomen imponendum cenſuimus, inquit Fab. Columna. Radice eſt bulboſa, parva, nucis avellanæ magnitudine, flavo cortice duro

obducta: folia quatuor vel quinque à radice, per ambitum hirſuta, autumno emittit, Graminis forma ut Dioſcorides notat, magnitudine inter ſe diſtantia, nam quodlibet illorum alterum ſuperat gradu, majus vero folium non excedit pedem. Primo cœli minimo tepore, non tantum Veris, ſed ipſius hyemis floret. Decembri menſe in ſilveſtribus emiſit illos folliculos ſimul incluſos inter folia terram tangentia, nec multum à terra caulis attollitur, ſed aperto folliculo ſeptem vel decem, aut pauciores aliquando ſtellatos flores edit, albos, purpuraſcens dorſum aut virens ſingulis petalis habentibus, in quorum umbilico fructus extuberant, apicem habentes, luteis ſex ſtaminulis circundati, quæ ſimul cum florum petalis marcida fiunt, creſcentibus fructibus capſulis triangularibus ſeu tribus loculamentis diſtinctis, ſed ſimul adhuc junctis, Piſi vel Ciceris magnitudine: capſulæ ſiccatæ trifariam aperiuntur, atque in ſingulis cellulis ſemina nigra, angulosa quoad figuram, Moly vulgaris ſeminibus ſimilia, continentur. Februario & Martio perficiuntur. Cirinolæ per ſemitas & agros non procul ab oppido floruit Januario. Odor plantæ inter Braſſicam & Allium, non enim, ut vulgaris, nares acriter ferit; ſapor in radice dulcis, quæ dum flores emittit, multiplici duro cortice tecta invenitur, & jam vetuſta ſobolem ex latere mittit.

9. *Moly* album anguſtifolium Peſaurenſe parvum caule triangulo, nobis. Moly parvum caule triangulo C. B. P. Moly parvum Peſaurenſe, Pon. Ital. Hoc Moly copioſe naſcitur in territorio Peſaurenſi: caulem fert non rotundum, ut cæteræ Molyos ſpecies, ſed triangularem, ad altitudinem ſemicubitalem: radicem habet bulboſam, albam, rotundam, quæ ex albido in porraceum colorem tendit: folia habet acuta, porracea itidem: flores habet ex ſenis petalis albis, acutis conflatos: odorem ſuffunditAllio parem. Floret Maio & ſingulis annis ſeſe multiplicat nucleis. Natales ex nomine à Johane Pona aſſignato indigitantur. A nullo deſcribi hoc Moly ante Ponam comperimus; quare ejus deſcriptionem ac Iconem adhibuimus in Tab. 16ta inter conſortes plantas.

10. *Moly* album anguſtifolium petalis rotundis ſeu orbiculatis, nobis. Moly minus, Cluſ. Hiſt. Moly minimum albo flore, Swert. Hujus caulis palmaris & ſeſquipalmaris, viridis, denos aut duodenos ſuſtinens flores, ſex niveis petalis, non mucronatis ut Moly Dioſcoridis, ſed orbiculatis & quaſi rotundis conſtantes, ſenis pariter in medio ſtaminulis, inter ſena porracea quodammodo ſed anguſtiora folia aſſurgebat: radix eſt rotunda, candicans, nucis Ponticæ magnitudine, albicantibus fibris in parte ſeſſili prædita.

11. *Moly* album anguſtifolium foliis reflexis, nobis. Moly ſerpentinum vocatum, Lob. Lugd. Perelegans hoc Moly ſerpentinum (à foliis adinſtar ſerpentis contortis & in ſe convolutis) exhibuit Lobelius, quod Moly Dioſcoridis ortu perſimile: foliis conſtat per terram ſtratis, atque iterum reflexis; odore & bulbo tunicato valde accedit Moly Dioſcoridis; ſed flores candore rubentes, quini, ſeni, aliquando plures, hexapetali, albi exſiliunt, longis pediculis inſiſtentes, atque in ſummi caulis media parte conſpiciuntur bulbilli nitidi Indici Moly ritu: radix cepacea, multis tunicis tecta: caulis pedalis & ſeſquipedalis. Ubi ſponte proveniat nobis nec dum notum, inquit Lobelius, Belgicis aliiſque hortis ſatis familiare. Floret ineunte æſtate.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Moly *eſt calidum & acre, valde Allio quoad virtutes accedens; eſt enim ab odore & ſapore tantum Allii montani latioribus ſeu porraceis foliis præditi ſpecies. Radix bulboſa Molyos valde eſt utilis ad apertiones uteri cum irino unguento trita & ſubdita, ut Dioſcorides eſt author. Galenus etiam citans Dioſcoridem teſtem pro* ἰρίνυ μύρυ *ſive unguento irino legit* αἰρίνυ ἀλέρυ, *hoc eſt, Lolii farina cum farina ærina apertum uterum ſanare ſcribit Dioſcorides.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 75. col. 1. pl. 1. Moly latifolium liliflorum, C. B. P. Moly Theophraſti, Dod. Ibidem pl. 11. Moly latifolium Indicum, C. B. P. Caucaſon Lob. Icon. Hæ duæ plantæ cum nec odorem, nec ſaporem habeant Molyos, male hic diſponuntur a Caſp. Bauhino cæteriſque authoribus ante ipſum ſcribentibus; referantur ad Ornithogali Claſſem ſicut nos præſtitimus, quia cum Ornithogalis magis quadrare mihi videntur, uti diximus in Hallucinationibus ad finem capitis de Ornithogolo, quas illic conſule.

Pag. 76. col. 2. pl. XIV. Moly moſchatum capillaceo folio, C. B. P. Allium perpuſillum juncifolium moſchatum, Lob. Ad. par. alt. Hæc planta cum ſit cepaceis foliis, & odorem ſpiret Allii, male inter Molyos ſpecies, porraceis foliis præditas, a Caſp. Bauhino collocatur: referatur ad Allium ſilveſtre foliis cepaceis & cavis, ſicut nos præſtitimus in capite de Allio, quod vide ſupra.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis donatis.

CAPUT XVII.

S C I L L A.

Σκίλλαν Theophraſtus 1. *Hiſt.* 7. *&* 10. *propoſuit &* 7. *Hiſt.* 11. *Scillæ Epimenidiæ vocatæ, & quæ ab uſu nuncupationem ſortita ſit, meminit. Sic Dioſcorid. l.* 2. *c.* 202. *σκίλλαν habet, & cap. ſequente παγκράτιον quod Scillam aliqui nominant. Genera duo Scillæ medicæ Plin. l.*19. *c.* 5. *maſcula albis foliis, femina nigris: & tertium genus cibis gratum, Epimenidiam vocatum, &c. & l.* 20. *c.* 9. *Scillarum in medicina alba eſt, quæ maſcula; femina nigra: candidiſſima utiliſſima.*

Scilla radicem habet omnium ſtirpium bulbacearum maximam, tunicis multis humore quodam plenis præditam; hac ſola enim nota à cæteris ſuæ ſortis cognitu facilis.

Pars TABULÆ XVI.

Scilla
- *Vulgaris radice*
  - 1. *Rubra, C. B. P. Scilla, Trag. Matth. Pancratium, Dod. Lugd. Tab.* ⊙
  - 2. *Alba, C. B. P. Scilla, Dod. Scilla Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. Lugd.* ⊙
- 3. *Eſculenta, C. B. P. Epimenidia, Theop. Scilla dulcis & candida in Cephalonia & Creta, Coſtæo in Meſuen.* ⊙

Explicatio partis Tab. decimæſextæ Sectionis quartæ.

1. S*Cilla* vulgaris radice rubra, C. B. P. Scilla, Trag. (cui & Cepa maris) Matth. Fuch. Tur. Cord. in Dioſc. Geſn. Hort. Cam. Cæſ. Pancratium, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Dod. Lugd. Tab. Scilla rubentibus radicis tunicis folio Aloës carinato, Lob. Eſt Scillæ caulis cubitalis aut major, rectus, nudus abſque foliis: pluribus candidis & ſtellatis floribus, hexapetalis, ornatus, Aſphodeli minoribus, Ornithogali majoribus (quod quidam Scillam Epimenidiam putant) & valde ſimilibus, qui ab imis (uti veriſſime Theophraſtus Hiſt. 7. c. 12. ſcribit) explicari incipiunt, quemadmodum Aſphodeli & quarundam bulbacearum plantarum flores: hiſce ſingulis ſuccedunt triangularia capitula, compreſſis angulis constructa, & veluti inania; in quibus tamen nigrum, planum, paleaceum ſemen, ſed poſt ſeminis & capſularum efformationem quinque, ſex, aut plura emergunt folia liliacea, lata, viridia, admodum denſa ſive carnoſa, humi expanſa, nonnihil carinata: radix craſſa & ampla, multis tunicis albis lento quodam humore plenis prædita, multiſque pelliculis exterioribus rubris, internas albas involventibus, inferiore ſeu ſeſſili parte multis craſſiuſculis fibris capillata. Copioſe naſcitur circa Olyſipponem, & pleriſque aliis in locis Luſitaniæ & Hiſpaniæ. Floret Auguſto & Septembri; ſemen Octobri & Novembri matureſcit. Folia jam maturo ſemine, & exarido caule, ſeſe erigunt Novembri & Decembri.

2. *Scilla* vulgaris radice alba, C. B. P. Scilla, Dod. Scilla Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. & Pan. Lugd. Scilla alba, Eyſt. Scilla ſive Cepa marina, Lob. Pancratium itidem, Cluſ. Hiſt. Huic amplitudo major eſt, cujus extimæ tunicæ albeſcunt, foliaque ampliora, longiora, magis carinata & quodammodo ſurrecta. Abunde creſcit in mediterraneis, adeo ruſticis exoſum, ut me bulbum ejus eruentem (inquit Cluſius) admonerent ne deguſtarem: florentem autem aut ſemen ferentem nunquam conſpexit Car. Cluſius. Fabiano vero Ilges, ut ad Cluſium ſcribebat, anno 1592. in penſilibus hortis non modo caulem protulit, ſed etiam plurimos flores ſpicæ inſtar naſcentes, ſingulos ſex petalis conſtantes, Scillæ (quantum ex pictura, quam epiſtolæ conjunxerat, colligere licebat) florum æmulos. πανκράτιον ἢ σκίλλα Græcis, Pancratium Latinis dicitur.

3. *Scilla* eſculenta, C. B. P. Epimenidia, Theoph. Scilla dulcis & candida in Cephalonia & Creta, Coſtæo in Meſuen. Hæc à prioribus facile cognoſcitur quod radicem habeat candidam, dulcem & eſculentam, neque aliis notis à prædictis diſcernitur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Scilla *eſt ex ſecundo ordine excalefacientium, & incidentem admodum facultatem obtinet, ut Galenus ait, præſtat autem aſſam aut elixam ſumere, ſic enim virium ejus vehementia exſolvitur. Aſſatur autem paſta farinacea aut luto obducta (ut Dioſcorides docet) in clibanum deinde conjicitur, aut carbonibus obruitur, donec obducta paſta ſufficienter cocta fuerit, quâ ademptâ, ſi Scilla probe cocta non fuerit, altera ſimili paſtâ aut luto obducitur, ac denuo coquitur; nam quæ ita non aſſatur interraneis maxime noxia eſt. Torretur itidem in olla indito operculo, quæ in furnum demittitur: ſumitur vero quod maxime eſt medium, exterioribus partibus abjectis: quod fruſtatim conſectum coquitur, mutatâ ſæpius aquâ, donec ipſa nec amaritudinem, nec acrimoniam habeat, fruſta ſiccantur in umbra, ita ut ne ulla quidem parte ſe contingant. His Scillæ ſegminibus ad oleum, vinum, aut acetum Scillinum conficiendum utimur. Ex aceto autem ſcillitico, addito melle oxymeli coquitur; cujus ad incidendum craſſos, lentos viſcidoſque humores uſus eſt. Aſſa Scilla potionibus aliiſque medicamentis admiſcetur, quæ urinam provocant, obſtructionis jecinoris lieniſque aperiunt, tum & thoracis: datur hydropicis; regio morbo & torminibus laborantibus & contra veterem tuſſim, difficulterque reſpirantibus exhibetur in eclegmate. Pars autem Scillæ cum octo partibus ſalis ſubacta, & à jejunis unius aut duorum Cochlearium pondere ſumpta, alvum movet: ſemen etiam tritum cum caricis, aut melle exceptum, ſi manditur, idem præſtat. Cavendus autem Scillæ uſus iis, quibus interaneum aliquod exulceratum. Si Scilla reponatur inter fructus, arcet eorum putredinem. Aiunt minutim inciſam Scillam in vaſe vitreo, melle pleno, per totam æſtatem ſoli expoſitam, deinde collectam, præſentaneum eſſe remedium epilepticis. De melle ſcillitico, oxymelite ſcillitico, & de aceto ſcillitico, & de modo ad uſus eadem parandi, conſule Joh. Bauhinum pag.* 220. & 221. *Tom.* 2. & *Simonem Pauli pag.* 476. *claſſis* 3. *operis Botanici quadrapartiti, de Scilla venenata & ejus remediis. In Scillarum genere quædam ſuapte natura venenoſa provenit, quæ ſuâ malificâ vi, etſi quam parce devoretur, illico tamen hominem torquet, quemadmodum fungi, qui in lethalium genere habentur. Venenoſa igitur Scilla (ut Meſues tradit) ſola, nec alteri annexa provenit, lociſque oboritur fœdis ac graveolentibus, ut apud thermas. Quapropter de hac diſſerens Avicenna inter venenatas plantas Fen.* 7. *Volum.* 4. *ſic inquit, Scillæ malæ uſus ventriculum exulcerat, & inteſtina ipſaſque meſeraicas venas alioſque meatus, qui ex inteſtinis in jecur permeant: quo fit ut in viſceribus oriantur punctationes, acutique cruciatus & inde dyſenteriæ. Quibus incommodis ut ſubveniatur oportet uti lactis potu, in quo ferrum (quod* Græci *ſtomoma, nos vero chalybem appellamus) calidum & ignitum pluries reſtinctum fuerit, devoratiſque ovorum vitellis in aceto decoctis: quinetiam iis frixa cibaria & pinguia carnium jura conferunt, recens crudumque Butyrum & extrema juvenum quadrupedum membra, aliaque permulta.*

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus bulboſis proprie dictis donatis.

CAPUT XVIII.

LILIONARCISSUS flore ſurſum ſpectante ſeu TULIPA.

TULIPA, *cujus deſcriptionem & figuram primus* Geſnerus *anno* 1560. *in Appendice Cord. Hiſt. dedit, à pileo Dalmatico vel amiculo capitis, ab ipſis geſtari ſolito, nomen habet, idque propter floris cum pileo ſimilitudinem. Sunt qui Anemonen,* λειμωνίαν *Theoph. velint. cum ibi Pulſatillam intelligere videatur: alii Cynorrhodon Plin. l.* 21. *c.* 5. *cenſent: alii ad Satyrium trifolium referunt. Turcæ* Alé & Zampúl *vocant.* πυθιῶνα *Theophraſti.*

Genera prima tria ſunt: præcocius unum, ſerotinum alterum, dubium tertium, medio tempore florens.

Præcox caule eſt pedali, firma medulla pleno, quem folia plerumque terna, nonnunquam quaterna, quina amplectuntur, propendentia & nutantia, interdum ſurrecta: caulis faſtigio flos unicus inſiſtit (rariſſime gemini in ſummo caule conjunctim naſcentes, vel bifido inhærentes) ſex petalis (rariſſime ſeptenis aut octonis, niſi à luxuriante natura) conſtans; è cujus fundo tot ſtamina prominent, quot petalis conſtat ipſe flos, colore variantia. Se-

Serotina, caule eſt cubitali & bipedali, fungoſa materia pleno, quem quaterna plerumque folia, nonnunquam quina & ſena, firmiora, utplurimum erecta, non nutantia, ambiunt: ſemine quam in præcoce majore, & bulbo longiore, majoreque plerumque conſtat: ſic & caulem ramoſum interdum habet.

Dubiæ, quæ præcocium flore marceſcente ſuos explicant, & ſerotinis florere incipientibus jam ſeneſcunt, & cum his interdum florent. Sunt inter has nonnullæ quæ ſerotinarum magnitudinem æquant: aliæ quæ præcoces non ſuperant, nec illis formâ abſimiles ſunt: & illæ quidem vel ampliſſimis floribus præditæ, vel præcocium non majoribus: quædam etenim præcocibus humiliores ſunt.

Omnium petala apice mucronato, aut orbiculato: vel tria interiora orbiculata, exteriora mucronata & contrà exiſtunt.

Bulbaceas inter plantas proprie dictas recenſetur merito peregrina illa planta Tulipa dicta, quæ ob inſignem in flore colorem cultoribus longe gratiſſima eſſe ſolet. Qua de re Johannes Poſthius,

Multiplici vincit florum genus omne colore,
Hucuſque à Geticis Tulipa miſſa jugis.

Hanc vulgus Tulipam, nos cum doctioribus Lilionarciſſum appellamus. Lilium primum in compoſitione nominis ſibi vendicabit locum, propter conformitatem cum Lilio in capſula ſeminali non ſolum tribus loculamentis diſtinctâ, ſed quod in ſingulis loculamentis duplicem ſeriem ſeminum compreſſorum, membranaceorum, Liliorum inſtar gerat; porro propter radicem perfecte bulboſam ſeu tunicatam, Narciſſorum inſtar, Narciſſi vocem adjecimus: idem dicendum venit de Fritillaria ſeu Meleagride quoad capſulam ſeminalem duplicem ſeriem ſeminum compreſſorum membranaceorum in ſe continentem, & hac ſola ratione ducti ſeparavimus Tulipam & Fritillariam à cæteris hexapetalis tricapſularibus bulboſis proprie dictis, Narciſſo ſcilicet & Ornithogalo, atque interjecimus plantas culinarias calidas & acres, quippe habentes capſulas ſeminales & ſemina conformia iiſdem, non autem Liliis, quibus Tulipa & Frittillaria accedunt. Nota generica quâ diſtinguitur Tulipa à prædictis omnibus bulboſis proprie dictis, tam recreativis, quam culinariis, eſto hæc, quod in ternorum loculamentorum ſingulis duplex contineatur ſeries ſeminum compreſſorum membranaceorum; à Fritillaria ſequenti, quod florem conſtanter ex ſex petalis conflatum gerat, ſurſum ſpectantem calathi inſtar; Fritillaria vero conſtanter itidem florem ſex petalis etiam conſtantem, ſed (natura non variante finem) deorſum propendentem. Tulipa à tempore florendi, eſt vel præcox, vel ſerotina; quidam conſtituunt mediam inter utramque: à folio, eſt vel latiore, eoque vel plano, vel undulato, ſeu criſpo; vel anguſto: à colore, eſt vel rubra ſeu purpurea, lutea, & alba: ab hiſce, ſatione multis modis flores variantes colorem producuntur Tulipæ: à natalibus eſt Getica, Thracica, Cappadocica, Perſica, Italica, Gallica, &c. Cum nobis non occurrit an aliquis de Tulipa verba fecerit ante doctiſſimum & diligentiſſimum rerum naturalium ſcrutatorem, ſimul & Botanicum ſolertiſſimum, D. Geſnerum, lubet hic ſubjicere quæ in fine operum Cordus de Tulipa memoriæ prodidit. Anno à nativitate Dom. 1559. ſemine Bizantio, vel ut alii volunt, è Cappadocia, allato, & ſato Auguſtæ in horto D. *Henrici Heruvarti* florebat hæc perpulchra planta, flore uno perjucunde rubente, magno ſatis, inſtar quaſi Lilii rubri, ſenis petalis (ſi pluribus conſpiciatur, quod nonnunquam contingit, fit à luxuriante natura) conſtans: color internus pallidus erat aut ſubflavus, & ſtamina ſex crocea una cum ſtilo & apice triſulco. Tulipam Turci vocabulo ipſis familiari vocant hanc elegantem plantam communiter, à forma pileoli Dalmatici. Semen Tulipæ ſæpe ſatum Tulipas alias producit, quarum flores varias & infinitas quaſi ſubeunt mutationes, & ſæpe degenerant, ut quilibet hortulanus aut florum hujuſmodi cultor experientia comperire poſſit. Tulipæ ratione Temporis florendi, vel ſunt præcoces, quæ exeunte hyeme, vel ineunte Vere, florent; vel ſerotinæ, quæ Vere florent, Aprili ſcilicet & Maio: mediæ ſeu dubiæ ſic dicuntur, quia medio inter præcoces & ſerotinas tempore florent, videlicet quæ marceſcente præcocium flore ſuos explicant, & ſerotinis florere incipientibus jam ſeneſcunt, imo interdum cum ipſis etiam florent; dubiæ etiam quodammodo appellari poſſunt, quòd utriuſque generis naturam referant. Nullus præcocium, ſerotinarum, dubiarum reliquarumque Tuliparum infinitam varietatem ex ſatione provenientem exprimere poteſt. Habita ratione ſtaminum ſex in medio florum, variant etiam Tulipæ; nam florum ſtamina vel ſunt purpurea aut cærulea, viridia, lutea, & alba ſeu ochroleuca, quæ ſtamina producunt cærulea aut purpurea, cujuſcunque ſint coloris petala ſex externa ambientia ſtamina prædicta, proveniunt

veniunt ex matribus floribus purpureis præditis: quæ autem ſtamina producunt viridia, ex matribus florum Perſicæ colore præditis; quæ autem ſtamina lutea ex luteis matribus; quæ vero ſtamina habent alba ex matribus plane albis cujuſcunque ſint petala externa coloris; hæc ſunt obſervatu digna; quoad colorem fundi florum Tuliparum nulla certa poteſt dari regula propter naturam nimis laſcivientem in productione diverſorum colorum in fundo: ratione foliorum Tulipæ ſunt vel latifoliæ, vel anguſtifoliæ.

TABULA XVI.

- *Tulipa*
  - *Latifolia*
    - 1. *Præcox*
      - *Purpurea.* ☉
      - *Rubra.* ☉
      - *Lutea.* ☉
      - *Alba.* ☉
      - *Varia ſeu verſicolor.* ☉
    - 2 *Serotina*
      - *Purpurea.* ☉
      - *Rubra.* ☉
      - *Lutea.* ☉
      - *Alba.* ☉
      - *Varia ſeu verſicolor.* ☉
      - 3. *Ramoſa major.* ☉
      - 4. *Viridis coloris.* ☉
      - 5. *Miniata ſeu rubro flore pleno.* ☉
    - *Dubia*
      - *Major.* ☉
      - *Minor.* ☉.
    - 6. *Pumila*
      - *Latiore folio*
        - *Rubra* ☉
        - *Alba.* ☉
      - *Anguſtiore folio.* ☉
  - *Anguſtifolia*
    - 7. *Perſica variegata, Tulipa Perſica præcox, Cluſ. Cur. Poſt.* ☉
    - 8. *Italica minor lutea* πολύκλωνος, *nobis. Tulipa Apennineа, Cluſ. Hiſt.* ☉
    - 9. *Gallica minor lutea, C. B. P. Minor Narbonenſis, Dod.* ☉

§. 1. TVLIPA *latifolia ſeu major.*

Explicatio Tab. decimæſeptimæ Sectionis quartæ.

1. TVlipa præcox purpurea, rubra, lutea, alba, C. B. P. Omnes hæ ex radice bulbacea, tunicis multis ſeſe involventibus conſtante, oriuntur; folia terna, quaterna producunt; caules rotundos, pedales, firmos; in quorum ſingulis faſtigiis ſinguli proveniunt flores, magni, calathi inſtar aperti, ſurſum verſus ſpectantes, ex ſex petalis utplurimum conflati (niſi à luxuriante natura aliter contingat;) atque ſingulis floribus deciduis ſuccedunt capita triangularia, tribus cellulis ſeu loculamentis diſtincta, atque in unoquoque loculamento duplex ſeries ſeminum compreſſorum, membranaceorum, oblongorum caſtanei coloris conſpicitur: præcoces florent ante ſerotinas, earumque flores ſunt ſimpliciter purpurei, rubri, lutei aut albi, vel varie commixti ex rubro & flavo inter ſe confuſis coloribus, modo flavo medium quaſi occupante, modo rubro, vel utrinque radiatim per oras diſtincti. Similiter obſervare licet Tulipam flavam, quæ flavum & rubrum: purpuream, quæ album & purpureum colores varie inter ſe commixtos, & radiatim petala ſingula ſecantes habuerunt. At illud etiam obſervatur quotquot ſic nativum colorem mutarunt, ſubinde corrumpi ſolitas, voluiſſe tamen antè, hac colorum varietate heri ſui oculos oblectare, tanquam ipſi extremum vale dicturæ. Varia adeo & multiplex eſt diverſitas in Tulipis, ut non ſolum difficile ſit, ſed imo impoſſibile, omnes earundem differentias verbis exprimere; nam cum cujuſque tandem præcocis Tulipæ ſemina involucro exempta, & tellure ſepulta germinent, non omnia retinent nativum matris colorem, ſed in varios colores transformant flores, præſertim albæ, cujus ſemine prognatas plantas inſignem colorum varietatem præ reliquis nanciſci experientia & diligenti obſervatione

tione didicit Car. Cluſius: ſemina enim in eodem capite nata, & ab ipſo collecta, eodemq; fere momento, Autumno, terræ commiſſa (quo ſcil. tempore, non verno, ſerenda ſunt omnium bulbacearum & tuberoſarum ſemina, ut feliciter proveniant; vel etiam maturius, cum ſponte ſcilicet defluunt) plantulas proximo ſubſequente Vere produxerunt, quæ poſt quintum, ſextum aut ſeptimum annum flores protulerunt, eoſque aut omnino albos & matrem referentes, atque albos varios; vel luteos, & luteos varios, vel rubros; atque rubros varios; vel purpureos, ac purpureos varios, quorum videlicet purpurea petala albis oris ornata fuêre. Quantum ad luteas aut rubras attinet Tulipas, pleræque proles matris colorem retinent, ſæpe etiam in alium commutant. Omnes porro hæ colorum differentiæ haud facile verbis exprimi, uti dictum, queunt. Admonet Car. Cluſius ſe Tulipas cærulei omnino coloris nunquam vidiſſe (hoc idem nos teſtamur) at florem totum pallide violaceum in horto ſuo habuiſſe. Tulipam flore nigro nemo unquam obſervavit.

Tulipa ſerotina rubra ſeu purpurea, lutea ſive aurea & alba C. B. P. & reliquorum authorum. Tulipa ſerotina majore eſt amplitudine, pedalem & ſeſquipedalem interdum habet caulem, firmiorem, craſſiorem, rotundum, fungoſa materia plenum, & brevi incanaque lanugine ſive effloreſcentia quadam aſperſum: hunc alternatim amplectuntur quaterna plerumque folia, nonnunquam quina, ſena, carinata, firmiora quam in præcoce, utplurimum erecta, non nutantia aut ad terram inflexa, atque adeo oris interdum reflexis ut ſinuoſa ſeu undulata videantur, aliquando tamen omnia æqualia: ſummo caulis nudi ſupra folia inſidet unicus flos magnus & oblongus, cyathi aut calathi modo cavus, ſurſum ſpectans, ſex petalis itidem conſtans, tribus exterioribus duntaxat mucronatis, interioribus orbiculatis, ut in præcoce & contra: caput, ut in illa, triangulare, membranaceum, tribus loculamentis diviſum, atque in ſingulis duplex ſeries ſeminum membranaceorum & compreſſorum continetur, quo à ſummo dehiſcente ſex ordines, bini in ſingulis capſulis ſeu loculamentis ſeminis plani, compreſſi, membranacei aut cartilaginoſi, fulvi aut ruffeſcentis, majoriſque quam in præcoce conſpiciuntur: radix bulboſa præcocis ſimilis, longiore tamen majoreque bulbo conſtat, plerumque in reliquis cum illa conveniens.

2. *Tulipa* ſerotina coccinea, rubra, lutea, nivea, C. B. P. Ex his magna varietas obſervata, quod interdum ex rubræ ſemine, flavæ; contra ex flavæ ſemine, rubræ natæ ſint; ex purpureæ ſemine & flavæ & rubræ & variis ſtriis & radiis diverſorum colorum mixtæ, ut Tulipa nivea oris purpuraſcentibus, Eyſt.

3. *Tulipa* ſerotina ramoſa major, C. B. P. Tulipa ſerctina πολυκλαδῆς major, Cluſ. Hiſt. Tulipa ſerotina polyanthos, Eyſt. Tametſi hæc Tulipa non ſecus ac vulgaris unico utplurimum conſtet caule, quandoque à luxuriante natura πολυκλονὸν ac ramoſum habet caulem, atque ſingulis ramis ſinguli inſiſtunt flores cujuſcunque coloris.

4. *Tulipa* viridis coloris, Eyſt. Hujus caulis attollitur erectus, glaber, cujus ſummitati inſidet flos ſatis herbaceus & viridis, oris acuminatis introrſum flexis. Datur & alia, ludente ſic natura, cujus ſex petala partim vireſcunt, partim lutea ſunt, oris foliorum laciniatis; prior ab Hortulanis & florum cultoribus dicitur Pſittacus, poſterior Monſtrum.

5. *Tulipa* miniata flore pleno, Eyſt. Hæc à ſemine bene nutrito, ſolo pingui, recenter ex prato educto, mixtâ terrâ arenoſâ, ſtercoreque annoſo, commiſſo flores producit multiplici ſerie petalorum miniati aut rubri coloris.

6. *Tulipa* pumilio latifolia ſulphurea, C. B. P. Tulipa pumilio fulvo-ſulphurei coloris, Eyſt. Hujus caulis palmarem aut ſemipalmarem vix attingit altitudinem, quatuor promens folia, anguſta, undulata, carinata, Tulipæ Monſpelianæ foliis ſimilia, inter quæ caulis prodit palmaris aut paulo longior, nudus (præter aliarum Tuliparum morem) ex viridi purpuraſcens, ſummo faſtigio florem gerens ſex petalis conſtantem, foris nonnihil purpuraſcentibus, intus candidis, umbilicum occupante longo capitulo, ſex flavis ſtaminulis ſepto: bulbi aliarum Tuliparum formam referunt, ex ſpadiceo nigricante cortice tecti.

7. *Tulipa* Perſica variegata, C. B. P. Tulipa Perſica, Eyſt. Swert. du Bry. Tulipa Perſica minor altera, Cluſ. Cur. poſt. Hæc caulem protrudit pedalis longitudinis, ſatis gracilem, quatuor foliis anguſtis præditum, Narbonenſis Tulipæ foliorum latitudinem haud ſuperantibus, non adeo tamen virentibus: caulis in ſuprema parte florem ſuſtinet delicatulum, Narbonenſis Tulipæ flore paulo majorem, ſex petalis binas uncias longis conſtantem, quorum terna exteriora paulo longiora & mucronata, foriſquidem ſuave-rubentis coloris, oris tamen albis, interne vero prorſus albis: tria autem interiora petala, quæ breviora, mucronem habent nonnihil orbiculatum; niveiq; plane ſunt coloris: omnium autem ungues purpureâ maculâ inſigniti; ſtamina

 nigra

nigra; apices etiam nigri: bulbi cortex foris nigricans & fuſcus, interiore parte molli, lanugine fuſca & quodammodo ferruginei coloris obſita, quale fere Rhododendri ſive Nerei ſemen eſt, aut caſtanearum cortex ipſum nucleum tegens: ſemen compreſſum, membranaceum, in triplici loculamento, duplici ſerie in unoquoque contentum, ſubfuſcum aliarum Tuliparum more fert.

Conſpiciuntur & bulbi in infima alâ quarundam Tuliparum, quaſi ſumma tellure nati, qui etiam terræ commiſſi, ejuſdem coloris cum matre florem ſubſequente anno produxerunt, & etiam eundem colorem retinent bulbi adnati. In Thracia & Cappadocia exeunt ſponte Tulipæ, quarum ingentem copiam florentem media plane hyeme, Januario menſe, in itinere ſuo Conſtantinopolitano invenit Augerius Busbequius.

§. 2. TULIPA *anguſtifolia ſeu minor.*

8. *Tulipa* minor lutea Italica πολύκλωνος, nobis. Tulipa minor lutea Italica, C. B P. Tulipa Apenninea, Cluſ. Hiſt. Hæc pedalem vel etiam longiorem fert caulem, in binos vel ternos ramos diviſum, quibus ſingulis ſinguli inſident flores, ſenis petalis conſtantes, foris ſubvireſcentibus, intus flavis, ſuccedente capite trigono, oblongiuſculo: flos valde odoratus Leucoii flavi ſuaveolentiam referens, ſuperioribus Tulipis magis expanditur, & fere à meridie ſub veſperam duntaxat: folia habet aliarum Tuliparum foliis anguſtiora, etiam nonnihil carinata, ſubcineracei cum caule coloris, terna, quaterna: ſemen duplici ſerie in ſingulis loculamentis paleaceum, ruffum ut in reliquis Tulipis, ſed longe minus: radix bulboſa, ſpadiceo cortice tecta, in binas aut plures ſoboles ſingulis annis dividitur, non in altum rectà mergit: floret cum ſerotinis, aut paulo etiam ſerius. Naſcitur plurima in Apennino monte, unde erutam meminit Car. Cluſius, & miſſam ad ipſum Bononia ante multos annos à clariſſimo viro *Uliſſe Aldrovando* Bononienſi profeſſore, & omnium naturalium rerum Scriptore ſolertiſſimo. Facilius cæteris videtur multiplicari, nec facile perire.

9. *Tulipa* minor lutea Gallica, C. B. P. minor Narbonenſis, Dod. Hæc priori pæne eſt ſimilis; eſt enim huic flos unicus luteus ſenis petalis conſtans, ad Liliaſphodeli lutei florem fere accedens, ſtaminulis luteis totidem è medio natis unà cum ſtilo triſulco ejuſdem coloris: bulbus exilis nucleum oblongum Allii æquat, ſibique ſæpius adnatum alium exili quoque filo adnexum habet: folia pauca, anguſta ſeu porracea, cauli per intervalla adhærentia: flores delicatius quiddam ſpirant: radix etiam è tenuibus nervis in latera ſoboles ſeu bulbillos ſpargit. E Cebennis montibus à *Matthia de Lobel* primum eruta radix, & amicis in Belgium miſſa; minor tamen eſt priore in omnibus: flores foris magis virentes, intus flavi, delicatius ſpirant.

Nec omnes verſicolores, tam præcoces, quam ſerotinæ, ſingulis annis eandem coloris gratiam retinent, ſed alternis ſepius variant, ut flavæ variæ & albæ variæ uno interdum anno candidiſſimi ſunt, ſequenti vix alius color quam flavus, vel albus conſpicitur; ſic rubræ variæ & purpureæ variæ nonnunquam magnas oras flavas & albas habent, ſequente valde exiguas. In ſumma tanta eſt in Tulipis colorum varietas, ita ut ſingulis annis adhuc naſcantur quibus pares nunquam conſpectæ: ita Deus optimus in ipſis floribus admirabilem ſuam poteſtatem oſtendit, (ſicut ex prædictis ex Cluſio, Lobelio, Camerario, Horto Eyſtettenſi, Caſp. & Johannis Bauhini noſtraque propria obſervatione adductis, colligere eſt) ut numerum ter centum ſuperare deprehenſum ſit. Sic in Florelegiis Swertzii, du Bry, itemque Paſſæi, atque ex enumeratione Caſpari Bauhini à pag. 57. ad paginam 64. & Johannis Bauhini à pag. 663. uſque ad pag. 678. item Cluſii à pag. 138. uſque ad pag. 151.

Hæc ſunt quæ de Tuliparum varietate commentari impræſentiarum libuit: nec me fugit quin pluresaliæ differentiæ tradi poſſent, quam adhuc ab omnibus tam doctis Authoribus, quam indoctis floriſtis, nomina ad arbitrium primi imponentis aſſignata ſervantibus, traditæ ſunt: utcunque non dubitem, quin ad enumeratas claſſes tanquam primarias reduci atq; comprehendi ſub illis poſſe exiſtimem. Sic inquam admirabilem ſuam in iſtis diverſis floribus producendis poteſtatem oſtendit Deus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

De viribus & facultatibus Tulipæ nihil adhuc à quoquam docto Botanico compertum. Antverpianus quidam mercator cum horum bulborum non exiguum numerum ab amico cum byſſinis pannis Conſtantinopoli ſibi miſſum accepiſſet, Cepas eſſe exiſtimans ex illis aliquot vulgarium Ceparum modo in cœnam parari juſſit: reliquas radices in horto inter Braſſicas & reliqua oleracea defodi in mandatis dedit. Johannes Muller Pharmacopœus Viennenſis multos Tulipæ bulbos condivit

radicum

radicum Orchidum inſtar, quibus longe ſuaviores & palato gratiores deprehendebat Car. Cluſius; an vero id præſtarent quod Satyrio tribuitur, nondum intellexit. Ventrem replere certum eſt, ut hauſimus à quibuſdam militibus qui in Flandria ſtipendia faciebant, & mercatoris ſatis divitis hortum rarioribus peramœnorum omnis generis colorum Tulipis refertum conſpicientes, fame obſiti, omnes bulbos erutos (rejectis rarioribus & ſatis magni pretii floribus, unà cum caulibus barbilliſque) & lavatos, cumque butyro frixos avide comedere: fercula eſurientibus ſatis grata, at nimis cara mercatori, qui maluiſſet ipſis aliquot plauſtra Cepis onerata porrexiſſe, imo prandium multo gratius Cepis ipſis optaſſet & comparaſſet loco ſuarum Tuliparum rariorum: ſed quid dicendum, niſi quod militibus, ſicut & aliis, omnium condimentorum fames optimum; ſunt enim Tulipæ mea opinione porcis & ſuibus, ſicut & bulbi ſilveſtres, aliæque radices tuberoſæ plurimæ, fercula digna.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus ſquamâ duplici admodum denſa præditis.

DISTRIBUTIO IV.

Fritillaria ſeu Meleagris ſeu Gaviana, potius Lilium,

ſquamâ duplici admodum denſâ, & flore pendente præditum.

CAPUT XIX.

FRITILLARIA.

F*RITILLARIA, ab abaco in quo Scacorum luſus excercetur, quem Fritillum dici exiſtimant, nomen habet: aliis Meleagris à Meleagridis avis plumis, quas ſi non coloris ſpecie, tamen varietate & diſpoſitione, & macularum magnitudine refert.*

Fritillaria pro nota generica hanc habet, qua à cæteris, præcipue Tulipa, differt, quod radicem ex duobus tuberibus ſeu ſquamis admodum denſis conflatam habeat, & florem ſex petalis conſtantem, ſed dependentem, non erectum; deinde folia anguſta & quaſi graminea; caulem tenuiorem multo Tulipâ. Convenit cum Tulipa & Lilio, quod capſulam ſeminalem, ternis loculamentis diſtinctam, atque in unoquoque duplicem ſeriem ſeminum compreſſorum membranaceorum ſubruffornm producat, ſicut Tulipa & Lilium; ergo à radice & poſitu florum junctâ tenuitate foliorum & caulis, à Tulipa radice bulbacea proprie dicta prædita, & Lilio radice ſquamata donato, facile diſtinguitur Fritillaria. Fritillaria à colore floris eſt variegata ſaturate aut dilute, vel flore albo, vel luteo, vel flavo-viridi, vel fuſco aut ſubnigro: à foliis eſt vel latifolia, vel anguſtifolia: à tempore florendi, vel eſt præcox, vel ſerotina. Fritillariæ nomen neque Latinum eſt, neque ab ullo veterum elegantium ſcriptorum uſurpatum, ſed non ita pridem fictum à neſcio quo plantarum rariorum cultore, qui cum florem hunc plurimis figuris adinſtar quadratarum areolarum, obſcure purpuraſcentibus pingi obſervaret, effigie Tabulæ illius in quo ludus Scachorum ludi ſolet, putaretque eam Tabulam Antiquis Fritillum fuiſſe dictam cœpit, ducta exinde ſimilitudine, hunc florem appellare Fritillariam. At non parum fuit voce abuſus; Antiquis Fritillus non erat Tabula quadratis hujuſmodi areolis interpunctata, ſed vaſculum quoddam in quod primum indebantur teſſeræ ſeu aleæ, ubi aliquamdiu agitatæ, poſt mittebantur in alveolum, dictuſque fuit fritillus, non à colore aut punctis variegatis, ſed vel à ſono, quem in eo jactatæ teſſeræ aut aleæ faciunt, vel quia per eum teſſeræ feruntur, Martialis ſic ait,

Dum blanda vagus alea December
Incertis ſonat hinc & illinc Fritillis.

Sic æſtimare licet quam ſtabili fundamento plantæ huic nomenclatura Fritillariæ adſcribitur, non à Latinis ſolum, ſed & Germanis **Frittillarn** & corrupte **Flutillarn**. Alii malunt nominare Meleagridem, ab alitibus ejus nominis (ſunt perdices Africanæ, vel Galinæ Mauræ de quibus Ariſtoteles lib. Hiſt. c. 2. Plin. l. 10. c. 26. Varro l. 3. Columella l. 8. c. 2.) quarum non ſolum plumas (ut vult author hujus indicationis) macularum magnitudine & varietate floſculus repræſentat, quamvis non eâdem coloris ſpecie, ſed etiam ova ſimilibus picturis variegata teſte

Ariſtotele, τῶν δὲ ᾠῶν τὰ μὲν κατεστιγμένα οἷον τὰ τῶν μελεαγρίδων ϰ̀ φασιανῶν. Cæterum cum Meleagridum ova maculoſa his regionibus ſeu prorſus ignota, ſeu infrequentia admodum ſint, illorum loco nobis eſſe poterunt ova Gavearum; ea enim ova punctis ſuis luridis ad vivum exprimunt ideam floris hujus purpuraſcentis; itaque non procul hallucinabimur, inquit Lorembergius, ſi Latine dixerimus florem Gavianum, ſive Gavianam. Utut ſit, denominatio adæquata & ſingulis ſpeciebus hujus generis conveniens, & magis apta eſto hæc nobis; Lilium radice ſquama duplice denſa admodum, ſeu tubere duplici & flore propendente præditum eſt. Hoc nomen omnibus Fritillariis cujuſcunque coloris aut magnitudinis convenit; at Fritillaria Meleagris ſeu Gaviana Fritillariis maculatis floribus tantum donatis convenit.

TABULA XVIII. Sectionis quartæ.

Fritillaria
- *Variegata*
  - *Præcox*
    - 1. *Purpurea, C. B. P. Fritillaria dilutior, Cluſ. Hiſt. Meleagris, Dod.* ⊙
    - 2. *Alba, C. B. P. Fritillaria alba, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - *Serotina atropurpurea, C. B. P. Fritillaria ſaturatior, Cluſ. Hiſt. Meleagris altera, Dod.* ⊙
  - 4. *Anguſtifolia lutea variegata magno flore, C. B. P. Fritillaria juncifolia, Eyſt. & Meleagris, flos maximus Italicus, Eyſt,* ⊙
  - 5. *Flore magno pleno, C. B. P. Fritillaria flore pleno, Eyſt.* ⊙
- 6. *Flavo-viridis Polyanthos, C. B. P. Fritillaria polyanthos lutea, Eyſt. Fritillaria triceps colore flavo-viridi, du Bry.* ⊙
- 7. *Serotina floribus ex flavo virentibus, C. B. P. Fritillaria Aquitanica, Cluſ. Hiſt. Fritillaria Aquitanica flore luteo obſcuro, Swert.* ⊙
- 8. *Polyanthos non deſcripta, Swert.* ⊙

Explicatio Tab. decimæoctavæ Sectionis quartæ.

1. F*Ritillaria* præcox purpurea variegata, C. B. P. Meleagris, Dod. Fritillaria dilutior, Cluſ. Hiſt. & Pan. cui & Lilium variegatum vulgo. Fritillaria, Eyſt. Fritillaria vulgaris purpureo flore, Swert. Meleagris flos, Lugd. Gaviana vulgaris Loremberg. Venuſtiſſima hæc planta pedali eſt caule, interdum majore, rotundo, tenui, foris & viridi purpuraſcente & obſoletiore colore, intus vero ut Tuliparum fungoſo: quina plerumque habet folia, interdum etiam plura, incondito etiam ordine per caulem ſparſa, anguſta, carinata, palmaris longitudinis & majoris, ſuperioribus exceptis quæ breviora ſunt, caule viridiora & Narbonenſis vel Hiſpanicæ Tulipæ foliis formâ coloreque proxima: flos in ſummo caule ſæpiſſime unicus, (interdum bini, raro terni, omnes autem eodem tempore ſe aperientes) nonnunquam gemellus, inodorus, ſemper deorſum ſpectans, ſeu propendens tintinnabuli modo, ſex petalis conſtans utplurimum (habui octonis aut duodenis donatas inquit Cluſius) quæ areolis quibuſdam quadratis nunc oblongiuſculis, partim candidi, partim purpurei ſive ſaturatioris, ſive carnei coloris, elegantiſſimo ordine pulcherrimaque ſerie diſtincta ſunt, quadris tamen ad latera minoribus prædita, eaq; interiore parte ſunt vegetiora, variis coloribus picta candicantiaque, quâ parte inhærent, ut roſarum petala, ungues habent, à quorum infima ſede vireſcens quædam & herbidi coloris linea ad medium uſque petalum ducta videtur: ſex ſtamina medium florem occupant, (quorum apices primum pallidi, deinde ubi obverſi ſunt flavi & quaſi pulvere quodam conſperſi, quali ſunt omnium fere horum florum apices) quæ ſtilum triſulcum ſive tricuſpidem, ut in pleriſque aliis floribus, ambiunt: triangulare deinde ſuccedit caput, unciam plerumque longum, ſupernâ parte craſſius & ſine coronâ, alioquin Narbonenſis Tulipæ capiti ſimile, in quo ſeminum planorum, compreſſorum, membranaceorum duplex ſeries obſervatur in ſingulis ternorum loculamentorum ſeu cellularum, quæ conſtanter cernuntur tres hic, ſicut in omnibus plantis in hac Sectione contentis; ſed ſemina hujus prædictæ Tulipæ Narbonenſis ſemina quaſi referunt, membranaceo margine latiore, in quo nullum (contra quam in Tulipis) germen conſpicitur: radix bulboſa, candida, ſolida, nullis tunicis ſepta, ſed veluti in binas ſquamas denſas, ſeu bina tubera ſecta, è cujus medio protuberat pulvinus quidam, unde caulis emergit ſeſſili parte multis fibris donata.

2. *Fritillaria* alba præcox, C. B. P. Fritillaria alba, Cluſ. Ap. altera & Auctar. Hujus flos totus

totus albus, alterius flos foris albus interne venis quibuſdam purpuraſcentibus diſtinctus; dicitur hæc Swertzio Fritillaria flore albo. Floret eodem tempore cum prima, atque florem profert album, neutiquam in cæteris partibus à prima differt. Floret inquam cum præcocioribus Tulipis, interdum etiam Martio & Aprili in hortis cultis: ſponte provenit in quibuſdam pratis ad *Ligerem* flumen, non procul *Aurelia* urbe Galliæ celebri; naſci etiam perhibetur in Neuſtria ſeu Normannia, & Britannia minore. In quibuſdam etiam pratis quadriduano itinere infra Budam Pannoniæ, ab iis qui Conſtantinopoli redibant, menſe Martio florens obſervata eſt. Nos in ſilvis cæduis non procul à caſtro dicto *Chaumont*, quarto à Blæſenſium capite lapide, menſe Aprili copioſe florentem offendimus.

Fritillaria ſerotina atropurpurea, C. B. P. Fritillaria ſaturatior, Cluſ. Pan. Meleagris altera, Dod. Fritillaria altera Xantonica, Lob. Ad. Part. 2. Flos hujus convenit cum prioris flore, niſi quod quadræ ſint multo ſaturatius nigræ; cætera convenit, & floret ſerius.

3. *Fritillaria* anguſtifolia lutea variegata magno flore, C. B. P. Fritillaria juncifolia, Eyſt. Hujus caulis attollitur erectus, glaber, cui adhærent raro diſpoſita folia, tenuia, juncea: bulbo conſtat depreſſo, rotundo, ex duabus ſquamis denſis, ſimul cohærentibus & caulem amplexantibus: florem habet ſex petalorum numero conſtantem, luteum, rubicundis quadris variegatum, cum ſtaminulis atque apice æque luteis. Huc refer Fritillariam anguſtifoliam luteam, variegatam, parvo flore, C. B. P. pl. XII. & Fritillariam Pyrenæam obſoleto luteo colore, Eyſt. pl. XIII. C. B. P.

4. *Fritillaria* Meleagris flos maximus Italicus, Eyſt. Fritillariæ hæc ſpecies cum flore gemello propendente, colore obſoleto purpuraſcente, teſſulis ſegmentato, intra quaterna folia anguſta in ſummitate pediculorum diffuſa: flos ſerotinus maximus dictus eſt Italicus: caulem viridem, obſcure purpuraſcentem, folia carinata, alternatim oppoſita ambiunt, ſaturate virentia, quem quidem prope radicem totum circumveſtiunt: hunc excipit radix duplici ſquama denſa ſuperius & inferius depreſſa, crinita denſis fibris & capillamentis, colore ſuavi.

5. *Fritillaria* flore magno pleno, C. B. P. Fritillaria flore pleno, Cam. Eyſt. Quamvis minore ejuſdem cum cæteris formæ radice, & foliis ex radice membranaceis involucris obductâ, inordinatim ſeu ſine ordine expanſis, vireſcentibus, Fritillaria hæc oriatur. Floret menſe Martio pleno flore, purpureo, decuſſatis lituris ſive notis quadratis, purpureis: nutat flos ſicut & aliæ prædictæ, ſtolonum apicibus luteo colore pictis.

6. *Fritillaria* polyanthos flavo-viridis, C. B. P. Fritillaria polyanthos lutea, Eyſt. Fritillaria triceps colore flavo-viridi du Bry. Hæc ex omni parte lætior prodit pluribus floribus nutantibus in ſummo caulis faſtigio, qui virentes lutei ſunt, in oris reflexi, undique lituris obſcure rubentibus, iiſdemque quadratis oblongiuſculis diſtincti: caulem gerit craſſiorem, quem quaterna folia, certis intervallis diſſita, ambiunt herbeſcentia: radice conſtat rotunda, binis ſquamis admodum denſis, ſeu tuberibus duobus albis ſimul conjunctis conflata, ex quorum gremio veluti ex pulvino exit caulis, ternos flores umbellatim gerens, atque ex florum ſingulorum pediculis ſingula exeunt folia, longiuſcula, anguſta. Huc refer Fritillariam ramoſam, C. B. P. pl. II. & Fritillariam umbelliferam, C. B. P. pl. IV.

7. *Fritillaria* ſerotina floribus ex flavo virentibus, C. B. P. Fritillaria Aquitanica, Cluſ. Hiſt. Fritillaria Aquitannica flore luteo obſcuro, Swert. Fritillaria minor obſoleto colore, Eyſt. Hæc Fritillariæ ſpecies magis prædictis ſerotina eſt, menſe enim poſt primam floret: binis terniſve ornatur floribus, parte interiore ex flavo virentibus ſine ulla colorum diſtinctione; foris nervus extuberans & eminentior ex obſcuro viret, petalorum oræ nonnihil reflexæ verſicolores ſunt ex flavo virente & purpureo. Ex Aquitania originem ducit. Florem inquam habet oblongum, ſex petalis ut in præcoce prima conſtantem, quorum extremæ oræ nonnihil reflexæ ſunt, dorſi nervus paululum extuberat atque vireſcit, interiora terna petala externis ſunt latiora, omnia autem exterius ab imo petalo ad extremas oras obſoletæ purpuræ radiis, ſub quibus nihil flavi conſpiceretur, diſtinguuntur, interius verſicolore ex viridi flaveſcente colore & ſplendente prædita ſunt, veluti ſericeus pannus viridis cujus ſubtegmen flavum ſit: ſex ſtamina ex umbilico prodeunt pallidis apicibus obſita, alia aliis longiora: capſulam ſeminalem habet longam, triangularem, tribus loculamentis celluliſve diſtinctam, atque in unaquaque cellula duplex ordo ſeminum continetur, ut in reliquis prædictis.

8. *Fritillaria* polyanthos non deſcripta, Swert. Hujus folia ſunt anguſta, denſe caulem amplexantia inſtar Lilii Perſici: caulem pedalem habet, in cujus cymis ſeu ſummis faſtigiis prodeunt plures flores ex ſingulis geniculis, atropurpurei, minores, propendentes tintinnabuli aut nolæ inſtar, ſex petalis cordatis conſtantes: capſulæ ſeminales & ſemina cæteris ſuæ ſortis re-

reſpondent. Floret ſerius cæteris. Huc refer Fritillariam minimam pluribus floribus, C. B. P. pl. XIV. An apud recentiores medicum in uſum veniat Fritillaria, Cluſium & nos fugit, ob florum tamen elegantiam & venuſtatem expeti & diligenter in hortis coli exiſtimamus.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,

radicibus ſquamatis donatis, quæ ſunt,

Lilium Perſicum, Corona imperialis, Lilium floribus reflexis ſeu Martagon, Lilium floribus erectis.

CAPUT XX.

LILIUM.

LILIUM, *κρίνον ϗ λείριον Græcis Theophr. 6. Hiſt. 6. Lilii florem variare dixit & purpureum eſſe, ſingulis caulibus, aliàs unum, aliàs plures. Dioſcorides l. 3. c. 116. duo genera agnoviſſe videtur, dum ſcribit, & rubra Lilia eſſe. At Plinio l. 21. c. 5. Lilium triplex, album, rubens, purpureum, quod aliquando ſit gemino caule, quod Narciſſum vocitent.*

Nos dividimus Lilium in Lilium floribus propendentibus præditum, idque vel planis petalis (ut ſunt Lilium Perſicum, & Corona imperialis) & Lilium floribus reflexis, quod dicitur Hemorocallis ſeu Martagon: vel in Lilium floribus erectis, quod eſt aut album aut rubrum. Lilii ergo nota generica, ut accipitur hoc in loco, eſt producere radicem ſquamatam (id eſt, ſinguli radices conſtant ſquamis imbricatim ſibiinvicem incumbentibus,) atque hac nota diſtinguitur præcipue à Lilionarciſſo ſeu Tulipa radice bulboſa proprie dicta donata, & à Lilio radice duplici ſquamâ, denſa admodum, ſeu tubere duplici dotata, Frittillaria ſcilicet ſeu Meleagride; conveniunt autem omnia hæc Lilia quod ſint plantæ hexapetalæ, radices ſquamatas edentes capſulas tribus loculamentis diſtinctas, atque in ſingulis loculamentis duplex ſeries ſeminum compreſſorum, membranaceorum & ſubrufforum contineatur. Differentiæ à plantarum partibus deſumptæ, multæ ſunt, quæ rei herbariæ ſtudioſis maxime cognitu ſunt neceſſariæ, imo à radicum diverſa ſtructura variæ petuntur, quas diligenter Theophraſtus explicavit, de quibus omnibus hic non agimus, ſed de Hexapetalis tricapſularibus, radicibus diverſo modo conſtructis donatis, quo nomine tum eas plantas intelligimus, quæ ex multis capitulis cohærentibus radices coagmentatas habent, quæ capitatæ appellantur, ſuntque tuberoſæ, longæ, fuſiformes, rotundæ, oblongæ, & tunicatæ ſeu bulbis proprie dictis conſtantes, quæ bulbaceæ ſeu bulboſæ dicuntur plantæ proprie loquendo, vel denique ſquamatæ ſeu ſquamoſæ, hæ plurimis ſquamis ſeſe invicem imbricatim contegentibus & operientibus conſtant; radiculæ quæ matribus adhærent, eaſdemque aliquando circumſtant, dicuntur nuclei ſeu ſoboles, quæ non ſolum radicibus matribus in terra latentibus adhærent, ſed & quæ in geniculis caulium, eorumve ſummis faſtigiis aliquando cernuntur. Græcis dicuntur Gelges, Aglithes, Aglidia grana ſicut in Allio, Moly, Ornithogalo, Tulipa & Lilio bulbifero. Lilium Græcis κρίνον dicitur, & λείριον, χαμαιλείριον & κρινάνθεμον, Latinis Lilium, & Junonis Roſa; Lilium album officinis. λείριον tamen ſignificat blandum, ſuave & concupitum, non Lilium duntaxat, ſed plures alios venuſtos flores, & tuberoſas, bulbaceas ſquamataſque herbas ſignificat. Lilii genera ſunt varia ut apparebit ex ſextuplici paragrapho, à nobis allato, utque cernere licet in Tabula ſequenti à nobis exhibita.

TABULA

TABULA XIX. Sectionis quartæ.

- *Lilium*
  - *Floribus pendentibus, petalis*
    - *Planis*
      - 1. *Perſicum atrorubens, nobis. Perſicum,* Dod. Lugd. Tab. Ger. Eyſt. *Lilium Suſianum,* Cluſ. Hiſt. Pan. du Bry. ⊙
      - 2. *Imperiale, ſive Corona Imperialis*
        - *Vulgaris ſubalbida aut palleſcens, nobis.* ⊙
        - *Purpuraſcens, nobis.* ⊙
        - *Lutea, nobis.* ⊙
        - *Foliis ex albo & viridi variegatis, nobis.* ⊙
        - 3. *Multiflora & lato caule, nobis. Lilium* 3. *& Tuſai* πολυανθές, *Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 4. *Duplici Corona, nobis. Corona imperialis florum claſſe duplici, Eyſt.* ⊙
        - 5. *Non fœtens, C. B. P. Tuſai* 4ta *differentia, Cluſ. Hiſt.* ⊙

TAB. XX.

- *Lilium* (continued)
  - *Floribus pendentibus, petalis* (continued)
    - *Reflexis*
      - *Martagon dictum*
        - *Latifolium*
          - 6. *Montanum majus, nobis. Martagon Imperiale, Eyſt.* ⊙
          - 7. *Rubrum punctatum & non punctatum, nobis. Lilium Martagon foliis reflexis rubris punctatum & non punctatum, Eyſt.* ⊙
          - 8. *Album punctatum & non punctatum, nobis. Lilium foliis reflexis punctatum & non punctatum, Eyſt.* ⊙
          - 9. *Canadenſe flore luteo maculis purpureis notato, nobis. Lilium Canadenſe flore luteo cum maculis purpureis, Theat. Floræ Pariſiis.* ⊙
        - *Anguſtifolium*
          - 10. *Purpuroſanguineum, nobis. Lilium purpuroſanguineum flore reflexo, C.B.P. Hermorocallis altera, Matth. Lugd.* ⊙
          - 11. *Pomponii, Eyſt. Cluſ. App. alt. & Cur. poſt.* ⊙
          - 12. *Flavum, nobis. Lilium flavum anguſtifolium, C. B. P. Lilium montanum flore luteo punctatum & non punctatum, Eyſt.* ⊙

TAB. XXI.

- *Lilium* (continued)
  - *Floribus erectis*
    - *Album*
      - 13. *Vulgare odoratum,*
        - *Simplicibus, nobis.* ⊙
        - *Plenis, nobis.* ⊙
      - 14. *Bizantinum* πολυανθές *Sultan Sambach ſive Martagon Conſtantinopolitanum, Cluſ. Hiſt. Pan. & Eyſt.* ⊙
      - 15. *Canadenſe irregularibus multis albis, nobis.* ⊙
    - *Purpureum*
      - 16. *Indicum puniceum gemino latiore folio, nobis. Narciſſus Indicus puniceus gemino latiore folio, Bapt. Ferr.* ⊙
      - *Purpuro-croceum*
        - 17. *Majus, nobis. Lilium purpureum majus, Dod. Lob.* ⊙
        - 18. *Minus, nobis. Lilium purpureum minus, Dod. Ad. Lob.* ⊙
      - *Et bulbiferum*
        - 19. *Majus latifolium, nobis. Lilium cruentum bulbos gerens, Martagon bulbiferum* 1. *Cluſ. Hiſt. Lilium bulbiferum repens floribus multo croco tinctis, J. B. Chabr.* ⊙
        - 20. *Minus, nobis. Lilium purpureum* 3. *Dod.* ⊙

§. 1. *Li-*

§. 1. LILIUM PERSICUM.

Explicatio Tab. decimænonæ Sectionis quartæ.

1. L*ilium* Perſicum, Dod. Lugd. Tab. Ger. Swert. Eyſt. Lilium Suſianum, Cluſ. Hiſt. & Pan. du Bry. Eodem nomine inter alias radices ſquamatas Conſtantinopoli miſſa fuit hujus plantæ ſquamata radix, altero, inquit Cluſius, poſt meum Viennam adventum anno, cum tamen cæteris eſſet candidior & multo virulento odore prædita, ſeorſum terræ committebam diverſam à Tuſaí ſeu Corona imperiali eſſe ratus; nec mea opinione falſus ſum, nam novo ſubſequente Vere mature admodum germinare cœpit, tandemque caulem protulit cubitalem, rotundum, multis circumſeptum foliis digitalis longitudinis & latitudinis, longe Tuſaí floribus anguſtioribus, illis fere ſimilibus; quæ in ſummo ipſius capite naſcuntur, vireſcentis ex cineraceo coloris ſive æruginis ænei coloris, qualis in Tulipæ foliis conſpicitur; contorquentur vero illa & buxei ſunt odoris: flores habet ſex petalis conſtantes (quorum ſingula petala deliquium in medio patiuntur) foris purpuræ valde obſoletæ colore præditos, interius paulo dilutiores, inodoros, quorum ungues ſubvireſcunt: ex umbilico ſex inæqualia ſtaminula prodeunt, purpureis apicibus primum conſpicua, qui obverſi flavo polline conſperſi apparent, tria deinde longiora ſtaminula coeunt ſtilumque medium florem occupantem æmulantur; ſubſequuta deinde triangula capita, ſive ſex angulis protuberantibus donata, quorum ſinguli binis alis ſunt præditi, Tuſaí capitibus fere ſimilia, ſed minora & breviora, ſemine Tuſaí etiam ſimili, compreſſo, membranaceo, paululum tamen breviore, plena: radix magna eſt, Tuſaí radici pæne æqualis, è paucis ſed magnis ſquamis contexta, candicantibus tamen & aliquantulum longioribus, multoque, ut jam dixi, tetro aut gravi odore nares feriente prædita. Floret Aprili: ſemen ejus maturum cum Tuſaí ſemine, aut paulo poſt: caules in ſummo faſtigio vicenis, tricenis, aut pluribus floribus pendentibus onerantur. Primo Suſis Conſtantinopolim allata eſt hujus radix, atque hac eadem de cauſa Lilium Suſianum dicitur, & Italice *Fior Perſiano*, & *Panachio Perſiano*. De hac etiam planta ſcribebat ad Cluſium Alphonſus Pancius quando Tuſaí Iconem mittebat his verbis, *Panachio Perſiano è pianta belliſſima, & è ſpecie de Giglio, è Martagon diverſo della Corona Imperiale*: *hoc eſt*, Panachio Perſiano elegantiſſima eſt planta, & eſt Lilii ſpecies, eſtque Martagon diverſum à Corona Imperiali.

§. 2. LILIUM *imperiale ſive Corona imperialis.*

2. *Lilium* ſive Corona imperialis, C. B. P. Lob. Lon. Robin. Corona imperialis, Dod. Lugd. Tab. Cam. Eyſt. Tuſaí ſive Lilium Perſicum 1. Cluſ. Hiſt. Pan. & du Bry. Bicubitali aut ampliore aſſurgit Tuſaí ſeu Corona imperialis interdum caule, firmo, craſſo, intus fungoſo, viridi, rotundo quidem, ſed ſtriato, multiſque liliaceis fere foliis, nunc æquali, modo confuſo ordine cum ambientibus exornato, elegantis, viridis, ſplendentiſque coloris; ſed fœtidi odoris & quaſi hircini, nares quoque procul ferientis; idem ille deinde caulis pedali, nonnunquam cubitali ſupra folia emicat longitudine, nudus & ſine foliis, neque ſtriatus aut viridis, ſed lævis & purpuraſcentis coloris; qui tamen ſummo totidem pæne in angulos deſinit quot flores ſuſtinet, nempe binos, ternos, quaternos, quinos, ſenos aut plures, omnes quaſi æqualiter, ſed contrario ſitu naſcentes, ſinguloſque inter bina folia, inferioribus longe minora & anguſtiora, æquali fere longitudine propendentes elegantiſſimo ſpectaculo; ſupra flores caulis denuo attollitur dodrantali aut majore amplitudine, foliis exilibus & anguſtis onuſtus; nonnunquam ſupra flores nullus cauliculus eminet, ſed conferta anguſtorum foliorum coma; interdum etiam multi nati ſunt ſupra flores, non unicus cauliculus ſive ramulus, ſed bini, terni, aut plures ſuis itidem floribus ſinguli onerati. Cum flores primum erumpunt, inter folia latent candicanteſque ſunt, deinde paulatim incrementum ſumunt, unà etiam ſuccreſcente eâ parte caulis (quæ illos ſuſtinet) nuda: florum vero pediculi in augmento deorſum inflectuntur, & ipſi flores palleſcere incipiunt, venis tamen purpureis ſecundum petalorum (quæ ſena ſunt, lata, & per extremum mucronata) longitudinem & latera excurrentibus, ungue autem ſingulorum petalorum nonnihil foris eminente & ex nigro purpuraſcente. Flos jam abſolutus & maturus expanditur, tintinnabuli modo propendens, aurei mali ſive citrei colore, ſed pallidiore, venis illis purpureis ſummam venuſtatem adferentibus: ſingula floris petala interna parte in ipſis unguibus, ſingularibus tuberculis candidis prædita ſunt, quæ meridiano etiam ſole limpidiſſimam dulcemque aquam exſtillant lacrymarum in morem, ut uniones propendentes videantur, ſed abundantius pulviali tempore; ea deinde tubercula marceſcentibus flo-

floribus in albas lacunas abeunt: ex medio flore ſex candida ſtamina cum palleſcentibus apicibus prominent, breviore trifido ſtilo inter ea latitante. Floribus fatiſcentibus ſuccedunt capita tribus loculamentis diſtincta, in quorum ſingulis duplex ſeries aut ordo ſeminum compreſſorum, membranaceorum, latet: capſula exterius ſex angulоſis membranis cingitur, ut in Liliis quæ Martagonis nomine inſigniuntur, quarum ſingulæ membranæ utrinque Pinnatæ ſunt ſeu alatæ, magna Dei omnium rerum conditoris providentia, ne dehiſcentibus illis ſemina ante maturitatem exciderent. Sunt omnium Liliorum ſemina cartilaginea, compreſſa, oblonga & rotunda, ſubruffa, duplici ſerie in ſingulis cellulis angulоſis digeſta, quemadmodum in omnibus Lilii ſpeciebus, & Tulipis Fritillariiſque, Liliis congeneribus plantis à capſulis & ſeminibus eorumque poſitione: radix paucis, magnis, craſſis, ſucculentis ſquamis compacta (memini binas & amplius libras pendentes, inquit Cluſius, me eruiſſe) colore interdum albo, nonnunquam purpuraſcente, plerumque autem pallido, & fœtido admodum odore, hircumque uti folia olere videtur.

Eſt & varietas altera flore rubeſcente, aut ſandaracæ ſandycíſve colorem referens, inſtar aſtaci elixi chelarum fere: ſex etiam latis & mucronatis petalis conſtat ejuſdem flos, unguibuſque ex purpura nigricantibus, cum ſuis interiore parte tuberculis limpidum rorem ſtillantibus; hujus flos magis venuſtus ſuperioris flore apparet.

Eſt & altera varietas floribus propendentibus luteis, in cæteris cum vulgari conveniens.

Lilium ſive Corona imperialis ramoſa, C. B. P. Lilium imperiale ſeu Tuſaí δίκλωνος, Cluſ. Hiſt. Hujus caulis in duos ramos finditur æquali longitudine excreſcentes, ſingulos undenis floribus onuſtos, magna etiam fuſa ſuper eos foliorum comâ: aliquando coma eadem eminens in ſummitate multifida cernitur.

Lilium imperiale ſeu Corona imperialis foliis variegatis, nobis. Hæc eſt tantum Corona imperialis vulgaris, cujus folia ſtriis partim viridibus, partim albis, obducuntur à calce radicibus ſubſtrata; hoc obſervatur in Tuliparum, *Colchicorum*, Liliorum alborum, aliarumque Bulbacearum foliis, modo *prædicto*, etiam in fruticibus, & ſubfruticibus: habetur pro morbo inhærente ſpeciei quæ ipſo afficitur, ſive forte fortuna id contingat, ſive arte fiat, uti monuimus Prælud. Botanicorum noſtrorum pag. 277.

3. *Lilium* imperiale ſeu Corona imperialis multiflora & lato caule, C. B. P. Corona imperialis polyanthos, Eyſt. Tuſaí ſive Lilium Perſicum 3. & Tuſaí πολυανθὲς, Cluſ. Hiſt. & Pan. Hæc Corona imperialis obſervata fuit quinquagenis & pluribus floribus onuſta, aliquando ſeptuagenis & binis; nos vicenos & plures obſervavimus; quotquot autem numero flores tulerunt, planos latoſque & valde ſtriatos habuiſſe caules animadvertere poterit quilibet penes quem ſit in horto ſuo; atque primo anno ſequente ad ingenium rediiſſe, hoc eſt, caulem rotundum ternis, quaternis, quinis, ſeptenis aut octonis floribus præditum habuiſſe.

4. *Lilium* ſive Corona imperialis duplici Corona, C. B. P. Corona imperialis florum claſſe duplici, Eyſt. Hæc Corona imperialis caulem ſupra illam florum æqualiter propendentium ſeriem dodrantali longitudine attollit, & aliam florum ſeriem ſeu ordinem geſtat, aliquando etiam tertium, ac tum demum foliorum ſupereminentem numerum: eas vero ſtirpes unicum florum ordinem ſubſequentibus annis plerumque ferre obſervavimus. Hoc ab ætate ac vigore radicis provenire cenſemus, ut peculiaris non ſit ſpecies æſtimanda, ſed naturæ luxuriantis quidam duntaxat luſus, licet aliquando per aliquot annos duplicem florum ſeriem geſtare cernatur.

5. *Lilium* imperiale ſeu Corona imperialis non fœtens, C. B. P. Tuſaí 4. differentia, Cluſ. Hiſt. Hujus floris color proxime accedit ad ſecundum; anguſtiora tamen habet folia, illaque & radicem nullo tetro odore, quantum quidem naribus percipi poſſit, prædita. Floret Aprili, interdum etiam Martio ſi aeris temperies paulo calidior, floret aliquando cum Tulipis præcocibus, atque etiam maturius; ſemen Junio & Julio maturum eſt.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Lilium imperiale ſeu Corona imperialis: vitioſe huic plantæ appingitur radix tuberoſa & ſolida a Cluſio, Dodonæo, cæteriſque authoribus ipſos imitantibus, cum conſtet paucis, magnis, craſſis, ſucculentis ſquamis ſeſe integentibus ut, videre eſt ex autopſia & inciſione ipſius radicis. Cluſius vero adhibuit in pictura radicem tuberoſam cum plurimis fibris undique emanantibus: at in Deſcriptione ſquamoſam aſſignat ei radicem, reliqui bulboſam in Deſcriptione, etiamſi omnes quot quot ſunt præter Beſlerum in Horto Eyſtettenſi tuberoſa pingant figura.

§. 3. LILIUM *floribus reflexis, ſeu Martagon latifolium.*

Lilium hoc convenit cum cæteris præcedentibus, ſcilicet Lilio Perſico & Corona imperiali, quod flores producat etiam pendentes; ſed differt ab iiſdem, quod radices pluribus ſquamis mucronatis denſe, tegularum in tectis ædificiorum ſibiinvicem incumbentium inſtar, conſtructas habeat, cum Lilium Perſicum & Corona imperialis ſquamis rarius diſpoſitas gerant: ſecundo, etiamſi flores producat pendentes, non tamen planis petalis, ſed reflexis ſeu retortis conſtantes edit. Eſtque à diſpoſitione foliorum, vel latifolium, id eſt, foliis latis per intervalla ſtellatim genicula caulium ambientibus donatur; vel anguſtifolium, id eſt, foliis anguſtis inordinatim ſeu ſine ordine aut intercapedinibus, caulibus adhærentibus, conſpicitur. Habita ratione colorum florum, eſt vel petalis rubris, luteis, aut albis; iiſque ſingulis aliquando punctis variis nigris notatis.

Explicatio Tab. vigeſimæ Sectionis quartæ.

6. *Lilium* Martagon montanum majus floribus reflexis, nobis. Martagon montanum majus, Ger. Imperiale, Eyſt. Radice conſtat ſquamata, ſquamis denſe diſpoſitis, ſubluteis, mucronatis, ſibiinvicem imbricatim incumbentibus, tenuibus reſpectu magnitudinis plantæ, ex cujus gremio ſurgit caulis pedalis & ſeſquipedalis, bipedalis nonnunquam, quem per intercapedines ſeu intervalla quædam, Rubiæ modo, cingunt plurima folia, lata, brevia, ſtellatim ſeu rotatim ambientia caules ad ſingula genicula, ſuntque Lilii albi foliis haud abſimilia, verſus medium caulis tenuiora, anguſtiora, & magis mucronata: in ſummo caulis faſtigio numeroſus grex florum hexapetalorum, denſe diſpoſitorum, apparet; quorum ſingula petala inflexa, dilute rubentia, maculis nigris notantur: in florum medio conſpiciuntur ſtamina ſex ſubfuſca & ſtilus triſulcus ejuſdem coloris: ſingulis floribus deciduis ſuccedunt ſingulæ capſulæ ſexangulares, tribus loculamentis diſtinctæ, atque in ſingulis bini ordines ſeminum compreſſorum, membranaceorum, rotundorum, ſubruſſorum continentur. Variat floris colore, qui plerumque ſubruber, aliquando dilutus albicanſve.

7. *Lilium* Martagon floribus reflexis rubris punctatum & non punctatum, Eyſt. Lilium floribus reflexis alterum lanugine hirſutum, C. B. P. Hoc foliis conſtat etiam latis ſtellatim ſeu radiatim ambientibus caulem per intervalla ſeu intercapedines, ſed prioribus minus latis: flores prioris floribus plures, ſaturate purpuraſcentes, & maculis nigricantibus diſtincti, aliquando dilute purpuraſcentes, & maculis carentes. Huc refer Lilium floribus reflexis variis ſive tertium, C. B. P.

8. *Lilium* Martagon flore reflexo albo punctatum & non punctatum, Eyſt. Tertium hoc genus in ſilvoſis montibus ad Francofurti Septentrionem inventum, ſecundo generi proximum, florum tamen colore varium; nam antequam explicentur, foris carnei quodammodo coloris ſunt, explicati vero intus albi, & notis quibuſdam purpureis inſigniti. Huc refer Lilium floribus reflexis polyanthon album punctatum C. B. P. Lilium montanum maximum polyanthon album rubris maculis aſperſum Eyſt. & Lilium Bizantinum miniatum C. B. P. Rubrum ſive miniatum Byzantinum Cluſ. Hiſt.

9. *Lilium* Martagon Canadenſe maculatum, Park. Lilium Canadenſe flore luteo cum maculis purpureis, Floræ Theat. Hoc folia protrudit lata, ſtellatim ad ſingula etiam genicula caulem cingentia, per ternas aut quaternas intercapedines cubitalem, è medio foliorum ordinis ſupremi exeunt terni, quaterni flores, ſinguli longis pediculis innitentes, qui rubri *Lilii* florem pæne adæquant, deorſum pendentes, lutei elegantis & dilutioris coloris, petalis maculis nigris intus notatis: è petalorum centro ſeu medio exeunt ſtamina ſex cum apicibus luteis; flores quamvis non tam ſint reflexi, ut ſuperiorum flores, tamen propter radicem ſquamis denſe & imbricatim ſeſe integentibus compactam, inſuper & propter folia lata caulem ad genicula ſtellatim cingentia, aptiſſime huc revocatur ad ſuæ familias plantas.

§. 4. LILIUM *floribus reflexis, ſeu Martagon anguſtifolium.*

10. *Lilium* anguſtifolium purpuro-ſanguineum flore reflexo, nobis. Hemerocallis altera, Matth. Lugd. (quam cum Lilio Zufiniari eandem vult Cluſius) Hemerocallis Chalcedonica purpuroſanguinea polyanthos, Lob. Lilium hoc Chalcedonicum miniatum ſive Hemerocallis admodum elegans eſt Lilii ſpecies ut floris decus coloriſque flammei nitor, utriuſque cinnaberis, nativi &

& factitii intenſi aut diluti coloris miniati ſcintillat ſplendorem; ejus duas varietates aut plures obſervare licebit. Præcox quinos, ſenos, denoſque utplurimum, profert flores: nonnunquam ejus radix excreſcit & luxuriat, ut caulem edat duorum ternûmve digitorum latitudinis; ſerotinum quandoque diu multiſque annis unicum florem edit, at tempore conſequente plures, ſed ſerius floribus primi ſuperioris Martagonis elapſis huic erumpunt flores; caulis cubitalis, cætera non diſſimilia. Lilium hoc rubrum Zuſiniari, Lilium rubrum ſive miniatum Chalcedonicum, Conſtantinopoli miſſum, *Sultan Zambach* dicitur, ab aliis *Corona di Re*, hoc eſt, Corona Regia &c. habetur præterea Lilium Bizantinum minus ſaturato flore πολυανθὲς, Lilium Bizantinum miniato dilutiore flore. Relatum eſt conſpectas fuiſſe alias hujus Lilii Bizantini plantas, quæ florem ferrent prorſus niveum, in cæteris pares. Novo Vere ſolet emergere. Floret Junio & paulo ſerius, Conſtantinopoli Viennam Cluſio delatum; ex hortis ultra Boſphorum in Aſia ſitis radices ſquamatæ allatæ ſunt. Huc referri poſſunt Lilium rubrum præcox 1, & 2. Cluſ. & Lilium rubrum præcox 3. anguſtifolium, Cluſ. Hiſt.

11. *Lilium* Martagon Pomponii, Cluſ. Cur. poſt. App. alt. Lilium miniatum anguſtifolium odorum, C. B. P. Nomen ex Italia receptum referunt, rarum in hortis borealibus tempore Cluſii, quia adnatis difficillime ſeſe propagat, nec ipſa planta facile ſemen præbet. Flores luculenti, nitidiſſimi, miniati coloris, nec admodum diſcrepant à Lilio Bizantino Cluſii.

12. *Lilium* Martagon flavum anguſtifolium, C. B. P. Lilium montanum flore luteo punctatum & non punctatum, Eyſt. Hoc conſtat radice ſquamata rotunda, ſeu compactili ſquamarum ſerie conflata, & quaſi nigro infecta, inferius prope baſin ſuam craſſis fibris lateralibus ſubnixa: inde attollitur caulis binos aut aliquando ternos pedes altus, paulo ſupra exortum fibris radicum tenuioribus radiatim veſtitus, & poſtmodo uſque ad faſtigium fere foliis ſenſim gracilioribus, numeroſis, circumactus; ſumma parte ſecundum ſtricta & rariora foliola pediculi craſſi ſuſtinentur fulcientes flavos flores, odorem florum Oxyacanthæ referentes, ſenis reflexis & contortis ſeu convolutis, craſſis, petalis conſtantes, totidem in medio ſtaminulis (quorum apices dilute miniati coloris ſunt) decoros; ſemina, ut aliorum hujus generis, Hemorocallidis paria, compreſſa, membranacea, in duplicem ſeriem compacta, in ſingulis cellulis ſeu capſulis trium loculamentorum; nam totidem regionibus ſingula capita triangularia conſtant. Alterius flores tantum frequentibus atropurpureis punctis diſtinguuntur, in quibus unicè diverſitas conſiſtit à luteo ſimpliciter & non punctato flore. Octavo loco hujus Tab. 20. adſculpendum curavimus florem punctatum ſeu maculis notatum, qui inſerviet deſignandis & exprimendis omnibus punctatis, rubris, luteis & albis. Siliquam Martagonis floribus reflexis etiam trigonam adhibuimus, clauſam & apertam, cum loculamento anteriore aperto, in quo apparet duplex ordo ſeu ſeries ſeminum compreſſorum, membranaceorum.

§. 5. LILIUM *floribus erectis album.*

13. *Lilium* album vulgare & odoratum flore erecto, nobis. Lilium album vulgare flore erecto, C. B. P. Lilium album, Trag. Fuch. Lugd. Tab. Eyſt. Lilium candidum, Ad. Lob. Dod. Lilium album vulgare, Cam. Lilio huic candido ſive albo, quod pulchritudine, nitore & uſu reliquis præſtat, folia ſunt oblonga, lata, carnoſa, lævia, in herbaceo & diluto virore ſplendentia: caules duobus cubitis altiores, multis foliis ſenſim attenuatis, comoſi, & inter folia emergentes: flores patuli, albicantes, verſus ſummum caulis ſenis conſtantes petalis oblongis, exterius ſtriatis, totidem ſtaminibus è medio emicantibus, à quibus lutei dependent apices cum ſtilo in ipſorum medio triſulco ejuſdem coloris: radix ex ſquamis multis ſimul unitis compoſita, ſucco lento & glutinoſo plena, quo & folia & caules redundant, radix inquam multis ſquamis imbricatim ſibiinvicem incumbentibus, acuminatis, atque ſeſſili parte fibris plurimis donata eſt. Floret paſſim in hortis Junio menſe, & ineunte Autumno folia ei decidunt, atque tota hyeme iterum virent: Vere caulis erumpit. Flos κρίνον & λείριον (eſt tamen & Narciſſus dictus λείριον, ut ſupra monuimus cap. de Narciſſo) à nonnullis χαμαιλείριον & κρινάνθεμον; à Latinis Lilium & Roſa Junonis. Appellatur autem Roſa Junonis, quod ex ejus lacte in terram delapſo natum feratur; de hac fabula vide Dodonæum cap. de Lilio. Obſervavimus hoc Lilium vulgare odoratum flore pleno.

14. *Lilium* album peregrinum floribus albis & foliis anguſtioribus, nobis. Lilium album Bizantinum πολυανθὲς & *Sultan Sambach* ſive Martagon Conſtantinopolitanum, Cluſ. Hiſt. Pan. & Eyſt. du Bry. Martagon album, Lilium candidum Bizantinum, Lob. Icon. Hoc folia Lilio vulgari albo prorſus ſimilia producit, odorem habet ejuſdem, & nihil aliud eſt quam Lilii

 albi

albi ſpecies, vulgari Lilio albo proxima: flores albos maximos fert, hujus tamen caules licet vulgari non breviores, à diligentius obſervantibus graciliores rarioreſque, & minoribus foliis ſepti deprehenduntur: ipſiuſque flores paulo minores, æque tamen ac vulgaris odorati: nonnunquam vero radices in tantam molem excreſcunt, ut vix utraque manu comprehendi poſſent, ita ut una illarum 60. flores in caule plano, tres uncias fere lato, protulerit; anno autem vertente ſeu ſubſequente ad ingenium rediit, ſicut natura in plantis plurimis diverſi generis ludere ſolet: flores inquam in extimo caule plerumque confertim naſcuntur.

15. *Lilium* Canadenſe imperfectis floribus & irregularibus multis albis, nobis. Hæc Lilii Canadenſis ſpecies rara, non flores ſex petalis conſtantes producit, aliorum Liliorum more, unà cum ſtaminulis ſex & ſtilo in medio, ſed plurimos ſuffundit pediculos, quibus innituntur plurima petala, alba, inodora, inordinatim & alternatim ſummitati pediculi adhærentia: radicibus & foliis haud facile à Lilio albo vulgari diſtinguitur ſed floribus albis inordinatim diſpoſitis & inodoratis quam facillime ab ipſo cognoſcitur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Unguentis Lilia alba naſci efficaciſſima in Syria, & Piſidia, Pamphyliaque Dioſcorides inquit. Lilii autem flos temperaturam miſtam, ut Galenus ait, obtinet, partim ex tenui, partim ex terrena eſſentia. Radix & folia per ſe trita deſiccant & abſtergunt, ac moderate digerunt. Folia Lilii, Dioſcorides ait, impoſita auxiliantur à ſerpentibus ictis, eadem fervefacta ambuſtis proficiunt: aceto condita vulneribus curandis apta ſunt. Succus melle & aceto mixtus, in æneo vaſe coctus medicamentum efficitur veteribus ulceribus & recentioribus vulneribus utile. Radix toſta & cum roſaceo trita ambuſta ſanat, uterum mollit, menſes movet: ulcera ad cicatricem perducit, cum melle vero eadem trita, nervorum vulnerationes & luxationes ſanat; vitiligines & lepras expurgat; furfures & manantia capitis ulcera abſtergit; faciem nitidam facit, purgat, & erugat. Cum aceto & Hyoſcyami foliis ac farina triticea contuſa, teſtium inflammationes mitigat. Propter clavos pedum in vino, Plinius ait, radices Lilii decoquuntur, per triduum appoſitæ non ſolvuntur: cum adipe aut oleo decoctæ, pilos aduſtis reddunt. E mulſo potæ inutilem ſanguinem per alvum tranſmittunt: Lieni, & ruptis, & vulſis, proſunt. Recentiores radices Lilii coctas cataplaſmatis ſumma cum utilitate admiſcent abſceſſus maturantibus & ad ſuppurationem perducentibus. Eædem etiam in oris collutionibus ad idem facientibus utiliter decoquuntur; nam omnes abſceſſus maturant, & ſuppurari faciunt, doloremque ſimul ſedant. Semen, Dioſcorides ait, potum ſerpentum morſibus adverſatur. Fit ex floribus oleum aut unguentum quod Syrinum aut Suſianum appellatur, molliendis nervis aptum, primatimque ad uteri durities utile. Lilii aqua ſtillata, ex floribus parata, in partu facilitando & ſecundinis expellendis, inquit Camerarius in Hort. efficaciſſima.

§. 6. L I L I U M *floribus erectis Phœniceis purpureis aut croceis.*

16. *Lilium* Indicum puniceum gemino latiore folio, nobis. Narciſſus Indicus puniceus gemino latiore folio unà cum ſemine, Bapt. Ferr. Peregrinum hoc Lilium Narciſſus Baptiſtæ Ferrario Senenſi dictus, ſed perperam & inepte ſatis ut clarius infra patebit inter Hallucinationes. Hoc Lilium rarum, paucis abhinc annis ex India delatum, hortos Romanos nobilitavit. Squamata eſt huic radix pineæ nuci par, oblonga, ſex ſquamis majoribus contexta, infima parte radicis veluti coronata, multis craſſiuſculis fibris, inſtar Hyacinthi botrioidis quem vulgo Muſcari vocant, late extenſis ſubnixa, deorſum porrecto tubere calloſa & ſquamata: Septembri menſe caulem protrudit craſſitudine digitali, in rotundo utrinque planum, albidum, ſanguineis anguineiſque maculis punctatum, ſumma parte rubentem; inde pateſcens vagina deprimit florem Balauſtio ſimilem, qui ex petalis puniceis modiceque craſſis complectitur intimos floſculos confertiſſimos, nonnihil hiantes, rubicundulos, brevibus ſubalbidis pediculis innixos: è ſingulis floſculis terna ſubrubicunda, & luteolis pallidiſve apicibus capitulata, ſtamina confertim eminent: floſculis poſtea dilapſis ſubjecta capitula turgent in folliculis ardenti colore rubris, trifidis aut quadrifidis, olivam æquantia, racemi ſeu corymbi aſpectu conglobata, quibus terna, aut quaterna continentur grana, ſubnigra ſeu nigella, minuſculi Phaſeoli figura & magnitudine. Bina poſt excuſſum florem folia exiſtunt, flacceſcenti atque in ſemen exeunti ſcapo adnata & ſuperinducta, ovata, duos circiter palmos longa, dimidium lata, Scillæ foliis craſſitudine æqualia, nigricantia, primo ſurrecta, humi demum jacentia. Hic autem flos ſive regionis vitio, ſive inopia aut inertia ægre

raroque

raroque noſtra vernat ſolo (id eſt Romæ) inquit Ferrarius Senenſis. Primum tamen formoſus hic urbis Romæ hoſpes ac tyro, in Quirinalibus hortis purpurati principis Cardinalis Franciſci Barberini ſuam explicuit purpuram, ut pulcherrimi loci amœnitas Domino concolor effulgeret, neque Pariſiis florere obſervavimus per 12. annos, nec hucuſque ut audivimus illic floruit.

17. *Lilium* purpurocroceum majus, C. B. P. Lilium purpureum majus, Dod. Lob. Lugd. Eyſt. Lilium rubens vel croceum majus, J. B. Chabr. Lilio huic majori purpureo ſeu croceo caules ſunt proceri, longi ſubinde, ſed raro altiores quam Lilii albi, plerumque tamen humiliores: folia ſunt anguſtiora & nigriora, circa caulem multa, ſed ante ejus ex radicibus exortum nulla: flores ſummo caule copioſi, ordine digeſti 10, 12. aut plures aliquando uſque ad 18, aut 20. ac ultra, ſupra invicem incerto ordine digeſti, Lilii alterius formâ & magnitudine, colore vero rubro ad croceum inclinante, multis nigris exiguis punctulis literarum quarundam veluti rudimentis aſperſi: radices ſquamatæ & magnæ ſunt, ex multis acuminatis ſquamis ſibiinvicem incumbentibus conſtructæ ut Lilii albi, ſed majores. In Italia in arvis & inter ſegetes, in montibus etiam & convallibus Lilium illud, Matthiolo teſte, emicat. Floret paulo ante candidum Lilium, poſt Lilium purpureum minus, unà cum Roſis.

Eſt hujus varietas quæ eſt Lilium purpurocroceum flore pleno, C. B. P. Lilium cruentum Phœniceum flore pleno, Eyſt.

18. *Lilium* purpurocroceum minus, C. B. P. Lilium purpureum minus, Dod. Ad. Lob. Lilium puniceum minus non bulbiferum, Cluſ. Hiſt. Hoc in omnibus priori accedit niſi parvitate partium. Hoc minus caule multo eſt breviore, cubitali aut breviore; foliis ſimiliter nigricantibus & anguſtioribus & minoribus: flores pariter è ſummo caulis erumpunt, ſinguli tamen ſuis pediculis modo brevioribus, modo longioribus inſidentes, coloris quoque purpurei, crocei, notulis ſeu maculis ſimiliter quibuſdam nigris & perquam exiguis ornati; Lilii etiam diviſurâ, ſed paulo minores: radices habet ſquamatas pluribus ſquamis imbricatim ſeſe integentibus compactas, *ex cujus ſede ſeſſili fibræ craſſæ demittuntur.* Floret ſub finem Maii, *reliqua Lilia antecedens.* Dicitur minus ad differentiam majoris præcedentis. Huc pertinet Lilium Phœniceum C. B. P. ſeu Martagon Chimiſtarum Lob.

§. 7. *LILIUM BULBIFERUM.*

19. *Lilium* bulbiferum latifolium majus, C. B. P. Lilium cruentum bulbos gerens, Lugd. Martagon bulbiferum 3. Cluſ. Hiſt. Lilium bulbiferum repens, J. B. Chabr. Lilium cruentum ſecundum caulem bulbillis donatum, Ger. Hoc caules habet proceriores priore, humiliores majore: flores paulo quam minoris rubicundiores: huic etiam è ſinu foliorum, & quandoque in ipſis florum pediculis, parvæ naſcuntur ſoboles, quæ terræ commiſſæ adoleſcunt, & tertio aut quarto anno flores ferunt, radicibus matribus, foliis ac floribus nigris notulis inſcriptis ſuperioribus duobus ſimiles. Reperitur in montium convallibus ſeſe propagans, nucleis ſeu radiculis in caulium ſinubus ſupra terram natis, ac etiam matribus majoribus intra terram repentibus conforme. Huc pertinent Lilium bulbiferum anguſtifolium C. B. P. Martagon cruentum anguſtifolium Lob. Icon. & Lilium bulbiferum incanum C. B. P. Martagon bulbiferum incanum 2. Cluſ. Hiſt. &

20. *Lilium* bulbiferum minus, nobis, in Tab. præcedente. Lilium bulbiferum minus, C. B. P. Martagon bulbiferum 3. vel Lilium puniceum bulbiferum 2. Cluſ. Hiſt.

Florent omnes hæ Lilii ſpecies Junio, aliàs paulo maturius, ſemenque perficiunt Auguſto, aut Septembri. Radiculæ ſeu ſoboles in caulibus hærere ſolent, donec vento aut contactu excutiantur, imo plantis interdum adhuc inhærentes conſpiciuntur, dum fibræ deorſum ſpectantes radices agere ſolent tanquam ad communem matrem terram aſpirantes & illa ſe condi cupientes. In montanis Auſtriæ & Stiriæ pratis ſponte creſcunt. Reperitur & apud Croatas idem flore albo.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Lilium Indicum puniceum gemino latiore folio, nobis. Narciſſus Africanus foliis Bifolii, C.B.P. Narciſſus Africanus ſeu Narciſſus exoticus, Lob. Ad. part. 2. Narciſſus Indicus puniceus gemino latiore folio, Bapt. Fer. Cum hæc planta florem magnum hexapetalum calathi inſtar, & radicem ſquamatam Lilii æmulam habeat, neſcio quo jure Authores & Baptiſta Ferrarius Senenſis Narciſſum appellent,

cum Narciſſus ſit planta perfecte bulboſa, at hæc ſquamoſa. Nullus eſt paulum in re Botanica verſatus, qui non vitio vertet Authoribus & præcipue Baptiſtæ Ferrario Jeſuitæ, qui in hoc ſicut in aliis multis, ſe lapſum oſtendit, ſeque mimime in notis genericis plantarum verſatum manifeſte prodit, phraſibus utitur, fateor, calamiſtratis, imo verbis ſeſquipedalibus, ſed ſtudia Botanica ne vel primis deguſtaſſe labiis paſſim teſtatur. Hoc familiare eſt hujus ſortis hominibus paſſim falcem in alienam meſſem injicientibus, & ut vulgo de iis in Gallia ſæpius audivi relatum, dum omnia ſcire ſeſe jactant, ignorant tamen viam qua itur in vicum Pamponum, ſic Ferrarius ignorat diſtinguere Lilium a Narciſſo, ut clare conſtat ſupra, ergo lapſus eſt graviter.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
Liliis Hermaphroditicis ambiguis ſive dubiis.
CAPUT XXI.

LILIUM ASPHODELI RADICE ſive LILIASPHODELUS.

Quandoquidem hæc planta nec ſit Lilii perfecta ſpecies, quippe quod non donetur radicibus ſquamatis, ſed fuſiformibus, quibus magis accedit Aſphodelis; nec capſulas ſeminales habeat in quarum ſingulis regionibus ſeu loculamentis continetur duplex ſeries ſeminum compreſſorum, membranaceorum, Liliorum modo; ſed ſemina confuſe & inordinatim in ſingulis loculamentorum ternorum ordinibus, Hyacinthi, Narciſſi, cæterarumque plantarum bulbacearum, recreatricium ſeu recreativarum more; non poteſt jure dici Lilium genuinum à flore Lilii, nec Aſphodelus à radice: ſit ergo Lilium ambiguum ſeu hermophroditicum & heteroclitum, aliquid Lilii, florem ſcilicet, & radicem Aſphodeli poſſidens. Lilium radice Aſphodeli eſt foliis latis: à colore florum eſt vel luteum, idque majus aut minus; vel Phœniceum puniceumve.

Pars TABULÆ XXI. Sectionis quartæ.

Lilium radice Aſphodeli ſeu Liliaſphodelus
- *Luteus*
  - 1. *Major, nobis. Liliaſphodelus luteo flore, Cluſ. Hiſt. Cam.* ⊙
  - 2. *Minor, nobis.* ⊙
- 3. *Puniceus ſeu phœniceus, nobis. Liliaſphodelus puniceus, Cluſ. Hiſt. Liliaſphodelus phœniceus, Lob.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæprimæ Sectionis quartæ.

1. L*ilium* luteum radice Aſphodeli, C. B. P. Aſphodelus luteus liliflorus, Ad. Lob. Liliaſphodelus luteo flore, Cluſ. Hiſt. Cam. Liliago minor radice Aſphodelo affinis, quæ Hemerocallis Dioſcoridis videtur, Cæſalpin. Aſphodelus liliaceus, Eyſt. Aſphodelus luteus, Tab. Aſphodelus Hermaphroditicus, Guilland. Lilium non bulboſum, Ger. Lilium luteum Aſphodeli radice ſive Liliaſphodelus quorundam flore luteo, J. B. Chabr. Sunt Lilio huic ambiguo ſeu Hermaphroditico folia oblonga, anguſta, Porri aut Aſphodeli ſic dicti foliis ſimilia: caulis cubito altior, teres, lævis, abſque foliis ſuperius, in ramulos aut bifurcationes duas, aut quatuor diviſus, in quarum ſingulis flores tres aut quatuor, Lilium album forma & foliorum numero referentes: colore ochræ luteo: poſt flores, craſſæ & triangulares gignuntur capſulæ; in quibus ſemen nigrum & ſplendens, veluti Pæoniæ ſemen, ſed minus, continetur: radices ſubſunt non uti aliis Liliis ſquamatæ & imbricatim compoſitæ, ſed veluti Aſphodeli glanduloſæ, lutei Aſphodeli radicum æmulæ, multæ, oblongæ, ab uno capite provenientes, è quarum annexu fibræ quædam craſſiores ſerpunt, quibus in plures plantas multiplicatur. Maxima copia ſponte naſcens reperitur in Hungariæ pratis uliginoſis non procul ab oppido munitiſſimo *Nenuethwywar.* Dicitur Arabibus *Eriſambach.*

2. Hujus datur ſpecies in omnibus duplo minor priore, præcipue latitudine foliorum & altitudine caulium.

3. *Lilium* rubrum Aſphodeli radice, C. B. P. Lilium non bulboſum obſoleto colore rubens, Dod. Liliaſphodelus puniceus, Cluſ. Hiſt. Liliaſphodelus Phœniceus, Lob. Lilium non bulboſum Phœniceum, Ger. Lilium radice Aſphodeli Phœniceum ſive Lirioaſphodelus quibuſdam J. B. Chabr. Liliago major Aſphodelo affinis, Cæſ. Non admodum abſimilis eſt hæc planta

Lilio Aſphodeli radici præcedenti, ſed eſt in ſingulis partibus major, ſimiliter glandulis oblongis filo connexis ſtrumoſa & alba, guſtu propemodum fatuo: caulis digiti craſſitudine, duos cubitos altus & major, fiſtuloſus, enodis, cujus faſtigium in aliquot alas dividitur: folia majora, carinata, latiora quam folia ſuperioris lutei: flores in caulium ramis altero tantum majores, liliaceis floribus pares, petalis ſenis conſtantes, quæ colore triſtiore rubent intrinſecus, lutea linea per medium decurrente ad ungues uſque totos luteos: extrinſecus vero petala ad luteum magis divergunt. Dicitur Hemerocallis Dioſcoridi, Theophraſto & Plinio. Hemerocallis enim flos eſt qui nocte tabeſcit, oriente vero ſole pullulat, teſte Athenæo, ſicut Lilium Aſphodeli radice purpureum quod fugaciſſimum eſt;hoc enim uno die tantum viget, matutino ſiquidem tempore exortum, veſperi flacceſcit; quamobrem & proprie etiam ἡμεροκάλλις ab unius die pulchritudine dici poteſt. Valde luxuriat, ut teſtatur Cluſius, in omnibus Auſtriæ plurimiſq; Germaniæ hortis,ſua autem reptante& propagante radice odioſum eſt, ac multo magis quam præcedens luteum. Provenit apud Croatas etiam flore albo,ut Cluſio fuit relatum. Facultates Lilii radice Aſphodeli incompertæ ſunt, cum nullius hac ætate in medicina aut cibatu ſit uſus. Hemerocallis autem hujus deſcriptio his verbis apud Dioſcoridem traditur, Ημεροκαλλις φύλλα ἔχει καὶ καυλὸν ὁμοία κρίνῳ· χλωρὰ ὥσπερ πράσον· ἄνθη δὲ ἐν αὐτῷ καθ' ἑκάστην ἀπόφυσιν γ' ἢ δ' σχίσιν τῷ κρίνῳ ἐοικότα ὅταν ἄρξηται χάσκειν· τὴν δὲ χρόαν ἰσχυρῶς ὠχρὰν· ῥίζαν ὁμοίαν βόλβῳ εὐμεγέθει· id eſt, Hemerocallis folia habet & caulem Lilio ſimilia, viridia, ut Porrum, flores in ipſo juxta ſingulos apophyſes tres aut quatuor, diviſura Lilio ſimiles cum primum hiare cœperint; colore ochræ intenſo: radicem ſimilem bulbo magno.

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
radicibus & foliis craſſioribus donatis.

ALOE & YUCA.

CAPUT XXII.

ALOE.

ΑΛΟΗΝ Græci, Latini & officinæ pariter Aloen tum herbam ipſam, tum & ejus ſuccum denſatum appellant; dicitur & ſtirps ἀμφίβια *quæ non modo in terra, ſed & extra eam vivat. Aloe autem dicta videtur, quia maritimis gaudet. A recentioribus Sempervivum & Sempervivum maritimum, quod Sempervivi modo diu duret, appellatur: Sedum amarum Columellæ: & quia ejus ſuccus amarus eſt, idcirco & Gentianam, quæ amariſſima eſt, Aloen Gallicam nominavit. De Aloe Dioſcorides l.* 3. *c.* 25. *quod folium habeat Scillæ ſimilitudine, craſſum, pingue, in rotunditate modice latum, retrorſum pandum, utrinque ſpinis raris & brevibus. &c.*

Propter flores hexapetalos & capſulas ſeminales tribus loculamentis ſeu cellulis diſtinctas, in hiſce duobus generibus, ſcilicet Aloe & Yuca, eadem adjecimus ſuæ ſortis conſimilibus à fine ultimo, habita ratione ſtructuræ florum & compoſitionis involucrorum ſeminum, non obſtante magnitudine & ſpiſſitudine foliorum, radicumque amplitudine. Aloe igitur pro nota generica hanc habeto, quod ſit imprimis planta hexapetala tricapſularis, foliis ſpiſſis, longis, in margine aculeis donata, radicem habens longam, craſſam & tuberoſam ſpongioſamque multas fibras craſſas emittentem, ex qua ſuccus craſſus undique emanat.

TABULA XXII. Sectionis quartæ.

Aloe
- 1. *Arabica ſerotina vulgaris, nobis. Aloe vulgaris, C. B. P. Aloe Dioſcoridis, Col.* ⊙
- *Americana*
  - 2. *Folio in oblongum aculeum abeunte, C. B. P. Aloe Americana, Dod. Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Cam. Eyſt. Lugd.* ⊙
  - *Flore*
    - 3. *Luteo, nobis.* Metl & Manguei, *Anton. Recch.* ⊙
    - 4. *Cæruleo palleſcente, nobis.* Metl Cotzli, *Anton. Recch.* ⊙
  - 5. *Parva valde ſpinoſa foliis admodum ſaturatis, nobis.* Mexical Metl, *Anton. Recch.* ⊙
  - 6. *Fructu dulci & acido multiplici prunis ſimili, nobis.* Mexacotl *ſeu* Manguei *Prunorum. Anton. Recch.* ⊙.
  - *Foliis*
    - 7. *Anguſtioribus ſeu tenuioribus abſque ſpinis, nobis.* Pati *ſeu* Metl *ex quo fiunt leviſſima fila, Anton. Recch.* ⊙
    - 8. *Parum dentatis, nobis.* Theometl *ſeu* Manguei *divinum, Anton. Recch.* ⊙

Explicatio Tab. vigeſimæſecundæ Sectionis quartæ.

1. ALoe vulgaris, C. B. P. Aloe communis, Cam. Aloe, Trag. Matth. Fuch. Dod. Rauwolfii (quæ in Rama Judææ copioſa) Ad. Lob. Cluſ. Hiſt. Eyſt. Aloe Soccotrina & Azauar, Linſc. Aloe folia habet Scillæ ſimilia, oblonga, lata, lævia, craſſa, retrorſum repanda, utrinque crenata, aſpera & retuſis aliquot ſpinulis aculeata, lento tenacique ſucco plena, æterni viroris, inſtar foliorum Sempervivi, adeo ut per hybernas menſes extra terram, etiam in hypocauſtis & cœnaculis ſuſpenſa, non marceſcat; ſapore apud Germanos noſque Septentrionales non amaro: caulis inter folia aſſurgit ſtriatus, ut ait Ruellius: quam vere, judicent qui Aloen cauleſcentem viderunt. Invenio quidem Plinium dicentem folia ſtriata, ubi Cornarius merito videtur legere ſtrata. Caulis, ut ait Dioſcorides, Antherico ſimilis eſt; flos albicans (quem ſenis petalis dicimus nos conſtare:) ſemen ut Aſphodeli: radix ſingularis, craſſi pali quoque inſtar in terram adacta: tota herba amariſſima eſt, ex ea quoque ſuccus collectus amariſſimus. Aloen vulgarem ſponte provenientem obſervare memini, inquit Cluſius, in veteribus muris arcis Uliſſipponenſis, quâ deſcenſus eſt ad vetuſtiſſimum templum in declivi ſitum. Intelligebam etiam, inquit idem Cluſius, Valentiæ in vicinæ Sagunti vetuſtis muris & maceriis abundanter provenire. Aloe ſic dicitur quod in maritimis proveniat, marinoque afflatu gaudeat, unde ei nomen. Aloe in Rama Judææ copioſa, teſte Rauwolfio, provenit. In Inſula Soccotra part. 2. Orient. Ind. c. 6. dicitur & Azauar ſive Sempervivum, quo campi pleni part. 4. Ind. Orient. Sempervivum dicitur recentioribus à ſempiterno virore, quod laquearibus conclavium ſuſpenſum quam diutiſſime vigeat: maritimum (non marinum, cum inadvertentibus recentioribus, quorum dux Lobelius, ac ſi proveniret ac creſceret in mari) dicitur à natali loco (ad oram ſcilicet maritimam) in quo frequentius obſervatur. Aloe herba plurima itidem naſcitur in Cambaga, Bengala aliiſque multis locis: cæterum laudatiſſima eſt, uti ſupra dictum, in Inſula Soccotra, quæ inde ad Arabes, Perſas, Turcos, denique per univerſam Europam defertur, eamque ob cauſam Aloen Soccotrinam appellant. Diſtat autem hæc Inſula à freto maris Erythræi centum viginti leucis, qua de re non minus Arabica, quam Æthiopica dici poteſt, quod altera parte freti Arabia terminetur, altera Æthiopia, teſte Garcia ab Orto. In Regione quadam circa *caput bonæ ſpei* in ſinu Agnada, Sanbras dicto, ingentem copiam, imo plenos campos Sempervivi hujus obſervabat Linſchotus, quod incolis *Azauar* appellatur; viri altitudinem facile ſuperat, & è longinquo viſas herbas loci incolas eſſe exiſtimabat. Ea ipſa eſt herba ex qua incolæ Soccotræ Aloen conficiunt, quam Soccotrinam vocant. In quamplurimis Italiæ locis creſcere conſpicitur, præſertim Romæ, Neapoli, Venetiis, Ticini & Genuæ, item Patavii, Veronæ, Bononiæ & Florentiæ, quibus omnibus in locis ſuper ædium feneſtris ac atriis, fictilibus in vaſis terra plenis alitur ac fovetur, ad ſpectaculum potius quam uſum medicum. Audio autem ibi ultra triennium non durare, in frigidioribus regionibus, ut Genevæ Allobrogum, aiunt hyemem perferre non poſſe. A marinis partibus ad nos Gallos Pariſienſes (ait Ruellius) defertur, ſed ſolo credita nunquam comprehendit, imo brevi carie confecta moritur, licet in

tabula-

tabulatis propendens plerumque biennio vitam proroget. In Germania, quod folia attinet, nullo negotio provenit, ac Autumno ſe lætiſſimam oſtendit, hyemis tamen frigora in hortis ferre nequit, unde hyeme adventante evellitur, ac in hypocauſtis ſuſpenditur, quæ cauſa eſt ut in noſtris terris borealibus florere non queat; ſed exactâ hyeme in hortos rurſus transfertur & plantatur, in quibus aliquantulum augetur, ſed nunquam ad frugi perducitur. Porro nulla amaritudo in Aloe noſtrate reperitur. Invenitur & ſponte in Apulia & nonnullis Bæticæ Hiſpaniæ locis, haud procul à mari: ſed & hujus etiam ſuccus inutilis.

2. *Aloe* folio in oblongum aculeum abeunte, C. B. P. Aloe Americana, Dod. Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Lugd. Tab. Eyſt. Aloe folio mucronato, Lob. Ger. Aloe Americana ſive ſpinoſa, Cam. *Allagucy* Indis, *Fil y agulla*, id eſt, filum & acus Hiſpanis, cujus ſpinæ venenatæ Frag. America planta Aloes facie, Col. *Manguei* Mexicanum & alio nomine *Metl* Linſc. par. 4. Ind. Orient. fig. 19. Aloe Americanæ multa ſunt folia humanam altitudinem attingentia, ſaturate virentia quidem, ſed quibus inſperſum videtur quippiam coloris cineracei, ut in Tuliparum quarundam foliis, aut Colchici Chioenſis foliis undulatis, lævia circa infimam ſedem, trium aut quatuor digitorum tranſverſorum craſſitudine, quodammodo carinata, valde lata, mutuo ſe amplectentia, inſtar foliorum vulgaris Aloes ſenſim in mucronem deſinentia, qui nihil aliud eſt quam ſpina craſſa, rigida, fuſca, unciam cum ſemiſſe interdum longa, & adeo firma, ut Americani vice ſubulæ uti ſoleant, & cuſpidis ferreæ loco ſuis telis adaptent; foliorum latera tenuiora ſunt, & ſpinis ſubfuſcis aſpera, ſed multo magis mucronatis & brevioribus, lata baſi præditis & deorſum incurvis, ut in Rhamno tertio Cluſii; interiore parte fibroſa ſunt hæc prædicta folia, & ſucci plena, ſed non amari. Ex eorum medio caulem enaſci intellexi (ait Cluſius, nullum enim vidit) brachiali craſſitudine & brevioris lanceæ altitudine: radix eſt craſſa, longa, curva, veluti internodiis articulata, è quibus ad latera naſcuntur alternatim circa radicem majorem, matrem ſcilicet aliæ plantulæ, ut in Arundinum nodis germina ſeu gemmæ ſunt diſpoſitæ. Vivax eſt hæc planta, multoſque annos durat, radice multipliciter ſeſe propagans, cujus rei gratia & propter ſpinarum rigiditatem aſperitatemque Indos ſeu Americanos circa agros ſuos eam ſerere conſueviſſe audimus, item Hiſpanos nunc temporis idem præſtare ad agros, ſepium aut murorum vice, communiendos & fures arcendos (ut apud nos Septentrionales ſepibus Oxyacanthæ, ſeu Spinæ appendicis Plinii aliarumve ſtirpium ſpinoſarum fieri ſolet) memoriæ proditum invenimus: nunc demum apud Boreales gentes, ſaltem rariorum plantarum cultores in hortis conſervantur, in fictilibus ſaltem coluntur, ut in conſervatoriis ſuis ædificiis per hyemem ab injuria frigidæ tempeſtatis arceantur & defendantur. In ſobole procreanda non ſecus ac Aloe legitima valde ferax. Circa Mexico tanta copia naſcitur hæc planta, quanta apud Gallos & Italos vites.

3. *Aloe* Americana flore luteo, nobis. *Metl* & *Manguei*, Anton. Recch. Aloes hujus Americanæ ſeu plantæ *Metl*, quam Mexicani Manguei appellant, plures apparent differentiæ apud Antonium Recchum in hiſtoria ſua Mexicana, de quibus ſeorſum in hoc capite agemus propter conformitatem in floribus hexapetalis, & capſulis ternis loculamentis diſtinctis, cum cæteris antedictis in hac Sectione quarta, etiamſi Aloe Americana folia ferat Aloes vulgaris, ſed longe majora & craſſiora ſeu ſpiſſiora, (arboris enim mediocris interdum æquant longitudinem) utrinque ſpinifera, ac in rigidum acutumque deſinentia mucronem: caulem duplo majorem, & in ejus parte ſumma flores luteos, hexapetalos, oblongos, primo & in exteriore parte ſtellatos, quando ſunt aperti, cum ſtaminulis ſenis, in medio petalorum: atque iis fatiſcentibus ſuccedunt capita triquetra, ſemen Aſphodelino ſemini ſimile in ſe continentia: radicem vero craſſam, brevem, fibris ſcatentem, ex quâ circumcirca germina emittuntur quovis ſolo, ſed præcipue fertili atque frigido, non enim tempeſtatum aut inclementioris cœli patet injuriis, nec per ſiccitatem ſtatim marceſſit: è nulla planta proventus eſt amplior.

TEMPERAMENTUM & VIRES,

1. Aloe *vulgaris*, *C. B. P. Aloe*, *Trag. Matth. Dod. Aloe communis*, *Cam. Aloe Dioſcoridis*, *Col.* *Ex Aloes hujus foliis ſuccus expreſſus in veſicis aut aluta concretus advehitur, ejus autem parandi rationem talem intelleximus. Rhodiis ipſam herbam accepi, inquit Johannes Bauhinus, inque fruſta deſiccari & contundi curabam, inquit idem, deinde in vas oblongum reponi, inque eo viginti diebus ſini, interea autem ſpumam attolli, inutilem etiam abjiciendam in mandatis dedi, his autem paractis concha ſuperioris ſucci partem, ad quandam uſque demendo apparentem ejuſdem ſucci differentiam, hunc in veſicam reponi, atque ſole exſiccari Aloenque Succo*

 trinam

trinam effici, ſecundo demi ſuccum in medio conſiſtentem, & in utres reponi juſſi exſiccarive, ac Aloen hepaticam confici. Poſtremo obſervavi ſequi caballinam, cæterarum veluti fæcem. Tres itaque hodie cernuntur differentiæ, ex eadem tamen planta expreſſæ, optima Soccotrina appellatur, omnium puriſſima, quæ dum frigida eſt, malleo percuſſa in ſplendida nitidaque fragmenta deſilit, colore fulva aut ruffa & pellucida, inter tractandum molleſcens, in ſole effluens, atque foris nitido fuſcoque aut nigro colore bonitatem ſuam intus latentem abſcondens & diſſimulans. Saporem habet inſigniter amarum, aſtringentem, atque aromaticam, aliquantulum tenuem, & oris halitum commendantem, odorem tamen aromatum & tamen gravem. Impurior ſecunda hepatica, quod hepatis colorem exhibeat, dicta, primo denſior eſt, acrior, jecinoris modo crenata: colore in citrino ſubruffa, & Soccotrinâ minus pellucida, vixque oculorum aciem lumenve admittens, quanquam interim micæ ſplendidæ ſint, odore & ſapore Soccotrinam æmulatur, gravius tamen olet pauloque amarior exiſtit, magiſque aſtringit. Et hæc quoque calida ducitur, & frigido cœlo friatur. Tertia ſordidis inquinamentis multis contaminata, Caballina vocatur, veteranariis relinquenda medicaminibus, cui ob id nomen videtur inditum. Hæc omnium ponderoſiſſima, aridiſſima, denſiſſima, colore nigro & minime tranſlucens, guſtu amariſſima & valde aſtringens, non ſine horribili aliqua qualitate palatum & ſtomachum afficiens. Eligito in quovis genere pinguiſſimam, puriſſimam, hyeme friabilem, æſtate molliuſculam & manibus lenteſcentem, calculis lapilliſve, arenâ & terrâ carentem, tam guſtu quam olfactu aromaticam amaritudinem reſipientem, ſomnum odore conciliantem, & diſſolutu facillimam: de Alloes ſucci generibus & viribus, & uſu, hæc Dioſcorides memoriæ tradidit. Duo ſunt porro ſucci Aloes genera, alterum arenoſum quod ſit puriſſimæ Aloes fæx, & craſſamentum eſſe videtur; alterum quod ad jecinoris imaginem vergit. Eligito pinguem quæ nihil doli ſenſerit, lapillorum expertem, nitidam, ſubflavam, friabilem, jecinoris modo coactam, quæque facile humeſcat, eximiæque ſit amaritudinis. Nigram contra fractu contumacem improbato. Sunt qui eam gummi adulterent, id quod guſtu, amarituduine & odoris vehementia deprehenditur, eoque indicio quod digitis attrita, non ad minima uſque ramenta reſolvatur: neque deſunt qui Acaciam immiſceant. Vim habet aſtringendi, ſomnum conciliandi, corpora exſiccandi & denſandi, alvum ſolvendi, ſtomachum repurgandi, ſi binûm cochlearium menſura ex aqua frigida, aut lactis inſtar tepida, aut gelida ebibatur; ſanguinis etiamnum excreationes ſiſtit, & morbum regium emendat, ex aqua tribus obolis aut drachmæ pondere in potu. Devorata vero cum reſina aut aqua cum melle cocta & excepta alvum ſolvit: trium autem drachmarum pondere perfecte purgat, ſed & aliis medicamentis purgantibus admiſta præſtat, ut minus ſtomachum infeſtet, ſicca vero inſperſa vulnera glutinat, ulceraque ad cicatricem perducit cohibetque: eadem peculiariter exulceratis genitalibus medetur & diſrupta puerorum præputia agglutinat: quin & condylomata rimaſque ſedis dulci vino admiſta ſanat. Sanguinis ex hæmorrhoidibus eruptiones ſiſtit, pterygia ad cicatricem perducit, livida & ſugillata hypopia dicta ex melle tollit. Scabras quoque lippitudines angulorumque in oculis pruriginem mitigat. Dolorem capitis ſedat, ex aceto & roſaceo fronti & temporibus illita. Sed & cum vino fluentem capillum continet: idemque tonſillarum, gingivarum, cæterarumque oris partium vitiis cum melle & vino proficit. Cæterum ad oculorum medicamenta torretur in munda & candicante teſta, ligulâque ſubinde verſatur donec æqualiter toſta fuerit. Lavatnr & Aloe, atque id quod arenoſum ſubſidet, tanquam inutile ſecernitur. Pinguiſſimum quod læve eſt accipitur. Hactenus Dioſcorides. Copioſiſſima hæc ſtirps apud Indos & in Arabia Cœleſyria ac Ægypto, unde pellibus infuſus ſuccus in Europam infertur: ejus ſuccus primo ordine calidus, ſed tertio exſiccans, vehementer amarus, abſque mordacitate tamen, & ſimul Emplaſticus & aſtringens, ventrem ſubducit: interim, ſi quid aliud, ſtomacho gratum aut conveniens medicamentum. Jam ut ſcribit Paulus Ægineta, cum omnia purgantia medicamina ſtomacho adverſentur, ſola Aloe conducit & vacuat, non elota valentius, elota vero minus, ventriculum magis roborans. Bilem flavam educit, ſed potiſſimum quæ in ventriculo ex primis venis proximiſque viis hæret, expurgat. Eſt enim ex numero medicamentorum, quæ Græci ab excernendo ſtercora, ἐκκοπρωτικὰ vocant, quorumque vis purgans non ultra ventriculum ſeſe extendit. Adverſatur præterea Aloe putredinibus omnibus, & à putredine omnique corruptione omnes partes corporis tuetur atque defendit: cadavera etiam mortuorum conſervat: ventris tineas, lumbricoſq; interimit ac expellit: graveolentiam oris vitio ſtomachi enatam emendat, ani hæmorrhoides aperit, menſes etiam promovet, in exigua quantitate aſſumpta; creditur ad reliquorum viſcerum obſtructiones & infarctus prodeſſe. Sunt tamen qui jecinori parum commodam exiſtiment. Ad purgationem datur plus minus drachma, ſubinde obuli tres aut quatuor ſatis ſunt. Vide cætera de Aloes viribus apud Johannem Bauhinum pag. 698, 699, 670, & 171. Plurima in India

India, eique propinquis regionibus provenit, unde etiam ſuccus importatur. Naſcitur & in Arabia, Aſia, ac in locis quibuſdam maritimis & inſulis, veluti in Andro, non valde eliciendo ſucco idonea, ſed ad conglutinanda vulnera ſane quam utilis ſi trita illinatur.

2. Aloe *folio in oblongum aculeum abeunte, C. B. P. Aloe Americana, Dod. Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Lugd. Tab. Eyſt. Aloe folio mucronato, Ger. Lob. Hanc cædere ſolent antequam nimium adoleſcat, tum enim radix craſſior fit, qua excavatâ quidam liquor colligitur, qui ſyrupi modo illico denſatur, is aliquantulum coctus mel fit; depuratus ſaccharum; dilutus acetum, addito* ocpali *(radix ea eſt quam ob ejus præſtantiam vini medicinam nominant) vinum, illis quidem in uſu, ſed parum ſalubre, etenim valde caput ferit, atque inebriat; nullum autem cadaver aut impura ſentina adeo fœtet atque illorum anhelitus, qui eo vino inebriati fuerint. Ex hujus germinibus & tenellis foliis fit conſerva. Foliorum prunis aſſatorum ſuccus, recentibus vulneribus aut ulceribus inſtillatus, brevi ea curat. Germinum & radicum ſuccus cum Abſynthii illius regionis ſucco mixtus viperarum morſibus utiliter inſtillatur. Ex illius foliis paratur charta in uſum vulgarem ſacrificorum & pictorum. Ex iis, Lini aut Cannabis modo paratis, fiunt* Alpergates *(calcei genus Hiſpanis admodum familiare, ex funiculis contextum) ſtoriæ, chlamydes, cingula, capiſtra, & funes; denique ſunt illis canabina fila. Horum foliorum cuſpides adeo firmæ ſunt & acutæ, ut illis, ut ſupra dictum, acus & ſubulæ vicem præſtent, has cum fibris extrahendo. Iſtis ſpinis ſacerdotes illius regionis in ſacrificiis ſe pungere ſolent, etenim cuſpis non infringitur, & ſatis alte penetrat, exiguo foramine facto. Ex hac planta ignem ſtruunt, & ejus cineres parando lixivio idonei ſunt: truncus ligni loco iis eſt: folia vero loco tegularum aut imbricum: hactenus Gomara. Luem veneream hac planta curare Americanos ſolitos tradit Cluſius, ac ex hujus foliorum fibris reticula contexta, ut & induſia ex iis parata, Hiſpali venalia inveniri.*

3. *Planta tertia hæc unica, ut ait Recchus in ſua Hiſtoria Mexicana, quidquid vitæ neceſſarium eſſe poteſt, præſtare facile ſolet, ſi eſſet rebus humanis modus, in quibus innumeri pene ſunt uſus qui ab ea planta deſumuntur. Tota enim illa lignorum, ſepiendorumque agrorum vicem præſtat: caules tignorum: folia vero tecta ædificiorum tegendi, imbricum, lancium, papyri, filique, ex quo calcei, lintea & alia veſtium genera, quæ apud nos Europeos ex Lino, Cannabi, Urtica, Goſſipio, aliiſque hujuſmodi parari ſolent: è mucronibus fiunt clavi & aculei, quibus perforandis auribus macerandi corporis gratia Indis uti mos eſt, cum dæmonum vacant cultui. Item aciculæ, acus, tribuli militares, & raſtilla pectendis ſubtegminibus apta. Præterea è ſucco manante, cujus evulſis germinibus internis, foliiſve tenerioribus cultis Yzitlinis in mediam cavitatem ſtillat, planta unica quinquaginta interdum amphoras (quod dictu eſt mirabile) & ſic vina, mel, acetum ac ſaccharum parantur, uti ſupra dictum. Succus namque diſtillatione fit dulcior; decoctione, & dulcior & ſpiſſior, donec tandem cogatur in ſaccharum: vinum ex eodem ſucco diluto & aqua fontana, additis corticibus malorum medicorum, limonumque, & aliis quibus facilius inebriantur, quod ea gens maxime affectat, quaſi pertæſa rationalis ſuæ naturæ, & avida ſortis brutorum atque quadrupedum. E ſaccharo quod ex eodem ſucco (uti diximus) coquitur, parant acetum, nempe eodem reſoluto aqua, & novem diebus inſolato. Idem ſuccus menſes movet, alvum lenit, urinam evocat, renes & veſicam emendat, calculos frangit, urinæque extergit meatus. E radice quoque reſtes fiunt firmiſſimæ, & ad multas res perquam accomodæ. Craſſiores foliorum partes truncuſque decocta, edendo ſunt apta, ſapiuntque citrea fruſta ſaccharo condita; quin & vulnera recentia mire conglutinant: fit enim ſuccus aſſatione glutinoſus, qui ſuapte natura frigidus ac humens eſt. Hæc ex Antonii Recchi hiſtoria de viribus Aloes Americanæ.*

4. *Aloe* Americana flore cæruleo palleſcente, nobis. *Metl Cotzli*, Anton. Recch. Hæc Aloe marginibus foliorum eſt luteis, ſpinis parvis & nigris; foliis vero modicis, ſi cum foliis præcedentis comparentur: caule binos cubitos alto, digitumque lato & rubro, cum floribus cæruleis palleſcentibus, ejus cacumen occupantibus, & radice ſurculoſa. Campeſtribus locis Mexici naſcitur, quovis tempore, quamvis ſolâ æſtate melius vigeat. Seritur ex germinibus juxta parentem & propriam radicem ortis. Jus trium quatuorve foliorum, additis ſiliquulis ternis, frigentes ac craſſos humores per ſeceſſum & urinam paulatim vacuat. Idem propinari ſolet ab Indis, enixis mulieribus aliquot diebus à partu corroborationis gratia. Succus expreſſus ab ſemiaſſis foliis, dicitur ab Indis aſthmati conferre. Frigida vero conſtat & lubrica natura.

5. *Aloe* Americana parva valde ſpinoſa foliis admodum ſaturatis, nobis. *Mexical Metl*, Anton. Recch. Hæc eſt ſpecies minor Aloes Americanæ, valde ſpinoſa, cujus folia virore

admodum ſaturato tincta ſunt. Hujus folia eduntur aſſa, & ſunt guſtui Indorum præ cæteris grata. Reperitur in montibus *Tepoſlanenſibus* apud Americanos.

6. *Aloe* Americana fructu dulci & acido multiplici prunis ſimili, nobis. *Mexacotl* ſeu *Manguei* prunorum, Anton. Recch. Hiſt. Mexican. Species eſt Aloes Americanæ ſpinoſæ ad genus *Metl* referendæ: fructu autem eſt dulci & acido, multiplici, ac prunis perſimili, unde nomen deſumpſit à forma & ſapore fructus, qui in orbem Pineæ Indicæ quadantenus eſt par, eduli ſucco plenus, & grati ſaporis: folia ſunt ſpinoſa, lutea ac veluti marcida: caulis vero brevis, teres ac craſſus: radix fibrata craſſaque: fructus Prunorum in ſummo caulis faſtigio ſunt æmuli, oblongi, glandibus ſimiles, & ex candido palleſcentes, obducta membranâ, inter quam continetur callus candens, ac, ut diximus, dulcis & acidus, Pinearum Indicarum ſapore refertus: ſemine principio candido, ac poſtea nigro, ſubrotundo, duriuſculo. Naſcitur in ſaxoſis regionum calidarum *Tepecua cuilci*. Temperies eſt frigida & ſicca: medetur oris ulcuſculis è calore ortis fructus commanſus, ac geſtatus ore.

7. *Aloe* Americana foliis anguſtioribus ac minoribus ſeu tenuioribus abſque ſpinis, nobis. *Pati* ſeu *Metl* ex quo fiunt leniſſima fila, Anton. Recch. Hiſt. Mexican. Hæc Aloe (*Metl* Indis dictum) ſuperiori quoad flores & fructum ſimilis, ſed foliis eſt anguſtioribus, minoribus & tenuioribus, magnaque ex parte purpuraſcentibus: è radice provenit fibratâ, craſſaque: ſpecies eſt Pati dictæ. Parantur ex eâ fila tenuiſſima, quæ in magno habentur pretio, panniſque lineis pretioſis texendis aptiſſima.

8. *Aloe* Americana foliis parum dentatis, nobis. *Theometl* ſeu *Manguei* divinum, Anton. Recch. Hiſt. Mexican. Hæc ſpecies *Manguei* inter numeroſas alias Aloes ſpecies, quæ enumerantur uſque ad 19. ab Antonio Reccho in Hiſtoria ſua Mexicana, eâdem pæne facultate & formâ longâ foliorum exilibus ſpinis armatorum & radice fibrata: folia duas ſpithamas longa ſunt. Succus vero epotus aut illitus febres extinguit. Naſcitur in frigidis calidiſque locis, editis atque campeſtribus, paſſim in America.

Aliæ ſunt ſpecies quam plurimæ, aut ſaltem Icones pro diverſis ſpeciebus exhibitæ ab Antonio Reccho in Hiſtoria Mexicana; ſed quoniam facultate omnes ſunt pæne ſimiles, imo uſu atque formâ parum ſunt differentes, nomina tantum Indica nobis ignota hic ſubjiciemus, 3^{tia} Aloe *Mexochitli* ſeu *Metl* viride. 4ta è cinereo colore *Nexmetl* reliquis etiam ſimilis. 5ta *Quametl* ſeu *Manguei* montanum, ſqualente colore, fibrata radice, & longo craſſoque inſigni ſurculo. 6ta *Hoitzil Zilmeth* aculeis longis purpureiſque radicibus & ſpinis. 7ma *Tapayaxmetl* ſeu *Manguei Tapayaxm* præcedenti fere ſimilis. 8va dicitur *Acamel* ſeu *Manguei* arundineum albidioribus juxta radicem foliis, & rubentibus ſpinis, atque radicibus. 9na dicitur *Manguei* nigrum, ob colorem atrum, quanquam ſpinæ radiceſque ex nigro fulveſcant. 10ma *Xilometl* ſeu *Metl* piloſum rubeis ſpinis & radicibus, quæ rariores prioribus videri poſſunt. Vide cæteras diverſitates apud Antonium Recchum in Hiſtoria ſua Mexicana.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

ALoe Americana licet ſpinis horreat, nihilominus tamen inter Acanaceas plantas, quippe capitatas pappeſcentes, reponi non debet, ut plurimi authores videntur facere, ab iis enim non ſolum viribus, ſed & tota facie differt; cum inquam Aloe tota facie differt, præcipue floribus hexapetalis, capitibus triangularibus ab Acanaceis debet ſejungi, & potius jungi ſuæ ſortis ſimilibus, ſicut nos præſtitimus in hac Sectione quarta, cum flore & capſulis ſeminalibus ſit iiſdem affinis, & a fine ultimo illis omnino ſimilis, & reliqua omnia nil abeunt. Inſuper neque mihi videtur inter Sedi ſpecies reponenda Aloe, ſicut Caſp. Bauhinus fecit, cum a fine ultimo a Sedi claſſe longe recedat; cumque hujus flos ſit hexapetalus & capſula ſeminalis tribus loculamentis donata; Sedi autem omnes ſpecies floribus conſtent pentapetalis & poſt flores ſingulos evanidos capſula donentur, vel multiplici, vel duplici. Non poteſt Aloe ad Seda reduci, a ſpiſſitudine ſucculenta foliorum, cum longe recedat fine ultimo, id eſt, floribus & capſulis ſeminalibus, ſeminibuſque in iiſdem contentis, a Sedis proprie dictis.

DE

DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
Foliis ſpiſſis & ſucculentis & radice tuberoſa prædítis.

CAPUT XXIII.

YUCA ſive IUCCA.

YUCA ſive IUCCA planta eſt peregrina, foliis longis cavis, & radicibus craſſis tuberoſis prædita, caulem edens bipedalem, tripedalem, nunc majorem, nunc minorem, in cujus ſummo faſtigio naſcuntur innumeri flores propriis pediculis uncialibus innitentes, hexapetali, albi propendentes tintinnabuli forma, quibus ſingulis deciduis (in calidioribus ſaltem regionibus) ſuccedunt capſulæ triquetræ, tribus loculamentis diſtinctæ. Propter hanc rationem, conformitatem ſcilicet florum & capſularum cum prædictis in hac Sectione, ejus ſpecies huc reduximus, ut hujus Sectionis agmen clauderent Yucæ hæ duæ ſpecies: reliquæ duæ aliò ſunt remittendæ ex ſtructura florum exhibitorum à Montingio in libello ſuo Amſtelodami impreſſo.

TABUA XXIV. Sectionis quartæ.

Yuca	*Vera*	*Foliis*	1. *Aloes, C. B. P. Yuca, Ger.* ⊙
			2. *Filamentoſis, nobis.* ⊙
	Spuria Peruviana foliis ſtellatis		3. *Obtuſis, nobis.* ⊙
			4. *Mucronatis, nobis.* ⊙

Explicatio Tab. vigeſimæquartæ Sectionis quartæ.

1. YUca foliis Aloes, C.B.P. Yuca, Ger. Yuca nova glorioſa elata planta, Lob. Ad. part. alt. Hæc eſt planta hexapetala tricapſularis foliis longis, cavis, mucronatis prædita, & Aloe foliis valde accedens: radicem fert tuberoſam, craſſam, magnam, fungoſam, Rapi ſubſtantiæ, ſed duriorem, ſucci plenam, ſubdulci ſapore, ſed pernicioſa qualitate donatam, ex qua panis apud Indos, qui *Cazava* dicitur, fit: ex hac radice plurima oriuntur folia, longa, cava, rotatim ſummam radicis partem ambientia, cubitum excedentia, lævia, & dilute virentia, in acutum mucronem definentia, ſed non tam rigidum & pungentem quam in foliis Aloes Americanæ, ſuntque lenta & fractu contumacia, nec facile ſcinduntur, niſi cultro acuto, perpetuoque hyeme & Vere & æſtate virentia; ex horum medio oritur caulis tripedalis, qui ſurſum verſus ad pedalem & ſeſquipedalem longitudinem innumeros quaſi fert flores magnos, albos, hexapetalos, propendentes ex propriis pediculis uncialibus & biuncialibus, qui apud nos Septentrionales inutiliter decidunt abſque ulla capſularum formatione, ſed in India occidentali, Braſilea ſcilicet, triangulares producunt capſulas tribus cellulis ſeu loculamentis, aliarum prædictarum plantarum ſupra allatarum more in hac Sectione quarta: proinde Yucam hic locavimus, & Aloes ſpeciebus etiam floribus hexapetalis donatis, ſed minoribus, ſubjunximus. Indiæ omnibus plagis ſecus fretum Magelanicum uſque ad caput Floridæ, & quam plurimis inſulis Canaballes dictis provenit. Dicitur apud indigenas Indos *Manihot*, ſed utplurimum Yuca & Jucca. Calida & ſicca eſt in primo gradu: hoc intelligitur de fæcibus poſt ſuccum virulentum expreſſum, quæ exſiccant ſecundo gradu.

2. *Yuca* foliis filamentoſis, nobis. Hæc folia habet oblonga, cava, mucronata, rotatim itidem ſummam radicis partem ambientia, per terram itidem ſtrata, ſed ſaturatius virentia, cum hoc diſcrimine, quod folia recentia & viridia adhuc, plurima filamenta alba; exſiccata, inſtar eorum quibus inter cudendum utuntur ſartores ſeu cuſores veſtimentorum; caulem cubitalem aut bipedalem emittit, in cujus ſumma parte ad pedalem longitudinem conſpiciuntur flores plurimi, magni, albi, hexapetali, propendentes ex uncialibus pediculis: decidunt copioſi illi flores inutiliter etiam, perpaucis exceptis, qui capſulas triquetras, tribus loculamentis diſtinctas produxêre

in horto D. *Georgii Crook*, ſito in pago *Waterſtok*, ſexto ab oppido Oxonio miliari: illic anno 1675. rudimenta capſularum obſervavimus tribus loculamentis perfecte diſtinctarum, ſed non ad perfectam maturitatem pervenire poterant propter inclementiam cœli. Provenit in territorio Virginiano ſub Sereniſſimi Caroli ſecundi ditione. Maximam habuit copiam *Gulielmus Walker* in ſuo hortulo ſuburbano Londinenſi in vico S^ti^. Jacobi ſito, ſed nunquam illic florentem obſervare potui; per multos bene annos vigentem habuit prædictus *Gulielmus Walker*.

3. *Yuca* Peruviana foliis ſtellatis obtuſis, nobis. & Monting. Yuca foliis cannabinis ſeu *Manihot* Indorum, C. B. P. *Manihot* & Yuca, Lugd. Yuca Gomaræ, Lugd. & Joſeph. Acoſtæ l. 4. c. 17. Yuca Peruviana, Frag. Radix hujus alia & diverſa eſt à priore, eſt enim brachii unius longitudine, ſæpius tortuoſa & furcata, quæ emittit cauliculos parvos, quatuor pedes altos, ex quibus emanant longis pediculis innixa folia ſtellata, ſeu ejus plantæ foliorum, quæ Alchimilla dicitur, æmula, obtuſa, ſena ſeptenave in unum centrum pediculi ſcilicet ſummitatem concurrentia, quorum ſingula dimidium pedem longa, tres digitos lata ſunt, Cannabis aut Alchimillæ foliis ſimilia, quoad diviſionem foliorum, ſimul in apicem pediculorum concurrentium. Cum non habeat hæc planta flores hexapetalos, ſed pentapetalos ex Montingii Icone, nec quales habeat capſulas deſignet idem, nos facile inducimur conjecturam facere, nondum bene obſervatam ab authoribus, nec bene delineatam. De uſu autem ſic loquitur Author Hiſt. Lugd. Barbari in regione Peruviana ex radice quam *Manihot* vocant, farinam hoc modo conficiunt: radices ſiccas ſeu recentes tundunt ſeu radunt, dein in cerniculo cribratas in vaſe cum aqua igni impoſito commovent, ita ut hæc farina in grumos coeat mannæ granatæ ſimilis, quæ recens optima eſt, & plurimum ſucci corpori ſuppeditat: hujus farinæ parandæ negotium totum mulieribus committitur, perinde ac viris indignum. Provenit in regionibus Peru, Cannada, & Florida, & tota continente inter oceanum & fretum Magelanicum, id eſt, quatuor mille miliarium ſpatio: nullus cibus uſitatior frequentiorque, eâque farina cum carne & piſcibus veſcuntur, non aliter quam nos pane, admirando quodam modo, nunquam admoventes manum ori, ſed procul longioreque ſpatio, magnaque dexteritate in os conjicientes, ac Chriſtianos irridentes, ſi aliter comedant. Quidam Arachidnam Theophraſti *Manihot* hoc eſſe putant, ſed perperam & inepte. Hanc plantam & ſequentem foliis ſtellatis acutis, toto cœlo ab Yuca foliis Aloes ſupra deſcripta diverſas eſſe concludimus, à fine ultimo, ſed propter nomen commune & uſum communem ibidem hic collocavimus, donec alii oculatiores, & magis verſati in Americæ plantarum cognitione, melius diſpoſuerint. Cum hæ plantæ nunquam ad manus noſtras peruenerint, nec finem ultimum quidem obſervare nobis licuit, aliis diligentius inquirentibus & exactiore trutina perpendentibus plantas omnes pæne Americanas toto cœlo à noſtris Europeis diverſas, relinquimus. Dicitur *Cocuſhaw* Hariot in Virginiam. Hujus folium latum in ſeptem lacinias diviſum eſſe ſcribunt: at radix brachii craſſitie, ex qua Indi farinam conficiunt (par. 2, & 3. Amer.) qua cum carne & piſcibus, ut nos pane utuntur; ex ea & placentas & panem conficiunt, quem Cazabis, Benzo; at Monardes & Acoſta Cacavi nominant: ſic & in Hiſpaniola ex hac ſecundarium panem, quem Cazabi vocant, conficiunt (par. 5. Ind. occident. 12.) ex hujus ſucco potionem parant: par. 3. Amer. l. 2. c. 15.

4. *Yuca* Braſileana foliis ſtellatis mucronatis, nobis & Monting. Hæc à priore ſolummodo differt compoſitione & ſtructura foliorum, quorum foliola concurrentia in centrum, ſcilicet pediculi faſtigium, ſunt multo longiora & acutiora, quâ notâ primo intuitu facile diſtinguitur à præcedente foliis obtuſis donato.

APPENDIX
AD
SECTIONEM QUARTAM,
DE HEXAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
OMISSIS,
Suis ordinibus ſeu claſſibus reſtituendis.

CAPUT XXIV.

1. GLadiolus Æthiopicus flore coccineo, Cornut. Hæc Gladioli ſpecies à promontorio ſeu Capite bonæ ſpei delata, nunc primum floruit Luteſiæ Pariſiorum in horto viri eximii, novarum & exoticarum ſtirpium apprime ſtudioſi *Petri Morini*, Anno Dom. 1633. menſe Octobri definente. Radicem habet tuberoſam unicam, eamque longe habitioris amplitudinis, planam tamen ut Nux vomica, depreſſam; ejus ſubſtantia intima fæcis vini colorem refert, & guſtanti acerrima linguam pungit: radix hæc tuberoſa (non bulboſa ut vult Jacobus Cornutus) multis tunicis obducitur, ut vulgaris Gladioli radices, ſingulæ enim nerveis filamentis ductis in ſe, & in plexum veluti retiformem textis fimbriantur, aliæ aliis inſident ut in tunicis Gladioli vulgaris ſeu Croco Meſiaco uſu venit: folia ſunt Iridis noſtratis foliis figura & magnitudine ſimilia, longitudine autem inter ſe diſparia, qualia in Gladiolo vulgari: caulis ſeu thyrſus inter folia medius erumpit, nunc unus, nunc ramoſus, (ut vidi inquit Cornutus) teres, fragilis, glaber, enodis, atque ex nigro leviter purpuraſcens: hujus ſuprema pars in coccineam veluti ſpicam faſtigiatur; adeoque belle florum germina longius utroque verſu diſponuntur, ut in Hordeo διςίχῳ videmus, prius autem quam hæc aperiantur, alia poſt alia longius excreſcunt, tuncque corniculorum modo leniter incurvantur, ac tubulum ſinuatum formant lutei coloris, pediculus tamen quo tubus cauli adnectitur ruber, nec niſi propius intuenti apparet cùm gemino folio atrovirente tegatur. Dum tubi hujus extremum hiat, in ſex lacinias diviſum, quæ totidem ſunt petala, quorum tria longiora ſunt & obtuſa coccineoque colore rutilant, reliqua tria brevia admodum & acuta: extra puniceo colore tinguntur, intus croceo, nonnullis lineis coccineis ſtriato ſplendent; eo itaque diſpoſita ſunt ordine, ut petalum ſupremum ampliſſimum ſit, ſubjectum utrinque minimum, quæ deinceps poſita, magna, infimum autem valde exiguum, uno verbo breviora longioribus interſeruntur; à cavo hujus floris ſex ſtamina fluunt, quæ per ſupremi petali ſinum deducuntur inæquali longitudine: inferiora humiliora duo, ſunt tertium elatius eſt, ſingula purpureis apicibus ornantur fiſſis parte ſuprema, pronâ vero duplici linea ex pulvere luteo confectâ diſtinctis: ſtilus ſine apice apparet, ſed in plurimis hujus ſortis ſerpentis modo ut triſulcum caput apparet, niſi prius deciderit. Refer hunc Gladiolum ad Cap. 5. Sectionis hujus quartæ.

2. *Siſyrinchium* Indicum, Veſpaſ. Robin. Elegans hæc Siſyrinchii ſpecies nuper ex Indiis orientalibus accepit D. Veſpaſianus Robinus Horti Regii Pariſienſis per multos annos demonſtrator publicus. Huic radix tuberoſa uniformis ſubſtantiæ (non bulboſa ut vult Jac. Cornutus) nuculæ magnitudine, Croci Meſiaci effigie, quam incolæ lubentius eſitant, ſicut etiam ejuſdem generis radices Hiſpani opiliones edunt, quas *Noſelhas* vocant, (vocabulo vernacule avellanam ſignificante) poſtrema æſtatis parte, quam *Oporan* vocant, flores fundit in ſingulis caulibus nunc ſingulares, nunc etiam plures, ex ſex petalis variè coloratis compoſitos: interna ſiquidem pars cærulea eſt, circuloque flavo diviſa, dorſum autem media & infima parte cineraceum, mediâ quæ in mucronem porrigitur languide cæruleum, elapſo flore ſemina in folliculo ſubrotundo, carinato, & tribus cellulis diſtincto, ut in Gladiolo concepta naſcuntur: folia ut in Iride bulboſa aut Aſphodelo ſubluteo minore, teretia enim ſunt & per longitudinem ſtriata, quin & modice in terram reflectuntur. Referatur hoc ad caput 7. poſt 3. Siſyrinchium illic.

3. *Narciſſus* juncifolius omnium minimus flore omnino albo calice fimbriato, nobis. Bulbacodium minimum tenuifolium album, J. B. Chabr. Narciſſus hic montanus minimus quaterna

terna aut quina habet folia tenuiſſima aut capillaria, viridia, humi procumbentia & ſparſa; inter quæ cauliculus emergit infirmus, palmaris, tenuis, nudus, unicum ſummo florem è membranaceo folliculo prodeuntem ſuſtinens, tenellum, candidum omnino, calicis oris fimbriatis donatum: radix bulbacea, ſimilis Narciſſorum reliquorum radicibus, multis tunicis ſeſe involventibus donatis. Dicitur apte ſatis minimus montanus albus Lobelio.

4. *Narciſſus* juncifolius albus calice longiuſculo ſeu magno foliis tortilibus, J. B. Chabr. Narciſſus hic juncifolius (inquit Lobelius Adver.part.2.) albus, tortilibus foliis (potius dixiſſet petalis) donatus, calice longo & nutante petalo pendens, prominulo ſtilo ſeu piſtillo tenui, qui anno 1604. floruit Mediacaſtri Malachriæ apud D. *C. Coorne*, cujus floris Iconem Londinum ad Lobelium miſit. Idem eſſe reor, inquit Lobelius, cum Narciſſo juncifolio omnino albo calice amplo prope Betam Gallæciæ oriundo, & empto à Nicolao *le Quilt* Rizotomo Pariſienſi anno 1603.

5. *Narciſſus* maximus autumnalis quorundam non amarus albus ſeu Pancratium Indicum, Cluſ. Hiſt. Radice eſt (inquit Lobelius Ad. part. 2.) ſpithamum longâ, brachiali craſſitudine, multis cepaceis tunicis ſubalbidis ſquamoſâ, ſeu potius tunicata, extimiſque cuticulis ex ruffo ſubfuſcis aut caſtanei diluti coloris: ſeſſili parte majore mediocrem pugnum æquante numeroſis, carnoſis, habitioribuſque fibris Pancratii aut Scillæ inſtar, quaſi trunco aut nodo collectis & appenſis fultâ. Opinabatur Lobelius Pancratii aut Scillæ ſpeciem, ſed neutiquam; ſapor enim amarus in Scilla refragatur. Septembri aut Octobri octonis aut denis floribus ſtellatis, Colchici albi Anglici paribus, ſed longioribus, exit ſubluteis, ex albo luridis, ſenis longioribus ſtaminibus albis præditis, è latioribus membranaceis tunicis Moly Dioſcoridis modo pendulis, brevioribus ſine caule, forte penuria alimenti inhærentibus. Inter plures unicus bulbus Lobelio floruit, ſed quia diu omnes in navi quaſi terra deſtituti, foliis vidui erant, tamen rudimenta conſpicua, in minore bulbo retuſa apparuerunt, Pancratii Monſpeliaci ſimilia, duas uncias lata, breviora tamen, forte nondum prorſus enata, aut perfectam longitudinem aſſequuta. Omnes hi bulbi hyemis ſævioris injuria anno ſalutis 1600. *Londini*, *Antverpiæ* & alibi amicis communicati periêre, quos ipſi Lobelio dederat amicus ſingularis D. *Johannes Loeus* Germanus, Londinenſis Chirurgus egregius à naucleris reducibus ex Hiſpaniola occiduæ Indiæ *Teborum Capo* ſeu *Porto* vocata.

6. *Narciſſus* Africanus ſive exoticus bifolius duplex foliis acutis & obtuſis, nobis. Hic variat tantum quoad folia, quæ bina ſemper oppoſita per terram ſtrata conſpiciuntur, ſuntque vel mucronata ſeu acuminata, vel obtuſa ſeu rotunda.

7. *Narciſsus* minimus calice pleno petalis ſex reflexis luteis, nobis. Bulbocodium minimum coronatum, J. B. Chabr. Narciſſus minimus coronatus, Lob. *Teuton*. Narciſſus 21. ſive montanus coronatus, C. B. Phytob. Pſeudonarciſſi genus admodum exile, Cluſ. Bulbum habet hic Narciſſus omnium minimum, ex quo unicum protruditur folium, atque in ſuperiore caulis parte ex vagina membranacea exit unicus exilis flos calicem gerens luteum quem ambiunt ſex petala lutea, valde reflexa.

8. *Narciſſus* minimus calice amplo plano, nobis. Bulbocodium tenuifolium, J. B. Chabr. Naſcitur hic Narciſſus minimus, inquit Cluſius, quibuſdam Luſitaniæ & Bituriæ collibus. Pſeudonarciſſi genus eſt, cui folia quaterna, non lata vel porracea, ſed valde anguſta, ut Croci folia, ſeu quaſi juncea: caulis tenuis, nudus, palmum altus, cujus extremitati inſidet flos è vaginula membranacea emergens, qui ſex petalis herbido-palleſcentibus expanſis conſtat, quorum medium calix flavus calathi inſtar oblongus, verſus marginem amplus, nullis oris ſinuoſis præditus, ut Bulbocodium tenuifolium flore luteo fimbriato, ſed æqualibus & planis: radix exigui Narciſſi tenuifolii & floribus fimbriatis radici par, nucem Ponticam æquans, intus candida, foris nigricans; flori deciduo ſuccedit caput triquetrum, ternis loculamentis aliorum Narciſſorum more diſtinctum. Florebat Januario cum Uliſſippone Hiſpalin proficiſceretur Cluſius, ubi incolæ *Campanilla*, hoc eſt, Campanulam vocabant. Referantur omnes hi Narciſſi ad cap. X. Sect. 4. inter ſuæ familias plantas ſimiles.

9. *Hyacinthus* latifolius Dalpii. J. B. Chabr. Hic ſponte creſcit in monte aureo Arverniæ; radice conſtat corticoſa, pluribus tunicis obducta; folia emittit 8. aut 10. obſcure viridia, craſſa, lata, Lilii foliorum quodammodo æmula: flores edit in ſummo caulis ſenos, ſeptenos, nunc plures, nunc pauciores, cæruleos ſeu eleganter purpureos, particulatim ſe expandentes: ſemen continetur in capitulis tricapſularibus.

10. *Hyacinthus* Tripolitanus, J. B. Chabr. Foliis eſt longis tenuiſſimis Phalangii vulgaris foliis ſimilibus: caulis ſatis magnus, in cujus ſummitate quatuor flores ſpecioſi, colore & magnitudine

tudine ſimiles Hyacinthi ſtellati Germanici floribus, ſed tribus petalis erectis, & tribus repandis, ut in Iride parva, cærulea: radices forma & colore Tuliparum radicibus ſimiles, ſed multo minores. Aprili Tripoli obſervavi, inquit Rauwolfius.

Quamvis à flore lacteo Ornithogalon aut Ornithogale herba, ut Plinii verbis utar, deducta eſſe videatur, veruntamen hujus quoque ſpecies nonnullæ florem edunt luteum ſeu croceum, nihilque vetat quo minus natura varietatis ſtudioſa, coloris etiam alterius plura alibi producat, quibus non floris albedo, ſed effigiei ſimilitudo Ornathogali nomen conſervat: niſi forte, quod & ſanius interpretatur Dalechampius, Ornithogalum dictum fuerit à lacteo candore bulbi, figuram ovorum avium referentis, potius quam à flore, qui cum avibus aut avium partibus, cognationem nullam habere videtur.

11. *Ornithogalum* luteo-virens, Jacob. Cornut. Huic caulis & folia ſimul emergunt longa, lata, ut in Ornithogalo Pannonico, ſimiliter etiam ſulcata, caulis inter hæc medius, ultra pedalem longitudinem aſſurgit, rotundus, glaber, virenſque: hunc tenuis veluti glauci coloris halitus ſuffundit, cum leviore tactu defloratur, ut in prunis, uvis præmaturis videre licet. A medio fere ad faſtigium uſque floſculorum globulus ſpicatur, adjecta cujuſque petali appendicula, cujus cavitatibus flores ſinguli celantur ad modum granorum in ſpica triticea, quæ gluma ſolent obtegi, id quod familiare eſt vulgari noſtrati Ornithogalo. Paulatim globuli ſe è cavitate illa ſubducunt, ſubjectique eorum pediculi longius producuntur, unaque cum flore deorſum nutant: flos tandem luteovirens dehiſcit, ſex petalis conſtans, quorum tria externa latiſſime expanſa luteo colore fimbriantur, tria vero interna in ſe compreſſa manent ut Leucoi minoris verni, mucroneſque habent intro reflexos, quibus ſtamina alba cum apicibus luteis reconduntur, tria vero his impoſita ſtamina apicibus carent, piſtillum triangulare medium floris occupans, ſeminibus parvis turget: hujus in apice mollis ſtat epiphyſis quæ cum flore marceſcit. Nunquam floris hujus petala vento aut vetuſtate decutiuntur, ſed in ſe contracta & occluſa tabeſcunt. Referatur hoc ad caput 12. inter ſui generis plantas.

12. *Moly* floribus ſubviridibus longiſſimis pediculis innitentibus, nobis. Moly flore ſubviridi, Boccon. Moly hoc bulbum oblongum habet: folia Aſphodeli albi foliis ſimilia: caulem rotundum, lævem, non raro cubitali proceritate eminentem, cujus ſummum occupant, in umbella quaſi, flores è luteo vireſcentes, longiſſimis pediculis innixi. Gaudet opacis locis & ſilvis umbroſis. In montis Medoniæ convallibus copioſum occurrit. Remittatur ad cap. 16. ad ſibi ſimiles bulbos.

13. *Lilium* Canadenſe imperfectis floribus & irregularibus multis albis, nobis. Vide deſcriptionem ſupra cap. 20.

14. *Lilium* cruentum latifolium, J. B. Chabr. Bulbo innititur tali, quali Lilium album: caule verò donatur, non ut cætera Lilia, craſſo, ſed tenui, qui florem producit unicum cruentum, ſex petalis latis conſtantem: cauli adnaſcuntur folia rara, valde lata, Plantaginis mediæ foliis ſimilia. Dicitur Tabernæmontano Lilium 6. ſive cruentum latifolium. Remittantur hæc duo Lilia ad cap. 20.

Explicatis & enumeratis Hexapetalis Tricapſularibus plantis in priore membro hujus Sectionis, in ſecundo ejuſdem membro hic tractabimus de Pentapetalis, radicibus tuberoſis ſeu nodoſis granulatis, grumoſis, ſeu Aſphodeli radicibus præditis: exordium faciemus ab Anemone, cui ſubnectemus Pulſatillam, Caryophyllatam, Hepaticam triphyllam, & Ranunculos variorum generum, tam propter affinitatem radicum tuberoſarum, nodoſarumve, granulatarum, grumoſarum, quam Aſphodeli. Quædam harum plantarum ſena gerunt petala, quædam plura, ſed utplurimum quina, cujuſcunq; ſint coloris aut magnitudinis; in hoc conveniunt omnes quod ſingulis floribus evaneſcentibus ſuccedant plurima ſemina in unum coacervata, ſive rotatim aut globatim vel ſpicatim proveniant, ſive ſint papposa crinitave, vel ſolida aut aculeata.

SECTIONIS QUARTÆ

MEMBRUM SECUNDUM.

Anemone, Pulſatilla, Caryophyllata, Hepatica ſeu Trifolium hepaticum, & Ranunculus.

CAPUT XXV.

ANEMONE.

ANEMΩNH *Dioſcoridi l. 2. c. 207. Anemone Plinio l. 21. c. 23* ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, *à vento, quod flos tantum vento flante aperiatur,* nos potius nomen deductum aſſerimus, quod ejus ſemina pappo involuta vento ablata longe volent, *unde & herba venti quibuſdam.*

Genera duo Dioſcoridi & Plinio, ſilveſtre & ſativum: hujus inquiunt multæ ſpecies, Phœniceo flore, candicante aut lacteo, aut purpureo.

Anemone eſt planta hexapetala cujus flori deciduo ſuccedit ſpica multis ſeminibus pappo aut tomento involutis, onerata: radice conſtat tuberoſa aut nodoſa. Eſt à latitudine foliorum, vel latifolia, vel tenuifolia: ratione colorum florum, eſt vel flore candido, rubro purpureove, cæruleo, coccineo vel verſicolore, id eſt, variis coloribus mixto: eſtque à numero petalorum in floribus, vel ſimplex, vel multiplex; à loco eſt ſilveſtris, vel ſativa; eſt radice tuberoſa, eaque vel longa, aut rotunda.

TABULA XXV. Sectionis quartæ.

Anemone
- *Simplex*
  - 1. *Trifolia, Dod. Ger.* ⊙
  - 2. *Silveſtris major alba, C. B. P. Anemone 3. Matth. Anemone flore albo, Lob. Eyſt.* ⊙
  - 3. *Clyclamini ſeu Malvæ folio lutea, C. B. P. Anemone hortenſis latifolia* 1ma *ſimplici flavo flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 4. *Geranii folio rotundo purpuraſcens, C. B. P. Anemone hortenſis latifolia 3. ſimplici flore, Cluſ. Hiſt. Anemone papaveracea, Tab. Ger.* ⊙
  - 5. *Latifolia ſimplici carneo flore, C. B. P. Anemone hortenſis latifolia 6. ſimplici flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 6. *Oenanthes folio flore violaceo hexapetalo, nobis. Anemone Oenanthes foliis flore violaceo hexaphyllo, C. B. P. Anemone tenuifolia flore purpuro-violaceo, Eyſt.* ⊙
  - 7. *Cærulea Geranii Robertiani folio, an Dioſcoridis, C. B. P. Anemone Robertiana, Tab. Anemone Geranii folio, Ger.* ⊙
- *Multiplex*
  - 8. *Hortenſis verſicolor, nobis. Anemone hortenſis latifolia pleno flore, Cluſ. Hiſt. Anemone maxima polyanthos Chalcedonica, Lob. Ger.* ⊙
  - 9. *Latifolia coccineo flore, nobis. Anemone latifolia flore pleno coccineo, C. B. P.* ⊙
  - 10. *Latifolia Chalcedonica ſeu polyanthos major, Paſſæi.* ⊙
  - 11. *Tenuifolia flore coccineo multiplici, Eyſt.* ⊙
  - 12. *Tenuifolia Bizantina flore carneo vivaciſſimo, Floræ Pariſiis.* ⊙
  - 13. *Tenuifolia flore purpuro-violaſcente polypetalo, nobis. Perperam polyphyllo, Floræ Pariſiis.* ⊙

Explicatio Tab. vigeſimæ quintæ Sectionis quartæ.

§. 1. *ANEMONE flore ſimplici.*

1. A*Nemone* trifolia, Dod. Ger. Hæc facile cognoſcitur à cæteris omnibus, folia etenim nec Ranunculo, nec Coriandro ſimilia, ſed potius inſtar Trifolii cohærent, ſiquidem terna, non magna, lata, acuminata, indiviſa, margine tantummodo crenata: cauliculus palmum

mum altus, cujus faſtigio inſidet flos pentapetalus, ſubinde hexapetalus, candidus, aut ex albo purpuraſcens, Ranunculi florem forma æmulatus, qui marceſcens nonnihil purpurei coloris contrahit; huic ſuccedunt ſpicatim annexa plurima ſemina pappo involuta, quæ vento ablata huc illuc agitantur, & ubi decidunt germinant; radix etiam obliqua in propagines quaſdam extuberat, non abſque capillamentis fibroſis.

2. *Anemone* ſilveſtris major alba, C. B. P. Anemone 3ia Matth. Lugd. Anemone flore albo, Lob. Eyſt. Anemone ſilveſtris 1ma Cluſ. Hiſt. Hæc foliis creſcit Ranunculi 1. Matthioli foliis ſimilibus, caulibus tenuibus, ſeſquipalmaribus, rotundis; in quorum cacumine flores exeunt albi, quinis petalis diſtincti, Roſarum ſilveſtrium magnitudine, & nonnunquam tenui quadam purpurâ reſperſi, inferiore præſertim ſede radicem habet fibratam ac tenuem. Naſcitur in collibus; tota planta cæteris mitior eſt, quare minus excalefacit & exſiccat.

3. *Anemone* Cyclamini ſeu Malvæ folio lutea, C. B. P. Anemone hortenſis latifolia 1. ſimplici flavo flore, Cluſ. Hiſt. Anemone latifolia, Lob. Lugd. Tab. Ger. Hæc ſatis ampla habet folia circinatæ fere rotunditatis, in ambitu ſinuata & ſerrata, dura, firma, longoque petiolo fulta, ſupina parte intenſiore viriditate prædita, prona plerumque purpuraſcentia, ut Cyclaminis propemodum folia, fervidiſſimi ſaporis: inter quæ palmaris exit caulis, teres, ſubhirſutus, ſumma parte ferens terna laciniata folia, deinde ex illis emergentem pediculum, qui florem ſuſtinet decem aut pluribus petalis conſtantem, externa parte flavis, interna aureis, umbilicum occupante capitulo multis aureis ſtaminulis ſepto: radix tuberoſa eſt, oblongiuſcula, Tormentillæ vulgaris fere æmula, aliquot fibris prædita, foris nigricans, intus alba, ſolida, ingrati admodum ſaporis, quæque guſtantem excitata nauſea quodammodo ſtrangulet, deinde ſua acrimonia linguam aliquantulum vellicet. Lapidoſis quibuſdam Luſitaniæ collibus juxta Tagum, atque etiam inter vepres eruebat Car. Cluſius Decembri anno 1564. & inſequenti Januario, qualis videlicet in Hiſpanicarum ſtirpium Hiſtoria expreſſa eſt.

4. *Anemone* Geranii folio rotundo purpuraſcens, C. B. P. Anemone hortenſis latifolia 3. ſimplici flore, *Cluſ. Hiſt.* Anemone 1. Dod. Cæſ. Anemone papaveracea, Tab. Ger. Hujus folia ſunt Saniculæ foliorum pene diviſura initio, prona parte nonnihil purpuraſcentia, non multifida & tenuius inciſa; deinde emergit caulis nudus, lanuginoſus, dodrantalis, nonnunquam etiam pedalis, tribus laciniatis foliis, tanquam involucro, florem includens initio, ut in ſuperiore tandem excreſcens florem ſuſtinet in duodena vel quindena petala diviſum, radiatim & ſtellæ in modum cingentia diſcum ſeu umbonem medium ex plurimis ſtaminulis conflatum, quæ foris cineracei ſunt coloris & hirſuta, interius miſta rubedine purpura nitentia, gratiſſimo aſpectu, medium caput (inquam) villoſum, nigris ſtaminulis circumſeptum, quod excuſſo flore veluti primum emergentis Aſparagi thyrſulus intumeſcit & ex plano villoſoque ſive lanuginoſo ſemine conflatum, per maturitatem læviſſimo auræ flatu decutitur, & venti ad arbitrium fertur perinde ac ſilveſtris Anemones vulgariter ſemina: radix novellarum plantarum ex ſemine natarum exiguæ olivæ ſimilis eſt, vetuſtior autem nodoſa & articulata, foris nigra, intus alba, fibris aliquot, per quas alimemtum trahit, prædita, quæque fruſtulatim fracta pangi ac ſeri poteſt. Eam quibuſdam Germaniæ locis ſecundum Rhenum inter Moguntiam & Andernacum inter vepres in aprico florentem Martio conſpiciebam, inquit Cluſius.

5. *Anemone* latifolia ſimplici carneo flore, C. B. P. Anemone hortenſis latifolia 6ta ſimplici flore, Cluſ. Hiſt. Hanc ſpeciem habuit generoſa Domina *Henſenſtain* Bizantio allatam, quæ Aprili & Maio flores protulit: foliorum forma, colore, convenit cum priore, radice autem à priore differt: flores etiam ſimplices, ſed decem aut duodecim latiuſculorum petalorum numero conſtabant ſinguli, purpurei fere coloris, & non multum à 4tæ florum colore recedentis, nonnunquam carnei, unguibus albicantibus, multis nigricantibus ſtaminulis cingentibus medium capitulum hirſutum, quod etiam maturitate in tomentoſam ſeu lanuginoſam ſpicam, ſemen planum in medio tomenti continentem, terminatur.

§. 2. ANEMONE *tenuifolia flore ſimplici.*

6. *Anemone* Oenanthes folio flore violaceo hexaphyllo, C. B. P. Anemone hortenſis tenuifolia ſimplici flore 2. Cluſ. Hiſt. Huic folia ante hyemem prodeunt quina aut ſena, multo minoribus & crebrioribus inciſuris diviſa quam prioris Anguſtifoliæ, Bulbocaſtani ſive Oenanthes primæ foliis non valde diſſimilia, magis tamen carnoſa, & denſiora dilutiuſque virentia: caulis inter ea pedalis aut major, unus utplurimum, nudus, hoc eſt, nullis foliis ſeptus, quadam lanugine pubeſcens inſtar caulis latifoliarum, quem circa faſtigium ambiunt terna

minora & multifida folia ad tempus florem occultantia; quibus explicatis apparet flos ſummo cauli inſidens, qui calore apertus, majore quam Anemone Geranii Robertiani foliis amplitudine præditus conſpicitur, & ſex duntaxat petalis conſtare, licet interdum ſeptena aut octona acquirat purpurei & quaſi violacei coloris, externa parte lanuginoſis, cujus umbilicum occupant ſtamina, nigricantibus apicibus prædita, capitellum villoſum nigrumque ambientia, quod nullum inquam ſemen proferre animadverti licet totis triginta annis, inquit Cluſius, in horto aluerim: radix nodoſa eſt, multos in obliquum quaquaverſum ſpargens tenues fragileſque ramos, foris albicantes, intus albos. Hæc Conſtantinopoli Viennam Auſtriæ allata. Floret Aprili & interdum denuo Autumno; radice mirum in modum propagatur, nam tenuiſſima ejus fragmenta facile comprehendunt & repullulant, etiam abjecta, & nulla terra tecta; nec mirum ſi ſemina non edat cum tantâ aviditate ſingulæ particulæ pullulant.

7. *Anemone* cærulea Geranii Robertiani folio an Dioſcoridis, C.B.P. Anemone Robertiana, Tab. Anemone Geranii folio, Ger. Hortenſis tenuifolia 1ma ſimplici folio, Cluſ. Hiſt. Hæc Anemone multa habet folia novo Vere, cum prodire incipiunt, purpuraſcentia, deinde ex viridi pallentia, nunc trifida, Coriandri, potius Geranii Robertiani foliis ſimilia, tergemina, plerumque ſimul pediculis connexa, hirſuta, & in terram, ut recte monet Dioſcorides, inclinantia: inter quæ caulis exit nudus quidem, ſed quem terna foliola trifariam profundius inciſa, media parte amplectuntur, quæ aliquamdiu florem occultant, donec ſolis calore ex iis ſe explicans & emergens expandatur in quatuordecim aut quindecim petala, mucronata, minora quam in latifoliarum ſpeciebus, coloris vel cærulei, vel albi, ſtaminulis albis, quorum apices pallidi, medium florem occupantibus; decuſſo flore apparet capitellum pene Ranunculi inſtar, conflatum ex ſeminibus ejuſdem ſeminibus ſimilibus, nec caput eſt tomentoſum ut in Anemone latifolia cæteriſque genuinis; ideo hinc averruncanda eſt, & ad Ranunculorum claſſem amandanda hæc planta: radix digitalis plerumque longitudinis & craſſitudinis, in aliquot tubercula eminentia diviſa, iiſque fibris obſita quæ hac illac ſparguntur in terra, foris nigra, intus alba, quæ fragmentis ſimiliter pangi poteſt. Hanc primo habuerunt ſeptentrionales rariorum plantarum cultores ex Italia, radicibus primo miſſis à clariſſimo viro *Alphonſo Pancio*, ſereniſſ. Ferrariæ ducis medico, illuſtri viro *Johanni de Brancion*, qui aliis ejuſdem copiam fecit.

8. *Anemone* hortenſis pleno flore verſicolor, C.B.P. Anemone hortenſis latifolia pleno flore, Cluſ. Hiſt. Anemone maxima polyanthos Chalcedonica, Lob. Ger. Hæc multa habet folia, lata, profunde inciſa, in margine leviter ſerrata initio, Anemones ſimplici flore foliis pene ſimilia, deinde Saniculæ foliorum magis æmula, majora tamen, magis dura nervoſaque & in tres lacinias altius diviſa, inſuper in ambitu ſerrata, ſupina parte viridia admodum, & quaſi nigricantia, pronâ candidiora, fervidiſſimi ſaporis & linguam illico urentis, ante hyemem etiam germinantia. Novo jam Vere unus aut alter caulis inter folia prodit dodrantalis, interdum etiam pedalis longitudinis, craſſiuſculus, nudus, hirſutus, ſeu brevi lanugine ſeptus, circa faſtigium tria latiuſcula folia, aut nullis, aut breviſſimis laciniis diviſa, ab eodem fere exortu prodeuntia & ſimul tandem caulem amplectentia, proferens, deinde binis unciis ſupra jam dicta folia emergens, magnum ac late expanſum florem ſuſtinet numeroſis petalis conſtantem, quorum externa & majora dena aut duodena colore viridi utplurimum prædita ſunt, eorum mucronibus coccineo colore leviter & virgatim ſtriatimque infectis, interna vero minora & anguſtiora dilutiore ex rubro purpura nitent, & quæ medium florem occupant, ejuſdem etiam coloris, ad umbilicum reflexa & glomerata ſunt.

9. *Anemone* latifolia flore pleno coccineo, C. B. P. Anemone hortenſis latifolia 2da pleno flore, Cluſ. Hiſt. Hujus petala octona aut plura externa latiora & obtuſiora ſunt, interna vero coccinei prorſus coloris: eorum ungues ſuperiore parte ex pallido flaveſcunt, infima qua capita adhærent coccinei radiatim, in pallido deſinentis, ſunt coloris: floris autem umbilicum non occupant glomerata & reflexa petala, ut in præcedente, ſed villoſum capitellum nigricans, multis nigris ſtaminulis cinctum, quorum apices initio palleſcunt, deinde ubi obverſi, ad ſubcæruleum colorem tendunt. Ejus floris diameter tribus unciis Romanis amplior, teſtante Cluſio.

10. *Anemone* tenuifolia flore coccineo pleno, Eyſt. Latifolia Chalcedonica maxima polyanthos Paſæi. Hæc à magnitudine floris ejuſq; eleganti coccineo colore facile à cæteris cognoſcitur.

11. *Anemone* tenuifolia flore coccineo multiplici, Eyſt.

12. *Anemone* tenuifolia Bizantina flore carneo vivaciſſimo Floræ Pariſiis. Vide Iconem.

13. *Anemone* tenuifolia flore purpuro-violeſcente & polypetalo (perperam polyphyllo) ſecundum doctrinam noſtram. Vide Iconem.

Omnium

Omnium Anemonarum aſſignare varietates quoad magnitudinem & parvitatem florum, eorumque diverſos colores labor eſſet infinitus, atque cujuſvis Botanici ſuperans captum. Natura adeo varie ludit in hoc genere, ſicut in Tulipis atque Narciſſis, Ranunculis, Caryophyllis, aliiſque multis generibus, longe patentibus in immenſo oceano ſeu Univerſali Hiſtoria plantarum, ut de omnibus & ſingulis agere (quia ex ſatione indies novæ varietates oriuntur) eſſet Siſyphi volvere lapidem, aut Danaidum dolium implere. Nos genera hic & alibi aſſignamus, ut quilibet poterit ſubalterna genera à latitudine & anguſtia foliorum, eorumque diverſitatem à ſimplici vel multiplici ſerie petalorum, eorundemque variis coloribus proprio Marte inveſtigare & pronunciare. Nullus eſt à natura limes nomina convenientia hiſce Anemonarum aliorumque generum ſpeciebus imponendi præſcriptus aut affixus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Anemone, *authore Dioſcoride, vim habet acrem, cum ejus radix ſit calida & fervidi guſtus. Galenus omnes Anemones ſpecies extrahendi, & attrahendi, & ora vaſorum reſerandi, facultatem obtinere ſcribit, itaque radix, ait, commanducata pituitam evocat: ejuſque ſuccus ex naribus purgat, oculorum cicatrices extenuat: inſuper ſordida ulcera Anemonæ expurgant & lepras retrahunt, menſeſque appoſitæ eliciunt, lac trahunt, lac quidem attrahere Dioſcorides inquit; folia & caules cum Ptiſana cocta & in cibo accepta menſes etiam ciere in peſſo appoſita.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 174. col. 1. pl. 1. Anemone cærulea Geranii Robertiani folio an Dioſcoridis, C. B. P. Anemone Robertiana, Tab. Anemone Geranii folio, Ger. Hæc non fundit ſemina pappoſa, ergo non eſt Anemone dicenda Authoribus: ſemina producit Ranunculorum more, plurima aculeata in unum caput coacervata, ergo eſſet Ranunculus cæruleus Geranii Robertiani folio dicendus.

Pag. 176. col. 2. pl. 11. Anemone nemoroſa flore majore V. Bauhini in Prodromo, & omnes Anemones ſpecies uſque ad finem col. 1. pag. 177. non ſunt Anemones ſpecies quia ſemina lanuginoſa non producunt, ſed ſunt Ranunculi ſpecies a ſeminibus aculeatis in capitulum congeſtis; graviter lapſi ſunt Authores qui errare fecere Caſp. Bauhinum; nec hic, nec illi finem ultimum conſideraverant.

DE HEXAPETALIS TUBEROSA RADICE,

Et pluribus ſeminibus crinitis, ſeu pappoſis ſimul congeſtis præditis.

CAPUT XXVI.

PULSATILLA.

Anemones alterum genus quæ Limonia vocatur, Plin. l. 21. c. 11. ex Theoph. 6. Hiſt. 7. Anemones genus (Gaza Fremium vertit. Plin. l. 21. c. 23. Phenion habet) quod Leimonion vocant: hanc ſunt qui Pulſatillam eſſe velint. Pulſatilla nominatur, quod ſeminum tremuli pappi leviſſimo flatu huc atque illuc agitentur, unde & herba venti dicitur, quare ἠρίγερον *dici poteſt.*

Pulſatilla eſt planta hexapetala, cujus flori deciduo ſuccedunt plurima ſemina ſimul juncta verſus ſummum caulis faſtigium, à quorum ſingulis villoſa cæſaries ſeu coma incaneſcens proſilit. Eſt enim planta calida & fervidi guſtus, ut Ranunculi & Anemones ſpecies; hujus enim in remiſſiore, illius in intentiore gradu. Quoad folia eſt aut foliis minus aut magis diſſectis Apii aut Paſtinacæ ſilveſtris tenuifoliæ: ratione colorum florum, eſt vel flore cæruleo violaceove, rubro aut albo, vel luteo.

TABULA XXVI. Sectionis quartæ.

Pulſatilla – *Flore*
- 1. *Majore dilutiore, nobis. Pulſatilla vulgaris dilutior, Cluſ. Hiſt.* ☉
- 2. *Minore ſaturatiore & quaſi nigricante folio magis & tenuius inciſo, nobis. Pulſatilla vulgaris ſaturatiore flore, Cluſ. Hiſt.* ☉
- 3. *Albo, C.B.P. Pulſatilla alba, Lob. Lugd.* ☉
- *Luteo*
  - 4. *Paſtinacæ ſilveſtris folio, nobis. Pulſatilla lutea, Geſn. Hort. Ad. Lob. Cam. Ep.* ☉
  - 5. *Apii hortenſis folio, nobis. Pulſatilla Alpina 2. Lugd.* ☉
  - 6. *Alpina hiſpidior, C.B.P. Pulſatilla 1. Lugd.* ☉

Explicatio Tab. vigeſimæſextæ Sectionis quartæ.

1. *PVlſatilla* folio craſſiore flore majore dilutiore, nobis. Pulſatilla vulgaris dilutior, Cluſ. Hiſt. & Pan. Pulſatilla vulgaris, Lob. Ger. Folia hujus ſatis Paſtinacæ ſilveſtris ſeu Carotæ foliis ſimilia ſunt, niſi ab iis magnitudine vincerentur, tenui diviſura piliſque reſpondentia, ex pediculo longiore palmari circiter, admodum villoſo & propter terram ſubrubente appenſa: caulis teres, cavus, denſa lanugine obductus, dodrantalis, delapſo flore pedalis & major, multis vel ramis vel foliis donatus, unico excepto folio caulem medium fere cingente & in plurimas lacinias diviſo, inferioribus latioribus, quod paulo aliquando infra florem naſcitur, denſo mollique tomento comatum, circumcirca labri aut acetabuli profundiuſculi inſtar caulem cingens, ſibique verſus caulem continuum, quod exterius in lacinias numeroſas tenueſque finditur: caulis faſtigio ſummo flos inſidet unicus, magnus, è ſex petalis acuminatis & reflexis compoſitus, purpuraſcens, foris hirſutus, intus glaber, levem ſed ſuavem odorem ſpirans: medium obſidet ex oblongo rotundum capitulum, fibris apicibuſque luteis cirratum; poſtquam autem dilapſus eſt flos, caulis ſupra folium prædictum altius excreſcit, locoque floris ſuccedit comoſum capitulum ſtaminum holoſericeorum mollitie ſeu villoſa cæſarie comoſum & incaneſcens, argentei ſplendoris; appenſo unicuique ſtamini ſemine oblongo, tereti: dilapſis porro & præ ſiccitate caducis ſeminibus, una cum ſtaminibus appenſis, caput relinquitur rotundum: radix craſſa, longa, nigra, in plura capita interdum diviſa, ſuperius ex reliquiis marcidorum foliorum comata, ſapore nonnihil amareſcente, & tandem acrimonia linguam vellicante.

2. *Pulſatilla* flore minore ſaturatiore & quaſi nigricante folio magis & tenuius inciſo, nobis. Pulſatilla vulgaris ſaturatiore folio, Cluſ.Hiſt.Pulſatilla altera,Dod.Lugd.Pulſatilla flore clauſo, Lob. Icon. Hæc florem edit minorem, ſaturatius purpuraſcentem, tardius florentem (proinde ſerotina dici poteſt) folia habet longiora, acuminata, ſine ordine caulibus adhærentia. Reperitur & flore rubro, quæ eſt Pulſatilla rubra, Dod. Lob. Lugd. Tab. Ger. cujus petala in extremis ſunt obtuſiora. Invenitur nonnunquam luxuriante natura flos hujus duplici petalorum ſerie conſtans ſeu pleno flore.

3. *Pulſatilla* flore albo, C. B. P. Pulſatilla alba, Lob. Lugd. Tab. Ger.Pulſatilla flore candido, Dod.Hæc folia habet prioris ſimilia,duriora tamen,& florem lacteum; inter myriades Pulſatillas flore purpureo donatas una aut altera flore lacteo,quandoq; frequentiores reperiuntur ſponte in agro Neapolitano, referente Ferdinando Imperato, atq; ob radicum acrimoniam *Gengevo Silvatico*, id eſt, Gingiber ſilveſtre appellatur. In Mindenis & Arverniæ montibus reperitur etiam, authore Pena. Utraque hæc ſpecies interdum & lacteo flore mixtim inter alias ejus generis plantas naſcens, ſimul & ineunte Vere flores producens reperitur in Pannoniæ & Auſtriæ ſilvis, imo toti Germaniæ & Galliæ locis incultis ſatis communis, & in Burgundia Andibus ſeu territorio Andegavenſi vulgariter in locis neglectis reperimus nos.

4. *Pulſatilla* lutea Paſtinacæ ſilveſtris folio, C. B. P. Pulſatilla lutea, Geſn. Hort. Ad. Lob. Cam. Ep. Pulſatilla Alpina 3. Lugd. Anemone ſilveſtris 3. Cluſ. Hiſt. Hæc quarta nobis elegans eſt ſpecies Pulſatillæ nec ante Cluſium deſcripta, nec à Cluſio ipſo obſervata, ſed à *Tobia Roëlſio* medico Medioburgenſi apud Mattiacos, dum ex Italia Baſileam proficiſceretur. Hæc à radicis (quæ nonnunquam minimi digiti craſſitudinem æquat) villoſo capite multa protrudit folia, vulgaris Pulſatillæ foliis pene ſimilia, laciniata & multis diviſuris ſecta, mollia, parte ſupinâ viridia, prona autem paululum candicantia, valde hirſuta: inter quæ caulis emergit nudus, rotundus, lanugine obſitus, circa ſummum ſuſtinens folia, è quibus prodit vulgaris

vulgaris Pulſatillæ ſimilis pediculus, cui inſidet flos unicus, major utplurimum, & Pulſatillæ vulgaris more ſex petalis conſtans, quæ interiore parte flava ſunt, exteriore autem ob lanuginem dilutiora & pallentia: in hujus meditullio orbiculatum caput luteis ſtaminulis tinctum, cui villoſa cæſaries ſuccedere videtur. Floret Junio, & Auguſto menſe maturitatem aſſequi veriſimile eſt, cum aliis ſuæ ſortis. In Alpium planis & Tauronenſibus naſcitur, nuſquam abundantius quam circa pedem montis Sancti Bernardi, qua Helvetios ſpectat.

5. *Pulſatilla* lutea Apii hortenſis folio, C. B. P. Pulſatilla Alpina 2. Lugd. Anemone ſilveſtris 3. Cluſ. Hiſt. Radice eſt hæc tenuiore & breviore, minus atra: foliis Apii hortenſis ſimilibus, paulo latioribus, hirſutis, radicem ambientibus, nullis in caule dodrantali lanuginoſo, media ſui parte villoſo glomo pubeſcente, ex quo prodit floris aurei pediculus, ſuſtinens poſt evanidum florem ſemina in acervum coacta, villoſa cæſarie aliorum hujus ſortis ſeminum more ornata.

6. *Pulſatilla* lutea Alpina hiſpidior, C. B. P. Pulſatilla 1. Lugd. Radice conſtat craſſa, nigra, exeſa; foliis Apii modo diſſectis, inter tres has ſpecies latiſſimis, hiſpidis. Omnes hæ tres poſteriores Pulſatillæ ſpecies reperiuntur in monte Jura & in Allobrogum vicinia. Vide quatuor alias deſcriptas in Prodromo Caſp. Bauhini.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Eſt enim Pulſatilla vehementer acris, quamcunque corporis contigerit partem, ſi imponatur trita exulcerans & erodens: Ranunculis haud inferior, proinde calida vehementer, & ſicca. Ab Empiricis id compertum habet Brunsfelſius, quod vulneraria ſit herba, quodque folia non ſine acore quodam ſecentur, ita ut oculos quemadmodum Allium & Cepa feriant; quod illa per Alembicum diſtillata aquam vulneribus mundificandis curandiſque præſtent utiliſſimam, quæ & putridam carnem erodat. Folia, caules & flores, inquit Matthiolus, cum acerrimo ſint guſtu, excalefaciunt & ſiccant ordine quarto. Incidunt, attenuant, attrahunt, digerunt, expurgant exulcerantque. Radix vero cum ſubdulcis ſit, non longe aberit à temperatis. Sunt qui eam præferant contra peſtilentiæ contagia, & venena pota, & virulentorum animalium ictus, ſi cum vino bibatur, drachmarum duarum pondere, quare in antidotis additur. Aqua è foliis diſtillata vulnera ſanat, & pota ſudorem provocat. Pulſatilla, Trago dicta herba venti, calida eſt & ſicca, debetque magis exterius, quam interius corporis partibus adhiberi. Commendatur ad calculos, gangrænam, putrida vulnera, ungues ſqualidos, papulas, mariſcas, verrucas & mammillas. Radix ſiccata, ſternutamenta ciet: cruda vero manſa pituitam elicit.

DE PENTAPETALIS TUBEROSA ET FIBROSA RADICE,

Et pluribus ſeminibus crinitis ſimul congeſtis donatis.

CAPUT XXVII.

CARYOPHYLLATA.

Caryophyllata, ab odore radicis ſic dicta, quod vernali tempore eruta Caryophyllum aromaticum odore referat: vulgus ab inſigni ejus efficacia herbam benedictam & ſanamundam appellat. Sunt qui ad Lagopum Dioſcoridis l. 4. c. 17. referant: alii rectius ad Geum Plinii l. 26. c. 7. alii ad ejuſdem lib. 25. c. 9. Argemoniam vocant, cujus radix thus redoleat.

Caryophyllata diſtinguitur à Pulſatilla quod folia habeat lobata utplurimum hirſuta & crenata, ſemina aculeis rigidioribus ſeu minus pappoſa ſeminibus Pulſatillæ, etiam donata. Caryophyllata à colore florum eſt, vel purpurea, vel lutea aut alba; à ſtructura foliorum diverſis modis ludit natura, ſed cujuſcunque ſunt folia formæ, conveniunt fine ultimo, id eſt, ſemina arcte in globulum coacta relinquunt filamenta rigida, crinita aut pappoſa, atque eo nomine cum Pulſatilla conveniunt, etiamſi flores producunt pentapetalos omnes Caryophyllatæ.

TA-

Pars TABULÆ XXVI. Sectionis quartæ.

Caryophyllata
- *Vulgaris flore*
  - 1. *Minore, nobis. Caryophyllata vulgaris, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 2. *Majore, C. B. P. Caryophyllata ſilveſtris, Fuch.* ⊙
- *Alpina lutea*
  - 3. *Major, nobis. Caryophyllata major rotundifolia, Lob.* ⊙
  - 4. *Omnium minima, Ponæ Ital.* ⊙
  - 5. *Apii folio, nobis. Caryophyllata Alpina minima altera, Ponæ Ital.* ⊙
  - 6. *Quinquefolia, nobis. Caryophyllata Alpina Pentaphyllea, Ad. & Icon. Lob. Ger.* ⊙
- *Aquatica*
  - 7. *Nutante flore purpureo calathi effigie, nobis. Caryophyllata rotundifolia Septentrionalium pappoſo flore, Ad. Lob.* ⊙
  - 8. *Altera purpurea, nobis. Caryophyllata montana 3. Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 9. *Alpina Chamædryos folio, nobis. Chamædrys Alpina Cyſti flore, C. B. P. Chamædrys montana fruteſcens durior, Ad. Lob.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæſextæ Sectionis quartæ.

1. *Caryophyllata* vulgaris, C. B. P. Cluſ. Hiſt. Ad. Lob. Cam. Caryophyllata hortenſis, Fuch. Caryophyllata, Dod. Herba benedicta 4. Brunsf. Benedicta, Geſn. Caryophyllatæ huic vulgari flore minore ſunt folia ſubaſpera, hirſuta, ſerrata, alata, id eſt, folia viciniora radici bis bina, aut ter terna conjugatim pediculo foliorum adnaſcuntur minora, unum impar majus, etiam ſerratum & mucronatum, extremum pediculi claudit, adeo ut hoc cum duobus extremis conjugatis foliis tripartita, Trifoliorum modo appareant in extremo pediculi: è medio pediculorum foliorum exeunt caules cubitales, ſubinde bicubitales, tenues, qui ſurſum verſus in ramulos finduntur, atque ſingulis bifurcationibus terna conſpiciuntur foliola, arcte cauli adhærentia, aſpera, nigra & ſerrata; pariter in ramulorum faſtigiis floſculi apparent lutei, pentapetali, ſubrotundi, minores multo ſequentis flore, cum plurimis ſtaminulis itidem luteis, quinis itidem inter ſingula petala ſubrotunda, exilientibus foliolis anguſtis, valde mucronatis, quæ capſularum loco flori inexpanſo inſerviebant: ſingulis floribus decidentibus ſuccedunt ſingula capitula, aſpera, ex multis ſeminibus in unum centrum congeſtis conflata, & filamentis hirſutis, rigidis ornata, beneficio quorum per maturitatem exſiccatorum, veſtibus prætereuntium adhærent prædicta ſemina: radix multis capillamentis ſubruffis fibrata, quæ exſiccata Caryophyllum odore refert. Naſcitur ſecus vias, agrorum & hortorum ſepimenta, inter vepres etiam, gaudet opacis ac umbroſis locis, magis quam patentibus atque apricis.

2. *Caryophyllata* vulgaris majore flore, C. B. P. Caryophyllata ſilveſtris, Fuch. Caryophyllata montana vulgari ſimilis, Cam. Caryophyllatæ montanæ hujus flores ſunt multo prioris floribus majores, magiſque ad croceum colorem accedunt. Quilibet ejus differentiam ex picturæ floris intuitu poterit diſcernere in Tab. 26.

3. *Caryophyllata* Alpina lutea major, nobis. Caryophyllata Alpina lutea, C. B. P. Caryophyllata major rotundifolia, Lob. Caryophyllata montana, Dod. Tab. Ger. Caryophyllata montana 2. Cluſ. Hiſt. & Pan. Simili etiam propemodum ratione ſerpit hujus luteæ radix, qua purpurea infra deſcribenda, cujus etiam radice non eſt minor; è qua ſimiliter multi pediculi naſcuntur ſuſtinentes hinc inde ternas, quaternas, ſubinde plures alas ex oppoſito, vel aliquando alternatim pediculo annexas, alis Caryophyllatæ purpureæ nutante flore non breviores, ſed longiores & majores, hirſutas, ſerratas, dilute virentes: extremum pediculi claudit unicum folium, rotundum, ejuſdem coloris, ſimul ſinuatum & ſerratum. Ex medio pediculorum foliorum exeunt dodrantales caules, graciliores quam ſunt Caryophyllatæ purpureæ caules, minoribuſque foliis cincti, qui ſingulares plerumque, nonnunquam etiam plures caliculos ſuſtinent, in quibus ſeſe ſiſtunt videndi flores aurei, pentapetali, majores, hiantes, Ciſti feminæ amplitudinem interdum æquantes; medium occupant multa ſtaminula, inter quæ latet villoſa quædam congeries ſeminum, quæ excuſſo flore ſeſe explicans mollior eſt Caryophyllatæ purpureæ nutante capite congerie, & ſemen planum adnatum crinitis filamentis oſtendit,

oſtendit, quod maturitate fuſcum eſt. Tota etiam planta lanugine obſita, & aſtrictionis particeps eſt. Hæc ſpecies in ſummis Alpium jugis, nec in omnibus tamen, ſed inter gramina, vel ſub fruticibus naſcitur. Floret iſthic Junio; ſemen Auguſto eſt maturum, in hortis maturius, unà cùm Caryophyllata purpurea nutante flore.

4. *Caryophyllata* Alpina longifolia ſinuatis nec profunde inciſis foliis, nobis. Caryophyllata Alpina omnium minima, Ponæ Ital. Cariophyllatæ Alpinæ minimæ 1. ſpecies, eidem. Caryophyllata Alpina minor, C. B. P. & Prod. Hæc minor ſpecies lutea provenit ex radice craſſiuſcula, dimidium palmum longa, candicante & multifariam diviſa; ex qua protruduntur è terra folia tres uncias longa, foliorum Agrimoniæ æmula, ſed non tam incana ſeu albida, hirſuta tamen admodum, ſcatent enim lanugine coloris obſcure virentis & quaſi ſplendentis, æqualiter hinc inde diſpoſita, in margine profunde ſatis ſinuata; in hiſce venæ conſpiciuntur: è medio foliorum ſurgit unicus cauliculus, curtus admodum, ſuſtinens unicum florem aureum, pentapetalum, in cujus medio cernuntur plurima filamenta, cum calyce non abſimili prioris & majoris lutei calyci: cauliculus eſt, inquam, parvus, lanuginoſus, rotundus, palmaris ad ſummum. Floret Julio. Planta eſt vivax: exſiccat ut cæteræ ſuæ familias. Invenitur in deſcenſu montis majoris Baldi, & non procul inde cernitur altera & ſequens ſpecies foliis Apii & caulibus procumbentibus.

5. *Caryophyllata* Alpina Apii folio, C. B. P. Caryophyllata Alpina minima altera, Pon. Ital. Hæc Caryophyllata Alpina accedit priori parvitate, ſed differt præcipue ab ipſa, quod folia profundius inciſa, & foliorum Apii, inquit Caſp. Bauhinus, potius Saxifragæ criſpæ ſeu petrææ Tabernæmontani foliorum æmula, ex noſtra ſententia; prima folia per terram ſternuntur ut Potentillæ folia: caules exeuntes è medio foliorum ſunt longi, cubitales ſcilicet, ſuſtinentes ſinguli unicum florem luteopallidum, qui eſt reſpectu plantæ ſatis magnus, habetque in medio capitulum multis longis filamentis, denſe diſpoſitis, plenum. Multo magis exſiccat hæc ſpecies quam prior quarta. Plantula eſt rara, diu durans. Invenitur cum priore in monte majore Baldo, teſte Johanne Pona.

6. *Caryophyllata* Alpina quinquefolia, C. B. P. Caryophyllata Alpina pentaphyllea, Ad. & Icon. Lob. Ger. Hanc primum nacti, inquiunt Lobelius & Pena, putavimus eſſe Tormentillæ aut Pentaphylli ſpeciem, verum radix Geranii radice fibroſior, foriſque rubiginoſa, parum quid ſuave redolens, quinetiam flores pentapetali, lutei, & cæſaries comoſa ipſis ſuperveniens, Caryophllyatam teſtantur: caules erigit pedales, quibus ad genicula ſuperiora hærent folia quinquepartita, aut in plura ſegmenta diviſa, ambitu ſerrata, cingentia rotatim caulem, Tormentillæ aut Pentaphylli ritu: flores fert minimos, luteos, quinis petalis rotundis donatos, ſtaminulis lanuginoſis, pappoſis, minimis, cum plurimis croceis apicibus ſuis ornatos. Hæc Lobelius in Adverſariis. Cauliculos producit abſque ramis tenues, quibus adhærent parva & perpauca foliola: in horum faſtigiis unicum aut binos fert flores aurei colòris, pulchros, jucundos, triplo minores flore ſilveſtris Fuchſii, cui deciduo ſuccedit compactim circulus filamentorum mirabili artificio ſtructorum. Hæc Caſtor Durantes. Seminum pappo donatorum non meminit, nec Gerardus, ideo ſuſpecta eſt mihi hujus denominatio: examinetur à poſteris num habeat teſſeram Caryophyllatæ, an Pentaphylli, penes ipſos erit determinatio.

7. *Caryophyllata* aquatica nutante flore purpureo calathi effigie, nobis. Caryophyllata aquatica nutante flore, C. B. P. Caryophyllata rotundifolia ſeptentrionalium pappoſo flore, Ad. Lob. Caryophyllata montana Dal^{rii}. Lugd. Eyſt. Caryophyllata aquatica, Cam. Ep. Paluſtris, Cam. Hort. Caryophyllata major ſeu purpurea, Thal. Radicem habet hæc digitali aut pollicari interdum craſſitudine, ſumma tellure creſcentem, craſſo & purpuraſcente cortice tectam, impenſe adſtringentem, nodorum veſtigiis, quemadmodum in Acori radice, alternis diſtinctam, anterius (illius inſtar) progredientem, & multis nigricantibus fibris, non injucundi prorſus odoris, ſed aliquantulum ad vulgaris radicum odorem accedentibus, formatam, ſuprema parte in aliquot capita diviſam, è quibus longæ, ut in Eupatorio, emergunt foliorum alæ, adhærentibus pediculo folii multis foliolis, binis, ternis, è regione diſpoſitis, & ſerratis, modo æqualiter, modo inordinate naſcentibus, verſus extremum terna majora folia cernuntur, per oras ſinuata & ſerrata, quorum tertium & poſtremum, extremitati pediculi annexum, reliquis longe majus eſt, & magis orbiculare: omnia ſunt guſtus exſiccantis: inter pediculos foliorum emergunt pedales, interdum etiam longiores caules, firmi, rotundi, brevioribus minoribuſque foliorum alis eoſdem amplectentibus obſiti, ſuprema parte purpuraſcentes, in aliquot ramulos ſimili colore præditos, & deorſum inflexos ſive nutantes diviſi, qui propendentes ſuſtinent flores, quinis utplurimum petalis, nonnunquam à luxuriante natura ſenis,

aut ſeptenis ſuaviter rubentibus & orbiculatis fere conſtantes, oblongiore tamen & anguſtiore ungue, nunquam ſe explicantibus aut caliculum ſuperantibus, ſed quodammodo ipſi incluſis, medium occupante villoſa congerie, luteis ſtaminulis obſita, quæ paulatim purpuraſcentem colorem contrahit, & tandem ſeſe erigens & explicans, maturitate ſemen cui inhæret, ut in vulgari Caryophyllata, oſtendit. Tota planta cum ſuis coliculis pubeſcit. Creſcit media fere montium regione, locis udis, cum ea Saniculæ montanæ ſpecie cui lactei ſunt flores veluti ſanguineis maculis aſperſi, & Ranunculo illo platyphyllo, ſub ipſis arboribus. Floret iſtic Junio, in hortos tranſlata Maio; aliquando etiam maturius.

8. *Caryophyllata* aquatica altera purpurea, nobis. Caryophyllata aquatica altera, C. B. P. Caryophyllata montana 3. Cluſ. Hiſt. & Pan. Merito ob florum colorem ſuperiori aquaticæ conjungenda eſt elegans hæc planta, quam quidem naſcentem nunquam conſpexit Cluſius, nec is qui Iconem hanc ſuis coloribus depictam illi communicavit Dominus Pennæus, ſed idem Pennæus ex C. V. Conradi Geſneri depicto herbario deſumpſiſſe fatebatur. Folia quidem huic Caryophyllatæ ſunt, ſed an lanugine pubeſcant ex pictura colligere non licuit, quemadmodum nec qua ſit radice prædita, nec qualia ſint quæ ex ea prodeunt folia: ſoli enim caules cum floribus, unoque aut altero folio cauli adhærente, depicti fuêre: flores ſane elegantis & ſanguinei ſunt coloris veluti Bizantini Ranunculi flores. Duarum autem videtur eſſe ſpecierum, nam alterius flos multiplici petalorum textura & ſerie conſtat, alterius vero ſimplici tantum, utriuſque tamen floris medium occupat villoſa congeries, non ſecus ac in aliarum Caryophyllatarum ſpeciebus. Obſervavimus in horto Blæſenſi & montanam minorem flore nutante purpureo, quæ à ſeptima majore differebat, quod folia edebat glabra, minutiuſque diſſecta, & florem multo minorem; denique tota planta fuit minor ac humilior majore, ſeptimo loco explicata.

9. *Caryophyllata* Alpina Chamædryos folio, nobis. Chamædrys Alpina Ciſti flore, C. B P. Chamædrys montana fruteſcens durior, Ad. Lob. Chamædrys 3. ſive montana, Cluſ. Hiſt. & Pan. Chamædrys montana, Lugd. Tab. Teucrium Alpinum Ciſti flore, Ger. Elegans alia Chamædryos ſpecies reperitur, inquit Cluſius, quæ dodrantalibus interdum ſerpit ramulis, colore ex fuſco rubente præditis, duris, lignoſis, foliis nulla ſerie eos ambientibus, Chamædryos legitimæ folia omnino referentibus, ſed paulo minoribus, ſupra viridibus, & ſubtus incanis, guſtu admodum adſtringente & exſiccante: flores illi in oblongis pediculis hirſutis ſingulares, albi, ſenis utplurimum, interdum etiam octonis aut denis (adeo pro loci natalis ubertate aliquando luxuriat) petalis conſtantes, Ciſti fæminæ floris magnitudine, multis ſtaminibus in medio præditi, inodori, quibus decidentibus villoſa ſuccedit ſeminum congeries, qualis in Caryophyllata Alpina lutea cernitur, ſed major & crinitis filamentis longioribus ornata: radix dura & lignoſa eſt, in diverſa tendens, & quibuſdam nigricantibus fibris ſtipata; quin & rami interdum humi procumbentes & ſparſi fibras agunt, ut integri nonnunquam ceſpites ea tecti conſpiciantur. Frequens eſt in Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis. Floret Junio ſolutis illic nivibus, ſemen ad maturitatem perducit Auguſto, deinde pediculi omnino exareſcunt: in hortos tranſlata, in umbroſo loco tenuique ſolo aliquamdiu perſiſtit, & maturius floret.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Caryophyllatæ *radices & folia haud obſcure reſiccantem facultatem habent, & nonnihil calefacientem, unà cum expurgandi potentia. Ad ventriculi cruditates, coli labores, venenatorumque morſus, decoctum horum commendatur. Prodeſt item lateris doloribus, tum jecinoris obſtructionibus: crudos humores concoquit: viſceribus inhærentia expurgat & flatus diſcutit, præſertim ſanguinem alicubi interius concretum folia & radices ex vino ſumpta reſolvunt atque diſcutiunt, idcirco potionibus admiſcentur, quæ cæcis, ruptis, atque ex alto delapſis propinantur. Colluuntur & decocto haud inutiliter cum recentia, tum vetera vulnera. Radices exſiccatæ, ac tenui imbre aceti reſperſæ, veſtes à tineis præſervant, & jucundo odore commendant. Pervetuſtus herbarius & recentiores calidam & ſiccam Caryophyllatam in ſecundo ordine ſtatuunt. Radix itidem haud parum aſtrictionis habet. Ea à luto, terra, & ſordibus elota ſiccatur in uſus. Matthiolus etiam ſcribit recentiores medicos Caryophyllatæ potu uti ad thoracis tam interna ulcera, quam vulnera: ſuccum ejus admiſta ærugine cuniculoſis, contumacibuſque ulceribus utiliter injici; eundem olfactu ſpiritus recreare & frigidum cerebrum roborare, epotum prodeſſe cœliacis, dyſentericis, fæminarum profluviis, & cruenta expuentibus; tam intus ſumptum, quam foris illitum, enterocelis auxilio eſſe.*

HAL-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 321, & 322. collocat Caſp. Bauhinus Caryophyllatam inter Potentillam & Dentariam, quæ a fine ultimo nullam cum Caryophyllata habent affinitatem. Caryophyllata enim quam proxime a fine ultimo accedit Pulſatillæ; ideo aptius eidem adjungitur.*

Pag. 248. col. 1. pl. v. Chamædrys Alpina Ciſti flore, C. B. P. Chamædrys montana fruteſcens durior, Ad. Lob. Omnis Chamædrys proprie loquendo eſt planta galeata verticillata, at hæc planta nec florem galeatum, nec capſulam ſeminalem verticillatim diſpoſitam habet; ergo non debet Chamædrys dici, multo minus inter Chamædryos ſpecies a Caſparo Bauhino, cæteriſque authoribus, a quibus hauſit ipſe Bauhinus, collocari: quum autem hæc planta florem inſtar Caryophyllatæ, & ſemina pappoſa in unum coacervata gerat, licet folia habeat dura, viridia ſuperius, & incana inferius Chamædryos more, attamen a fine ultimo, mea opinione, apte ſatis appellabitur Caryophyllata Chamædryos folio, non autem Chamædrys a ſimilitudine foliorum cum Chamædry: folia enim, uti ſæpius a nobis dictum, non faciunt ad genus conſtituendum, ſed ſpeciem determinandam.

DE PENTAPETALIS, HEXAPETALIS HEPTAPETALISVE,

Radicibus fibroſis & foliis ternis lobis donatis, ſeminibus ſibiinvicem arcte conglobatis & congeſtis.

CAPUT XXIX.

TRIFOLIUM HEPATICUM, ſe HEPATICA TRIFOLIA.

GRæcis ac Mauritanis incognita fuiſſe videtur hæc planta, quæ hodie ab herbariis Hepatica Trifolia, ſive Trifolium hepaticum nominatur, quod hepaticos juvet; dicitur & Herba Trinitatis à foliorum figura, quæ ternis lobis conſtructa obſervantur. Propter affinitatem in floribus & ſeminum contextum, quæ coacervatim echinata ſpecie in globulum ſunt congeſta, ut ſunt ſemina Pulſatillæ, Caryophyllatæ & Ranunculorum, huc reduximus ad ſibi ſimiles plantas fine ultimo inter ſe convenientes.

Pars TABULÆ XXVII.

Trifolium Hepaticum	*Flore*	1. *Simplice*	*Albo.* ⊙
			Rubro. ⊙
			Cæruleo. ⊙
		2. *Pleno*	*Albo.* ⊙
			Rubro. ⊙
			Cæruleo. ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæſeptimæ Sectionis quartæ.

1. T*Rifolium* hepaticum flore ſimplice, C. B. P. Hepatica Trifolia, Cluſ. Hiſt.. Hepatica terreſtris, Geſn. Col. Hepaticum trifolium, Ad. Lob. Cam. Ger. Trifolium aureum, Dod. Lon. Trifolium aureum magnum, Caſt. Herba Trinitatis, Geſn. Hort. Lugd. Folia habet hæc plantula lata, magnitudine quaſi foliorum Aſari, figura Trifolii acetoſi, in tres lobos diviſa, in medio tamen continua, averſa parte quibuſdam maculis aſperſa; primo abſque caule apparent ſolummodo folia, poſtea inter hæc folia ex radicibus ipſis graciles tereteſque, ſubhirſuti, ac modice ex virore rubentes erumpunt coliculi, dodrante breviores, palmares, interdum ſeſquipalmares; in horum ſummis floſculi apparent utplurimum ſenis, aliquando ſeptenis & octonis petalis conſtantes, in quorum medio plurima apparent ſtaminula, quibus fatiſcentibus ſuccedit congeries ſeminum echinata ſpecie, in unum centrum, cauliculi ſcilicet ſummitatem, congeſtorum, & arcte ſibiinvicem adhærentium Ranunculorum ſeminum more, quæ ma-

tura Maio ſponte decidunt, quæque floribus expanſis Martio ſucceſſere plurima concatenatim conjuncta. Radices ſubſunt graciles, fibroſæ, numeroſæ, nigræ, in diverſa tendentes: folia hyeme permanent: flores ſi cœlum clemens fuerit, circa Februarii medium erumpunt; ſi rigidius, menſe Martio; ſemen Maio matureſcit: poſt florum defluvium & ſeminum maturitatem nova ſingulis annis erumpunt folia, quæ averſa parte nonnihil purpuraſcunt, minus tamen quam Cyclaminis minoris. Reperitur in pleriſque Germaniæ ſuperioris locis, non ſolum in Vienneñſi agro, ſed omnibus ſilvis Pannoniæ, Auſtriæ interioris. Provenit itidem, teſte Cluſio, in montanis Sabaudiæ ſilvis, in locis opacis & umbroſis, inter fruticeta in Bohœmia, & ſecus vias. Reperitur vulgo flore cæruleo; ſed ſæpe conſpicitur flore albo & carneo. Obſervatur in hortis flore pleno, cæruleo, rubro, incarnato & albo. Floris pleni Iconem adſculpendam curavimus prope Hepaticam flore ſimplici Tab. 27.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Refrigerandi ac reſiccandi potentia cum aſtrictione hæc herbula prædita eſt, hepati per caliditatem debilitato conferre fertur; nam & refrigerat & robur ei non exiguum confert. Laudatur, & ad ramicem efficax à Baptiſta Sardo perhibetur, ſi reſiccatæ pulveris cochlearis menſura, ex vino aut jure aliquo continuis diebus exhibeatur.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 330. col. 2. pl. 1, & 11. Trifolium hepaticum flore ſimplici, & Trifolium hepaticum flore pleno male a Caſp. Bauhino inter Trifolium & Melilotum, quippe Trifolia papilionacea, collocantur: cum ſint plantæ cum floribus tum ſeminibus racemoſis in capitulum congeſtis Ranunculorum more donatæ, jure debent Ranunculis adjungi, non Trifoliis papilionaceis ſeu Leguminibus trifoliatis. Vide ſupra Hallucinationes Trifoliorum pag. 150. Hiſt. noſtr. Univerſal. Oxon.

DE PENTAPETALIS,

Seminibus ſibi invicem arcte conglobatis & congeſtis radicibus & foliis varie conſtructis donatis.

CAPUT XXX.

RANUNCULUS.

BATPAXION *Dioſcorid. l. 2. c. 206.* ϗ σέλινον ἄγριον. *Ranunculus & Apium agreſte. Ranunculus quod ranarum more humidis limitibus & opacis marginibus* ſtagnorum, aliorumque humidiorum locorum *lætetur: aut quod ranæ inter ejus caules & folia frequenter inveniantur. Apium, quod diviſura foliorum quidam Ranunculi Apium æmulentur.*

Genera complura Dioſcoridi: 1. Coriandri foliis (& ad Malvæ latitudinem accedentibus, Plinio) flore luteo interdum purpureis: 2. lanugino ſius (folioſius Plinius) quod ſilveſtre Apium appellant: 3. minimum flore aureo: 4. huic ſimile flore lacteo; idem habet Plinius l. 25. cap. ultimo.

Ranunculus eſt planta calida & acris (perpaucis exceptis) florem gerens pentapetalum, cujuſcunque coloris ſit aut magnitudinis; atque floribus ſingulis ſuccedit congeries ſeminum ſibi invicem adjunctorum, ſive in ſpicæ, ſive in Globi formam aut figuram adactorum, ſine ſpinis aliquando, ſpinis vero utplurimum ſingulis ſeminibus affectis. Suntque variis modis Ranunculi diſtinguendi, primò ratione florum, ſunt enim, vel flore violaceo, rubro, aut albo, aut ex his mixto, vel luteo: ratione durationis, vel ſunt annui, vel perennes; ratione ſaporis ſunt dulces, iique perpauci, omnes utplurimum acres & calidi, quidam in remiſſiore, quidam in intenſiore gradu: ratione loci, vel ſunt peregrini, Aſiatici, Illyrici, Pannonici, Turcici, Cretici, Luſitanici, Tripolitani, Conſtantinopolitani, vel noſtrates ſeu Europei, & vulgares, qui ſunt nemoroſi, pratenſes ſeu arvenſes, ſuntque ſeminibus extremo pungentibus, vel echinatis: paluſtres ſive aquatici, iiq; vel majores vel minores; vel montani diverſiformibus prædici foliis: habita ratone foliorum, vel ſunt foliis diverſas plantas æmulantibus, Aconiti, Cotyledonis, Apii,

Plan-

Plantaginis, Perfoliatæ, Thalictri, Graminis, Rutæ, Hæderæ, Betonicæ; vel foliis tenuius diſſectis ſeu fœniculaceis. Ratione radicum vel ſunt radicibus fibroſis, tuberoſis, grumoſis ſeu granulatis, denique Aſphodeli: habita ratione poſitionis, ſunt vel ſurrecti, vel procumbentes Ranunculi, qui ex geniculis caulium per terram ſtratorum fibroſas demittunt radiculas. De hiſce omnibus dicemus ordine, atque eoſdem diſtinguemus in genera ſubalterna per paragraphos, incipiendo ab Aſiaticis peregriniſque.

TABULA XXVIII.

RANUNCULI Aſiatici grumoſa vel Aſphodeli radice.

Ranunculus Aſiaticus — Radice:
- *Grumoſa*:
  - 1. *Flore albo ſimplici, C. B. P.* ⊙
  - 2. *Ramoſus, C. B. P.* πολύκλωνος 2. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - *Flore ſimplici*:
    - 3. *Flavo vario, C. B. P. Flavo flore rubris venis diſtincto, Eyſt.* ⊙
    - 4. *Niveo, Eyſt.* ⊙
    - 5. *Phœniceo ruberrimo, Eyſt.* ⊙
    - 6. *Albis venis rubris & flavis permixto, C. B. P.* ⊙
- *Aſphodeli* — *Flore pleno*:
  - 7. *Ruberrimo, Eyſt.* ⊙
  - 8. *Miniato prolifero, nobis. Ranunculus Aſphodeli radice prolifero miniatus, C. B. P.* ⊙
  - 9. *Sanguineo, 1. Cluſ. Hiſt.* ⊙

§. 1. RANUNCULI *Aſiatici Grumoſa vel Aſphodeli radice præditi.*

Explicatio Tab. 28. Sectionis quartæ.

1. R*anunculus* grumoſa radice flore albo, C. B. P. Ranunculus peregrinus 1us. grumoſa radice, Cluſ. Hiſt. Ex radice multis grumis conſtante, qualis eſt Aſiatici, oriuntur primo huic ſpeciei plura folia, Aſiatici foliis non valde diſſimilia, & intra illa caulis pedalis altitudinis, in binos graciles ramos diviſus, in ſummo faſtigio ſuſtinentes flores ſingulares quinque petalis conſtantes albis, quibus (maxime circa oras) ſuaverubens color mixtus eſt: medium florem obtinebant multa flava ſtamina, oblongiuſculum capitulum cingentia: caulem antequam in alios divideretur, amplectebantur alia folia, in ternas, quaternas lacinias, ſecta.

2. *Ranunculus* ramoſus grumoſa radice, C. B. P. Ranunculus Aſiaticus πολύκλωνος ſive grumoſa radice 2. Cluſ. Hiſt. Ranunculus Aſiaticus grumoſa radice flore Phœniceo ruberrimo, Eyſt. Altera hæc ſpecies ex ſimili radice grumoſa primo planiora promit folia, inter quæ gracilis aſſurgit caulis, cujus infimam partem ambiunt folia in tres profundas lacinias, eaſque in ambitu crenatas, diviſa; mediam autem illius partem alia ſingularia, eaque nec laciniata nec crenata: ſummo cauli in plures ramulos brachiato inhærent flores quinque petalis, ut præcedens, præditi, coloris Phœnicei ruberrimi, ſed extrema parte magis orbiculatis & leviter crenatis: medium florem occupat breve capitulum ſtaminibus cinctum.

3. *Ranunculus* Aſiaticus flore flavo vario, C. B. P. Flore flavo rubris venis diſtincto, Cluſ. Cur. poſt. & Eyſt. Ex radice hujus multis grumis conſtante, qualis eſt Ranunculi Tripolitani flore rubro radix, prodeunt initio terna aut quaterna folia longis pediculis innixa, per oras crenata, in tres lacinias diviſa, quemadmodum in Tripolitano, dilutius tamen aliquantulum virentia: inter quæ proſilit cauliculus ſatis firmus, foliolis in tenuiores & frequentiores lacinias diviſis præditus, præſertim iis quæ ſummum cauliculum ambiunt: ſummo vero cauli inſidet flos ſatis amplus novem petalorum ſimplice ſerie conſtans, orbiculato mucrone ſeſe mutuo arcte contingentium & veluti reflexorum, flavi ad viriditatem vergentis coloris, quæ rubellis ſive purpureis venis virgatim ſunt diſtincta: medium florem occupat capitulum, quale in Tripolitano, idque multis ſtaminulis purpuraſcentibus cinctum cernitur; ſed quandoquidem ejus radix aliis propaginibus grumoſis augetur, ſoboles grumoſæ adnatæ ſeminis vicem ſupplent. Eodem tempore floret quo Tripolitanus, licet folia ejus præcocius contabuerint quam Tripolitani folia.

4. *Ranunculus* grumoſa radice flore niveo, C. B. P. Ranunculus peregrinus grumoſa radice 3. Cluſ. Hiſt. & eidem Ranunculus Creticus grumoſa radice flore niveo, App. alt. & Eyſt. Ex radice grumoſa aliquot folia producit ſatis ampla, humi quaſi in orbem ſparſa, ſucculenta,

 viridia

viridia, ſupina tamen parte albicante colore in viridi veluti conſperſa, in tres lacinias per oras aliquot crenis diviſa: inter illa quaterni aut quini prodeunt caules, graciles, firmi tamen, brevi quadam lanugine obſiti, quique ex foliorum magis inciſorum, quibus ambiebantur, alis, alternatim plerumque, etiam nonnunquam tertium ramulum producunt parvo uno folio ornatum, ſummoque faſtigio ſuſtinent ſubfuſcum caliculum, in quinque foliola fuſco villo obſita diviſum: is deinde explicatus florem oſtendit quinis petalis, unciam amplis, prorſuſque niveis conſtantem (licet interdum quædam conſpiciuntur raris venis ſuave-rubentibus per oras ſparſa) è quorum umbilico emergit capitulum ſubfuſcis ſtaminulis infima ſede cinctum, quod magnam gratiam candido flori conciliabat. Flores explicat menſe Maio cum Ranunculo Aſiatico Phœniceum florem ferente, quibus ſimile capitulum, non diſſimili paleaceo & aceroſo ſemine obſitum, quod inutile eſſe apparet.

5. *Ranunculus* ramoſus grumoſa radice flore Phœniceo ruberrimo, nobis. Ranunculus Aſiaticus grumoſa radice flore Phœniceo ruberrimo, Eyſt. Hic à ſimplici petalorum ſerie, juncto colore Phœniceo ruberrimo, facile à cæteris primo intuitu diſtinguitur.

6. *Ranunculus* grumoſa radice flore albo leviter crenato, C. B. P. Ranunculus flore albo venis rubris & flavis permixto, nobis. A florum petalis albis, venis rubris & flavis permixtis, facilime à cæteris Aſiaticis ſimplici flore donatis itidem diſtinguitur.

7. *Ranunculus* Aſphodeli radice flore ſubphœniceo rubente, C.B.P. Ranunculus pleno flore ruberrimo, Eyſt. Ranunculus Aſiaticns 2. grumoſa radice flore pleno, Cluſ. Hiſt. Multa habet hic à radice prodeuntia folia, Aſiatici ſive Tripolitani Ranunculi foliis ſimilia, & illorum inſtar inciſa, minora tamen, inter quæ emergit cauliculus dodrantem pedis altus, gracilior quam Tripolitani, cui inhærent bina folia (interdum & ſupremum puſillum,) quorum infimum ternis profundis laciniis, per oras ſerratis, diviſum eſt, alterum quod ſupremum, eſt anguſtis quinque laciniis uſque ad medium nervum inciſis, quarum ſingulæ unicam crenam habent, nonnunquam binas aut plures, extima vero binas tantum; ſummo cauli inhæret cauliculus quinque foliis præditus, gemmam floris amplectens, qui explicatus multiplici petalorum ſerie conſtare videtur (centum enim & triginta aliquando habet) foris ſubphœnicei initio coloris, deinde miniati, interius elegantis rubri miniati ad coccineum tendentis; quorum alia latiuſcula, alia anguſtiora, umbilicum foris occupante foliaceo quodam capitulo minus miniato: radix Aſiatici ſimplicis flore ruberrimo radici ſimilis, aliquot grumis minoribus conſtans, & illius inſtar propagines (ſed rarius) ad latera ſpargens.

8. *Ranunculus* Aſphodeli radice prolifer miniatus, C. B. P. Ranunculus Aſiaticus grumoſa radice pleno flore tertia, Cluſ. Hiſt. Ranunculus Aſiaticus grumoſa radice flore pleno ſanguineo, Eyſt. Radiculæ denæ, duodenæ, ſuprema parte craſſiuſculæ, ex uno capite dependent ſuperioribus longiores, & Aſphodeli radicum omnino æmulæ, è quarum unitarum & junctarum capite ſeu apice prodeunt folia ſuperioris foliis omnino ſimilia; cauli tereti, ut ex Icone apparet, adhærent bina folia, quorum unumquodque in tres majores lacinias diviſum, & illæ denuo in alias: ſummo cauli inhæret flos frequentibus & multiplici ſerie diſpoſitis petalis conſtans, quorum alia aliis paulo latiora, coloris miniati: è medio flore proſilit pedicellus unciam altus, ſuſtinens alium florem minorem, plenum tamen, & ejuſdem coloris, non ſecus ac videre eſt interdum in Ranunculo illo tuberoſa & magna radice oblonga donato; cujus flos flavus multiplici petalorum ſerie conſtat, qui ſæpe non modo ſecundum florem ex primo, ſed & tertium ex ſecundo nonnunquam producit: ex ſuperioris autem folii ſinu natus erat ramulus, duobus tenuibus foliis præditus, cujus faſtigio inſidebat floſculus etiam plenus ſecundo fere æqualis.

9. *Ranunculus* Aſphodeli radice flore ſanguineo, C.B.P. Ranunculus Aſiaticus grumoſa radice pleno flore, Cluſ. Hiſt. Ranunculus ſanguineus multiplex, Ger. Pedalem habet hic caulem inter quaterna & quina folia, diluta viriditate nitentia, emergentem, mediæ formæ inter paluſtris ſeu Sardonii & alterius Ranunculi echinato ſemine præditi folia, quæ per caulem ſparſa minora & laciniata: ſummo cauli magnus inſidet flos multiplici glomeratione conſtans, ſicut fere in Ranunculo vulgari polypetalo flore tuberoſa radice oblonga prædito, non aurei tamen ut ille coloris, ſed coccinei valde rubentis, & quaſi ſanguinei: ex folii cauli inhærentis ala natus ramus ſuſtinens ſimilem florem, ſed minorem: multæ ſunt huic radices ſimul congeſtæ Aſphodeli inſtar, aut Ranunculi Luſitanici radicibus perſimiles, Aſphodeliformes tamen & palleſcentes.

Pars TABULÆ XXIX. Sectionis quartæ.

- *Ranunculus nemoroſus*
  - *Flore*
    - 10. *Majore, nobis. Ranunculus Phragmites vernus flore* { *Albo &* / *Purpureo, J.B. ſimplici & pleno, nobis.* ⊙ }
    - 11. *Luteo* { *Simplici.* ⊙ / *Pleno.* ⊙ }
  - *Thalictri folio*
    - 12. *C.B.P. Ranunculus præcox 2. Thalictri folio, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 13. *Aſphodeli radice, Park. Oenanthe Myconi, Lugd.* ⊙
  - 14. *Moſchatellina dictus, C. B. P. Moſchatella, Cord. Hiſt.* ⊙
  - 15. *Folio ſubrotundo, C.B.P. Ranunculus dulcis, Trag. Ranunculus auricomus, Dod. Gall.* ⊙

§. 2. *RANUNCULI ſilveſtres ſeu nemoroſi.*

Explicatio partis Tab. vigeſimænonæ Sectionis quartæ.

10. *Ranunculus* nemoroſus flore majore, nobis. Ranunculus ſilveſtris, Cluſ. Hiſt. & Pan. Ranunculus candidus, Trag. Ranunculus Phragmites vernus flore albo & purpureo, J. B. Chabr. Anemone 5ta Dod. Anemone nemoroſa flore majore, C. B. P. Hic radicem habet craſſiuſculam, longam, oblique proſerpentem, foris purpuream & fuſcam, intus albam, ſapore cum levi aſtrictione acrem, neſcio quid empyreumatis ſeu ſpinarum piſcium crenatorum reſipientem, à qua fibræ capillares demittuntur: ſurrigitur cauliculus tenuis molliſq; purpuraſcens, ſeſquipalmaris & major, citra cujus faſtigium uno & eodem loco naſcuntur folia terna, Ranunculi more, ex ſemiuncialibus rubellis pediculis, hirſuta, nunc virentia, nunc purpuraſcentia: cauliculo ſummo flos inſidet unicus lacteus, alias cum unguibus colore carneo, varius, totus purpureus, petalis conſtans ſenis, nunc oblongis, nunc brevibus & ſubrotundis, in medio ſtamina plurima, crocea; quibus coacervatim ſuccedunt plurima ſemina, arcte ſibiinvicem juncta, aculeata parum Ranunculorum modo, non papposa: flores ſunt aut albi, purpurei, aut lutei, ſimplices. Floret novo Vere, Aprili ſcilicet. Vulgares ſunt hæ varietates Ranunculorum in ſilvis Pannoniæ & Auſtriæ, etiam toti Germaniæ multiſque aliis provinciis communes, circa Blæſas in ſilvis paſſim. Datur & flore pleno albo & purpureo, qui ſunt Ranunculus ſilvarum flore pleno albo & Ranunculus flore pleno purpuraſcente, Cluſ. Hiſt.

11. *Ranunculus* Phragmites nemoroſus luteus flore pleno, J. B. Chabr. Radix hujus præcedenti vulgari albo & purpureo forma, ſapore, calore, fibriſque à radice tuberoſis demiſſis perſimilis, coliculo itidem & foliorum numero convenit, ſed folia virentiora, longiora, brevioribus pediculis, ita ut iis quaſi deſtituta viderentur, concurſu ſuo quaſi cotylen purpurantem efficiant, in cujus medio præter duo folia oblonga, minimaque, diſſecta, crenataque, coliculi ſcapus nonnihil piloſus florem ſuſtinet nonnunquam ſingularem, alias geminum Ranunculi more, aureum, quinque petalis latiuſculis & obtuſis conſtantem; in cujus medio ſtaminula crocata plurima: flos minor eſt quam ſuperioris albi. Tota herba ſapore acri & urente prædita eſt.

12. *Ranunculus* nemoroſus Thalictri folio, C. B. P. Ranunculus præcox 2. Thalictri folio, Cluſ. Hiſt. Aquileia minor Dalpii. Lugd. Hic caulem pedali altitudine aſſurgentem habet, gracilem, ex viridi rubeſcentem, in quo plurima folia majoris Thalictri flore albo foliis colore & forma valde ſimilia, ſed minora & teneriora, amaro ſapore: floſculi in ſingulis alarum ſinubus ſingulares, candidi, quinque petalis conſtantes, ſuis petiolis innitentes: quibus decidentibus ſuccedunt bina aut terna cornicula, ſemen ſubrotundum, ſubruffum, Aconiti hyemalis vulgo appellati ſemini fere par: ex eadem radice præter caulem prodeunt bina aut terna folia, ſupra deſcripti ſimilia, ſingularibus dodrantalibuſque pediculis ejuſdem cum caule coloris innixa: radix impenſe amara multis albis fibris donata eſt, è quarum capite alia exit nodoſa radiculá, ſubinde ad ſingula internodia novas fibras agens, atque hac ratione ſeſe propagans, ideoque perennis.. Abunde naſcitur in ſaltu *Leytenberg Manderſtorf* vicino ultra *Leytam* flumen, quinto ab urbe Auſtriæ Vienna milliari, ubi primum illum obſervabat Carolus Cluſius, deinde quibuſdam aliis in ſilvis Viennenſi agro conſitis. Floret Aprili; ſemen interdum Maio,

Maio, plerumque Junio ad maturitatem illic proveniebat.

13. *Ranunculus* Thalictri folio Aſphodeli radice, Park. Oenanthe Hederæ foliis, C. B. P. Oenanthe Myconi, Lugd. Ranunculus hic (non Oenanthe, ut in Hallucinationibus hujus capitis declarabitur infra) parvus, inter cæteros notu perquam facilis à ſimilitudine foliorum cum Thalictri minimi foliis, folia etenim habet terna, alata, ſuis propriis pediculis longiuſculis innitentia, ſerrata, quæque late per terram ſe diffundunt: ſummis caulium faſtigiis innituntur plurimi flores, albidi, pentapetali: radix pluribus radiculis tuberoſis, rotundis, flavis, Aſphodeli inſtar conſtat, pendentibus à radice ſuperiore longa, tuberoſa, tranſverſim & oblique in terra latente; à ſingulis hiſce radiculis tuberoſis ſeu grumoſis, ſubrotundis, pendent fibræ oblongæ, aliquando bifidæ in inferiore parte. Bonus Myconus Botanicus, & Medicus Barcelonenſis, Oenanthes numerum auxit hoc Ranunculo, cui falſo Oenanthes nomen ab ipſo primo, deinde à Caſp. Bauhino attribuitur. Hæc Oenanthe Myconi, ait Dalechampius in Hiſtoria Lugdunenſi, in montibus & petroſis nata, folia prope radicem per terram ſpargit morſa, lævia, quadantenus Hederæ helicis modo trifariam diviſa, multo tamen minora, ut foliorum depictorum in hac Tabula, vel magnitudinem, vel numerum vix ſuperent & excedant, inter ſe congeſta, atque ideo Coriandri aut Paſtinacæ tenuifoliæ foliis ſimilia, è longis pediculis pendentia, caule enatis cubitali, ab imo rubeſcente, paucis geniculis cincto, terete, lævi, fere ſtriato & aliquantulum cavo: radices ſubſunt multæ ut in Aſphodelo, ſeptem, aut octo quandoque pauciores, craſſæ, conjunctim pendentes, foris luteæ, intus candicantes, ex quarum extremis radiculæ tenues & longæ producuntur; in ſummo caule flores ut in umbella pendent candidi, quinis petalis conſtantes, in medio muſcoſi: quibus fatiſcentibus in vaſculis ſeu filiquis ſemen matureſcit: foliorum & caulis ſapor ſubdulcis, item & radicum ſapor amarus.

14. *Ranunculus* nemoroſus Moſchatellina dictus, C. B. P. Ranunculus Moſchatellina vel Moſchatella dictus, nobis. Moſchatella, Cord. Hiſt. Thal. Cam. Denticulata (à radicis forma) Lugd. Ranunculus ſeptentrionalium herbido muſcoſo flore, Lob. Ad. & Icon. Fumaria bulboſa (dici debuit radice tuberoſa) minima, Tab. Radix cava minima, Ger. Capnos Plinii, Tur. Doctis herbariis Denticulata hæc dicitur à radice veluti per juxtapoſitionem è radicibus parvis coagmentata, paulatim granulaſcente, albicantibus fibris capillata; ab hac cauliculi multi profiliunt dodrantales; in quibus folia Apii ſive potius Fumariæ luteæ, ſive bulboſæ, in ambitu minime ſerrata; flos non in petala explicatur Ranunculi floris modo, ſed ut in Pimpinella in capitula anguloſa conglobatur, ex viridi ſubluteus, ſingulis capitulis quini aut ſeni ſunt flores, guſtu amaro & ſubacri. Ad fontium ſcaturigines & rivulos prata rigantes, & in umbroſis ſepibus, in foſſis & ſtagnis exſiccatis, naſcitur cum Ranunculo nemorenſi primo Vere, ſtatimque fatiſcit. Sunt qui Alabaſtritem appellent ob radicis pellucidæ ac nitentis ſplendorem & candorem Alabaſtro ſimilem. Alii Moſchatellam pratenſem in ſilvoſis & umbroſis frigidiuſculis Galliæ, Angliæ, Germaniæ paſſim locis creſcentem vocant.

15. *Ranunculus* nemoroſus ſeu ſilvaticus folio ſubrotundo, C. B. P. Ranunculus dulcis, Trag. Ranunculus auricomus, Dod. Gall. Lob. Icon. Thal. Ranunculus dulcis nemoroſus, Tab. Ranunculus nemeroſus, Ger. Huic Ranunculo folia prima ſunt rotunda, multum inciſa, ex fuſco viridia, maculis in medio latiuſculis nigricantibus notata: flores aureo perpulchro colore nitentes. In pratis & uliginoſis locis & ſilvis cæduis & annoſis humidis creſcit. Dicitur auricomus à capillatis ſtaminulis luteis, quibus in medio ornatur flos pentapetalus, etiam luteus: radicem habet fibroſam multis filamentis conſtantem, ex quibus folia Saniculæ rotunda, ſerrata exeunt, trifariam etiam diviſa, atque prope ſibiinvicem juncta; ex his oriuntur cauliculi pedales, in aliquot ramulos diviſi, quorum ſingulis bifurcationibus adnectuntur folia longiora, anguſtiora, graminea quaſi, quina, ſena, amplectentia caulem; in cimis ramulorum proveniunt flores aurei, odorati, unde dulcis appellatur Trago, ſed dulcis dicitur mea opinione quaſi oleraceus reſpectu reliquorum Ranunculorum calidorum valde, & fervidi admodum guſtus. Provenit ad oras ſilvarum, & ad margines pratorum. Floret Martio & Aprili. Hæc herba, teſte Trago, dulcis eſt (potius dixiſſet oleraceus) nec linguam vellicat, quamobrem mulierculæ menſe Aprili illam, teneram adhuc, una cum aliis oleribus decoquere conſueverunt. Huic ſi accedat cultura, ſique tranſplantetur, multiplices quoque ſeu plenos flores edit, ſicut plurimi alii Ranunculi ſilveſtres.

Pars TABULÆ XXIX Sectionis quartæ.

Ranunculus pratenſis
- *Erectus*
  - 16. *Acris*, C. B. P. *Ranunculus pratenſis ſurrectis cauliculis*, Lob. ⊙
  - 17. *Dulcis*, C. B. P. *Ranunculus hortenſis flore luteo ſimplici*, Eyſt. ⊙
- 18. *Repens hirſutus*, C. B. P. *Ranunculus pratenſis reptante cauliculo*, Lob. ⊙
- 19. *Radice verticilli modo rotundâ*, C. B. P. *Ranunculus tuberoſus*, Dod. Lugd. ⊙
- *Seu arvenſis ſegetaliſve*
  - 20. *Parvus folio trifido*, C. B. P. *Ranunculus minimus Apulus*, Col. ☿
  - 21. *Annuus hirſutus flore omnium minimo luteo*, *nobis*. ☿
  - 22. *Ceratophyllos ſeminibus falcatis in ſpicam adactis*, *nobis*. *Melampyrum luteum minimum*, C. B. P. *Melampyrum perpuſillum luteum*, Ad. & *Icon. Lob. Lugd.* ☿

§. 3. RANUNCULI PRATENSES.

Explicatio partis Tab. vigeſimænonæ Sectionis quartæ.

16. *Ranunculus* pratenſis erectus acris, C. B. P. Ranunculus pratenſis ſurrectis cauliculis, Lob. Hortenſis 2. Dod. Lugd. Ranunculus polyanthemus maculatus, Thal. Hic ad duos cubitos interdum, recto, lævi caule aſſurgit, ex radice fibroſa albaque: folia ex longis pediculis, reptantis Ranunculi foliis ſimilia, ſed parum aut nihil hirſuta, accedunt quodammodo ad Aconiti lutei folia, adeo ut ſub initium quemlibet Botanicum falleret antequam cauleſcat & floreat ipſa planta in horto inter Aconita conſita; folia, inquam, purpureas interdum habent maculas; flos minor luteus, pentapetalus, quem ſequitur echinatum ſeminum capitulum. Idem reperitur in ſilvis & pratis hortiſque; folia aliquando maculis nigris notantur, aliquando non.

17. *Ranunculus* pratenſis erectus dulcis, C. B. P. Ranunculus hortenſis flore luteo ſimplici, Eyſt. Polyanthemum ſimplex, Lugd. Dod. Gall. Ranunculus hic ſimilis eſt priori, niſi quod folia habeat pinguiora, craſſiora & viridiora: caules ſurrectos. Tota planta acredine vacua, proinde recte Caſp. Bauhino dicitur dulcis.

18. *Ranunculus* pratenſis repens (procumbens, aut inclinans potius dici debuit) hirſutus, C.B.P. Ranunculus pratenſis reptante cauliculo, Lob. Ranunculus hortenſis 1us Dod. Lugd. Hic folia promit in partes ſeu particulas plures diſſecta, quarum quælibet rarius ſed profundius eſt ſerrata modo Aconiti lutei, coloris ſaturatius virentis: in ſingulis foliis nonnunquam veluti quædam maculæ inalbicant: caules rotundi, ſtriati, leviter hirſuti, procumbentes ſeu reclinantes, & per terram aliquando ſtrati: radiculas ex geniculis caulium emittentes, quibus ſe humo affigunt, ad dodrantalem, aliquando paulo ampliorem longitudinem: in faſtigiis caulium floſculi elucent lutei, ſeu auri luteo colore ſplendentes, ſtaminibus aliquot in medio exiguis concoloribus, medium ſepientibus orbiculum; hiſce evanidis ſubveniunt ſemina in globulum coacta & confarcta, aculeata; radices ſunt tenues, fibroſæ, repentes & candicantes.

19. *Ranunculus* pratenſis radice verticilli modo rotundâ, C.B.P. Ranunculus tuberoſus, Dod. Lugd. Ranunculus bulboſus (ſed perperam ſecundum doctrinam noſtram de radice bulboſa) Ad. Lob. Cam. Thal. Ger. Ranunculus hic tuberoſus foliis varie diſſectis, latis ac virentibus cauliculis, floſculis auri colore ſplendentibus, ſemineque in calice aculeato & ſimul in globulum contracto, reliquos prædictos Ranunculos pratenſes ſatis refert: ſed radix inſtar globuli rotundi, parvo exiguoque Rapo ſimilis, ex cujus parte ſeſſili tenues, gracileſque dependent fibræ. Provenit paſſim in incultis Germaniæ, Galliæ, Angliæ Belgiique, & aridis locis. Ad hortos tranſlatus ſæpe luxuriat, non modo foliis ſed floribus. Naſcitur in Britannia amplior, ubi Rapum ejus in majorem excreſcit quantitatem, quique ad hortos Galliæ Belgiique tranſlatus lætior gignitur, & non modo flores multiplicans, ſed unum ex altero, deinde ex ſecundo tertium florem ſubinde promit.

20. *Ranunculus* arvenſis parvus folio trifido, C. B. P. Ranunculus minimus Apulus, Col. Semipedalem hunc minimum Ranunculum Cirinolæ in incultis agris humentibus obſervavit Fab. Columna. Radice conſtat puſilla capillari, caule junceo parum hirſuto, ſicuti & foliorum petioli oblongi ſunt reſpectu plantæ, in quibus foliola unguis parvi digiti magnitudine, hederacea, trifida,

fida diviſura, ſed ima parte parum inciſa, lævia; flore luteo, in ſummo caulis apice pentapetalo, ſemine & capite ut congenerum, ſed parvo.

21. *Ranunculus* arvenſis annuus hirſutus flore omnium minimo luteo, nobis. Hic Ranunculus folia edit hirſuta, tripartita, laciniata, dilute virentia, profunde ſerrata, alternatim caulibus adhærentia, qui ſunt itidem hirſuti, per terram ſparſi, bipalmares, aliquando pedales; quorum ſummis alis innaſcuntur floſculi lutei, minimi, quinis petalis (aliorum Ranunculorum more) donati, quibus cito effluentibus unà cum ſtaminulis, ſuccedunt racematim ſemina minora in unum capitulum coacervata, aculeata. Planta eſt annua in agris humentibus paſſim ineunte Vere florens.

22. *Ranunculus* ceratophyllus ſeminibus falcatis in ſpicam adactis, nobis. Melampyrum luteum minimum, C. B. P. Melampyrum perpuſillum luteum, Ad. & Icon. Lob. Lugd. Melampyrum luteum, Tab. Foliis eſt ter tripartitis, cervi cornua quodammodo referentibus: è quorum medio exeunt cauliculi plurimi, triunciales, ſinguli ſingulos ſuſtinentes floſculos, aliorum Ranunculorum more, quinis luteis petalis minimis conſtantes, ambientibus rudimentum viride, quod tandem degenerat in ſpicam uncialem, ſeminibus falcatis onuſtam. Annua eſt plantula hæc, præcox, & menſe Martio floret inter ſegetes Galloprovinciæ & Narbonenſis Galliæ ſatis frequenter. Vide infra Hallucinationes hujus capitis.

Pars TABULÆ XXX. Sectionis quartæ.

Ranunculus echinatus
- 23. *Arvenſis, C. B. P. J. B. Chabr. Ranunculus arvorum, Lob. Icon. Ger. Ranunculus ſegetalis vel 5. Cord. Hiſt.* ☿
- 24. *Creticus ſtellatus, C. B. P. Ranunculus echinatus, Ponæ Ital. Ranunculus paluſtris echinatus, I. B. Chabr.* ☿
- 25. *Paluſtris, C. B. P. Ranunculus Apuleii quibuſdam, ſive Ranunculus præcox Apuleii dictus, Cluſ. Hiſt.* ☿
- 26. *Pratenſis rotundifolius Bononienſis, nobis. Ranunculus pratenſis rotundifolius Bononienſis, Park.* ☿

§. 4. RANUNCULI ECHINATI.
Explicatio partis Tab. trigeſimæ Sectionis quartæ.

23. *Ranunculus* echinatus arvenſis, C.B.P. J.B.Chabr. Ranunculus albus (perperam, eſt enim luteus) ſive echinatus, Dod. Gall. Ranunculus arvorum, Lob. Icon. Ger. Ranunculus ſilveſtris 3. Dod. Lob. obſ. Ranunculus ſegetalis vel 5. Cord. Hiſt. Ranunculus hic ſegetalis vel arvenſis, ſic dictus à loco natali, caulem habet cubitalem circiter, ſubhirſutum, hilariter vireſcentem, cavum, & in plures ramos ſurſum verſus diviſum: folia in oblonga ſegmenta, tenuia, profunde admodum inciſa, piloſa: flores Ranunculi aquatilis, minores quam in pratenſi genere, luteolos, quinis parvis ſeu exiguis admodum petalis, iiſque cito fugacibus conſtantes, atque ſingulis fatiſcentibus ſuccedunt capitula echinata ex pluribus ſubrotundis lappulis, compreſſis tamen & echinatis, ſeu parum aculeatis compoſita: radicem habet fibroſam. Inter ſegetes præcipue in agris frumentariis Junio & Julio menſibus floret in frigidioribus regionibus, citius multo in calidioribus.

24. *Ranunculus* echinatus ſtellatus Creticus, C. B. P. Ranunculus echinatus, Pon. Ital. Ger. Park. Ranunculus paluſtris echinatus, J. B. Chabr. Ita voco, inquit Johannes Bauhinus, hunc Ranunculum, uvidi ſoli incolam & paludum ſectatorem; cui ſunt folia Aceris minoris aliquatenus diviſura, ſed multo minora: radix fibroſa; caules plures palmares & ſeſquipalmares, & aliquando in fertili ſolo altiores, crebris ramis brachiati, quibus flores inſident lutei, pentapetali, ſimplices & fugaces, quos ſtatim excipiunt capitula ex pluribus ſeminibus, involucris hiſpidis involutis contexta, Ranunculi arvenſis capitulis proxima, ſed majora multo, ex decem aut duodecim pericarpiis, oblongis, aliquantulum compreſſis, hiſpidis, echinatiſve, congeſtis conflata. Gaudet locis humidis & aquoſis circa Monſpelium, ac etiam in foſſis illic conſpicitur. Floret ineunte æſtate, & eadem provecta ſemina perficit.

25. *Ranunculus* echinatus paluſtris, C. B. P. Ranunculus Apuleii quibuſdam ſive Ranunculus præcox Apuleii dictus, Cluſ. Hiſt. Ranunculus Apuleii quibuſdam, Park. E radicis capite multis fibris donato oriuntur aliquot folia, ſuperioris Ranunculi foliis minus laciniata, in ambitu tamen inciſa, uncialibus aut longioribus pediculis prædita, & lata vagina cauliculos dodrantales binos aut ternos inter illos exeuntes amplectentia; cauliculis procumbentibus

&

& quodammodo ſupinis adnaſcuntur terna aut quaterna ſimilia folia, è quorum ſinu unciales pendent pediculi, qui floſculos ex flavo palleſcentes, quinis pariter petalis parvis conſtantes, ſuſtinent; quibus emarcidis apparent quina aut ſena cornicula, mucronata, aſpera ſeu rugoſa & quibuſdam tuberculis obſita, ſemen ſuperioris fere ſimile continentia.

26. *Ranunculus* echinatus pratenſis rotundifolius Bononienſis, nobis. Ranunculus pratenſis rotundifolius Bononienſis, Park. Ex radice fibroſa, nigra, exeunt folia rotunda, profunde laciniata & ſerrata, mollia, hirſuta, in mucrones inſtar Alchimillæ terminantia, ſaturate virentia, unciam & amplius lata, longis ſatis pediculis innitentia; quæ autem geniculis caulium adhærent, nec ſunt tam lata, ſed profunde inciſa, nec uſque ad medium diviſa: caulem protrudit pedalem, brachiatum, & reclinantem verſus terram: in hujus cimis proveniunt floſculi ſatis magni, lutei, pentapetali, cum paucis ſtaminulis in medio; quibus ſuccedunt ſemina plurima involucris fuſcis, aſperis & quodammodo echinatis, minoribus, acuminatis incluſa: ſemina male exprimuntur in Icone. Floret cum cæteris æſtate, atque provenit in territorio Bononienſi.

Pars TABULÆ XXX. Sectionis quartæ.

Ranunculus paluſtris ſive aquaticus
- *Apii folio*
  - 27. *Lævis, C.B.P. Ranunculus & Sardonia, Dioſcor.* ☿
  - 28. *Lanuginoſus, C.B.P. Ranunculus Sardonicus, Anguil.* ☿
- 29. *Hederaceus albus, nobis. Perperam luteus, C.B.P. Ranunculus hederaceus Dal*[pii]*. Lugd.* ☿
- 30. *Cotyledonis folio, C.B.P. Cotyledon aquatica acris ſeptentrionalium, Lob. Ranunculus aquaticus umbilicato folio, Col.* ⊙
- *Folio*
  - 31. *Et rotundo & capillaceo, C.B.P. Ranunculus aquaticus Hepaticæ facie, Lob.* ☿
  - 32. *Tantum capillaceo, C.B.P. Ranunculus aquaticus trichophyllon medioluteus ſeu aquaticus fœniculaceus trichophyllon, Col.* ☿
- *Longifolius*
  - 33. *Major, C.B.P. Ranunculus lanceatus major, Tab. Ranunculus flammeus major, Ger. Lingua Plinii, Lugd.* ⊙
  - *Minor foliis*
    - 34. *Planis, nobis. Ranunculus lanceatus minor, Tab. Ranunculus Flammula, Dod.* ⊙
    - 35. *Serratis, nobis. Ranunculus aquatilis anguſtifolius ſerratus, Dod.* ⊙

§. 5. *RANUNCULI paluſtres ſive aquatici.*

Explicatio partis Tab. trigeſimæ Sectionis quartæ.

27. *Ranunculus* paluſtris Apii folio lævis, C.B.P. Ranunculus aquaticus, Fuch. Ranunculus paluſtris, Cord. in Dioſ. Dod. Lugd. Thal. Cam. Tab. Ger. Ranunculus Sardonia, Dioſc. Ranunculo huic paluſtri folia ſunt rotunda, lata, lævia, marginibus crenata: è quorum medio exeunt caules rotundi, læves, interius vacui, ſubinde craſſi, in alios diviſi, in horum cacuminibus apparent floſculi luteopallidi, minores multo quam ſunt Ranunculi ſilveſtris flores; hiſce ſuccedunt capitula oblonga, primum erumpentis Myacanthæ Aſparagi cacumen æmulantia: radices candidæ, multis fibris capillatæ. Tota ſtirps dilute viridi ſplendet colore. In paluſtribus & juxta rivulos, non raro etiam in ſcrobibus, ac foſſis aquas habentibus, aliiſque ſimilibus locis provenit.

28. *Ranunculus* paluſtris Apii foliis lanuginoſus, C.B.P. Ranunculus Sardonicus, Anguil. Ranunculus 2. Matth. Lugd. Hic differt à priore ſolummodo quod ſint folia & caules lanuginoſa, & pluribus foliorum inciſuris ſpectetur.

29. *Ranunculus* aquaticus hederaceus, nobis. Ranunculus hederaceus Dal[pii]. Lugd. Ranunculus aquaticus hederaceus luteus, C.B.P. Ranunculus hic parvus hederaceus cauliculis multis humi aut aquis incumbentibus rotundis donatur, ex quorum nodis ſeu geniculis demittuntur fibræ tenues & exiles, atque ex iiſdem geniculis oriuntur plures petioli curti, ſuſtinentes folia multa, parva, maculis nigris ſeu atris notata, tribus lobis diſtincta, ſeu he-

deracea, unde hederaceus Ranunculus denominatur: ad exortum eundem foliorum cum caulibus cernuntur petioli breviores, ſuſtinentes floſculos albos (non luteos ut vult Caſp. Bauhinus) quinis petalis obtuſis ſeu ſubrotundis (albis inquam) cum pluribus ſtaminulis luteis: quibus ſuccedunt ſemina racemoſa in parvum globulum concinnata, aliorum Ranunculorum more: ſapor acer & fervidus. Naſcitur in rivulis & fluentis rivulorum, in locis ſabuloſis & macris.

30. *Ranunculus* aquaticus Cotyledonis folio, C. B. P. Ranunculus aquaticus umbilicato folio, Cotyledon aquatica, Dod. Gal. Cotyledon paluſtris, Dod. Fol. Cotyledon aquatica acris Septentrionalium, Lob. Tenues hæc Cotyledon promit viticulos proſerpentes ac ſubinde terræ adhærentes, à quibus folia ſubrotunda ac aliquantulum acetabuli in modum concava, exiguoque pediculo medio ſui, ut alterius majoris ſeu Dioſcoridis inſidentia, ſed plane tenuia, minora, ſaturatius virentia quam legitimæ Dioſcoridis folia: floſculi perpuſilli, albidi, ſub foliis viſuntur: fibræ tenues pro radicibus ſunt. Paluſtribus locis invenitur, præſertim humidioribus, & quæ frequentius hybernis menſibus rigantur. Floret Julio menſe. Umbilicum Veneris officinæ inferioris Germaniæ appellant, ſed maximo cum errore, cum ſit planta calida & aliquantulum acris, ſicut ejus guſtabilis qualitas oſtendit; proinde non ſolum forma ſed & facultate & viribus à vera Cotyledone, quæ eſt humidæ & ſubfrigidæ ſubſtantiæ, differt; proinde refrigerat, repercutit, abſtergit ac diſcutit, authore Galeno.

31. *Ranunculus* aquaticus folio rotundo & capillaceo, C. B. P. Ranunculus aquaticus, Dod. Ger. Ranunculus aquaticus Hepaticæ facie, Lob. Hepatica aquatica, Lugd. Hepatica paluſtris, Thal. Ranunculus hic aquaticus ſeu aquatilis cauliculos habet rotundos, tenues, & in rectum & obliquum ſparſos: folia ſub aquis multifida, Fœniculi aut Chamæmeli foliis ſimilia, extra aquas autem rotunda & per ambitum crenata: flores candidi ſunt & odorati, formâ Ranunculi, pentapetali, albi, (cum plurimis ſtaminulis in medio) quos veluti in Ranunculo hortenſi & ſilveſtri conſequuntur capitula ex pluribus ſeminibus in unum congeſtis formata: radices tenues ſunt & capillaceæ. In foſſis & ſtagnis aquas habentibus & lente decurrentibus rivulis, nec non juxta eorundem ripas, ac in aliis locis humentibus gignitur: flores habet multo minores & petala obtuſiora ſeu rotundiora; Aprili, Maio, ac ſubinde Junio menſibus, in prædictis locis abunde floret Ranunculus hic aquatilis, Polyanthemum aquatile quibuſdam dictus propter copioſam florum exalbidorum aquis ſtagnantibus incumbentium, & rivulos & paludoſa loca ornantium. Pharmacopæorum & herbariorum plerique Hepaticam aquaticam & Hepaticam albam perperam appellant, & cum majore errore refrigerantis Hepaticæ albæ loco medicamentis admiſcent: facultate ſiquidem hic Ranunculus aquatilis calidus eſt, & Ranunculo ſilveſtri ſimilis.

32. *Ranunculus* aquaticus capillaceus, C. B. P. Ranunculus in aquis foliis in capillaceam tenuitatem ſciſſis, Cæſ. Ranunculus trichophyllon aquaticus medioluteus, Col. Deſc. Aquaticus fœniculaceus trichophyllon quoad Iconem eidem. Iiſdem locis aqua ſcatentibus innatat hic cum priore, atque eidem familiæ connectendus, diſſimilis tamen priori, primo quod ſola folia producat capillacea, non autem folia hederacea, aquis innatantia. Secundo flores ſupra aquam elatos, pentapetalos, ſtellatos quaſi, petalis longioribus & acutioribus multo prioris florum petalis ornatos, plurimis in medio horum luteis ſtaminulis prominentibus, quibus marceſcentibus fructus capitatus, rotundus, in globulum fere coacervatus, ut in cæteris hujus ſortis cernere eſt. Radice ex ſingulis imis cauliculi geniculis capillari prodeunte, ut in aquaticis innatantibus mos eſt.

33. *Ranunculus* paluſtris longifolius major, C. B. P. Ranunculus lanceolatus major, Tab. Ranunculus flammeus major, Ger. Ranunculus maximus longo folio Lingua Plinii, J. B. Chabr. Lingua Plinii, Lugd. Flammula paluſtris major, C. B. Phyt. In uliginoſis & paluſtribus exit locis Ranunculus hic Lingua Plinii Dalechampio putatus: caule eſt bicubitali & altiore, craſſo, lateque ſubinde in ramos deducto, per quem veluti per ramos alternatim folia producuntur pedali circiter longitudine, vix unciam lata, craſſiuſcula, glabra, mucronata, ſaporis acris, amari & fervidi: flores extremis inhærent ramulis magni, aliorum Ranunculorum formâ, quinque petalis luteis, ſubrotundis conſtantes, quorum medium prope ungues obſident numeroſa ſtamina, cum apicibus concoloribus, eis ſuperveniunt capita parva ex multis ſeminibus ſimul congeſtis, parvæ nucis avellanæ magnitudine, ſuperius aculeatis, & inferius arcte ſibiinvicem adhærentibus, ſaporis itidem calidi & urentis: radix compluribus fibris fixa terræ uliginoſæ innititur. Provenit in paludoſis & ſtagnantibus aquis inter Juncos & Arundines. Floret æſtate, atque ſemina eâdem exeunte perficit.

34. *Ranunculus* paluſtris longifolius minor, C.B.P. Ranunculus aquaticus anguſtifolius, Ad. Lob. Lugd. Ranunculus ἀρνογλωσσόφυλλος major, Thal. Ranunculus lanceatus minor, Tab. Ranunculus flammeus minor, Ger. Flammula, Ranunculus, Dod. Hic Ranunculus flammeus minor cauliculis aſſurgit pedalibus & ſeſquipedalibus fere, nonnihil geniculatis, circa quos folia ſunt oblonga, Salicis anguſtifoliæ ſimilia, aut lanceæ æmula qua Chirurgi utuntur in aperiendis venis: flores minores, pentapetali, lutei, ſplendentes & pallidiores paulo ſuperioris: ſemen racematim in capitula congeſtum, ut in aliis ſuæ familias: radices ſunt fibroſæ ut plurimorum Ranunculorum in aquis & aquoſis provenientium radices. Humidis & riguis locis pratiſque gaudet, præſertim ubi ſterilius & arenoſum ſolum. Apud Hollandos feliciter adoleſcit, ubi bicubitalem quandoque aſſequitur altitudinem.

35. *Ranunculus* paluſtris longifolius minor ſerratus, nobis. Ranunculus aquatilis anguſtifolius ſerratus, Lob. Ranunculus lanceatus ſerratus, Tab. Ranunculus flammeus ſerratus, Ger. Flammula Ranunculus folio ſerrato, Dod. Ranunculus hic parum à priore differt, niſi quod folia aliquando proferat aliquanto latiora & per margines aliquando denſe, aliquando rarius ſerrata; ſit varietas tantum prioris ex luſu naturæ proveniens, per me non ſtabit.

TABULA XXXI. Sectionis quartæ.

Ranunculus montanus
- *Plantaginis folio*
  - 36. *C.B.P. Ranunculus folio Plantaginis, Ger. Ranunculus Pyrenæus flore albo, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 37. *Pyrenæus albus ſimplex, Park. Forte idem cum priore.* ⊙
- *Gramineo folio*
  - 38. *C. B. P. Ranunculus montanus gramineis foliis, Ad. & Icon. Lob. flore luteo* { *Simplici* / *Pleno* } *nobis.* ⊙
  - 39. *Radice tuberoſa villoſa plurimas fibras craſſiuſculas ex inferiore parte emittente, nobis. Ranunculus montanus gramineus bulboſus, Col.* ⊙
  - 40. *Monanthos petalis hirſutis, nobis.* ⊙
  - 41. *Alter polyanthos, nobis.* ⊙
- 42. *Betonicæ folio, Park.* ⊙
- *Aſphodeli radice*
  - 43. *Lanuginoſus Apii folio, C. B. P. Ranunculus alter ſaxatilis montanus Aſphodeli radice, Col.* ⊙
  - 44. *Leptophyllos, C. B. P. Ranunculus montanus Leptophyllos Aſphodeli radice, Col.* ⊙
- 45. *Præcox rotundifolius granulata radice, nobis. Chelidonium minus, Matth. Dod. Tab. Ger. Eyſt.* ⊙
- *Illyricus*
  - 46. *Minor, Park. Ranunculus lanuginoſus grumoſa radice minor, C.B.P.* ⊙
  - 47. *Major, Park. Cluſ. Hiſt.* ⊙

TABULA XXXII.

- 48. *Creticus latifolius, Park.* ⊙
- *Autumnalis latifolius*
  - *Bullatus* — *Flore magno*
    - 49. *Simplici, Nobis. Ranunculus Luſitanicus autumnalis, Lob. Obſ.* ⊙
    - 50. *Pleno, nobis. Ranunculus latifolius multiplex ſerotinus. Cornut.* ⊙
  - 51. *Non bullatus flore parvo, nobis. Ranunculus Luſitanicus, Dod. Lugd.* ⊙
- *Hirſutus*
  - 52. *Altior albus, C. B. P. Ranunculus montanus ſecundus vel ſecundi ſpecies prima, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 53. *Humilior flore Narciſſi, C. B. P. Ranunculi montani ſecundi ſpecies altera, Cluſ. Hiſt.* ⊙

Ranunculus montanus

54. *Rutaceo folio flore ſuave rubente, C. B. P. Ranunculus præcox* 1. *Rutæ folio: Cluſ. Hiſt.* ⊙
55. *Purpureus calyce villoſo Felicis Plateri, J. B. Chabr.* ⊙
56. *Seu Alpinus minimus albus vel luteus, J. B. Chabr.* ⊙
57. *Alpinus humilis rotundifolius flore minore, C. B. P. Ranunculi montani primi ſpecies* 1ma. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
58. *Alpinus humilis rotundifolius flore majore, C. B. P. Ranunculi montani primi ſpecies ſecunda, Cluſ. Hiſt.* ☿
59. *Aſphodeli radice, dictus Pthora major, nobis. Thora Valdenſium montis Baldi, Cluſ. Hiſt. Aconitum pardalianches* 1. *ſeu Pthora major, C. B. P.* ⊙
60. *Aſphodeli radice dictus Pthora minor, nobis. Thora Sabaudica & montis Baldi, Tab. Ger. Aconitum Pardalianches alterum ſive Thora minor, C. B. P.* ⊙

§. 6. RANUNCULI *montani foliis diverſimode conſtructis.* *Explicatio Tab. trigeſſimæprimæ Sectionis quartæ.*

36. *Ranunculus* montanus folio Plantaginis, C. B. P. Ranunculus folio Plantaginis, Ger. Ranunculus Pyrenæus flore albo, Cluſ. Hiſt. Ranunculus Pyrenæus foliis ſublongis non laciniatis flore albo, J. B. Chabr. Pedali, imo etiam ampliore altitudine aſſurgit hæc Ranunculi montani ſpecies, caule rotundo, ſatis firmo, viridi, per quem alternatim terna, aut quaterna, diſperſa ſunt folia, ſatis lata baſi caulem amplectentia, ternas aut quaternas uncias longa, unciam vero lata, mucronata, multis venis ab infima ſede ad extimum mucronem procurrentibus diſtincta, viridis coloris qualis fere eſt foliorum Braſſicæ campeſtris, quorum oræ tenui mollique lanugine alba obſitæ: ſummo caule ex foliorum, quæ minuſcula erant, alis exeunt terni, quaterni, vel etiam plures oblongiores petioli, ſinguli caliculum quinque foliolis conſtantem ſuſtinentes, ex quo flos prodit quinis petalis præditus ſemiuncialibus, tenellis, prorſus niveis, cujus medium occupant frequentiſſima, parva ſtamina, flava, cum orbiculari capitello, nullius aut perexigui odoris. Quum vero primum è terra emergit hæc planta & antequam in caulem abeat, bina duntaxat aut ad ſummum terna profert folia, tres uncias inquam longa, unciam lata, craſſiuſcula & firma, multis etiam venis ſecundum longitudinem diſtincta, ut quodammodo ad Plantaginis latifoliæ foliorum formam accedant: caput radicis hirſutum erat (ut eam ob cauſam perennem eſſe, inquit Cluſius, mihi perſuaderem) quod deinde in multas craſſiuſculas, albas, fibras dividebatur. Floret in Maio. Provenit in montibus Pyrenæis, ex quibus ejus radices erutæ à Johanne Venerio, & ad Johannem Hogelande miſſa ſeptuaginta & amplius abhinc annis.

37. *Ranunculus* Pyrenæus albus ſimplex, Park. Hic parum aut nihil diſcrepat à præcedente, ſolummodo floribus qui non tam denſe in ſummis caulibus proveniunt, ſimplici itidem petalorum alborum ſerie conſtant, cætera priori convenit.

38. *Ranunculus* montanus gramineo folio, C. B. P. Ranunculus montanus gramineis foliis, Ad. & Icon. Lob. Ranunculus gramineus, Ger. Tab. Ranunculus hic aſpectu lætiore & flore pentapetalo luteo cum pluribus ſtaminulis in medio, ejuſdem coloris; radice & ſemine racemoſo prorſum pratenſi Ranunculo eſt ſimilis, verum folia pauca habet, eaque Gramini adeo ſimilia, ut vix, niſi florentem obſervaveris, à Gramine dignoſci poſſit, præſertim locis ſtrigoſis, ubi caulis palmum & ſeſquipalmum non excedit. Paſſim obvius hic in pratenſibus locis, aridis, Narbonæ pone publicum diverſorium montis Lupi, & in aridis Mindeni Ruthenorum paſcuis nobis, inquit, repertus. Copioſe ſatis provenit in ſilva regiæ *Fontainbelleau* inter cellam eremitarum & pontem quâ itur ad celeberrimam illam Regiam in medio ſilvæ ſitam. Sereniſſimus princeps Johannes Baptiſta Gaſton Regis Ludovici XIV. patruus, dum illi in hirciſcundis rarioribus Galliæ plantis operam dabamus, nos miſit in prædictam ſilvam, noſque reduces Blæſas interrogavit, num Ranunculum gramineis foliis illic obſervaverimus; etenim nec nobis eundem obviàm habuimus, quia menſe Aprili finiente nos eo miſerat, etiamſi myriades tunc temporis pedibus proculcavimus, rati eſſe gramen à ſimilitudine foliorum, necdum guſtu in opem vocato, nobis quaſi indignabundus aſſeruit nos oculis captos ea vice fuiſſe, ſeque multoties & affatim eundem inter prædictam Eremitarum cellam & pontem multis retro annis reperiiſſe atque ibidem colligendum curaſſe, quapropter nos eo denuo remiſit, atque menſe Maio florentem & ſemina ferentem copioſe & redundanter ibidem offendimus. Hæc deduximus, ut notum faceremus, difficile admodum eſſe cuilibet plantas diſtinguere à foliis, propter nimiam

nimiam conformitatem plurimarum plantarum in ipſarum foliis, nec hæc planta facile intuendo ſolummodo à Gramine diſtinguitur antequam floreat, niſi guſtus advocetur in opem, tunc à fervido guſtu n ullo negotio à Gramine cognoſcitur diverſa: idem dicendum venit de plurimis aliis Ranunculorum ſpeciebus, qui propter ſimilitudinem foliorum cum aliis plantis, vix ac ne vix quidem diſcerni poſſint, ut obſervare eſt in hoc capite, Ranunculos dari folio Aconiti, Betonicæ, Plantaginis, Hederæ, Perfoliatæ, Cotyledonis, Apii, Fœniculi, &c. qui omnes ſumma cum difficultate reduci poſſunt à foliis, eorumque ſtructura, ad genus Ranunculorum antequam flores pentapetalos, & ſemina racematim in unum caput compacta proferant; tunc notâ genericâ detectâ, abſque ullo negotio folia determinant ſpecies ſub eodem ſigno militantes. Idem dicendum de multis aliis in vaſto hoc vegetabilium numero.

Ranunculus gramineus montanus flore pleno, Dod. Hic neutiquam à priore flore ſimplici differt, niſi multiplici petalorum ſerie, hoc contingit in multis aliis hujus generis, & paſſim in plurimis generibus hujus operis à luxuriante naturâ.

39. *Ranunculus* gramineus montanus radice villoſa plurimas fibras craſſiuſculas ex inferiore parte emittente, nobis. Ranunculus gramineus montanus bulboſus (perperam, eſt tuberoſus) Col. Fig. at in deſcriptione Ranunculus leptophyllus bulboſus (utrobique peccat Columna; non debet dici bulboſus, cum bona venia doctiſſimi Columnæ, ſed tuberoſus) Col. Copioſus hic in Æquicolorum montibus, ſupra *Divæ Philippæ* antrum venerandum Maio florere incipiens invenitur radice oblonga, cervice villoſo cortice nigroque obducta exterius, ex qua duas uncias longæ, carnoſæ fibræ, in imo craſſiores, Filipendulæ paluſtris radicis modo, capillaribus fibrillis hirſutæ, terram undique amplexantes, producuntur, interius vero intra prædictum villoſum tegumentum tuberoſa (non bulboſa, ut vult Columna) radix invenitur, Gladioli modo gemina, altera alteri inſidens vetuſtiori, atque corroſæ parum præcedentis anni, ex qua fibræ ortum ducunt: folia huic prima duas uncias longa, quæ paulatim majora efficiuntur, & palmum ad ſummum æquant, circa radicem piloſa, reliqua lævia, colore cinereo albicante, per longum venis diſtincta, octo numero caulem cingunt dodrantalem, junceum, duobus geniculis & foliis abſque alis diſtinctum, in ſummo virens caput habentem, quod dehiſcens florem luteum edit, ſplendidum, ſtaminibus intus denſis plurimis; calice etiam tunc quinquepartito: fructum deinde capitatum, oblongum admodum, ſquamoſum perficiens, & compacto ſemine rotundo, ſed apice roſtrato, ut congenerum, refertum.

40. *Ranunculus* gramineus hirſutus monanthos, nobis. Hic ex radice tuberoſa, multis fibris ſcatente, plurima protrudit folia, anguſta, graminea; ex quorum gremio exit unicus caulis, raris foliis itidem anguſtis & gramineis veſtitus, in cujus ſummo unicus apparet floſculus, hirſutus, quinis conſtans petalis rotundis: cui ſuccedunt ſemina aculeata, in globulum congeſta, aliorum Ranunculorum more.

41. *Ranunculus* gramineus alter polyanthos, nobis. Hic multis conſtat etiam foliis gramineis anguſtis, exeuntibus ex radice fibroſa: in caulis faſtigio exeunt quini, ſeni petioli, unciales, ſinguli unicum ſuſtinentes floſculum, quinis petalis mucronatis conſtantem, quibus fatiſcentibus ſuccedunt plurima ſemina aculeata, arcte ſibi invicem cohærentia.

42. *Ranunculus* montanus Betonicæ folio, Park. Folia ſunt huic multa, immediate è radice orta, & longis pediculis innixa, multis venis obliquis aſperſa, & quaſi rugoſa, in margine crenata, atque omnino Betonicæ folia æmulantia, niſi quod ſint minora, ſuperne viridia, inferne incana & argentei coloris, Argentinæ aut Potentillæ inſtar: ex horum medio oriuntur cauliculi vix palmares; ſed nudi ad cimas uſque, in quorum ſingulis unicus apparet floſculus, quinque petalis albis tenuibus & mucronatis conſtans adinſtar florum Pentaphylli, inque eorum medio apparent ſtamina lutea: flos quinis foliolis viridibus acutis in dorſo ornatur, quæ fuere loco vaginæ exiguæ floris nondum expanſi: ſemina compactim aculeatis mucronibus ſimul cohærent: radix conſtat plurimis fibris adinſtar radicis Betonicæ. Tota planta, id eſt, folia & radices, amara eſt, guſtu auſtero & aſtringente prædita eſt.

43. *Ranunculus* lanuginoſus Apii folio radice Aſphodeli, C. B. P. Ranunculus alter ſaxatilis montanus Aſphodeli radice, Col. Frigidarum regionum incola hæc eſt planta, proveniens in ſaxoſis humentibus montanis. Radice multis craſſis fibris ſummo ceſpite hærentibus, Aſphodeli modo, prædita conſtat, craſſioribus juxta radicis caput, ſemperque decreſcentibus, parvis, pollicis longitudine, multis capillaribus fibrillis immixtis: petiolos edit cavos & in imo latos, amplectentes caulem hirſutum, umbelliferarum ritu, quibus folia inſident primum lata, duabus tantum ſerraturis diviſa, deinde magis profunde, atque etiam in tres lobos diviſa, loboſque tribus dentibus ſeparatos habet ut ſinguli lobi videantur terna folia profunde inciſa,

ac etiam dentata ſemperque majora, utrinque hirſuta, inferne albidiora: caulem Vere emittit rotundum, hirſutum, ſeſquipedalem, alis diviſum, in quo folia magis diviſa & tenuiora ſine petiolo, ex quorum ſinu exeunt ramuli, in quibus flores magni, pallidi, pentapetali, unguis magnitudine, ſtaminibus intus luteis, quibus fructus ſemiuncialis ſpicæ in modum racematim cohæret, ſeminibus ſibiinvicem arcte cohærentibus. Aprili menſe floret. In Æquicolorum montibus prope *Divi Angeli* ædem dirutam, juxta mœnia antiqua Saracenia dicta etiam obſervavit Fab. Columna.

44. *Ranunculus* leptophyllos Aſphodeli radice, C. B. P. Ranunculus montanus leptophyllos Aſphodeli radice, Col. Radix hujus, Aſphodeli modo, plurimis tuberculis (non bulbillis ut vult Columna) dependentibus olivæ magnitudine, atque etiam rotundiores ſunt, in fibram tenuem deſinentes: ex his conjunctim folia oriuntur diviſa, primo Bulbocaſtani foliis ſimilia, in terram proclivia, vel alias recta, petiolis hirſutis rubentibus trientalibuſque innixa: ex horum foliorum pediculorum medio protruditur caulis dodrantalis Martio: & in hujus ſummo flos aureus, pulcher, ſplendens, quinis petalis rotundis conſtans, luteis ſtaminibus medium, ut in Roſis, occupantibus, quibus defluentibus ſuccedit caput oblongum, ſpicæ ſemiuncialis inſtar, ex ſeminibus denſe compactis & aduncis ſimul adhærentibus conſtructum, ut in congeneribus: caulis ſeminum horum ſpicam ſuſtinens hirſutus eſt, ſingularis, rotundus, rubens, raro pluribus quam duabus vel tribus alis diviſus, circa cujus ſummum quaſi, foliorum lobi majores longioreſque ſunt, brevi aut nullo petiolo hærentes alternatim. Martio floret, Veris vero fine perficitur ejus ſemen. Loca amat herbida, ſed pinguia collium Campoclarenſium atque Æquicolorum.

45. *Ranunculus* præcox rotundifolius granulata radice, nobis. Chelidonium minus, Matth. Trag. Fuch. Dod. ut. Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Eyſt. Chelidonia rotundifolia minor, C. B. P. Ficaria & Scrophularia minor 2. Brunſfel. Hæmorrhoidum herba, Hieron. Brunſw. Planta hæc viret ſubrotundis foliis, lævibus, glabris ac reſplendentibus, Hederæ foliis minoribus: inter hæc cauliculi tenues, breves, vix triunciales, humique plurima parte procumbentes, floſculos promunt luteos, ſenis, ſeptenis, nunc pluribus petalis donatos Ranunculorum modo, quibus valde accedit habita ratione capituli exigui, ſubrotundi, ex ſeminibus arcte ſibiinvicem cohærentibus compoſiti; radix tenuibus fibris conſtat, quibus in unum apicem cohærent granula oblonga ovata, triticeis granis majora. Naſcitur in pratis ſecus vias, ad ſcrobes foſſaſque in opacis & umbroſis, lociſque riguis & humentibus; vulgariter paſſim ineunte hyeme reperitur florens. Senis petalis ad ſeptena, octona, novena, imo duodena aliquando pertingit, ſecundum ætatem & vigorem radicum granulatarum. Reperitur & flore pleno.

46. *Ranunculus* lanuginoſus grumoſa radice minor, C. B. P. Ranunculus grumoſa radice 4. Cluſ. Hiſt. Ranunculus Illyricus, Dod. Lob. Tab. Ger. Eyſt. Ranunculus Illyricus minor, Park. Folia hujus ineunte Vere quaterna aut quina exeunt, longo pediculo innixa, oblonga & anguſta, candida denſaque lanugine obſita: caulis gracilis, pedem altus, minoribus foliis, anguſtis itidem ſeptus, & ramulis aliquot præditus, quibus flores inſident aurei coloris, valde ſplendentes, è quinis petalis conflati, inodori, interdum gemelli: radix multis brevibus & extimâ parte obtuſis tuberculis ſive grumis Tritici grana non multum ſuperantibus conſtabat, ut pene in Chelidonio minore, quibus aliæ tenuiores fibræ intermixtæ. Multas proles ea generare ſolet, matri adhærentes, ut in Ranunculo Tripolitano Cluſii, vel ſubinde tenues fibras inhærentes, procul à ſe ſparſas. Hunc eruebat Cluſius florentem in monte Hamburgenſi duobus ſupra Poſonium Hungariæ milliaribus, qua oceanum ſpectat, præſertim in eorum tumulorum ambitu, qui recenter à talpis ſuffoſſi erant, propter terræ erutæ mollitiem.

47. *Ranunculus* lanuginoſus grumoſa radice major, C. B. P. Ranunculus Illyricus major, Cluſ. Hiſt. Park. Hic major & latioribus foliis, caule & floribus multo majoribus magiſque incanis, tam etiam numeroſis radicibus ut magis commode Illyricus major dici poſſit. Is nunc in omnibus hortis ſatis familiaris, quia late per tenues fibras, ſubinde novas plantas generantes, ſeſe ſpargit & magna loca brevi occupat.

Explicatio Tab. trigeſimæ ſecundæ Sectionis quartæ.

48. *Ranunculus* Creticus latifolius, Park. Ranunculus hic radicem habet ex pluribus tuberoſis longis radiculis conflatam, deorſum verſus in acutum mucronem deſinentibus, ſurſum verſus in unum coeuntibus, Aſphodeli more, ex qua exeunt caules pedales & altiores aliquando: folia inferiora ſunt rotunda, profunde laciniata, & leviter ſinuata: foliola geniculis ſuperioribus adhærentia ſunt tenuia, oblonga, paululum etiam ſinuata, ad quorum appoſitio-

nem

nem caulis verſus medium in ternos pluresve ramulos dividitur: atque ſingulis ſinguli innituntur floſculi lutei, ampli ſatis, quinis petalis mucronatis conſtantes, ex quorum medio pullulant plurima ſtaminula lutea, ſuis apicibus luteis pariter onerata, quibus evaneſcentibus ſuccedunt ſemina multa, aculeata, in globulum coacta. Ejus ſemen ex Creta fuit primo miſſum.

49. *Ranunculus* latifolius bullatus autumnalis Aſphodeli radice magno flore, C. B. P. Ranunculus grumoſa radice 1. Cluſ. Hiſt. Ranunculus Luſitanicus Autumnalis, Lob. Obſ. Ranunculus Luſitanicus Cluſii, Ger. Ranunculus hic quinque, ſex, aut plura habet folia, circinatæ pæne rotunditatis, in ambitu ſerrata, per terram expanſa, ſplendentia, & veluti tumentia bullataque ſuperne, nervoſa & lanuginoſa inferne, ingrati initio ſaporis, ſed poſtea ferventiſſimi: inter folia aliquot exiliunt pediculi verius quam cauliculi, dodrantales fere, ſæpius breviores, villoſi etiam & veluti lanugine quadam obſiti, ſinguli ſuſtinentes florem luteum, odoratum, quinis, ſenis, octonis interdum, aut pluribus petalis conſtantem, quibus excuſſis, vel ſponte defluentibus, capitula, aliorum Ranunculorum capitellis aut Fragi rudimento ſimilia, apparebant pallida: radix ex multis, craſſis, longiuſculis tuberculis conſtat, Chelidonii minoris radicibus granulatis duplo longioribus, quibus plurimæ intermixtæ ſunt fibræ; temporis autem ſucceſſu ſuccreſcente planta ex adnatis ſeparari & in plures plantas pangi poſſe ipſa experientia, ut ait Cluſius, demonſtravit. Frequens occurrit circa Olyſippònem inter oliveta, & in pleriſque Bœticæ locis, ubi florentem Novembri menſe vidit Cluſius; in hortis floret citius Octobri & Novembri, quin & folia retinet tota hyeme in Maium uſque menſem, aliis nobis paulo antequam florere incipiat repullulantibus.

50. *Ranunculus* latifolius bullatus autumnalis flore pleno & prolifero, nobis. Ranunculus latifolius multiplex ſerotinus, Cornut. Hic folia plurima Plantaginis latifoliæ formâ & amplitudine verſus finem Octobris edere ſolet, quæ ſolummodo in ambitu ſunt obtuſe crenata, nerviſque reſperſa quamplurimis, qui non rectà ut in Plantagine, ſed tranſverſim inter ſe coeunt, quique ſunt in averſa parte conſpectiores: foliorum pediculi lati, oblongi, albidi, ſinuati, unà cum foliis, dum creſcunt, in orbem humi procumbunt; inter ea cauliculi plures paulatim ad palmum circiter attolluntur, quorum ſinguli ſingulos in apice globulos virides ſuſtinent, qui dum expanduntur, aureo ſplendore fulvos flores exhibent, Bellidi aut potius Hepaticæ flore pleno figurâ ſimiles: multis enim petalis parvis acutis conſtant, quorum quæ primo ordine locantur longe latiora ſunt, quæ vero deinceps, anguſta, & coactæ brevitatis; medium hujus floris umbilicum occupat globus alter viridis, qui marcido priore elatior factus, in alterum florem priori congenerem efformatur, quod eſt maxime Ranunculi ſpeciebus familiare, quanquam etiam id aliis uſu venit. Hos flores Theophraſtus διαύγεις vocat. Ranunculum eſſe demonſtrat ſapor acris & adurens, radix etiam Aſphodeli, quæ conveniunt plurimis aliis hujus maximi & longe patentis generis. Hæc eſt tantum prioris Ranunculi Luſitanici varietas, multiplici petalorum ſerie ſcatens ſeu abundans à luxuriante natura, quod plurimis Ranunculis tam ſponte in agris, quam in hortis cultis naſcentibus convenit.

51. *Ranunculus* latifolius autumnalis parvo flore, nobis. Ranunculus Luſitanicus, Dod. Lugd. Hic folia etiam habet lata, venoſa, lævia, relucentia, indiviſa, margine tamen aliquantulum inciſa: pediculos ab ipſis radicibus tuberoſis Aſphodeli inſtar, palmares, abſque adnatis: in quorum ſingulis flos unicus, parvus, hexapetalus, luteo auri colore reſplendens, odoratus, ſtaminibus in medio concoloribus, inter quæ capitulum emicat: radice conſtat è multis, longis, craſſiuſculis grumis compacta, inſtar radicis Tripolitani Ranunculi, quæ longioribus grumis Aſphodeli more componitur, colore ex albo & fuſco mixto extrinſecus præditis. Hujus Iconem ad vivum expreſſam è planta Cretico ſemine, ut ſcribebat, ſibi nata mittebat diligentiſſimus Botanicus *Jacobus Plateau*, illam autem folia ante hyemem, quæ perbelle fert, promere, & adnatis ſe propagare animadvertebat idem *Plateau*.

52. *Ranunculus* montanus hirſutus albus altior, C. B. P. Ranunculus montanus ſecundus vel ſecundi ſpecies 1ma, Cluſ. Hiſt. Quina, ſena, producit ex radice folia, magna, viridia, dura, Ranunculi illius glomerato ſeu globoſo flore quem nonnulli Trollium appellant, (hunc cum non ſit Ranunculus à fine ultimo, ſed Aconitum, ideo unà cum aliis hujus ſortis ad Aconita amandavimus) foliis haud abſimilia, nonnihil hirſuta, tribus ſciſſuris ad pediculum uſque pertingentibus, & aliis præterea minus profunde diviſa, ſapore initio dulci, poſtea aliquantulum amaro, pediculis firmis, craſſis, & pedem longis innitentia: caulem inter illa exeuntem cubitalis longitudinis, nudum, ſingularem, firmum, aliquantulum etiam hirſutum, intus cavum, qui in ſummo faſtigio terna habet folia contigua, profunde laciniata, pene inſtar Anemonidum; deinceps caulis dividitur in quatuor aut quinque longos, teretes pediculos, quorum ſinguli

 ſuſtinent

ſuſtinent unicum florem, quinis petalis ſatis magnis, rotundis & albis conſtantem, mediocriter odoratum, multis flavis ſtaminibus capitulum occupans umbilicum cingentibus, quod excuſſo flore apparet magno planoque ſemine onuſtum: radix eſt veluti præmorſa & multis nigricantibus fibris prædita. Frequens naſcitur in *Sneberg* & *Snealben* & aliarum illic viciniarum pratis ſublimioribus. Floret Junio, ſemen maturitatem adipiſcitur Auguſto. Hujus eſt & varietas altera purpuraſcente flore, quæ dicitur Ranunculus montanus hirſutus purpuraſcente flore, C. B. P. Ranunculus montanus 3. Cluſ. Hiſt. Florem habet pulchrum, ex quinque petalis orbicularibus conſtantem, quæ inferius purpuraſcunt, ſuperius in lateribus ex albo purpurea ſunt, reliqua parte albiſſima, multis luteis ſtaminulis medium occupantibus, calyceque ex quinque foliis herbacei coloris conſtante: ſemina ut in reliquis Ranunculis compacta, ex nigro purpurea & mucronata, parum compreſſa, & paulo quam in aliis Ranunculis majora: radix in ſummo ſetoſa & multipliciter diviſa, ſæpius Cruciatæ modo inciſa, & in multas fibras divaricata. Tota vero planta piloſa eſt. Creſcit copioſe in monte Iura è regione urbis Genevenſis. Floret Junio, ſemina Auguſto ſunt matura.

53. *Ranunculus* montanus hirſutus humilior flore Narciſſi, C. B. P. Ranunculi montani 2. ſpecies altera, Cluſ. Hiſt. In celſioribus prædictarum earundem Alpium jugis multo humilior & magis hirſuta creſcit hæc Ranunculi ſpecies, pedalem altitudinem non excedens, flore paulo majore (& qui Narciſſi florem album medium calicem flavum habentem æquare poſſit) eoque magis etiam odorato quam prioris. Serius floret priore, nam eum duntaxat florentem reperiebat Cluſius, quum in inferiore jugo, alterum jam ſemen ſemimaturum habentem obſervaſſet.

54. *Ranunculus* Rutaceo folio flore ſuave rubente, C. B P. Ranunculus præcox 1. Rutæ folio, Cluſ. Hiſt. Hic folia aliquot producit à radice tuberoſa, multis ſcatente fibris ſetaceis, multifida, Rutæ foliis non valde diſſimilia, molliora tamen & magis viridia: flores autem habet amplos, ante ipſa folia emergentes, forinſecus dum initio emergunt ad ſuaverubentem colorem tendentes, interne candidos, duodenis aut pluribus petalis conſtantes, umbilicum occupante capitulo viridi, ut in reliquis Ranunculis, multis albicantibus ſtaminulis, quæ flavos apices habent, ſine odore: flores ſuſtinet cauliculus teres, initio purpuraſcens, deinde ex viridi palleſcens, quem ambit unicum plerumque folium (raro plura) exiguum, aliquot laciniis diviſum, lata baſi cauliculum amplectens: floribus deciduis ſuccreſcit capitulum, ex multis ſeminibus craſſiuſculis coacervatum, Thoræ Valdenſium ſive Ranunculi grumoſa radice tertii Cluſii pene ſimile. Naſcitur in inferioris *Sneberg* jugis & vicinis montibus; ſingulari eſt radice, craſſiuſcula, tuberoſa, uti dictum, plurimas fibras emittente, in hortos autem tranſlatus multis adnatis radiculis ſeſe propagat, multoque frequentiores fibras ſpargit. Floret in hortis plerumque Aprili, nativo autem loco, videlicet frigidiore, ſerius, ſed brevi poſt ſolutam nivem, quæ jugis illis inſidet. Provenit etiam in monte Baldo, teſte Johanne Pona, qui eum ſub nomine Ranunculi Coriandri folio exhibet.

55. *Ranunculus* montanus purpureus calyce villoſo Felicis Plateri, J. B. Chabr. Plantulæ hujus facies, diligenſque conſideratio facile intelligentibus differentiam ſui à reliquis Ranunculi ſpeciebus oſtendit. Planta eſt dodrantalis, folia habet veluti in digitos diſſecta, partim à cauliculorum exortu longis pediculis hærentia, partim ex ipſis pediculis pendentia; in ſummo caulis flos inſidet Ranunculi, quinque petalis ſubrotundis præditus, ſingulatim aut aliquando binatim purpureus, villoſiſſimo & veluti byſſeo ei concolore lanugine obtecto calyce. Felix Platerus in Alpibus Valeſiæ legit, ac lectum in herbario ſuo ſicco adſervabat, ex quo Johannes Bauhinus deſcripſit, ac pingi curavit.

56. *Ranunculus* Alpinus minimus albus & luteus, J. B. Chabr. Omnium Ranunculorum quos vidi, inquit Johannes Bauhinus, minimi ſunt hi in montibus Rhæticis collecti; prior radicem oblique agit pro plantulæ ratione magnam, fibris donatam crebris, longis, perparum cauliculo cedentibus, qui duarum aut trium unciarum altitudine eſt, uno alterove foliolo ornatus; trifariam ſecantur Hederæ inſtar quædam, rotunda in margine, duntaxat Geranii columbini modo ſerrata, modo crenata, craſſiuſcula: flos ſummo cauli inſidet albus aut luteus, quinis parvis admodum petalis mucronatis ſeu acuminatis conſtans, cum ſtaminulis in medio cæterorum Ranunculorum more.

57. *Ranunculus* Alpinus humilis rotundifolius flore minore, C. B. P. Ranunculi montani primi ſpecies 1. Cluſ. Hiſt. Hic prior multa, parva, rotunda, & quaſi circino circumducta habet folia, aliquot ſciſſuris diviſa, & in ambitu ſerrata, atrâ viriditate ſplendenteque ſuperne prædita, ſatis craſſa ſive carnoſa, fervidiſſimo ſapore, inter quæ pediculus oritur tenuis, ſingularis, brevis, dodrante minor; florem album, minorem, quinis petalis conſtantem ſuſtinens

nens, inodorum, cujus umbilicum ſtamina crocea occupant; deciduo flore apparet capitulum immaturo Frago ſimile & multis ſeminibus granulatim cohærentibus conſtans: radix multis albicantibus fibris prædita eſt.

58. Hujus altera ſpecies eſt: cujus folia in tres profundas lacinias diviſa, & illæ denuo aliquot inciſuris donatæ; cauliculo ab altero non differt, ſed florem multo ampliorem gerit, eumque interdum duplici petalorum ſerie conſtantem, alioqui colore ſuperiori par eſt, & eodem tempore ſeſe explicat, radix quemadmodum in illo, quæ ſupremâ parte extuberat, infernâ fibris longioribus donatur. Naſcitur uterque in ſummis *Sneberg* & vicinarum Alpium jugis, confragoſo ſolo, & pene in ipſis petrarum fiſſuris: Junio iſthic floret, aliquando ſerius, prout nix maturius aut ſerius ſolvitur, in hortos autem tranſlatus Aprili flores profert niveos.

59. *Ranunculus* Aſphodeli radice dictus Pthora major, nobis. Pthora Valdenſium montis Baldi, Cluſ. Hiſt. Ad. & Icon. Lob. Thora ſeu Pthora, Ger. Aconitum Pardalianches 1. ſeu Thora major, C. B. P. A radicibus Aſphodeli, flore pentapetalo & ſemine Ranunculis multis conformibus, nuſquam aptius, quam ad Ranunculorum claſſem referendam hanc plantam (præcipue à fine ultimo) putabam. Caulis hujus plantæ tenuis, junceus, valde lævis, bipalmaris aut tripalmaris, cui ſecundum longitudinem adhærent terna, qnaterna folia, quæ ſunt rotunda, paululum dura, lævia, ſubviridis coloris, tendentis ad cæruleum, foliis Glaſti colore haud abſimilia, eleganter in ambitu crenata: in ſummo caulis emergunt terni, quaterni petioli, unciales, ſinguli ſingulos ſuſtinentes flores luteos, pentapetalos, minores floribus Ranunculi pratenſis vulgaris, nonnunquam æquales: quibus ſingulis fatiſcentibus ſuccedunt ſingula capitula ex pluribus ſeminibus coacervatis conflata Ranunculorum aliorum more: radix conſtat 10, aut 12. tuberibus oblongis, Aſphodeli albi radicum æmulis, cum ſingularibus fibris à ſingulis pendentibus, ſeu infra dimiſſis: nomen obtinuit à φθορά, quæ ſignificat corruptionem, venenum, mortemve, quæ ſunt certa indicia hujus plantæ.

60. *Ranunculus* Aſphodeli radice dictus Pthora minor, nobis. Thora Sabaudica & montis Baldi, Tab. Ger. Thora Valdenſis, Dod. Ranunculus grumoſa radice 3. Cluſ. Hiſt. Aconitum Pardalianches alterum ſive Thora minor, C. B. P. Plantula hæc unico aſſurgit caule lævi & plano, ex cujus medio pullulant bina folia, nec plura, ex multis parvis foliolis conflata, & hac ratione præcipue diſtinguitur à Pthora Valdenſium majore; inſuper flores edit pentapetalos, luteos, quorum ſingula petala ſunt rotundiora petalis præcedentis: radices itidem minores, cætera convenit cum præcedente. Uterque hic Ranunculus Pthora dictus, floret Martio & Aprili, atque ſemen maturatur Junio. Natales utriuſque in nominibus patent.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Omnes Ranunculi qualitatem, ut ait Galenus, vehementer acrem poſſident, adeo ut cum dolore exulcerent: hac ratione ſi moderate & convenienter utare, Pſoras & lepras excoriant & ungues divellunt: tum leproſis ſtigmata digerunt & acrochordonas & myrmecias detrahunt, quin & alopecias juvant, pauco tempore admota: nam ſi diutius inhæreant, non excoriatur ſolum ipſa cutis, ſed & in cruſtam uritur, atque hæc omnia caulis & foliorum ſunt opera, acſi imponas cauſtica ſeu urentia ferra candentia. Porro radix arefacta ſternutationem provocat, ſimiliter aliis quæ valenter deſiccant: ſed & dolentes dentes ita juvat ut frangat eos valenti ſcilicet exſiccatione; & ut ſemel dicam, calida & ſicca valde eſt radix, tum univerſa adeo herba. Hæc Galenus.

32. Ranunculus *rotundifolius præcox Aſphodeli radice, nobis. Chelidonium minus, Dod. Ger. Poteſt herbula hæc verna præcox ab hirundinibus nomen inveniſſe ſuum; nam circa ipſum hirundinum adventum apparere incipit, ſed tamen priuſquam ipſæ recedant, jam diu evanuit. Hoc nomen appoſite magis convenit Chelidonio majori, in tertia Sectione explicato, inter tetrapetalas ſiliquoſas herbas cap. XI. Chelidonium minus calidam & ſiccam qualitatem poſſidet, ipſo majore Chelidonio ſiliquoſo eſt acrius ac calidius, Ranunculis potentia proximum, ideo ipſum inter Ranunculos conſtituimus, juncto fine ultimo, quo convenit cum Ranunculis. Cutem valenter, ut Galen. & Dioſc. aiunt, exulcerat, ſcabros ungues ejicit: ſuccus radicum per nares attractus, aut ipſis impoſitus, caput per ipſas nares expurgat. Poſterior ætas ad hæmorrhoides radicibus unà cum adhærentibus granulis utitur, quæ hujus ſucco cum vino aut laborantis urina permixto ſæpius allotæ contrahuntur, ac dolore ſopito reſiccantur. Sunt qui exiſtiment, vel geſtatam ſolummodo herbam prodeſſe adverſus earundem dolores poſſe. Sed hæc vana utplurimum habentur.*

45, & 46. *Ranunculus paluſtris longifolius minor foliis planis & ſerratis, nobis. Ranunculus flammeus minor & ſerratus, Ger. Flammula vulgaris cæteris Ranunculis ſimilis eſt, acris ſimiliter, exulcerans & veſicas faciens citius & promtius, imo cruſtam inducens. Ejus eſu pecora enecantur, ideo arcent ſedulo pecus opiliones, ne eo Ranunculo devorato inflammentur præcordia, indidemque moriantur, ut videre eſt in balantium extis, quæ hujus pabulo ambuſta fuere, teſte Lobelio in Adverſariis ſuis.*

58, & 59. *Ranunculus Aſphodeli radice dictus Pthora major, nobis. Pthora Valdenſis, Ger. Et Ranunculus Aſphodeli radice dictus Pthora minor, nobis. Pthora Sabaudica ſeu montis Baldi, Ger. Tab. Pernicioſa & venefica hujus duplicis Pthoræ vis. Napelli fertur excedere malitiam. Tantam autem eſſe aiunt, ut homo quidem præcipue, deinde & quadrupes ferum, ac aliud etiam, ſcilicet domeſticum, vulneratum aut ictum telo hujus ſucco imbuto illitove, intra ſemihoram pereat ac moriatur. Negatur tamen mortiferum, inquit Dodonæus, ſi bibatur aut devoretur, tametſi abſque noxa id non fiat. Utuntur ſucco venatores ad ferarum venationem, quem expreſſum & præparatum in bubulinis ſervant cornibus, ad ſagittas intingendas veneno ac toxico præſentaneo. Vim ejus experturi acum in eo ſucco inficiunt, quâ ranam pungant, quæ ſi illico moriatur, præſentaneum judicant venenum, ut author eſt Geſnerus. Apud Valdenſes & in montibus vicinis in plurimo eſt uſu ſuccus hujus herbæ expreſſus, & in ungulis aut cornibus boûm aſſervatus & in foro publico venum expoſitus, ut hoc ſucco inficiantur venatorum ſagittæ, quibus mactantur feræ damna inferentes incolis, prædictos montes habitantibus.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 179. col. 2. pl. VI. *Ranunculus folio Aconiti flore albo multiplici, C. B. P. Ranunculus pleno flore albo, Cluſ. Hiſt. Eyſt. Debet transferri ad col. 2. pl.* VII, VIII. IX, & X. *col. 2. pag. 182. deinde Ranunculus montanus albus Aconiti folio flore majore pl.* VII. *col. 1. pag. 182. & Ranunculus montanus Aconiti folio flore albo minore (perperam habet Caſp. Bauhinus majore) pl.* VIII. *col. ejuſdem pag. 182. & Ranunculus Aconiti folio flore albo multiplici pag. 179. col. 2. pl.* VI. *& Ranunculus montanus Aconiti folio flore globoſo pag. 182. col. 2. pl.* IX. *& Ranunculus montanus Aconiti folio magno flore pl.* X. *Omnes hæ prædictæ plantæ non ſunt Ranunculi dicendæ, cum ſemina non habeant aculeata in unum caput congeſta, Ranunculorum more, ſed cum ſiliculas ſeu thecas ſeminales membranaceas ſimul junctas, & Aconiti ritu ſemina plurima ibidem continentes gerant, ad Aconiti claſſem debent referri, appellando Aconitum Ranunculoides &c. Vide Prælud. Botan. pag. 376.*

Pag. 180. col. 2. pl. VI. *Ranunculus aquaticus trichophyllon medioluteus Col. Bis reperitur hic & ſupra pag. 141. col. 2. pl.* VI. *Ranunculus aquaticus trichophyllon medio luteus vel Ranunculus aquaticus fœniculaceus* τριχόφυλλον, *Col. Non poteſt eſſe & Millefolium aquaticum foliis Abrotani Ranunculi flore & capitulo, & Ranunculus aquaticus capillaceus, cum una & eadem planta non poteſt adaptari duobus generibus, & Millefolio & Ranunculo; ergo lapſus eſt Caſp. Bauhinus. Vide pag. 375. Prælud. noſtr. Botanicorum.*

Pag. 180. col. 1. pl. VI. *Ranunculus aquaticus Cotyledonis folio, C. B. P. Cotyledon aquatica, Dod. Cum ſemen non gerat Ranunculi, non eſt reputandus genuinus Ranunculus, ideo ſicut monuimus pag. 375. Prælud. Botan. alio eſſet remittenda hæc planta, nec aptius mea opinione remitti poteſt quam ad heteroclitas aquaticas plantas, etiamſi inadvertentia nos hic ſculpendam ejus figuram curavimus.*

Pag. 184. col. 1. pl. 1. Aconitum Pardalianthes 1. ſeu Pthora major C. B. P. & col. 2. pl. 11. Aconitum pardalianches alterum ſive Thora minor, C. B. P. Male a Caſparo Bauhino cæteriſque authoribus dicuntur Aconita, cum Aconitum ſit planta cucullata, cujus ſingulis floribus ſuccedunt plures ſiliculæ ſeu capſulæ ſeminales membranaceæ; atqui hæ duæ plantæ ſunt genuinæ Ranunculi ſpecies a floribus pentapetalis & ſeminibus multis racematim in unum caput coacervatis; ergo aptius a nobis reducuntur ad ſuæ ſortis plantas, Ranunculos ſcilicet, quam ad Aconita.

Finis Sectionis quartæ Partis ſecundæ.

TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,

Radicibus pluribus, fusiformib' in unum apicem congestis Præditæ.

1. *Aſphodelus maj. flore albo ramosus,* I.B.



2. *Aſphodelus maj. flore albo non ramosus,* I.B.



Aſphodelus flore rubente, lob.



6. *Aſphodelus Luteus flore & radice,* C.B.P.



5. *Aſphodelus minor fol. fistuloso,* I.B.



7. *Aſphodelus luteus Palustris, Dod.*



8. *Phalangium flore lilij,* I.B. *Allabrogicum majus, Eyſt.*



9. *Phalangium parvo flore ramosum,* C.B.P.



10. *Phalangium parvo flore non ramosum,* C.B.P.





Auſpicijs Clariſsimi viri Dom. Georgij Ent,
Equitis aurati & Collegij Medicorum
Londinensium Præsidis digniſsimi.

Guil. Sonmans delin.

Hen. Fred. Vanhoue ſculp.

TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,
Radice tuberoſâ prædita.





TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,
Radice tuberoſâ prœditæ.
Tab.3.Section.4.
1. Colchicum Commune, C.B.P. cum cap=ſulis & radice tuberoſa, ſciſsa.
2. Colchicum biflorum, Eyſt.
Colchicum fritillariæ facie, ſwer. & Chioensis variegati folium.
3
4
5. Colchicum candidum mul=tiflorum, C.B.P.
6. Colchicum Polianthes lato Ellebori albi folio, C.B.P.
6. florens Colchicum Bizantinum Polyanthes latifolium florens, clus. hiſt.
7. Colchicum montanum, anguſtifol. autumn. Eyſt.
8. Colchicum anguſtifol. Gallæcium, lob. ad. part. 2.
9. Colchicum variegatum pleno flore, C.B.P.
10. Colchicum fl. pleno albo & rubro, Eyſt. ſwer.
11. Colchicum polyanthos mul=tiplex, C.B.P.
12. Colchicum luteum, lob. Colchico=narciſsus autumnalis luteus, nobis.
MATURE, CANDIDE, ET FRAGRANTER
Auſpiciis Clariſs. viri D. Alexandri Fraſier Equitis Baronetti, Baroniæ De Doors Dom. hereditarii, ac in aula Majestatis Regiæ Bri=tannicæ Archiatrorum Comitis, nec non Collegii Regii Medicorum Londinenſium ſocii.
Guil. Sonmans. delin.
Hen. Fred. Vanhoue. ſculp.


TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,
Radice tuberoſâ Prœditæ.
Section. 4. Tab. 4
1. Gladiolus maximus flore rubro incarnato, Promont. bonæ ſpei, Swer.
2. Gladiolus Bizantinus atropurpureus, Swer.
3. Gladiolus flore albo, Swer.
4. Gladiolus major floribus uno verſu diſpoſitis, C.B.P.
Capſulæ cum Seminibus
6. Gladiolus utrinq floridus, C.B.P.
7. Gladiolus Indicus e violaceo fuſcus nobis, flos Indic e violaceo fuſcus,
Auſpiciis clariſs. Viri D. Fran. Gliſson, M.D. Coll: M Lond: Socii, et Elect. ac apud Cantabrig. Medicin Profeſſoris Regii.
Guil. Sonmans delin.
freder. hend. Van hove ſculp.


TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,
radice tuberosâ præditæ.
Section. 4. Tab. 5.
ens Canis latiore rotundioreq; folio,
B.P. flore purpurascente, Clus. hiſt.
2. Dens canis anguſtiore &
longiore folio albo flore, Clus. hiſt.
1. Sysirinchium Asprensium
anguſtifolium alterum, Col.
2. Sysirinchium alterum
latifolium, Col.
ysirinchium Theop.ti Col.
4. Sysirinchium maius, Swer. Eyſt. Dod.
1. Iris tuberosa fl. obscurè
viridi colore, ſwer.
2. Xyris matth. ſpatula fœtida,
Eyſt.
Iridis tuberosæ Belgarum
Lob.ii capsula aperta.
Sysirinchii radix
tuberosa ſciſsa
inziber fl. albo, Swer.
4. Iris latifolia vulgaris
cærulea, Eyſt.
5. Iris florentina, Eyſt.
Auspiciis D. Guilielmi Stane Collegii medicorum
Londinenſium Socii, & Electi.


TRICAPSULARES HEXAPTALÆ,
radice tuberosa prædítæ·
Section 4. Tab. 6.
6.
Iris Susiana flore maximo, ex albo nigricante, C·B·P·
7. Iris Asiatica cærulea polyanthos, C·B·P·
8. Iris Dalmatica minor flore pur=
=pureo dilutiore, I·B·
9 Iris latifolia Pannonica, colore multiplici, C·B·P·
10. Iris latifolia candida, pur=
=pureis venis diſtincta, C·B·P·
11. Iris paluſtris lutea, S· Acorus adulterinus, I·B·
12.
Iris pratenſis angustifolia, folio fœtido, C·B·P·
13. Iris pratenſis angustifolia non fœtida altior, C·B·P·
14. Chamæiris fl· purpureo flaves=
=cente, C·B·P· octava Clus· hiſt· Eyſt·
15. Chamæiris minor, fl· p
=pureo, C·B·P· 10· Clus· hiſt· E
Auſpiciis Clariſs· viri Iohannis Muckleth
Medicorum Londinenſium Socii
Guil· Sonmans delin·
Rob· White ſculp·


TRICAPSULARES, HEXAPETALÆ,
tuberoſæ, & bulboſæ.
Section·4·Tab·7.
16.
Chamæiris anguſtifolia, Tab·
tenuifolia, Ger·
1. Iris bulboſa latifolia, I·Clus·
hiſt·
2. Iris bulboſa elegantiſs· perſicæ flore,
de Bry· variegata precox, ferr· deſc·
3. Iris bulboſa Anglicana
latifolia, flore albo, Swer
4. Iris bulboſa fol· cepaceis, ma=
=culatis fl· purp· inodoro, CBP·
6. Iris bulboſa fl·luteo, &
cœruzleo, de Bry·
7. Iris bulboſa verſicolor
πολύκλωνος, Clus·hiſt·
8. Iris bulboſa anguſtifolia flore
pleno, Swer·
9.
Iris bulboſa flavo flore, Clus·
hiſt·
10. Iris bulboſa lutea mixta, Eyſt·
11. Iris bulboſa anguſtifolia fl· albo, Eyſt·
Guil· Sonmans delin·
Abr· Blootling ſculp.
Auſpiciis Clariſsimi Viri D· Ionathan Goddard
Collegii Medicorum Londinenſium Socii & Elect·


TRICAPSULARES HEXAPETALÆ, radice Bulboſâ præditæ.
Section 4 Tab. 8.
1. Narciſſus niveus odoratus, circulo rubello, C.B.P.
2. Narciſſus orientalis major Poly=anthos totus albus, Eyſt.
3. Narciſſus calice fimbriato, medio croceus, Eyst. Donas norbon-lob.
4. Narciſſus d'Argiers, Polyanthos, totus luteus, Eyst.
5. Narciſſus juncifolius præcox major, ſwert.
6. Narciſſus major juncifolius, Eyst.
7. Narciſſus juncifolius, C.B.P.
8. Narciſſus albus maximus, calice brevi luteo, Eyſt.
9. Narciſſus albus calice flavo, muſcari odore, C.B.P. Pseudonarciſſus albus, calice luteo, Eyſt.
10. Narciſſus, syl. pallidus, calice luteo, C.B.P. Pseudonarciſſus totus albus, Eyſt.
11. Narciſſus, S. Pseudonarciſſus tuba sexangulari non ſcrip. swert.
12. Narciſſus luteus repens, C.B.P. Pseudonarciſſus luteus, Eyſt.
Auſpicius Clariſsimi Viri Dom. Thomæ Coxe Collegii Medicorum Londinenſium socii.
Guil. Sonmans delin.
Robert White ſculp.



TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,
radice bulboſâ prædita·
Section·4·tab·9·
13. …rciſsus totus Albus reflexus, Swert·
14. Narciſsus fol· rotundo circindato, Swer·
15. Pseudonarciſsus minimus aureus junciſolius, Eyſt·
16. Narciſsus nobilis orientalis polyanthos mixtus, Eyſt·
17. …rciſsus flavus pleno flore, Swer·
18. Narciſsus albus pleno flore, Swer·
19. Naiciſsus multiplex calice carens, C·B·P·Syl·Stellatus, Eyſt·
20. Narciſsus ſeptentrionalis, fl· pleno luteo, Eyſt·
21. …rciſsus Septentrionalis calice …pleno, duplicatis foliis, Eyſt·
22. Narciſsus juncifolius luteus flore pleno, Eyſt·
23. Leucoïum bulbosum, præcox minus, Clus·hiſt·
26. Leucoïum bulbosum Serotinum, majus, De Bry·
…uil Sonmans delin·
Rob·White ſculp·
Auspiciis Clariſs·viri D·Iohannis King Collegii Medicorum Londinensium Socii·

TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,

Radice bulboſâ præditæ.

28.
Narciſsus maritimus, C.B.P. *Pancratium marinum fl. albo, ſwert.*



29. *Narciſsus 3. Matth. multiflorus albus, ſwert.*



31. *Narciſsus jacobæus, Clus. hiſt.*



32. *Lilionarciſsus Indicus flore dilutè purp. Bapt. ferr.*



35. *Narciſsus Indicus ſphæricus, flore liliaceo, Bapt. ferr.*



Narciſsi Indici ſphærici Bapt. ferr. Radix & folia.






Auſpiciis Cl: viri D^{ni} Caroli Scarburgh Eq: Aur
Aulâ Britannicâ Regis Caroli II. & Auguſti Pr
Iacobi Ducis Eboracenſis Archiatri. In Coll: Med
Lond: Anatomes & Chirurgiæ Profeſsoris Publ

TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,
radice bulboſâ præditæ.



15.
Hyacinthus ſtellaris Germanicus, bifolius, C. B. P.



15. *Hyacinthus ſtellaris trifolius*, C. B. P.



16. *Hyacinthus ſtellaris ſpicatus, cinereus*, C. B. P.



17. *Hyacinthus caulibus pluribus floribus onuſtis*, Swer.



Vide 14. Tab. 11.

18.
Hyacinthus ſtellaris autumnalis minor; Eyſt.



19. *Hyacinthus ſtellatus Peruanus multiflorus fl. cæruleo, Swer.*



Hyacinthus orientalis flore pleno, Swer.



20. *Hyacinthus Eriophorus orientalis S. bulbus Eriophorus, Cluſ. hiſt.*



21.
Hyacinthus ſtellaris folio, & radice lilii, C. B. P.



22. *Hyacinthus Indicus tuberoſâ radice, Cluſ. hiſt. albus, Swer.*



23. *Hyacinthus Indicus ſerotinus flore amplo albo odoratiſſimo, nobis.*



ejuſdem radix partim tuberoſa, partim bulboſa.





Auſpiciis Clariſſ. viri Dom. Guil. Petty Equitis aurati & Medicorum Londinenſium Socii.

Guil. Sonmans delin.

Rob. White ſculp.


1. Ornithogalum Arabicum, Cluſ. hiſt. Eyſt.
2. Ornithogalum medium, Eyſt.
4. Ornithogalum maximum, Cluſ. hiſt. app. 1.
5. Ornithogalum anguſtifolium maj. floribus ex albo vireſcentibus, C. B. P.
6. Ornithogalum maximum & ſpicatum lacteo flore, Eyſt.
8. Ornithogalum exoticum magno flore minore innato, C. B. P.
9. Ornithogalum flore pendente, nobis. Hyacinthus arvorum Ornithogali fl. Col.
10. Ornithogalum latifolium ſphæricum, nob. Moly latifolium Indicum fl. purp. Swer.
11. Ornithogalum latifolium bulbiferum, nobis Moly Indicum, Cluſ. hiſt.
12. Ornithogalum luteum, Swer.
13. Ornithogalum anguſtifolium Campeſtre luteum minimum bulbiferum, Col.
Guil. Sonmans delin.
Rob. White ſculp.
Auſpiciis Clariſs. Viri Danielis Whiſtler Medicorum Londinenſium Socii.



TRICAPSULARES HEXAPETALÆ radice bulboſa præditæ, ſeu culinariæ bulboſæ.
Section 4. Tab. 14.
1. Cepa vulgaris rotunda, Dod.
2. Cepa oblonga, Dod.
3. Cepa Aſcalonica, matth.
4. Cepa ſectilis juncifolia, nobis. Schœnoprasum, Dod.
1. Allium rubentibus nucleis, lob. Icon.
2. Allium montanum bicorne fl. exalbido, C.B.P. Allium s. Moly montanum 3. Clus. hiſt.
3. Allium montanum fl. obsoletiori, C.B.P. Moly lurido colore, Swer.
4. Allium montanum capite rotundo, C.B.P. Allium, seu Moly montanum 5. Clus.
5. Allium montanum bicorne anguſtifolium fl. purpureo, C.B.P.
6. Allium perpuſillum juncifolium moſchatum, Lob. Moly moſchatum capillaceo folio, C.B.P. Prod.
7. Allium ſphærocephalum bifolium Italicum, I.B.
Radix Allii vulgaris integra.
ejusdem radix aperta.
Auspiciis Clariſs. viri D. Eduardi Graves Equitis Baronetti & Collegii Medicorum Londinensium Soci
Gul. Sonmans delin.
Hubtus Van Otteren Leodienſis ſculpebat.


TRICAPSULARES HEXAPETALÆ bulboſæ calidæ & acres s. bulboſæ culinariæ.
Section 4. Tab 15.
9. Allium ſativum, C.B.P. Dod.
10. Allium ſativum alterum s. Allioprasum caulis ſummo circumvoluto, C.B.P. ſativum 2. Dod. Scorodoprasum 2. Clus. hiſt.
11. Scorodoprasum, Ger.
12. Allium ſphæriceo capite folio latiore s. Scorodoprasum alterum, C.B.P. Ampe=loprasum, Dod. Scorodoprasum I. Clus. hiſt.
14. Allium montanum foliis narciſsinis minus, C.B.P. Allium s. Moly narciſsinis fol. 2. Clus. hiſt.
15. Allium paluſtre latifolium nobis ſyl. latifolium, C.B.P. urſinum, matth. Clus. lugd. urſinum latifolium, lob. Icon. lugd.
16. Allium montanum latifolium maculatum, C.B.P. anguinum, matth. lugd.
1. Porrum comune capitatum, C.B.P. commune matth. vulgare, lob. Icon. Porrum, Dod.
2. Porrum ſativum latifolium, C.B.P. ſectivum, Dod. ſectivum capitatum, matth.
3. Porrum ſyl. vinearum, C.B.P. Ampe=lopraſum, matth. lugd.
4. Porrum ſyl. gemino capite, C.B.P. Ampeloprasum, s. Porrum ſyl. lob. Porrum caninum, lob. hiſt. lugd.
5. Porrum ſyl. vitigineum, Ger. caule folia perforante, nobis.
Gul. Sonmans delin.
Hubertus Van Otteren Leodiensis ſculpebat.
Auſpiciis Clariſs. viri D. Iohannis Betts Collegii Medicorum Londinenſium ſocii.


TRICAPSULARES HEXAPETALÆ radice bulboſâ prœditæ, bulboſæ culinariæ·
Section·4·Tab·16·
1. Moly latifolium Hiſpanicum, C·B·P· latifolium, Eyſt
4 Moly latifolium luteum odore Allij, 1.um C·B·P·Moly montan·latifolium flavo flore, Clus·hiſt·app·altera·
5. Moly latiſolium luteum odore Allij 2.um C·B·P·Moly latifolium fl·flavo, Eyſt·
6. Moly exoticum floribus alboviridibus, C·B·P·Moly fl·albo lineis viridis coloris, ſwert
7. Moly anguſtifolium umbellatum, C·B·P· Moly Diſcoridis, lob·Icon·Clus·hiſt·
3. Moly atropurpureum, Swert·
8. Moly humile folio Gramineo, C·B·P· ChamæMoly an Moly disocoridis, Col.
9. Moly parvum caule triangulo, C·B·P·parvum Pesarenſe, Ponæ Itali.
10. Moly anguſtifolium floribus majoribus, C·B·P·Moly minus, Clus·hiſt·minimum albo flore, ſwert·
11. Moly anguſtifolium foliis reflexis, C·B·P·ſerpentium vocatum, lob·lugd·
1. Scilla vulgaris radice rubra, C·B·P·Scilla (maris Cepa) Trag·matth. Pancratium, Clus· hiſt·lugd·
2. Scilla radice alba, C·B·P· Hiſpanica, Clus·alba Eyſt·
Auſpiciis Clariſs·viri D·Petri Barwick Collegii Medicorum Londinenſium Socii·
Guil·Sonmans delin· Hub·Van Otteren Leodienſis ſculpebat

TRICAPSULARES HEXAPETALÆ
radice bulboſa prœditæ ·





TRICAPSULARES HEXAPETALÆ
radice ex duplici tubere conflatâ·
Tab.18·Section.4.
1.Fritillaria præcox purpurea variegata, C.B.P. Mieleagris, Dod·
2.Fritillaria alba præcox, C.B.P· albo flore, Swer·
4.Fritillaria anguſtifolia lutea variegata magno fl·C.B.P.
6.Fritillaria Polyanthos fla =viridis, C.B.P.
7.Fritillaria Aquitanica flore luteo obscuro, Swer·
8.Fritillaria polyanthos non descripta, Swer·
4.Meleagris flos maximus italicus, Eyſt·
5.Fritillaria flore ple Eyst·
Auspiciis Clariſs·viri D·Samuelis Co e parochia Rotherfield ex agro Suſse Collegii S.Sanctæ trinitatis Cantabri =sis & Collegii Medicorum Londinen utriusq. Socii, poſterioris censoris·
Guill·Sonmans delin·
Guil·Faithorne ſculp·

1.
Lilium Persicum florens eiusq; radix Squamosa,
cum caulis inferiore parte.



2.
Lilium seu corona Imperialis, C.B.P. cum radice squamosa.



3.
Lilium S. Corona Imperialis multiflora & lato Caule,
C.B.P. Corona Imperialis Polyanthos, Eyſt.



4.
Lilium s. Corona Imperialis florum claſſe duplici, unà cum Siliquâ
tricapsulari; in anteriori capsulâ apertâ duplex aparet series Seminum.



Auſpiciis Clariſs. viri D. Gaspari Nedham Collegii Medicorum
Londinensium Socii.

Guil. Sonmans delin.

Abr. Blootling ſculp.

TRICAPSULARES HEXAPETALÆ,
radice ſquammosa prædita.




13. Lilium album vulgare, flore Erecto, C.B.P. album, Eyſt·
16. Lilium Indicum Puniceum Gemino latiore folio. nobis·
Narciſsus Indicus puniceus Gemino latiore folio, cum Semine, fer·
17. Lilium purpureum majus, Dodᵒᵉⁱ Eyſt.
vide 14.ti & 15.ti icones in hujus Section, Appendice.
19. Lilium Cruentum bulbiferum, Eyſt·
1. Lilium luteum asphodeli radice, C·B·P· liliasphodelus luteo flore, Clus·hiſt·
3. Lilium rubrum asphodeli radice, C·B·P·
Liliasphodelus puniceus, Clus·hiſt·
Guil·Sonmans delin·
Abr·Blootling ſculp·
Auspiciis Clariſs·viri D·Thomæ Millington
collegii Medicorum Londinensium, et omnium
animarum apud Oxon· Socii·

TRICAPSULARES HEXAPETALÆ.

1. *Aloë Arabica ſerotina vulgaris officinarum, nobis. Aloë vulgaris* C. B. P. *Aloë Dioscoridis, Col.*



2. *Aloë Americana folio in longum aculeum abeunte,* C. B. P. *Aloë Americana, Dod. Clus. Hiſt. Eyſt.*



3. *Flos & capſula ejusdem Aloës Americanæ, nobis.*



4. *Aloë Americana flore luteo, nobis.* Metl & Manguei, *Anton. Recch.*



5. *Aloë Americana flore cæruleo palleſcente, nobis.* Metl Cotzli, *Anton. Recch.*



6. *Aloë Americana parva valde ſpinosa foliis admodum ſerratis, nobis.* Mexical Metl, *Anton. Recch.*



7. *Aloë Americana fructu dulci & acido, multiplici Prunis ſimili, nobis.* Mexocotl *ſeu* Manguei *prunorum, Anton. Recch.*



8. *Aloë Americana foliis anguſtioribus & tenuioribus abſq. ſpinis, nobis.* Pati *ſeu* Metl *ex quo fiunt leviſſima fila, Anton. Recch.*



9. *Aloë Americana foliis parum dentatis, nobis.* Theometl Manguei *divinum, Anton. Recch.*



Burgh. ſculp.

Auſpiciis Clariſſimi Viri D. Roberti Peirce Medicinæ Doctoris apud Bathonienſes.


TRICASULARES HEXAPETALÆ.
Tab.23. Section 4.tæ Ejusq. APPENDIX.
Yuca sive Iucca vera foliis Aloes, C.B.P. Yuca, Ger.
Yuca sive Iucca vera foliis filamentosis, nobis. Iuca Americana foliis filamentosis, Munting.
Yuca sive Iucca spuria Peruviana foliis stellatis obtusis, nobis. Yuca Peruviana foliis stellatis obtusis, Munting.
Yuca Peruviana foliis stellatis mucornatis, nobis. Iucca Brasiliana folio stellato mucornato, Munting.
Gladiolus Æthiopicus flore coccineo, Cornut.
Sysirinchium Indicum Vespasiani Robini, Cornut.
Narcissus junciſolius omnium minimus flore omnino albo calice fimbriato, nobis. Bulbocodium minimum tenuifolium album, I.B. Chabr.
Narcissus juncifolius albus calice longiusculo seu magno foliis tortilibus, I.B. Chabr.
Narcissus maximus antumnalis quorundam, Narcissus non amarus albus seu Pancratium Indicum, Clus. Hist.
Burghers ſculp.
Auſpiciis Clarissimi viri D. Edmundi Dickinson serenissimi Regis Caroli 2. familiæ Medici.

Narciſſus Africanus ſive exoticus bifolius duplex foliis acutis & obtuſis, nobis. refer ad tricapſulares Squamatas, Cap. XX.



Narciſſus minimus calice plano petalis ſex reflexis luteis, nobis. Bulbocodium minimum coronatum, I.B. Chabr.



Narciſſus minimus calice amplo plano, nobis. Bulbocodium tenuifolium, I.B. Chabr. pag. 422. pl. 8.



Lilionarciſſus Indicus pumilus monanthos albus foliis anguſtiſſimis, nobis. Atamosco dictum hortulanis pag. 366. pl. 30.



Hyacinthus latifolius, Dalp.ii I.B. Chabr. pag. 422. pl. 9.



Hyacinthus tripolitanus, I.B. Chabr. pag. 422. pl. 10.



Ornithogalum luteovireus Cornut. pag. 423. pl. 11.



Ornithogalum floribus ſubvirentibus longiſſimis pediculis innitentibus, nobis Moly flore ſubviridi, Boccon pag. 423. pl. 12.



Lilium album floribus dependentibus ſive peregrinum, C.B.P. Sultan Sambach, Cluſ. Hiſt. & Pan. Euſt. du Bry. vide 14. pag. 405.



Lilium Canadenſe imperfectis floribus ſeu irregularibus albis, nobis. pag. 405. pl. 15.



Lilium cruentum latifolium, I.B. Chabr. vide pag. 423. pl. 14.






Auſpiciis Clariſſimi Viri Radolphi Macro Medicinæ Doctoris apud Londinenſes.

Burgh ſculp.


PENTAPETALÆ & POLYPETALÆ PAPPESCENTES radice tuberoſà.
Tab.25.Section.4.
1. Anemone trifolia, Dod. Ger.
2. Anemone ſyl. alba maj. C.B.P 3.ta matth. lugd.
3. Anemone horten. latifolia, ſimplici flavo flore, Clus. hiſt. Cyclaminiſeu malvæfol. C.B.P.
4. Anemone Geranii rotundo fol. purpurascens, C.B.P papaveracea, Tab. Ger.
5. Anemone latifolia Simpl. carneo flore, C.B.P. 6 fl. Sim=plici, Clus. hiſt.
8. Anemone hortensis pleno flore verſicolori &coccineo flore pleno, Clus. hiſt.
10. Anemone latifolia, Chalcedo=nica polyanthos, Paſsœi.
6. Anemone Œnanthes folio, flore violaceo hexaphyllos, C.B.P. flore purpuro=violaceo, Eyſt.
11. Anemone tenuifolia, flore coccineo multiplici, Eyſt.
7. Anemone cœrulea Geranii Rupertiani folio, C.B.P.
12. Anemone tenuifolia Bizantina, flore carneo vivaciſsimo, in flora Pariſiis.
13. Anemone purpurea, tenuifolia, flore purpuro=violescente, & Polyphyllo, in flora Parisiis.
Guil Sonmans delin.
Rob. White ſculp.
Auspiciis Clariſsimi viri D. Iohannis Lawson Collegii Medicorum Londinensium ſocii.


1. Pulsatilla vulgaris fl· dilutiore, Clus· hiſt·
2. Pulsatilla vulgaris flore ſaturatiore, Clus· hiſt·
3. Pulsatilla flore albo, C.B.P·
4. Pulsatilla lutea, Paſtinacæ ſylv. folio, C.B.P· lutea Cam·ep·
1&2. Caryophyllata vulgaris, Clus· hiſt· & vulgaris maj· flore, C.B.P·
7. Caryophyllata aquatica, nutante flore, C.B.P·
3. Caryophyllata Alpina lutea, C.B.P·
8. Caryophyllata Aquatica, altera, C.B.P·
5. Caryophyllata Alpina, omnium minima, Ponæ, & Alpina minima altera ponæ, Ital·
9. Caryophyllata Chamædryos folio, nobis· Chamædrys montana, Lugd·
6. Caryophyllata Alpina, Quinquefolia, C.B.P·
1&2. Hepatica trifolia, flore ſimp. & pleno, Clus· cum ſemine·
Auſpiciis Clariſs· viri D· Georgii Smith Collegii Medicorum Londinenſium Socii· Authoris foris & domi amici familiaris & conſtanti·
Guil· Sonmans delin·
Abr· Blootling ſculp·


1.
Ranunculus Grumoſâ radice fl· albo Simpl· C.B.P. Aſiaticus Grumoſâ radice I· Clus· hiſt·
2.
Ranunculus ramoſus Grumoſâ radice, C.B.P. πολυκλωνος 2. Clus· hiſt·
3.
Ranunculus fl· flavo vario, C·B·P· flore flavo, rubris venis diſtincto, Eyſt·
4.
Ranunculus Grumoſâ radice fl· niveo, Eyſt·
ejuſdem ſpica cum Semine·
5.
Ranunculus Aſiaticus Grumoſâ radice flor· phœniceo ruberrimo, Eyſt·
6.
Ranunculus peregrinus Grumoſâ radice I· Clus· hiſt· fl· albo venis rubris & flavis permixto
7.
Ranunculus Aſiaticus Grumoſâ radice pleno fl· 2· Clus· hiſt· pleno flore ruberrimo, Eyſt·
8.
Ranunculus Aſphodeli radice prolifer miniatus, C·B·P·
9.
Ranunculus Aſiaticus Aſphodeli radice pleno fl· Sanguineo, I· Clus. hiſt·
Auſpiciis Clariſs· viri D. Nicolai Stanley Collegii Medicorum Londinenſium Socii·


PENTAPETALÆ Radice Tuberoſâ &fibroſâ·RANUNCULI·.
Tab·28·Section·4·
10.
Ranuuculus ſylvarum,Clus·hiſt·
alba,purpurea &pleno ſlore·
11.Ranunculus nemorosus flore pleno,
Cœruleo,nobis·&nemorosus luteus,lob·Icon·
12.Ranunculus Thalictri folio,
Clus·hiſt·
13.Ranunculus Thalictri folio
minor Asphodeli radice,Park·
14.
Ranunculus Moschatella dictus,C.B.P.
Ranunculus minimus ſeptentrionalium
herbido muſcoso fl·lob·Icon·
15.Ranunculus dulcis nemorosus,
Tab·dulcis,Trag·
16.Ranunculus pratensis acris
erectus,C.B.P·idem flore pleno·
17.Ranunculus pratensis erectus dulcis
flore ſimp·& pleno,cum ſemine in
capitulum Congeſto·
18.
Ranunculus pratensis repens
hirsutus,C.B.P.flore ſimplici &
pleno,cum ſem·echinato
in capitulum congesto·
19.
Ranunculus tuberosus,
Dod·fl·simplici & pleno,
cum ſemine aculeato
in capitulum congesto·
20.
Ranunculus parvo
folio trifido,C.B.P·
21.
Ranunculus hirsutus fl·
omnium minimo luteo,nobis·
22.
Ranunculus ceratophyllus ſeminibu
falcatis in ſpicam addactis,nobis·
Auſpiciis D Humpredi Brooke Collegii Medicorum
Londinenſium Socii·
Guil·Sonmans delin·
Abr·Blootling ſculp[t]


23. [Ran]unculus echinatus arvenſis, [...]ſtras, nobis Arvorum, Ger.
24. Ranunculus echinatus ſtellatus Creticus, C.B.P. echinatus Creticus Ponæ Ital.
25. Ranunculus 3ius Apuleii. Clus. hiſt.
26. Ranunculus Pratenſis Bononienſis, Park.
27. & 28. [Ra]nunculus paluſtris Apii folio lævis [C.B.]P. & folio lanuginoſo, C.B.P. Sardonicus, & Sardous, Cord. hiſt.
Ranunculi Paluſtres
29. Ranunculus hederaceus Dalpii lugd. hiſt. Aquaticus hederaceus albus, nobis male luteus, C.B.P.
30. Ranunculus Aquaticus Cotyledonis folio C.B.P. Aquaticus umbilicato fol. Col.
31. Ranunculus Aquaticus Hepaticæ facie, lob. Icon. Aquat. folio rotundo, & capillaceo C.B.P.
32. [Ra]nunculus Aquaticus capillaceus, [...] Trichophyllos aquaticus medio luteus, Col.
33. Ranunculus longifolius paluſtris major, C.B.P. flammeus major, Ger.
34. Ranunculus longifolius paluſtris minor, C.B.P. flammeus minor, C.B.P.
35. Ranunculus longifolius paluſtris minor ſerratus, C.B.P. flammeus ſerratus, Ger.
Auſpiciis Clariſſimi Viri D. Walteri Mills Collegii Medicorum Londinenſium Socii.

Ranunculi montani.

36. *Ranunculus ſolio Plantaginis Ger, Park.*



37. *Ranunculus Pyrenæus albus, Park.*



38. *Ranunculus montanus ſolio Gramineo, C.B.P. Gramineus, Tab. Ger. & multiplex ejusdem.*



39. *Ranunculus Gramineo folio, tul[...] Radice, nobis (perperàm) bu[...] Gramineus montanus, Co[...]*



40. *Ranunculus Gramineus hirsutus monanthos, nobis.*



41. *Ranunculus Gramineus alter polyanthos, nobis.*



42. *Ranunculus montanus Betonicæ folio, Park.*



43. *Ranunculus montanus ſaxa[...] Asphodeli radice, Col[...]*



44. *Ranunculus montanus leptophyllon Asphodeli radice, Col.*



45. *Ranunculus rotundifolius Asphodeli radice, nobis. Chelidonium minus, Ger.*



46. *Ranunculus Illyricus minor, Park.*



47. *Ranunculus Illyricus major, Park.*





Auſpiciis Clariſsimi Viri D. Gualteri Needham Coll[...] =corum Londinenſium ſocii Honorarii, Anatom[...] Chirurgos Londinenſes profeſsoris, & Hospitii Suttani[...]



Auſpiciis Clariſs · viri D· Thomæ Waterhouse Collegii Medicorum Londinenſium Socii Honorarii

PLANTARUM
Hiſtoriæ Univerſalis Oxonienſis
PARTIS II. SECTIO V.
De
HERBIS
Ex numero capſularum & petalorum denominationem ſumentibus.

DE
TRICAPSULARIBUS LACTESCENTIBUS,
Monopetalis, corniculatis, & galeatis.

CAPUT I.

CAMPANULA, RAPUNCULUS, CERVICARIA SIVE TRACHELIUM.

Rapunculus vulgo dictus, γογγύλη ἄγρια, Rapum ſilveſtre Dioſcoridi l. 2. c. 135. male cenſetur: & à Plinio l. 20. c. 3. Rapi ſilveſtris nomine male præponitur. Aliis Iaſione ejuſdem l. 22. c. 22. creditur, cujus tamen verba, rectius ad Smilacem lævem referuntur. Erinus Nicandri & Dioſcor. l. 4. Erineon Plinii l. 23. c. 7. ex Columnæ ſententia. In hanc claſſem & Campanulæ à floris forma nominatæ, referendæ ſunt.

Deductis ſiliquoſis bivalvibus papilionaceis in Sectione ſecunda, & bicapſularibus tetrapetalis tam ſiliquoſis quam ſiliculoſis in tertia, & tricapſularibus hexapetalis in quarta; jam propter connexionem & congruentiam capſularum aggrediemur in quinta hac Sectione Tricapſulares monopetalas plantas explicandas, & tricapſulares pentapetalas; bicapſulares etiam monopetalas &c.

Dicitur Campanula à forma floris adinſtar campanæ (id eſt, florem habet integrum in fundo campanulæ in modum, etiamſi quinquefariam in margine dividatur) & Rapunculus à tuberoſitate radicis inſtar parvi Rapi; Cervicaria apud Latinos, & τραχήλιον apud Græcos, quia medetur affectibus ſeu morbis colli; dicitur itidem & Uvularia. Nota generica conveniens huic generi, eſt, quod quælibet plantæ pars rupta ſuccum effundat lacteum, capſulam ſeminalem habeat tribus loculamentis diſtinctam, in quorum ſingulis innumera ſemina lucida, ruffa, ſeu ſubruffa ſuccedunt; eſtque à forma florum vel campanulata, vel corniculata, vel denique galeata: à forma radicis, utplurimum eſt radice tuberoſa, nonnunquam fibroſa: à foliis, eſt vel glabra, eaque latifolia vel anguſtifolia; vel hirſuta, variis formis & figuris contexta: à colore floris, eſt cærulea, violacea, purpurea, alba, lutea, ſeu ochroleucos.

TABULA I. Sectionis quintæ.

Campanula glabra

- 1. *Lacteſcens, Lob. Campanula lacteſcens fœtidior, Cluſ. Hiſt. Pyramidalis, Lugd. Lutetiana, Eyſt.* ⊙
- 2. *Perſicæfolia, Lob. Cluſ. Hiſt. Campanula media, Dod. Rapunculus perſicifolius magno flore*
  - *Cæruleo, C. B. P.* ⊙
  - *Albo, C. B. P.* ⊙
- 3. *Cærulea foliis ſerratis, Eyſt. Rapunculus Alpinus ſeu Pyramidalis minor, qui* 1. *in Prod. Caſp. Bauh.* ⊙
- *Dilute cærulea* — *Foliis*
  - 4. *Subrotundis, C.B.P.* ⊙
  - 5. *Longis, nobis. Campanula Alpina glabra flore dilutiſſime cæruleo, J. B. Chabr.* ⊙
- 6. *Magno flore, nobis. Rapuntium ſive Rapunculus nemoroſus magno flore, C. B. P. Erinus magno flore, Col.* ⊙
- 7. *Pyramidalis minor, nobis. Campanula Pyramidalis minor, Proſp. Alpin. de Exot.* ⊙
- 8. *Pyramidalis altera ſeu Petromarula Cretica, nobis. Petromarula ſeu lactuca Petræa Cretica, Pon. Ital.* ⊙
- 9. *Alpina Tragopogi folio, C. B. P. Trachelium Tragopogi foliis, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- *Umbellata*
  - 10. *Anguſtifolia ſeu Rapunculus ſilveſtris umbellatus anguſtifolius, nobis. Rapunculus umbellatus* 2. *Cam. Hort.* ⊙
  - 11. *Latifolia ſeu Rapunculus umbellatus latifolius, nobis. Rapunculus umbellatus* 1. *Cam. Hort.* ⊙
- 12. *Capitata petræa, nobis. Rapunculus petreus Proſp. Alpin. de Exot.* ⊙

§. 1. *CAMPANULA major glabra, ſeu Rapunculus major glaber.*

Explicatio Tab. primæ Sectionis quintæ.

1. *Campanula* major lacteſcens, Lob. Lugd. Campanula Pyramidalis ſeu Rapunculus hortenſis ſeu latiore folio, C.B.P. Campanula major, Dod. Campanula lacteſcens fœtidior, Cluſ. Hiſt. Campanula lacteſcens Pyramidalis, Ger. Pyramidalis, Lugd. Pyramidalis Lutetiana, Eyſt. Campanula hæc major folia habet prima ſeu terræ proxima, glabra, lata, Violæ nigræ formæ ſimilia, paulo tamen majora, quæ vero circa caules, quos validos & præaltos promit, oblongiora, utraque ſaturi viroris: flores ſecundum caules gignuntur plurimi, campanulati, Rapunculi vulgaris floribus majores ac patentiores, Campanulis ac tintinnabulis fere aſſimiles, integri in fundo, quinquefariam in margine diviſi, cæruleo nitentes colore; ſtaminibus in medio candidis: radix novellis plantis oblonga & digitalis craſſitudinis, rupta copiam lactei coloris ſucci effundens, vetuſtis vero in multas fibras diſtributa. Ubi ſponte proveniat incertum. Floret Julio & Auguſto: medio Autumno ſemina perficit.

2. *Campanula* Perſicæfolia, Lob. Cluſ. Hiſt. Ger. Park. Parad. Campanula media, Dod. Campanula anguſtifolia cærulea & alba, J. B. Chabr. Rapunculus Perſicifolius, C. B. P. Phyteuma Matth. Lugd. Cam. Cæſ. Hæc Campanula procera eſt, ad cubitos duos aſcendit; caule eſt anguloſo, rigido, ex atro virore ſplendente: folia ſtricta, non multum culmo latiora, palmo longiora, rigida, læviter denticulata, proxime cauli adnaſcuntur alternatim; è quorum alis pediculi prodeunt unum, duos aut plures flores ſuſtinentes, campanæ vel calathi figura ut in Rapuntio vulgari aut ſuperiore, ſed multo magis patulos ſeu hiantes, in quinque acutiores lacinias dehiſcentes, colore utplurimum cæruleo, rarius albo, apicibus concoloribus: hiſce ſingulis ſuccedent capitula ternis loculamentis diſtincta, terniſque foraminibus inferius pertuſa; ex quibus exeunt ſemina plurima, minuta, ruffa, pellucida: radix huic quam Rapuntio vulgari minor, magiſque fibroſa & tortuoſa. Provenit in Alſatia inter *Sultz* & *Zenne* urbes, item circa montem *Salevæ*, & in colle *là Baſtie* prope Genevam. Nos in ſilva Regiæ *Fontainbelleau* prope pontem à dextris qua itur Pariſiis in prædictam Regiam, offendimus copioſe ſatis provenientem. Floret Junio & Julio.

3. *Campanula* cærulea foliis ſerratis, Eyſt. Rapunculus Alpinus ſive Pyramidalis minor, C. B. P. & Prod. Radix hujus Rapunculi vulgaris forma, tuberoſa: ex qua caulis unus oritur, ſeſquipalmaris, qui foliis pallide virentibus, per ambitum crenatis, acuminatis, unciam latis, tres

tres longis, alternatim cingitur; in ſummo flores pauci, cærulei, Campanulæ vulgaris forma, pedicellis longiuſculis annexi, ſtilo oblongo ex ſingulorum medio prodeunte donati, propendent: quibus ſingulis capitulum oblongum, trifariam pertuſum, ut in cæteris ſuæ ſortis Campanulis ſuccedit, cui ſemen minutum, ruffum & pellucidum includitur. In Italia provenit, ſed locus excidit Caſparo Bauhino.

4. *Campanula* foliis ſubrotundis, C. B. P. & Prod. Ex radice tenui, repente, caulis ſeſquipalmaris, levi lanugine pubeſcens aſſurgit, quem folia pauca, ſubrotunda, duas uncias longa lataque, pediculo longo donata, tenuia, ſubaſpera, per ambitum ſerrata, cingunt: in caule ſummo flores pauci, dilute cærulei, Campanulæ formâ, longo petiolo deorſum pendentes, è quorum medio longus ſtilus exſurgens extra florem fertur. Hanc Cervicariæ minoris rotundifoliæ nomine D. *Sigfridus Helmſtadio* miſit. Hæc à Campanula hortenſi Rapunculi radice differre videtur altitudine, foliorum longitudine, florum magnitudine & numero, quæ pro radicibus multas tenues, tranſverſas, & oblique repentes fibras habet, ita ut ex hortorum areolis vix extirpari poſſit, à quibus radices oblongæ, candidæ, Rapunculi radicibus ſimiles, demittuntur.

5. *Campanula* Alpina glabra flore dilutiſſime cæruleo, J. B. Chabr. Pulchra eſt hæc Campanula, quæ nobis à D. Agerio Argentinenſi data, flore eſt dilutiſſime cærulei coloris; is collegerat in vertice montis Tirolenſis: nihil hirſuti aut aſperi nobis in hac planta apparuit. Parvus ramus eſt fere pedalis: folia aliquid habent ſimilitudinis cum Hieracio Sabaudico, in circuitu ſerrata, minora ſunt præcedentis foliis: flores etiam minores in unum latus verſi, ex brevi pediculo nutantes.

6. *Campanula* magno flore, nobis. Rapuntium ſive Rapunculus nemoroſus minor magno flore, C. B. P. Erinus magno flore, Col. In Aſprenſium colle quodam, caſtro ſubjacenti, Decembri menſe hanc Erini varietatem eruimus adhuc florentem, ut in Icone ad vivum expreſſimus, inquit Columna. Radice eſt craſſa, fibroſa, ex albo parum ruffeſcente, ſapore dulci, ut Rapuntium vulgare lacteſcente ac perenni, ut conjicere licet ex novella ſobole, & radicis rugoſo capite: folia cum caule promit primum exigua, rotundiore cacumine, vulgaris Pepli magnitudine, deinde longiora, quæ vix unciam æquant, vel ſuperant, ſemper longiora & anguſtiora, illaque in extremo acutiora, quæ caulis medio hærent: caulis tenuis eſt, pedalis, ſtriatus, paucis foliis interceptus, in cujus faſtigio conſpiciuntur flores, ex quinquefoliata baſi, anguſtifolia, ut in aliis, Campanulæ aut Trachelii modo, unciali longitudine, & ſemiunciali fere latitudine, in quinque lacinias margine inciſo, obſolete cæruleo-purpuraſcente, venulis purpurocæruleis per longum depictus flos eſt, lacinias habens colore magis ſaturo, apicem in medio trifidum, intorto cacumine, quinis etiam ſtaminibus circundatum: capſulæ ternis loculamentis diſtinctæ, ut in congeneribus, in quibus ſemen arenæ inſtar minutum, pellucidum continetur, quod quando perfectum per foramina terna decidit. Tota planta lacteſcit, dulci ſapore edulis, grata magis in cibo quam vulgatum Rapuntium.

7. *Campanula* Pyramidalis minor, Proſp. Alpin. de Exot. Elegantiſſima hæc planta in valle Sanctæ Fidatæ prope Baſſanum opidum duobus milliaribus, in locis opacis & humidis, quam (quod ſciam) non vidi, inquit Proſper Alpinus, ab aliquo deſcriptam, neque alibi vidi eandem naſcentem. A radice tres, vel quatuor, vel plures etiam caules aſſurgunt bicubitales, & etiam longiores, recti, graciles, rotundi, ex quibus hinc inde ramuli multi aſcendunt, inferne longi, ſuperne breves, ita ut ſervato æquali ordine in iis ramulis, quaſi pyramis cum ramulis floribuſque appareat, unde nos Campanulam Pyramidalem minorem nominavimus (inquit Proſper Alpinus) ad differentiam Pyramidalis vulgatæ herbariorum, quod hæc Campanula noſtra longe amplior ſit. Ex ſummitatibus vero ramulorum flores propendent numeroſi, qui parvis Campanulis ſunt ſimiles, colore aut cæruleodilutiore, aut candido, hæque Campanulæ ſunt cum ſuis filamentis (tanto artificio à natura libratæ, ut artifex peritiſſimus ita perbelle vix eas faceret) deorſum propendentes, figura florum qui in vulgaribus Campanulis ſpectantur, ſed paulo majores; colore, ut etiam dictum, aut candido aut cæruleo-dilutiore, ſuaviter olentes. Hæc ſtirps inferne juxta terram admodum eſt folioſa: folia vero ſpectantur longa, viridia, inferius latiuſcula, & in acutum definentia, magnitudine & figura quaſi ad Rapunculos accedentia, vel ad Intybum ſilveſtrem; longe tamen extrinſice undique ſerrata, ſuperne longe minora, tenuiora, ac magis mucronata cernuntur ſingulaque ad unuſcujuſque ramuli in caule exortum: radix prædictæ plantæ prægrandis, craſſa, brevis, nucis Juglandis fere magnitudine, figura tamen longior, in acutum definens, colore albo fere tranſlucido, ad Rapunculi itidem radicem maxime inclinans. Sapor vero inſipidus & viſcidus obſervatus

 eſt,

eſt. Stirps perennis eſt, & quo annoſior, eo radices habet numeroſiores & craſſiores.

8. *Campanula* ſeu Petromarula Cretica, nobis. Rapunculus Creticus ſeu Pyramidalis altera, C. B. P. Petromarula Cretica ſeu Rapunculus Creticus, Park. Petromarula ſeu Lactuca petræa Hon. Belli & Ponæ Ital. Hæc Rapunculi ſpecies peculiaris Cretæ inſulæ, nec alibi ſponte naſcens adhuc obſervata. Prima folia quæ prodeunt ex ſemine ſato, ſunt rotunda, veluti folia Violæ Martiæ, & parum in margine dentata, atrovirentia; ſecundo anno poſt ſationem plures caules profert rotundos, ſtriatos, ad bicubitalem altitudinem in ramulos fiſſos, quorum ſingulis innaſcuntur plurimi floſculi, rubentes, campanulati, quinquefariam in margine profundius diviſi & reflexi: quibus evanidis ſuccedunt thecæ tricapſulares continentes ſemina lucida, ſubruffa aliorum Rapunculorum more. Hic Rapunculus à flore quinquefariam profundius in margine diviſo adinſtar galeatorum, melius ad finem Rapunculorum rejiceretur. Radix eſt magna, alba, in plures radiculas diviſa, ex qua rupta lacteus ſuccus emanat, ſicut ex foliis: perennis eſt planta, diu durans, atque ſingulis annis ex eadem radice protrudens nova folia: debet tamen à frigore arceri apud nos Septentrionales ſaltem. Vide finem hujus cap.

9 *Campanula* Alpina Tragopogi folio, C. B. P. Trachelium montanum, Col. Trachelium Tragopogi folio, Cluſ. Hiſt. Radicem habet craſſiuſculam, albidam, lacteſcentem, & ex ipſa plurimas fibrillas dimiſſas producentem: folia ſunt longa, anguſta, duriuſcula, Croci aut Tragopogi formâ & magnitudine. Veris fine caules pedales, ſubrubentes atque hirſutos, quibus articulatim folia rara ſingulis geniculis adhærent; in caulium ſummitatibus denſe proveniunt flores purpurei, nolæ formâ, Trachelii vulgaris modo, ex baſibus ſingulis quinque foliolis viridibus conſtructis: ſemina itidem minuta pellucida, in thecis tricapſularibus obſervantur, qualia ſunt reliquorum Rapunculorum ſemina. Tota planta itidem lacteſcit, ut cæteræ ſuæ ſortis. Radix perennis eſt atque dulcis, eſui apta, ſicut vulgaris Rapunculi radix.

10. *Campanula* glabra umbellata anguſtifolia, ſeu Rapunculus umbellatus anguſtifolius, nobis. Rapunculus umbellatus anguſtifolius, C. B. P. Rapunculus ſilveſtris umbellatus 2. Cam. Hort. Hic folia habet ſequentis multo minora & anguſtiora paucioraque: flores minores, cæruleos, non tam patentes, plures ſimul in unum capitulum congeſtos, cum ſtilo in medio ſingulorum, qui in margine quinquefariam aliorum more etiam dividuntur: ſemina in thecis tricapſularibus, pellucida itidem, producuntur.

11. *Campanula* umbellata latifolia, ſeu Rapunculus umbellatus latifolius, nobis. Rapunculus umbellatus latifolius, C. B. P. Rapunculus ſilveſtris umbellatus cæruleus major, Thal. Rapunculus ſilveſtris umbellatus 1. Cam. Hort. Hujus folia ſunt latiora, ſemiunciali latitudine, mucronata, in margine piloſa; caulem erigit dodrantalem, pilis ſcatentem, in cujus ſummo faſtigio proveniunt plurimi floſculi, in unum caput coacervati, cærulei, integri in fundo nolæ inſtar, ſinguli quinquefariam in margine partiti, quorum ſingulis deciduis ſuccedunt capſulæ tribus loculamentis diſtinctæ, atque in ſingulis loculamentis plurima continentur ſemina, ſubruffa, pellucida.

12. *Campanula* glabra capitata petræa, nobis. Rapunculus petræus, Proſp. Alpin. de Exot. Naſcitur hæc planta ſatis elegans prope Baſſanum in agro Maroſticenſi à Brenta flumine vix tertia milliaris parte diſtante, in colle lapideo Septentrioni expoſito, radice Rapunculi albâ rimis ſaxorum infixa, ut propterea magno labore eruatur, vixque integra: radix, inquam, eſt oblonga, digiti minoris craſſitie, carnoſa & alba, Rapunculo vulgari maxime ſimilis, ſapore dulci, ſubacri, unde in acetariis Rapunculi modo, ut audio, eſt ſatis accepta guſtui: ex radice folia complura fert longiſſimis pediculis gracilibus inhærentia, Hederæ foliis carnoſis ſimilia, minora tamen, longiora, magiſque in acutum definentia, tenuiora, colore viridi nigreſcentia: è foliorum medio prodeunt tres ſurculi, graciles, recti, longi, rotundi, dodrantales, cum parvis foliolis longis, tenuibus, utrinque alternatis, ſuis petiolis caulibus adnaſcentibus: in cauliculorum cacumine capitulum parvum, rotundum, aliquando oblongum extuberat, floſculis complurimis cæruleis, in unum congeſtis, inodoris: quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ exiles, tribus loculamentis diviſæ, in quorum ſingulis plurima minuta ſemina, ſubruffa, pellucide ſplendentia, cæterorum ſuæ ſortis more. Petræus dicitur, quod in ſaxorum rimis naſcatur.

TABULA II. Sectionis quintæ.

Rapunculus minor glaber

13. *Eſculentus*, C. P. *Rapunculus*, *Matth. Dod.* ☿
14. *Nemoroſus anguſt lius major majore flore*, C. B. P. *Rapunculus ſilveſtris major*, *Eyſt.*
15. *Folio ſerrato rotundio flore Convolvuli*, *nobis*. *Rapunculus folio ſerrato rotundiore*, J. Chabr. ☉
16. *Alpinus minor rotundifolius*, bis. *Campanula Alpina minor rotundifolia.* ☉

Campanula glabra minor

17. *Vulgaris foliis imis rotundioribus* tis *non ſerratis*, *nobis*. *Campanula minor rotundifolia vulgaris*
18. *Cymbalariæ aut Hederæ folio*, *C. B. P.* P. ☉
19. *Serpilli folio*, *C. B. P. & Prod.* ☉ d. ☉
20. *Ramoſior minore flore albicante*, *nobis*. *Erinu* ndri, *Col. Phytob.* ☿
21. *Arvenſis*, *nobis*. *Campanula arvenſis minima*, *Dod. Speculu majus*, *Park. Onobrychis*, 1. *Dod. Avicularia Sylvii quibuſis floribus purpuroviolaceis*, *J. B. Chabr.* ☿
22. *Arvenſis erecta*, *nobis*. *Speculum Veneris minus*, *Ger. Park.* ☿
23. *Pentagonia perfoliata*, *nobis*. ☿
24. *Cordifolia longius radicata Catana*, *nobis*. *Campanula rotundifolia longius radicata*, *Boccon.* ☉

CAMPANULÆ ſeu RAPUNCULI glabri minores.
Explicatio Tab. ſecundæ Sectionis quintæ.

13. *Rapunculus* eſculentus, C. B. P. Rapunculus, Matth. Cam. Dod. Rapuntium parvum, Ad. Lob. (cui & pes Locuſtæ Avicennæ) Ger. Rapunculus hic vulgaris, vernis Acetariis expetitus, radice eſt tuberoſa, minimi digiti craſſitudine, Napi aut parvi Rapi ſimilitudine, alba, dulci: folia ex oblongo ad extremum rotunda, per terram ſparguntur, nonnihil hirſuta ſub exortum: ex horum medio caulis exoritur cubitalis & ſeſquicubitalis, hirſutus itidem, canulatus & lacteſcens, foliis veſtitus acutioribus, pediculorum expertibus: flores formam nolæ imitantur, per oras quinquefariam diviſi, cærulei utplurimumi, nonnunquam candidi, quorum ſingulos excipiunt vaſcula oblonga, ternis conſtantia loculamentis, quorum unumquodque foramine in ſuperiore parte præditum cernitur, per quod excidit ſemen maturum in terram, minutum, ſubruffum & lucidum. Provenit paſſim in arvis non cultis, & collibus ſilvoſis pratiſque, atque inter ſegetes: quinetiam in hortis colitur in uſum acetariorum quadrageſimalium, ut radices grandiores evadant; producitur ſponte etiam in vepribus & ſepibus, tam calidarum, quam frigidarum regionum. Floret Maio, atque ſemina perficit æſtate.

14. *Rapunculus* nemoroſus anguſtifolius major majore flore, C. B. P. Rapunculus ſilveſtris major, Eyſt. Rapunculus ſilveſtris Nerii foliis 3. Thal. Hic folia exhibet etiam anguſta, profunde ſerrata: flores vero ampliores majoreſque, nolæ alicujus patentioris in modum, quinquefariam etiam in margine partitos: quibus ſuccedunt capſulæ trifariam junctæ, ſingulæ ſingulis foraminibus perforatæ, prioris more.

15. *Rapunculus* folio ſerrato rotundiore flore Convolvuli, nobis. Rapunculus folio ſerrato rotundiore, J. B. Chabr. Complures ſtatim à radice attollit hic caules, cubito altiores, nonnihil anguloſos, ſubhirſutos, ſimplices; quibus ab imo ad ſummum adnaſcuntur alternatim folia nonnihil hirſuta, uncialia & ſeſquiuncialia, ſemiunciam circiter lata, pauca unciam attingunt, in acutum mucronem deſinentia, per ambitum ſerrata, obliquis venis à medio nervo per margines exporrectis: ſummus ſcapus flores ex intervallis profert, Rapunculi vulgaris floribus ſimiles quoad fundum integrum, tintinnabuli ſeu Convolvuli floris inſtar, ſed parum in margine ſinuatos tantum, non profunde diviſos; calyculo pinnato exiguo perſimili calyci ſuperiorum, ex pediculis uncialibus & ſeſquiuncialibus, tenuibus orto: radix alba, craſſiuſcula, Rapunculi vulgaris craſſitudine. Collectam habuit Joh. Bauhinus Campanulæ nomine prope *Geſtin* in Stiria. Folia in principio caulium imum verſus ſerrata & rotunda, ſuperius mucronata,

cronata, ſerrata pariter, breviſſimis & vix conſpicuis pilis obſita. Floret æſtate, & ad eundem modum quo priores, capſulas ſeminales & ſ…ina profert.

16. *Rapunculus* Alpinus minor rotundifol…s, nobis. Campanula Alpina minor rotundifolia, C. B. P. Campanula minor Alpina, C…l. Hiſt. deſc. (vitioſa eſt figura.) Radix hujus ſicut prioris eſt tuberoſa, plurimas emitten… …bras: folia ſunt rotunda, ſerrata, aliquatenus mucronata, longiſſimis pediculis innitenti… media ſerrata etiam, & magis mucronata, longis itidem pediculis innitentia: hiſce notis… …æcipue à ſequenti vulgari rotundifolia Campanula differt. Hæc eſt vera figura Campan… Alpinæ minoris Cluſii à Caſparo Bauhino primo exhibita, etiamſi vice hujus Alpinæ… …oris, Cluſius adhibuerit Iconem Campanulæ minoris rotundifoliæ vulgaris & paſſim… …iæ. A primo intuitu Iconis hujus facillime diſtinguitur à ſequente vulgari.

17. *Campan…r* …ulgaris minor foliis imis rotundioribus ſinuatis non ſerratis, nobis. Campanula rotundifolia vulgaris, C. B. P. Campanula ſilveſtris minima, Dod. Campanula …inor rotundifolia, Lob. Campanula rotundifolia, Ger. Hujus folia prima Campa…r proxima rotunda ſunt, paululum ſinuata, non profunde ſerrata, ut prioris &…ns Alpinæ, Violæ nigræ ſatis ſimilia, attamen duplo triplove minora; quæ autem …alibus adhærent oblonga & anguſta ſunt, Lini aut Caryophylli foliis anguſtis perquam ſimilia: flores in ſummis cymis caulium conſpiciuntur parvi, cærulei, campanulati, longis pediculis pendentes, cærulei inquam utplurimum, interdum albi: hiſce deciduis ſubveniunt capſulæ parvæ aliarum Campanularum more, trifariam cohærentes, tribuſque foraminibus perforatæ, ex quibus decidunt ſemina parva, lucentia: radix longe lateque ſerpit.

18. *Campanula* Cymbalariæ aut Hederæ folio, C. B. P. & Prod. Campanula folio hederaceo ſpecies Cantabricæ Anguillaræ, J. B. Chabr. Tenella admodum eſt plantula hæc, conſtans coliculis tenuibus, palmaribus & ſeſquipalmaribus, ramoſis, per quos folia tenera, hilari virore perfuſa Hederæ vel Cymbalariæ figurâ, quorum tamen laciniæ ſunt acuminatæ: floſculus pediculo, fili inſtar tenui, longiuſculo inſidet, unicus, gracilis, oblongus, quinquefariam per ſummas oras laciniatus, cæruleus, cæteroquin pallidus.

19. *Campanula* Serpilli folio, C. B. P. Prod. Tota planta, floribus exceptis, Serpillum refert: nam radice eſt tenui, obliqua, tenuiſſimis fibris capillata, & hinc inde repente, cauliculis plurimis rubentibus in terram reflexis, cui novis fibellis adhærent, inque ramulos plures tenuiores dividuntur: quos folia Serpilli vel potius numulariæ, quæ ſunt purpuraſcentia, formâ ſubrotundâ, duo ſemper appoſita, quædam majora, quædam Serpillo minora, crenata, ſubtus pallide virentia, pediculis breviſſimis, & leviſſime pubeſcentibus, ambiunt: cauliculi aliquando in pediculos nudos, flores ſuſtinentes campanulatos, deſinunt: aliquando ex cauliculorum lateribus pediculi triunciales, in ſummo nudi, floribus ornati exſurgunt: flores bini vel terni Campanulæ formâ, ex cæruleo rubentes, deorſum nutantes, ſinguli ſingulis pedicellis donantur. In Baldo monte hanc Campanulam legit Caſp. Bauhinus, quin & D. *Paſchalis Gallus* eam in Rhætia ex rupibus dependentem collegit. Floret æſtate, & ſemina paulo poſt perficit.

20. *Campanula* flore minore albicante ramoſior, nobis. Erinus Nicandri, Col. Phytob. Erinus major Columnæ, J. B. Chabr. Erinon plantam hanc appellarunt antiqui, quia lacteum ſuccum habet atque emittit Caprifici modo, quæ ἐρινεὸς Græcis dicitur; quapropter Plinius poſt Caprifici deſcriptionem ita hanc deſcripſit; *Herba quoque quam Græci Erinion vocant reddenda in hoc loco propter gentilitatem*: & quia Ocimi folia antequam caulem edat, habet, ut in Ocimoide obſervatur, Ocimoides; & quia aquatica loca diligit ὑδρηρὸν dicta fuit: hiſce conditionibus pollere videtur hæc planta ex verbis Dioſcoridis ex ipſo allatis à Columna, quem conſule. Radice conſtat tuberoſa, parvum Napum æquante ad ſummum, candida, guſtui ſuavi, ex dulci acerba, acetariis expetita, lacteſcente in medio, vel imo parum extuberante à quâ folia exeunt primo Vere, Ocimi foliis ſimilia, minora vero, medii Ocimi foliis æqualia, per ambitum ſerrata, ſuperne hirſuta atque viridia, inferne vero lævia atque polita albidioraque: caules poſtea ab radice emittit plures, ſecundum loci annique temperiem, pedales vel majores, anguloſos, hirſutos: quos folia abſque petiolis alternatim circundant, longa, anguſtioraque, minus ſerrata, ita ut qui vident plantam ſine caule, atque poſtea caule præditam, diverſam abſque dubio cenſebit, niſi domi cultam obſervaverit: folia quidem, quæ antequam caules ederet habebat terram tangentia, marcida evaneſcunt, nec in illa amplius inveniuntur: ex foliorum alis ramuli exeunt, in quibus ſicut in caulibus flores Maio viſuntur petiolis parvis hærentes, cavi, integri in fundo, quinque diviſuris in extremo diſſecti, colore albicantes & etiam purpuraſcentes, intus ſtilum habentes, cujus apex in tres parvas partes dividitur: quibus

ſiccatis

ſiccatis florum baſis extuberat, quæ hirſuta eſt, ex quinque viridibus foliolis compoſita: ſemen perficit Junio, ac Julio minutum, fuſcum, compreſſum, guſtu acerbum, cum perfectum & ſiccatum eſt, per terna capſulæ foramina, quæ tunc pervia ſunt (ut in omnibus hujus generis contingit) decidit. Tota planta ex radice uſque ad florum calyces lacte ſcatet dulci diſrupta. Hæ notæ ſupra allatæ Erino convenire videntur ex Fabio Columna, qui ſatis prolixe in Phytobaſani ſui pag. 131, 103, 104, 105. agit de Erino. Provenit in locis aquoſis, fluviorum ripis ac vallibus, ad fontes, & in montium radicibus frequentiſſima.

21. *Campanula* arvenſis minima, Dod. Speculum Veneris, Ger. Speculum Veneris majus, Park. Onobrychis 1. Dodonæi, Lugd. Onobrychis altera Belgarum, Icon. Lob. Eyſt. Avicularia Sylvii quibuſdam floribus purpuroviolaceis, J.B. Chabr. Parvula hæc planta propter conformitatem cum Rapunculis ſeu Campanulis cum in floribus tum in capſulis ſeminalibus tricapſularibus ſeminibuſque exiguis, lucidis, præcipue cum ſuccum effundat lacteum, Campanulis annexuimus. Huic cauliculi ſunt tenelli, dodrantales, in tenues ramuſculos diviſi, plurima parte humi decumbentes: folia circa cauliculos parva, per ambitum leviter crenata: flores parvi, violacei, aut in puniceo purpurei, pulchri, copioſi, patentibus quinque diviſionibus, pentapetali omnino apparentes, integri tamen in fundo Campanulæ more, ſtamine in medio candido, qui interdiu patent & pentapetali apparent, circa vero occaſum ſolis recluduntur, & in quinquangularem formam contrahuntur, quam etiam nondum aperti uti aliæ Campanulæ referunt: radices plurimis conſtant fibris tenuiſſimis, quæ ſingulis annis pereunt poſt perfectum ſemen. In agris frumentariis, inter ſegetes paſſim in Gallia & Anglia fertili & fecundo ſolo exit. Junio & Julio floret. Campanularum videtur eſſe ſpecies, non tamen Iaſiones, inquit Dodonæus, cum vulnerata lac nullum fundat: ſed longe fallitur vir doctiſſimus, lacteum enim ſuccum album quælibet ejus pars rupta, adhuc novella, fundit.

22. *Campanula* arvenſis minima erecta, nobis. Speculum Veneris minus, Ger. Park. Viola arvenſis & pentagona, Tab. A hujus radice tenui, gracili, cauliculi aſſurgunt recti, pauciores, palmares, & altiores in ſolo pingui, cavi; ad quorum genicula obſervantur folia alternatim caulibus adhærentia, ſinuata, criſpa: ex alis verſus cimam caulis apparent floſculi campanulati quinis petalis quaſi acutioribus prioris donati, minores, prodeuntes ex rudimentis triangularibus capſularum; non tam viſu elegantes ſunt, quam prioris flores: caducis floribus obſervantur capſulæ triangulares, longiores & craſſiores capſulis prioris, atque in harum ſingulis loculamentis continentur plurima ſemina minuta, pellucida: in ſummis capſulis poſt ſemen ad maturitatem perductum retinent quina foliola, quæ fuere loco calycis floris. Planta eſt annua ſicut & prior, inter ſegetes etiam reperitur florens, ſed tardius priore.

23. *Campanula* pentagonia perfoliata, nobis. Hujus folia profundius ſerrata, rotunda, geniculatim caulem ambientia, dodrantalem, aliquando in pingui ſolo altiorem, adeo arcte cauli adhærent folia, ut ab ipſo caule perforari videantur: in ſummis caulium & ſecundum ipſum ad genicula, naſcuntur flores campanulati, majores & eleganter cærulei, hiſce ſingulis ſuccedunt ſiliculæ ſeu capſulæ triangulares triplici loculamento diſtinctæ, ſemina ſubruffa, pellucida, vulgaris Campanulæ arvenſis ſeminibus paria, continentes. Planta eſt annua, ſeſe renovans ſeminibus ſingulis annis. Natales ignoramus, ſed diu coluimus in hortis. Floret ineunte æſtate, & ſingula perficit verſus ejuſdem finem.

24. *Campanula* cordifolia minima Catana longius radicata, nobis. Campanula rotundifolia Catana, Boccon. Radix hujus alte in terram depacta eſt, in plurimas propagines tomento aut quaſi lanugine obductas fiſſa, ex quibus plurimi protruduntur cauliculi pedales, duri, rigidi; quibus ſecundum longitudinem adhærent folia cordata, exigua, paululum ſinuata & mucronata, vix dimidium unguis minimi digiti humani excedentia: in ſummis caulibus conſpiciuntur floſculi cærulei, campanulati, aliarum ſuæ ſortis æmuli, integri in fundo, quinquefariam in margine diviſi: quibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ capſulæ, ternis parvis loculamentis partitæ, quorum ſingula continent ſemen pellucidum, ruffum. E rimis ſaxorum erumpentem hanc plantulam prope Catanam invenit Paulus Boccone. Planta eſt perennis, florens æſtate.

Omnes

Omnes Rapunculi campanulati, vel glabri majores, ſive glabri minores, vel hirſuti, ſuccum lacti ſimilem colore præbent ex cauliculis aut foliis abruptis vulneratiſve: flores Nolæ, Campanulæ aut tintinnabuli inſtar, campanulati apte dicuntur à formâ campanæ, qui nondum completi ſeu expanſi, quinquangulares ſunt, quidam plus quidam minus, quinquefariam in margine diviſi, integri autem in fundo, unde ei nomen Campanulæ: capſulæ ſeminales, triangulares, & tribus foraminibus, perforatæ (excepta Campanula dicta Viola Mariana, quæ quinque donatur foraminibus & per conſequens eſt quinquecapſularis) ex quibus excuti poſſunt ſemina ruffa, fulva, aut aurea pellucida.

TABULA III. Sectionis quintæ.

Trachelium ſive Campanula

25. *Minor annua foliis inciſis, nobis. Rapunculus minor foliis inciſis, CB.P. Erinus minor ſeu Rapunculi minimum genus, Col.* ☿
26. *Hirſuta Ocimi folio caulem ambiente flore pendulo, Boccon.* ☿
27. *Maxima foliis latiſſimis, C. B. P. Trachelium majus Belgarum ſive Giganteum, Ger.* ⊙
28. *Major vulgaris aſperior foliis Urticæ, C.B.P. Trachelium foliis Urticæ, Cluſ. Pan.* ⊙
29. *Cervicaria major lævior flore albo magno, J. B. Chabr.* ⊙
30. *Hortenſis folio & flore oblongo, C. B. P. Viola Mariana, Dod. Cluſ. Hiſt. Medium, Matth.* ☿
31. *Peregrina maxima laciniatis foliis, C. B. P. Medium Dioſcoridis Rauwolfii, Cam. Ep. J. B. Chabr.* ☿
32. *Hortenſis Rapunculi radice repente, nobis. Trachelium in maritimis, Ad. Lob.* ⊙
33. *Foliis Echii floribus villoſis, C. B. P. & Prod.*
34. *Foliis Echii, C. B. P. & Prod. Trachelium thyrſoides Cluſ. Hiſt.*
35. *Montana foliis Anchuſæ, nobis. Rapunculus montanus ſeu Trachelium montanum, J. B. Chabr.*
36. *Lychnidea, J. B. Chabr. Lychnidis ſpecies Myconi, Lugd. Lychnis ſilveſtris Campanulæ flore, C. B. Phytob.*

TABULA IV.

37. *Hirſutum Pyramidale Valerandi, J. B. Chabr.*
38. *Seu Cervicaria Bononienſis parvo flore, J. B. Chabr.*

Campanula ſive Trachelium

39. *Ramoſum floribus pleriſque ſingularibus, J. B. Chabr.*
40. *Minus album, J. B. Chabr.*
41. *Capitatum hirſutum gramineis foliis, Boccon.*
42. *Altiſſimum hirſutum aſperius foliis hirſutis floribus parvis, J. B. Chabr.*
43. *Pratenſe flore conglomerato, nobis. Trachelium minus, Dod. Gal. Ad. Lob.* ⊙
44. *Petræum globoſum, nobis. Trachelium Petræum majus, Ponæ.* ⊙
45. *Spicatum Echii foliis, nobis. Campanula foliis Anchuſæ floribus oblongis, C. B. P. Alopecuros Alpinus quibuſdam Echium montanum Dalechampii, J. B. Chabr.*

§. 2. *Tricapſulares lacteſcentes campanulatæ hirſutæ.*

Explicatio Tab. tertiæ Sectionis quintæ.

25. *Campanula* minor annua foliis inciſis, nobis. Rapunculus minor foliis inciſis, C.B.P. Erinus minor ſeu Rapunculi minimum genus, Col. Nova hæc eſt plantula atque pulchella, ex Divæ Mariæ virginis monte advecta: radicem habet parvam admodum, teneram, fibris ſcatentem, atque Rapunculo ſive Erino Nicandri Columnæ ſupra explicato ſimilem ſapore, lacte-

lacteſcentemque: folia emittit parva admodum, unguis humani digiti amplitudine, parum hirſuta, ſublonga, latioraque in ſummo, & per extremum ſerrata raris diviſuris, nam quæ proximiora ſunt radici octo dentes circiter habere videntur; ſuperiora vero minus dentata, atque floribus hærentia, binos: caulem emittit à radice ex ſingulis foliolis, alis diviſum ita ut exigua hæc planta fruticoſa videatur, anguloſum, hirſutum, tenuem: floſculos edit Aprili menſe & Maio inter folia, ex calyce parum hirſuto, lato, in quinque folia deſinente, ut in cæteris hujus ſortis exeuntes, oblongos, cavos, ſimiles Tracheliorum floribus, purpureos, intus piſtillum ſtilumve luteum, in ſummo triplici diviſura intortum, ut in congeneribus, continentes: ſemen perficit Junio ac Julio, minutum admodum, fuſcum. Tota planta ſucco turget lacteo, dulci, ut Rapuntium vulgare, ita ut ſit ſapor palato gratus. Nos copioſe offendimus in itinere Pictavio Rupellam verſus, in declivi colliculo inter ſaxa naſcentem, menſe Julio itidem florentem.

26. *Campanula* hirſuta Ocimi folio caulem ambiente flore pendulo, Boccon. Caule conſtat pedali, hirſuto, ſtriato, in multos cauliculos divaricato, quos ambiunt folia ampla & illa quoque non leviter hirſuta, Violæ Pentagoniæ vulgaris æmula, caulem amplectentia, ſed majora: flos in ſummitate cauliculorum pendulus, purpureus, Campanularum formâ, variis foliorum appendicibus, quaſi auriculis ad florum baſin appoſitis, cinctus; ſequuntur capſulæ ſeminales, tribus foraminibus pertuſæ; ex quibus decidit ſemen minutum, ſubruffum & pellucidum: radice innititur exili, quæ ſingulis annis perit. *Meſſanæ* in loco dicto *lo Ringo* naſcitur.

27. *Campanula* maxima foliis latiſſimis, C. B. P. Trachelium majus Belgarum, Lob. Park. Trachelium majus Belgarum ſive Giganteum, Ger. Folia profert tres aut quatuor uncias longa, ſeſquiunciam in medio lata, aſpera ſeu rugoſa, ſerrata, in medio cava, coloris dilute viridis: caulem habet binos, ternos aliquando cubitos altum, ad cujus genicula obſervantur prædicta folia, quæ ſuperius evadunt minora, præcipue verſus flores, qui in ſummis ramis ſpicatim proveniunt, campanulati, integri in fundo, quinquefariam in margine diviſi, coloris ex albido tendentis ad violaceum; ſingulæ diviſuræ in oris florum paululum recurvantur, atque è fundo medio ſingulorum florum exiens cernitur ſtilus luteus trifariam partitus, ſicut in cæteris floribus hujus generis: radice conſtat craſſa, repente, multis fibris eidem annexis: capſulam ſeminalem habet ſatis amplam, tribus foraminibus inferius pertuſam, ex quibus ſemina ruffa decidunt in terram.

28. *Campanula* major vulgatior aſperior foliis Urticæ, C. B. P. Trachelium foliis Urticæ, Cluſ. Pan. Vulgare eidem, Hiſt. Cervicaria major, Dod. Trachelium majus, Lugd. Ger. Campanula major & aſperior foliis Urticæ, J. B. Chabr. Multum ad Violam Marianam quorundam ſeu Medium Matthioli accedit hæc Campanula major. Radix eſt alba, Rapunculi inſtar tuberoſa, varie in ſe contexta, ſapore itidem ejus non minus grato: caules cubitales, & altiores utplurimum, ſemper hirſuti: in quibus alternatim naſcuntur folia Urticæ majoris foliis valde ſimilia, piloſa, acutiora: flores ex foliorum alis cærulei, violacei & albi, nolæ aut parvæ campanæ ſimiles, Violæ Marianæ floribus multo minores, calyce parvo, nec ut in illo torulis canalato, in foliola quinque, ſicut & flos quinquefariam in oris, diviſo: ſtilus triceps, colore purpuraſcente, albido vel herbaceo, ſurrectior ſtaminulis ſtipatur luteolis. In Pannonia & Auſtria, teſte Cluſio, nullæ montoſæ ſunt ſilvæ, quæ Trachelium Urticæ foliis flore ſubcæruleo non alant: ſublimiora juga, ut *Sneberg*, & alia ſimilia itidem. Eſt & flore albo, quod in Sileſiæ pratis & ſilvis cæduis, ſaltuoſis creſcit. Provenit itidem paſſim in ſilvis cæduis ad ſepes Galliæ, Angliæque.

29. *Campanula* ſeu Cervicaria major lævior flore albo magno, J. B. Chabr. Hæc multum differt à Campanula Urticæ folio, cum vix apparentes habeat pilos, atque ſerraturæ ſunt huic minores, nec ita inæquales: flos alioquin magnus, albus. Tota planta priore minor atque tenerior apparet. Hanc plantam Joh. Bauhino dedit D. *Agerius* nomine Cervicariæ majoris flore magno albo foliis glabris.

30. *Campanula* hortenſis folio & flore oblongo, C. B. P. Viola Mariana, Dod. Lugd. Cluſ. Hiſt. Medium, Matth. Folia habet oblonga, lata, ſubnigra, aſpera, nonnihil hirſuta, vulgaris Bugloſſi foliis nigriora, minora, minusq; aſpera; caules deinde ſecundo anno profert rotundos, rectos, ramoſos, aliquantulum etiam hirſutos, circa quos folia ſimilia, ſed minora: flores in ſummis virgis exeunt oblongi, ampli, cavi, patuli, per oras inciſuris quinque profundis recurvis diviſi; coloris utplurimum cæruleo-purpurei, ſubinde candicantis, in quibus ſingulis ſtamina duo aut tria, candida: flores, inquam, priuſquam dehiſcunt, quinquangulares ſunt:

poſt flores capitulum naſcitur ſuperiore parte latius, quinque quoque angulos habens, quinque vaſculis veluti caligulis aſperis & hirſutis, deorſum dependentibus veſtitum; in quo ſemen exiguum, ſubruffi, & ejus cujus Caſtaneæ fructus echino exemptus, propemodum coloris: radices ſubſunt longæ, craſſæ, candidæ, non ingrati ſaporis. Naſcitur in ſilvis & montibus, nec non opacis quibuſdam tractibus Italiæ, Germaniæ. Junio & Julio menſibus floret; ſemen paulo poſt producit, nec enim ſimul, ſed particulatim floret.

31. *Campanula* peregrina maxima laciniatis foliis, C. B. P. Medium Dioſcoridis Rauwolfii, Cam. Ep. J. B. Chabr. Inter fruticeta ſepeſque in altum aſſurgit Violæ Marianæ Dodonæi ſimilis planta, nec ita obvia cuivis apparet differentia, præterquam in foliis, quæ in hac planta diviſa magis ſunt, Cichorei inſtar; flores etiam magis panduntur, foliolis diviſuris ſinuatis affectis in orbem diſpoſitis; radicis auſteritas major quam capitulorum ſeminum, quæ tamen nondum erant matura, quando Rauwolfius eadem collegerat. Creſcit in profunda & tenebroſa valle Libani, teſte eodem Rauwolfio.

32. *Campanula* hortenſis Rapunculi radice repente, nobis. Trachelium in maritimis, Ad. Lob. Trachelii genus mollioribus foliis, Cluſ. Hiſt. Cervicaria 4. Dod. Cervicaria major ſilveſtris, Eyſt. Caules hæc Cervicaria breviores facit, folia lata, & Cervicariæ vulgaris proxima, minus tamen aſpera, minuſque per ambitum crenata: flores deorſum pendent, coloris utplurimum dilutæ & quaſi ex cæruleo rubentis purpuræ; pro radicibus multæ tenues tranſverſim & oblique ſerpentes radiculæ fibratæ, ſeu fibræ craſſiores, à quibus multæ aliæ, oblongæ, candidæ radiculæ Rapunculi vulgaris radicibus ſimiles demittuntur; ita facile ſeipſam propagat & late ſerpit hæc Trachelii ſeu Cervicariæ ſpecies. Secus arvorum margines in Zelandia, & alibi etiam in locis non maritimis reperitur: capſulas, ſemina ad eundem modum cum prioribus format. Floret eodem cum reliquis tempore.

33. *Campanula* foliis Echii floribus villoſis, C. B. P. & Prod. Ex radice oblongiuſcula folia anguſta, quatuor aut quinque uncias longa, ſubaſpera, prodeunt: inter quæ caulis palmaris, rarius pedalis, rotundus, ſubaſper, paucis brevibus & anguſtis foliis veſtitus, exurgit: ex cujus ſummitate flores unciales, campanulati ſeu campanæ parvæ formâ, quini, ſeni, cærulei, alternatim diſpoſiti, brevibus pediculis dependent, quorum extremitates, quemadmodum & calyces, pili oblongi pappi inſtar ambiunt. Hæc in Baldo & Helvetiorum Alpibus reperitur, in monte Gothardo & Fracto.

34. *Campanula* foliis Echii, C. B. P. & Prod. Cervicaria major tenuifolia, Thal. Trachelium Thyrſoides, Cluſ. Hiſt. Multa habet hæc Campanula folia, anguſta, hirſuta, Echii foliis fere ſimilia, inter quæ exoritur pedalis caulis, firmus, minimi digiti craſſitudine, ſtriatus, & multis anguſtis, oblongis hirſutiſque foliis ſeptus, à cujus medio ad ſummum thyrſus ſeu potius florum inter folia latentium, pulcherrimo ordine diſpoſitorum, Trachelii aut Rapunculi floribus ſimilium, ſed minorum, palleſcentiſque ſeu potius ochroleuci coloris, craſſa ſpica naſcitur: evaneſcentes flores in capitula tranſeunt, exile ſubflavumque ſemen continentia: radix craſſa eſt digiti amplitudine, rugoſo cortice tecta, candicans & aliquot fibris donata. Tota planta ſucco lacteo turget. Oritur in *Sneberg* & aliis vicinis jugis. Obſervata etiam à Cluſio in aſcenſu *Neuberg* ad ſilvulam in editiore tumulo ſupra Cœnobium, & in quodam montano prato, quà è niveo monte deſcenſus eſt in *Rebenaw* Abatis Newbergenſis arcem. Floret Junio, & Julio; ſemina perficit Auguſto & Septembri.

35. *Campanula* montana foliis Anchuſæ, nobis. Rapunculus montanus ſeu Trachelium montanum, J. B. Chabr. Folia multa propter terram promit, in quibuſdam duabus unciis longiora, in aliis quadruplo longiora, ad Anchuſam accedentia, ex anguſto principio ſenſim lateſcentia, ſenſim deinceps in acumen definentia, utrinque hirſuta, nonnihil crenata, coſtâ medium ſecante: inter hæc caulis ſimplex, cubitalis, hirſutus, enodis, uno aut altero foliolo exiguo donatus: flores in caulis ſcapo ſuperiore quinque aut plures, ſinguli in ſingulis pediculis oblongis, magni ſatis, Campanulæ Fuchii ſimiles, ex cæruleo albeſcentes, calyce hiſpido baſin complectente: radix craſſiuſcula & longiuſcula, eſui grata. Provenit in Rhæticis montibus, etiam in montibus Stiriæ prope *Celticam Nardum.* Floret æſtate, & ſemen paulo poſt perficit minutum, ſubruffum.

36. *Campanula* Lychnidea, J. B. Chabr. Lychnidis ſpecies Myconi, Lugd. Lychnis 14. ſive Lychnis ſilveſtris Campanulæ flore, C. B. Phytob. Radice conſtat tuberoſâ, inferius fibratâ, palmum longa, nigreſcente extra, nervum intus habente, in profundum actâ, ſapore dulci cum aſtrictione: ex eadem ramulos fundit multos, rotundos, villoſos, incanos, vix palmum excedentes, in quibus folia anguſta, piloſa, incana, per cauliculos incerto ordine diſpoſita

ſeu

ſeu diſtributa, leviter aſtringentia: in ſummo caulium vertice flores exeunt campannellæ ſimiles, quales in Convolvulo, rotundi in margine, ex candido nonnihil purpurei. Quum nulla in deſcriptione fit capſularum nec ſeminum mentio, nec dicitur lacteſcere, facile inducerer credere non eſſe ex Campanularum ſeu Rapunculorum proprie dictorum numero; ſed mihi apparet ex Icone florum eſſe Convolvuli ſpecies: examinent poſteri plantam ipſam quam ex montibus *Divæ Mariæ* à Monteſerrato habere poſſunt. In montibus & locis maxime ſiccis provenire Myconus ait, nec alibi à ſe viſam, quam in montibus *Divæ Mariæ* à Monteſerrato.

37. *Campanula* hirſuta Pyramidalis Velerandi, J. B. Chabr. Primo anno (inquit Joh. Bauhinus) caulem mihi non produxit hæc Campanula, quæ ſequenti demum anno in tantam crevit altitudinem, ut facile lanceam æquaret caulis hirſutus, medulla farctus; foliis veſtitus, inferne & ſuperne hirſutis, acuminatis ſerratiſque, Campanulæ Fuchſii accedentibus: flores longa ſerie campanulas imitati, Rapunculi vulgati floribus haud majores, cærulei, per oras laciniati quinis diviſuris, ex uno cauliculo plures: quibus ſingulis evaneſcentibus ſingulæ ſuccedunt capſulæ, tribus loculamentis diviſæ, atque in ſingulis prædictis cellulis, ſingula conſpiciuntur foramina, quibus effunditur ſemen ſiccatum, minutum, pellucidum, aliarum Campanularum & Rapunculorum modo. Provenit in Sclavonia, unde ejus ſemen habuit Valerandus Doures, atque ipſe Campanulam pyramidalem appellabat.

38. *Campanula* ſeu Cervicaria Bononienſis parvo flore, J. B. Chabr. Inſignis & diligens Botanicus D. *Agerius*, medicus Argentinenſis, hanc pulchram plantam dedit nobis, inquit Johannes Bauhinus, nomine Cervicariæ Bononienſis, utpote quæ Bononiæ copioſe provenit, ea licet non integra, bicubitalis erat: caulis rotundus, fungoſus, nonnihil aſper: folia cauli ſine pediculis hærent, eundem fere amplectentia; in quo differt à Campanula hortenſi repente flore minore: ſunt etiam iis latiora, latitudinis trium unciarum, longa quatuor, plus minus ſerrata, interna parte albicantes pilos habentia valde exiguos: ſummitas quæ floribus ornata, pedalis *eſt, & quam pluribus floribus* abundat campanulatis, ramulis multis brevibus duarum unciarum adhærentibus: capſulæ & ſemina ibidem contenta conformia cæteris hujus generis.

39. *Trachelium* ramoſum floribus pleriſque ſingularibus, J. B. Chabr. Eſt nobis, inquit Joh. Bauhinus, ſed neſcimus unde, planta ſicca ex Tracheliorum campanulatorum minorum genere, ſpecioſa, cui radix craſſiuſcula, tuberoſa, lacteſcens, uncias quatuor longa, parum à lateribus fibroſa: folia ad radicis caput ſuperius & craſſius multa, curtis pediculis inſiſtentia, uncias duas longa, unam lata, modice ſerrata, & in acutum mucronem definentia: inter quæ oritur caulis hirſutus, pedalis & altior, in ramulos diviſus, qui definunt in folia bina brevia & anguſta, exque eorum medio oriuntur campanulati flores, bini, terni, purpurei, ſatis magni, quinquefariam in margine diviſi, integri in fundo campanæ inſtar: quibus evanidis ſuccedunt capſulæ ſeminales & ſemina cæteris conformia.

40. *Trachelium* minus album, J. B. Chabr. Obſervabam (inquit Johan. Bauhinus) anno 1596. Auguſto menſe in cultiſſimo horto D. *Frederici Meier* Trachelium minus floribus albis, parvis, multis ſimul in ſpicam compactis, quæ provenit in ſummitate caulis cubitalis hirſuti; foliis longo pediculo, hirſuto itidem, innitentibus, uncias tres longis, duas latis, non in acumen mucronatum definentibus cæterorum Tracheliorum more, parum aſperis.

41. *Trachelium* capitatum hirſutum gramineis foliis, Boccon. Palmaris & ſeſquipalmaris eſt huic cauliculus: folia longa, anguſta, graminea, leviter hirſuta, & ad radicem plantæ per extremum retuſæ, circa vero caulem acuminata; in ſummitate caulis flores apparent multi ſimul conjuncti ac veluti in capitulum congeſti, Trachelii pratenſis vulgaris flore glomerato Caſp. Bauhini ritu: atque floribus exſiccatis ſuccedunt capſulæ tribus loculamentis diſtinctæ, continentes ſemina numeroſa, ruffa, pellucida aut ſubfuſca: ſemen habuit Paulus Boccone ex Raguſa.

42. *Trachelium* altiſſimum hirſutum aſperius foliis hirſutis floribus parvis, J. B. Chabr. Radice nititur craſſa & ſubdulci: caulem erigit bicubitalem vel tricubitalem, craſſiuſculum, hirſutum, foliis ornatum anguſtioribus, longis, ad Echii folia accedentibus, aſperis & multis echinulis præditis: flores confertim conglomerantur, ut in Trachelio pratenſi vulgari, campanulati, ſed multo minores. Cum tamen planta multo ſit altior, & folia anguſtiora multo, facile ab eodem diſtinguitur: capſulas ſeminales & ſemina cæteris conformia gerit.

43. *Trachelium* pratenſe flore conglomerato, nobis. Trachelium minus, Dod. Gall. Ad. Cluſ. Hiſt. Cervicaria 3. ſive minor, Dod. Caules habet pedales & aliquando altiores: folia multo minora Trachelii Urticæ foliis, candidiora, minuſque aſpera, minime hirſuta, oblonga,

Salviæ foliis ſimiliora: flores campanulati, minores prædicti Trachelii floribus, colore proximi Violæ nigræ, dilutam purpuram referentes, qui non uti aliorum ſuæ ſortis deorſum nutant, ſed ſurſum erecti in globum efformantur & plures ſimul ſummo caule exeuntes; radices aliorum Tracheliorum radicum æmulæ: lacte tota planta ſcatet, & ex ſeſe effundit ſi quælibet ejus pars rumpatur. A pleriſque Cervicaria minor appellatur. Naſcitur in pratis & pleriſque aliis aridioribus locis, ſenticoſis. Floret Junio & Julio menſibus, & ſub Auguſti exitum, aut Septembris initium ſemina ad perfectionem perducit.

44. *Trachelium* petræum globoſum, nobis. Trachelium majus petræum, Ponæ. Campanula Alpina ſphærocephalos; C. B. P. A radice lignoſa quaſi & rugoſa, colore pallide purpuraſcente, exeunt cauliculi multi, ſtriati, ſubhirſuti, cubitales, & cum rubore virides: qui inordinate emittunt folia, oblonga, nigricantia, crenata, ſua pariter hirſutie communita, prona parte potiſſimum, ubi etiam albicant & Salviæ folia quodammodo referunt, magis tamen anguſta & mucronata, inter quæ verſus radicem parvula quædam foliola prodeunt: in ſummo caule ſunt flores multi, acervatim congeſti quemadmodum in ſuperiore, ſed magis in globum formati, qui formam repræſentant florum ſupra dictæ Cervicariæ pratenſis, ſed minores ſunt, & albi, & in quinque, quandoque ſeptem, mucronatas fiſſuras diviſi; è quorum ſingulis exeunt ſtamina multa, ſublutea, quorum medium modo proboſcidis egreditur, verſus cacumen ſatis craſſum, quod maturatum, bifurcatum & aduncum evadit. Decedente Auguſto florens conſpicitur, atque talis per plures dies conſervatur: unde Pona huctenus ſemen minime obſervare potuerit. Inter rimas aſperiorum lapidum montis Baldi ſolum circa Coronæ templum reperitur.

45. *Trachelium* ſpicatum Echii foliis, nobis. Campanula foliis Anchuſæ floribus oblongis, C. B. P. Alopecuros Alpinus quibuſdam Echium montanum Dalpii. J. B. Chabr. Radicem habet pollicaris magnitudinis, ſenſim gracileſcentem, palmo longiorem, in apophyſes aliquot abeuntem, teneram, rubentem: caulem ſeſquipalmarem aut dodrantalem, craſſitie reſpondentem radici, cavum, ſingularem, hirſutum, crebris foliis veſtitum, aliis palmum fere longis, aliis brevioribus, potiſſimum ſuperioribus, latitudine ſemiunciali, hiſpidis, ad Echii folia accedentibus; thyrſum trium unciarum, aut palmarem ſi majuſcula ſit planta: gerit florum inter folia emergentium, ex cæruleo palleſcentium, oblongorum & per oras quinquefariam diviſorum ſpicam; erumpentibus è medio florum ſtaminulis aliquot, ſtilo præ cæteris longiore trifido: capſulæ ſeminales & ſemina cæteris Campanulis conformia ſunt. Creſcit in altiſſimis Sabaudiæ montibus.

Enarrata diviſione Rapunculorum campanulatorum, iiſque vel in glabros majores, & minores, vel in hirſutos diviſis: jam in hoc paragrapho agendum ſtatuimus de Rapunculis corniculatis, qui ob ſtamina è floribus prominentia, rariores & elegantiſſimas offerunt Rapunculorum varietates, in quorum ſtructurâ eximiâ artis induſtria conſpicitur, quibus parens natura in variandis plantis ejuſdem generis oblectatur, ut obſervare eſt in hoc capite Rapunculorum: horum flores adeo elegantes & venuſti ſunt, ut non paucam conſpicientibus ipſos, ipſorumque numeroſas varietates, delectationem & voluptatem adferant neceſſe ſit.

Pars TABULÆ V.

Rapunculus corniculatus
- 46. *Spicatus ſeu Alopecuroides, nobis. Rapunculus Alopecuroides longiore ſpica, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 47. *Folio oblongo ſpica orbiculari, C. B. P. Rapunculus Alopecuroides orbiculari pene ſpica, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 48. *Ramoſus Scabioſæ capitulo cæruleo, nobis. Rapuntium alterum leptophyllon capitatum, Col.* ☿
- *Alpinus perennis*
  - 49. *Petræus minor, nobis. Trachelium Petræum minus, Ponæ Ital.* ⊙
  - 50. *Parvus, nobis. Rapunculus Alpinus parvus comoſus, J. B. Chabr.* ⊙
- 51. *Pulmonariæ Gallorum folio & Trachelii flore, Cluſ. Cur. poſt.* ⊙
- 52. *Valerianoides cæruleus, nobis. Trachelium umbelliferum cæruleum, Ponæ Ital.* ⊙
- 53. *Alpinus anguſtifolius, nobis. Rapuntium Alpinum anguſtifolium alterum, Col.* ⊙

Ex-

§. 3. *RAPUNCULI CORNICULATI.*
Explicatio partis Tab. quintæ Sectionis quintæ.

46. *Rapunculus* corniculatus ſpicatus ſeu alopecuroides, nobis. Rapunculus ſpicatus, C. B. P. Rapuntium majus alopecuroides comoſo flore, Ad. Lob. Rapunculus alopecuroides longa ſpica, Cluſ. Hiſt. Rapuntium alopecuron, Dod. Rapunculus ſpicatus ſive comoſus cæruleus & albus, itemque folio maculato, J. B. Chabr. Prima hæc ſpecies Rapunculi corniculati à ſuperioribus campanulatis differt, quod huic ſunt prima folia per terram ſtrata, lata, ſeu ſubrotunda, poſtea ſecundum caules longiora: caules dodrantales & pedales, ſummâ parte veluti ſpicam parvorum florum plenam proferunt, quorum ſinguli antequam pandantur, corniculi cujuſdam ſimilitudinem referunt; aperti vero in quinque lacinias ſeu foliola minuta, anguſta finduntur, colore alias & frequentius cærulei, alias dilute violacei, alias cinerei: floribus ſingulis capitula parva ſuccedunt minora, ternis foraminibus pertuſa, multa circa caulis ſummum faſtigium ſimul arcteque compoſita: in quibus ſingulis numeroſa ſemina, minuta, ſubruffa, & lucentia continentur: radices candidæ, tuberoſæ, aliorum complurium prædictorum Rapunculorum campanulatorum more, & eo nomine Rapunculus vel Rapuntium dicitur, quaſi dicas parvum Rapum, Napum potius, ob ſolius radicis, quam magnitudine & ſapore cum Rapunculo campanulato habet, ſimilitudinem: alioqui folia ſunt Violæ Martiæ, longis pediculis appenſa, nonnunquam maculâ nigrâ notata, quanquam ſtricta longaque ſuperius in caule cubitali, inani, anguloſo, & lac fundente: in cujus faſtigio ſpicatus pulcher flos cæruleus aut purpuroviolaceus ex multis corniculis circa baſin in ſegmenta arcuata fiſſis compactus, ejuſdem itidem flos cinereus, albuſve quoque reperitur. Dicitur Alopecuron ab ipſa ſpica plena minutorum florum quæ jam apertis floſculis mollis & veluti lanuginoſa, vulpiumque caudis propemmodum ſimilis. Gignitur in locis ſilvoſis & opacis pingui lutoſoque ſolo, in Gallia, Anglia Belgioque. Nos frequenter in ſylvis opacis ſecundo lapide à Blæſenſium urbe capitali reperimus; album ibidem & in ſilvæ Regiæ *Fontainbelleau* opacis & umbroſis, quin & in prædictis locis foliis maculatis obſervavimus: non niſi in montoſis alſioſis pratis & convallibus Mindeni & Narbonæ Aquitanicæ vicinis pinguibus obſervavit Lobelius.

47. *Rapunculus* corniculatus folio oblongo ſpica orbiculari, C. B. P. Alopecuroides orbiculari pene ſpica, Cluſ. Hiſt. Rapuntium corniculatum rarius montanum, Col. Rotundum globoſum caput atque purpuraſcentem caulem conficiunt curti atque nutantes corniculi, ſupra baſin quinque viridantium foliolorum in ſummo caule ſitam, in orbem concinnati (ex quibus nomen ſubalternum genericum Rapunculis in hoc paragrapho contentis inditum:) ii ex calycibus primum orbiculare initium obſoleto colore ducunt, ſicut Orobi craſſeſcentes, deinde in ſupinum atque curvum ſatis corniculum deſinentes, atque inter ipſos centrum petentes, annuentes & implicati, paulatim vero perficientes cornicula lævia illa atque ſimplicia, aliud tenuius dimidio & in ſummo trifidum exerere incipiunt; deinde circa tuberculum imum incipiunt ſe ſinuoſe & undatim in quinque partes per longum findere, ac poſterius in tenues limbos ſe dividentes atque dilatantes ad formam noſtratis coli cui linum aptatur ad nendum, ita ab interno corniculo ſeparantur circa imum, & ventricoſam efformant effigiem; inter quos prorumpunt lutea ſtamina quinque: perficiente ſe flore corniculorum apices trifidi etiam grandiores effecti torquentur, atque laciniæ illæ totum ab interno corniculo thyrſi effigie ſeparantur, atque ita erectæ permanent, donec tandem ſeminum utriculi, quibus inſident, turgeſcere incipiant, & inverſæ recedant deorſum ſpectantes, tunc enim ſimiles Rapuntii vulgaris calyces quinque apicibus ornati foraminum trium notas oſtendere incipiunt, qui poſtea perfecti, non ſecus ac congeneres perforantur, ſemenque copioſum fulvum, parum latius Trachelii anguſtifolii montani ſemine decidit. Floret Auguſto; Æquicolorum altiſſima frigidaque juga herbida *Corvino* dicta diligit: radice nititur candida, craſſiuſcula, recta, perenni Rapuntii vulgaris inſtar, minore tamen, atque per terram brachiata admodum, ut plures ex uno radicis ceſpite plantæ perficiantur: folia ima lævia, Rapuntii vulgati æmula, rotundiora ab initio, Violæ purpureæ vel Campanulæ Pyramidalis dictæ accedentia, majoris digiti humani latitudine, per ambitum obtuſe dentata: cauli pedali ſtriato circa ipſum imum oblonga hærent folia ſeptem, aliquando plura, alternatim, vulgari Rapuntio ſimiliora, per ambitum denſioribus dentibus diviſa, & à medio caule ad ſummum duo aut tria acutiora, anguſtiora, longis intervallis diſpoſita, ut nudum caulem relinquant. Tota planta dulci lacte

 turget,

turget, guſtu ſuavi in mandendo tum radix & folia, ut Rapuntium vulgare dictum.

48. *Rapunculus* ramoſus corniculatus Scabioſæ capitulo cæruleo, nobis. Rapunculus corniculatus Scabioſæ capitulo cæruleo, C. B. P. Rapuntium alterum leptophyllon capitatum, Col. Scabioſa media ſerrata anguſtifolia flore Globulariæ, Ad. Lob. Scabioſa media, Lob. Icon. Lugd. Scabioſa ovilla, Cam. Scabioſa ſilveſtris minor cærulea, Eyſt. Radice eſt candida, craſſa, paucis fibris inferius donata, in ſuperiore parte craſſa, corticoſa, villoſa; deperditis flaveſcentibus caulibus, perenni regerminante quidem radice admodum fruticat (fallitur egregie egregius Doctor lynceus doctiſſimus Columna, qui hanc plantam eſſe perennem aſſerit, niſi clima Neapolitanum perennem faciat; nam apud Gallos & Anglos ſtatim perit poſt ſemina ad maturitatem perducta) ab uno in quibuſdam 30. pares caules ex eodem imo radicis capite exortos invenimus, omneſque florum capitulis globoſis ornatos, ſæpius vero 5. 7. aut paulo plures, quorum medius aliquando unica dividitur ala, rarius pluribus; caulium longitudo pedalis & ſeſquipedalis fere: quibus folia anguſta, Lini æmula, latiora tamen parum, ſinuoſis oris convolutiſque, ut in pictura foliorum expreſſimus, atque hirſutie molli hirta, ſicut & rubeſcentes parum caules, quos alternatim ambiunt denſe folia prædicta, tertiam in ſummo nudam partem relinquentia: in quorum ſummo, omnibus ſupra baſin ſtellatam viridantium foliolorum ſex aut ſeptem ſerratis oris, conferti, cærulei flores in orbem globoſum caput formant, unde cognomen. Florum effigies primum oblonga, lævis antequam pandantur, ſed expanſi in quinque lacinias dividuntur anguſtas, parvas, breves, mediam habentes ſtellulam puſillam, albentem, elatam à floris fundo ſeu centro, atque ſtilum capitatum, oblongum: cum dehiſcere flores incipiunt capitulum in imo coronant cæruleis ſtellulis, alias minutas & candidas intra ſe habentibus, thyrſoſque emittentibus, verum decidentibus in imo cæruleis, puſillæ internæ albæ ſtellulæ remanent, calycibus viridibus inſidentes, cæruleis è medio capituli ad ſummum emicantibus: atque demum omnibus defluxis viride ſtellatum etiam remanet capitulum, utriculis ſemina concipientibus, ſuperiori non diſſimilibus, minoribus vero atque petiolo è baſis centro prodeuntibus; itaque pulchram comam plantæ eodem tempore conſpicies. Capitula quidem alia botryoſa nondum florida, alia ſtellis cæruleis ornata, alia cæruleis majoribus, & albis minoribus, alia albis viridantibuſque, prout perfectiora maturaque erunt capitula: ſemen è foraminibus utriculorum, congenerum more, decidit fulvum, minutiſſimum, ſplendidum, minimi Erini ſupra deſcripti & picti modo. Tota planta lacte dulci ſcatet, non ſecus ac reliqui congeneres Rapunculi omnes in hoc capite contenti. Auguſto & Septembri florentem in agris novalibus ſecus vias inter Aureliam & Blæſas copioſe paſſim oſtendimus.

49. *Rapunculus* corniculatus Alpinus petræus perennis, nobis. Rapunculus Alpinus corniculatus, C. B. P. Trachelium petræum minus, Ponæ. Radice eſt tuberoſa inæquali, quaſi ex plurimis grumis compactâ, albâ, digiti craſſitie, aliquando lignoſa, pallida & rugoſa & palmari: ex qua cauliculus modo unus, modo plures, tenuis, at ſtriatus, unciarum quatuor exurgit: folia quæ ſaturate virentia, tenuia ad radicem, aliquando ex rotunditate oblongata, Bellidis cæruleæ formâ, communiter ſubrotunda, crenata ſeu potius ſerrata, Alliariæ inſtar, ſed minora, pediculis uncias quatuor vel quinque longis prædita ex radice una cum cauliculis exſurgunt, quæ vero cauliculis & quidem pediculis brevioribus adhærent, longiora ſunt & anguſtiora, profundius ſed rarius inciſa, quorum quina vel ſena ſtellæ in modum floribus umbellatim diſpoſitis ſubjiciuntur, qui cauliculi ſummo inſident, & ex floribus 10. etiam pluribus arcte junctis, & ex cæruleo-purpuraſcentibus conſtant, qui ex calycibus pediculis latis, brevibus & ſtriatis donatis prodeunt, ex unoquoque calyce flos unus ad exortum tumens, oblongus, ſenſimque anguſtatus, & in extremitate diviſus, formam Cucurbitæ vitreæ referens, in medio tumidus, in margine ſeu oris inciſuræ ſuperficiariæ quinque conſpiciuntur, apertus ex foliolis ſeu potius inciſuris, ſeu totidem diviſuris compoſitus, filamenta aliquot exhibet, inter quæ ſtilus longior producitur, in ſummo bipartitus, aliquando inſtar Capreoli vitium contortis, Semen non fuit obſervatum à Joh. Pona. In Baldi montis jugis inter præcipitia propendit, ubi Auguſto menſe invenit Joh. Pona.

50. *Rapunculus* corniculatus Alpinus perennis parvus, nobis. Rapunculus Alpinus corniculatus parvus, C. B. P. Rapunculus Alpinus parvus comoſus, J. B. Chabr. Radice eſt ſquamulis veluti compactili, ex veteribus foliis reciduis, ut in Nardo Celtica videre eſt, craſſiuſcula ſenſim attenuata, folia fundente numeroſa, unciam unam aut alteram longa, culmum lata, & ad Nardi Celticæ folia accedentia, longis nixa pediculis: inter quæ cauliculus ſurgit duum unciarum non ſine foliis, quæ anguſtiora ſunt: cujus cacumini flores inſident Rapunculi

culi

culi comoſi prædicti florum æmuli, qui fuere cærulei quantum ex ſicca planta colligere licuit Johanni Bauhino, ſtilo longo, recurvo, prominente extra florem Cucurbitæ in modum factum. Picta fuit planta ſecundum ejus longitudinem. Hæc planta videtur habere nonnulla ſimilia cum Rapunculo montis Baldi ſupra deſcripto, ſed vaſcula & ſtilus in Tabula picta diverſa apparent, atque flores minores ſeſe offerunt.

51. *Rapunculus* corniculatus Pulmonariæ Gallorum folio & Trachelii flore Pyramidalis villoſa ſaxatilis latifolia, Cluſ. Cur. poſt. Trachelium ſaxatile foliis Pulmonariæ Gallorum, C.B.P. Hanc Plantam (inquit Cluſius) mihi miſit reverendus pater Gregorius de Regio, profeſſione Capucinus, ipſique nomen dedit Pyramidalis villoſæ ſaxatilis latifoliæ: ipſe non obſervabam, inquit idem Cluſius, ſed ejus hiſtoriam cum Icone vivis coloribus expreſſa ad me mittebat Placencia anno Chriſti 1607. unà cum Siliquaſtrorum diſceptatiuncula & illorum variis Iconibus; quoniam non vulgaris eſt notitiæ, & à nemine deſcriptam reperio, ejus hiſtoriam qualem ab ipſo accipiebam, ſed Latio donatam (nam Italico ſermone ſcripta erat) in hac mea Appendice locum habere volui cum aliis pleriſque plantis raris & cognitione dignis, à nullo adhuc, quod equidem ſciam, in publicum prolatis. Boni conſulat lector & patris Gregorii & meum de re herbria promovenda propenſum ſtudium. Habet hæc planta radicem candicantem, perennem, ſive plures annos durantem: etenim quaſdam craſſiſſimas eruere memini, quæ ob vetuſtatem nodos vel tubera contraxerant ſupra ſaxa intra quæ natæ, inſtar Rhodiæ radicis, vel Campanulæ lacteſcentis fœtidioris inveteratæ, qualem aliquando in hortis obſervari memini: ex hac radice proſiliunt interdum plures cauliculi, teretes, inæquales & contorti, palmaris longitudinis, breviores vel longiores pro loci in quo planta nata, aut vetuſtatis ipſius ratione; illique molli & candida lanugine tecti, ſingulis pereuntes annis, novis & recentioribus ſequente renaſcentibus, qui ſummo faſtigio multis elegantibus floribus cæruleis, ſpicæ in modum digeſtis, ſunt ornati, ut in Trachelio minore, quibus ſuccedunt etiam vaſcula Trachelio minori ſimilia, minutiſſimo & vix ob exilitatem conſpicuo ſemine plena, longiuſcula tamen potius quam rotunda, coloris ex ſpadiceo fuſci: folia hinc inde æqualiter ſparſa cauliculos ambiunt, ad Pulmonariæ Gallicæ (quæ Hieracii genus) foliorum ſimilitudinem ſatis accedentia, cum magnitudine tum crenarum in ambitu formâ, atque ipſa etiam candida lanugine ferme obſita, prona parte præſertim qua terram ſpectant. Tota planta lacteſcit, & ad Sonchi odorem proxime accedit: ſaporeque eſt dulci, præſertim radix, ut pene Rapunculus vulgaris; eamque ob cauſam Rapunculus ſaxatilis montanus Doronici folio nuncupari poſſit, vel Rapunculus montanus ſaxatilis Pulmonariæ Gallorum folio & Trachelii flore. Naſcitur in ſaxoſis montibus Brixianis, circa ſpecuum oras inter duriſſima ſaxa, ut non ſine magno labore radices erui poſſint, licet commodis ad eruendas radices ferreis inſtrumentis ſæpiuſcule tentarat prædictus Gregorius de Regio; nonnullas tandem cum moleſtia eduxit, quas in hortum tranſtulit. Illud porro in hac planta notatu dignum, quod nuſquam obſervata præterquam in locis cavernoſis, in quibus nullæ aliæ plantæ proveniunt, quod magis mirum ſæpius animadvertere nequivit prædictus Gregorius de Regio Capucinus qua ratione humorem quo aleretur ſugere aut cœleſtem aerem excipere poſſet, nulla præſertim juxta apparente terra. Verum enimvero cum nos mortales naturæ ſecreta curioſius rimari non deceat, ut quæ noſtrum intellectum ſæpiſſime ſuperent, ſoli Deo qui omnia novit hæc relinquenda ſunt.

52. *Rapunculus* corniculatus Valerianoides cæruleus, nobis. Trachelium umbelliferum cæruleum, Pon. Ital. Trachelium hoc attingit altitudinem circiter duorum pedum, ſaltem in calidioribus regionibus: radice conſtat ſatis tuberoſa, emittente plurimas fibras: caule rotundo in varios ramulos in ſuperiore parte brachiato, in quibus plurimi flores umbellatim proveniunt, quinis petalis in margine diviſi, integri in fundo, cum ſtilo ſeu corniculo in medio, florum Valerianæ Indicæ omnino æmuli, ac Valerianæ majoris floribus perquam ſimiles, coloris eleganter cærulei, azureive, ſapore eſt acri, aliquantulum aſtringente; lacteſcit quælibet ejus pars rupta, & capſulas ternis loculamentis diviſas habet aliorum Rapunculorum etiam more: folia ſunt membranacea, criſpa, in ambitu ſerrata, mucronata: florens diu durat. Floret Julio; ſemen maturum eſt Auguſto: flores, inquam, numeroſos cæruleos ſeu azureos viſu perpulchros umbellatim in ſingulis ſupremis ramis gerit cum corniculorum ſerie aſpectu perquam amabiles. Ubi ſponte proveniat ignotum, ex horto D. *Contareni* ad Johannem Pona fuit miſſa. Nos per plures annos in vaſe fictili aluimus in horto Blæſenſi.

53. *Rapunculus* corniculatus Alpinus anguſtiſſimo folio, nobis. Rapuntium Alpinum anguſtifolium alterum, Col. Frater Gregorius Regienſis Franciſcani ordinis Capucinorum, naturalium

turalium rerum perquam ſtudioſus & peritus, inquit Fab. Columna, amicitiæ ergo atque ſuæ humanitatis in me ſigno multas ex Germaniæ montibus ſtirpes exſiccatas miſit ad me anno 1610. inter quas rariores & hanc ad Rapuntii genus idem retulit; ſed hoc corniculatum etiam habet florem, ſimilem Rapuntio montano corniculato Col. ſupra deſcripto, ſic enim ex ſicca planta excipitur: radice eſt longa, craſſa, perenni, quæ multos habet in ſummo ceſpites annoſos, ex quibus nova germina proferuntur; foliis eſt longis pollices quatuor, anguſtiſſimis: caule tenui, vix ſupra folia emicante, unico latiuſculo intercepto foliolo, in cujus ſummo flos eſt globoſus ſimilis alterius noſtratis corniculati à Columna deſcripti: ex aliis germinibus caules etiam & flores alios promit, fructu & ſemine, ut cenſemus, etiam ſimilibus; non enim (inquit Fab. Columna) ex ſicca planta obſervare potuimus.

Pars TABULÆ V. Sectionis quintæ.

Rapuntium galeatum
- *Virginianum ſeu Americanum* — *Flore*
  - 54. *Coccineo majore, nobis. Trachelium Americanum ſeu Cardinalis Planta, Park. Parad.* ⊙
  - 55. *Violaceo majore, nobis.* ⊙
- 56. *Blæſenſe ſeu Solonienſe flore violaceo minore, nobis.* ⊙
- 57. *Creticum ſeu Petromarula Cretica, Park. Theat.* ⊙

§. 4. RAPUNCULI GALEATI.
Explicatio partis Tab. quintæ Sectionis quintæ.

54. *Rapuntium* galeatum Virginianum ſeu Americanum coccineo flore majore, nobis. Trachelium Americanum, flos Cardinalis Barberini, Hiſt. Mexican. Trachelium Americanum rubrum, Baptiſt. Ferr. Trachelium Americanum ſeu Cardinalis planta, Park. Parad. Ex radice perenni vegeta, fibroſa, candida, lateribus repente, ceſpite facile ſe propagante, tenera, lacteſcente, dulci cum pauca caliditate, plures caules ſive ſoboles ſecundum radicis vetuſtatem & ubertatem primo Vere folia in terra ſtrata emittunt, vulgari Rapuntio non diſſimilia, niſi quia majora & obſcurius virentia & in orbem juxta radicis caput expanſa, quæ deinde in lævi, rotundo, candicante ſed anguloſo caule, bipedali aliquando hærent, qui craſſior & vegetior eſt Rapunculi vulgaris caule, atque eidem alternatim hærent biuncialia aliquando, aliquando triuncialia, parum incurva, per ambitum dentata, quæ diſrupta lacteum ſuccum effundunt, verum non ita copioſum ut cæteræ ſuæ ſortis plantæ. Folia decreſcere ſolent à medio caule ad ſummum uſque in quo flores coacervatim in ſpicam longam, craſſam, dodrantalem, & in ſummo duplici umbella coronatâm dehiſcunt. Junii initio in meridionalibus, tardius apud Septentrionales ſpica producitur, & flores rariore ordine inter foliorum alas denſe exeruntur, brevi petiolo hærentes, & ex calyce quinquefoliato Rapuntii modo tubulo longo unciali aut ſeſquiunciali, colore in ſummo una cum quinis petalis ſature coccineo hilari admodum; paulatim dehiſcentes circa finem Junii aut initium Julii in quinque petala coccinea itidem dividuntur galeatarum plantarum quodammodo more, novo quidem ritu in hoc genere ut tria petala dependeant effigie barbularum, & bina alia ſuperiora & anguſtiora, veluti alæ obliquæ tubulum medium exiguum, ex illorum centro ſive medio emicantem, amplexentur, colore etiam eleganter coccineo, in cujus ſummo caput cæruleum ſive violaceum, aviculæ cujuſdam roſtrum incurvum æmulans, profertur; ab aliis congeneribus floribus hi variant, ut non campanulatos ſed potius galeatos flores imitari videantur, parum ad Gladioli flores accedentes, quanquam naturâ ſint tubuloſi & in marginali diſſectione differentes. Hujus floris medius tubulus ſi eximatur in eo melleus liquor non paucus reperitur, qui etiam in Viola Mariana congenere conſpicitur: hujus flores in fictilibus ſummo cum ſtudio coluntur & expetuntur; quia copioſi & hilari coccineo conſpicui colore oculis voluptatem & delectationem adferunt, tum quia paulatim florentes diutius durant & permanent quidam flores florentes deflorentibus aliis; fructus in calycibus quinquefoliatis extuberatiores obſervantur perfecti, tribus foraminibus perforati, ex quibus ſingulis ſemina flavicantia minuta, ut in congeneribus effluunt. Julio & Auguſto menſe perficiuntur ſemina in calidioribus regionibus, raro in frigidioribus maturantur.

55. *Rapunculus* galeatus Virginianus flore violaceo majore, nobis. Hujus folia ſunt prioris multo latiora, magiſque viridia & paululum ſerrata: ex quorum alis ſurſum verſus exeunt flores ex calycibus quinquefoliatis, hirſutis, integri in fundo, profundius in margine diviſi pur-

purpurocærulei ſeu violacei; quibus ſingulis ſubveniunt capſulæ tribus loculamentis diſtinctæ, atque in ſingulis conſpicitur foramen ex quo decidit ſemen minutum, lucidum, aliorum more. Folia, inquam, majora ſunt & obſcurius virentia, in orbem itidem ſub initium juxta radicis caput expanſa, quæ eſt alba multifida. Tota planta lacte ſcatet, ſicut reliquæ omnes hujus generis.

56. *Rapunculus* galeatus Blæſenſis ſeu Solonienſis flore violaceo minore, nobis. Draba flore cæruleo galeato, C. B. P. Rapuntium urens Solonienſe, Catal. Blæſen. in folio. Hic Rapunculus galeatus flore violaceo minore radicem habet Aſclepiadis, id eſt multas ſingulares in unum apicem concurrentes: ex qua caules emittit bipedales, quorum ſummis faſtigiis eorumque alis ſuperioribus plurimi flores, galeati, minores, cærulei innaſcuntur, Rapuntii Americani coccinei (quod flos Cardinalis dicitur Columnæ) & prioris majoris cærulei omnino æmuli: quibus flacceſcentibus ſuccedunt capſulæ triangulares, aliorum Rapunculorum hujus claſſis more, continentes ſemina pellucida, ruffa, atque ſingulæ capſulæ ſingulis foraminibus perforantur, ex quorum ſingulis numeroſa, minuta, prædicta ſemina decidunt matura & ſiccata, quibus propagatur planta. Tota planta percalida eſt; præcipue ejus radix maſticata linguam urendo pungit: perperam Caſp. Bauhino Draba dicitur. Creſcit in humidis ericetis & ſilvis annoſis paſſim in agro Solonienſi, alibique in Gallia verſus Pictaviam. Rapuntium galeatum ſeſe declarat ex ſucco lacteo emanante ex qualibet parte adhuc viridi, rupta: adde capſulam ſeminalem & ſemina priorum capſulis & ſeminibus accedentia.

57. *Rapunculus* galeatus Creticus ſeu Petromarula Cretica, Park. Theat. Petromarula ſeu lactuca petræa, Hon. Belli & Ponæ Ital. Vide ejus deſcriptionem paragrapho primo ubi octavum occupat locum, quia ejus flos quinquefariam profunde dividitur, ſicut galeati priores tres: debet huc revocari & aptius in hac ultima Tabula diſponi cum ſuis ſimilibus Rapunculis galeatis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

13. Rapunculus *eſculentus, C. B. P. In caliditate & frigiditate conſiſtit (ait Matthiolus in Ep. Cam.) radix, non longe abeſt à temperatis, imo nec in aliis qualitatibus. Eſtur cruda radix ac pariter cocta in acetariis, quæ maxime guſtui placet, & appetentiam excitat. Creditur quod radix elixa & cum longo pipere devorata lactis ubertatem in nutricibus faciat. Radix, teſte Lobelio, candida, tenera, acetariis vernæ quadrageſimæ longe Rapo aut Raphano delicatior. Lactis copiam augeri quidam nutricibus elixâ radice ex pipere ſumptâ exploratum habent. In Italiâ, Galliâ, Germaniâ, hyeme, aut ineunte Vere non ſolum radices in acetaria aſſumunt, ſed & radices poſſunt & in Anglia, ſi ſerantur in hortis, huic uſui inſervire.*

21. Campanula *arvenſis minima, Dod. Viola arvenſis & Viola pentagonia, Tab. Folia hujus antequam planta in cauliculos protrudatur menſe Februario inter ſegetes, ubi eo tempore & Martio colligitur, in acetariis cum aceto & ſale manduntur apud Gallos avide, atque Pariſiis dicitur* queue de l'Eueſque.

28. Campanula *major & aſperior foliis Urticæ, C. B. P. Guſtu aſtringit, & hinc exſiccandi vim illi eſſe quiſque conjicere queat; aſtringendi habet facultatem, ideoque decoctum illius unice ad oris exulcerationes, aliaque ejuſdem mala, quæ aſtrictione indigent conferre cenſent: utilis haud dubie etiam ad alia quævis ulcera, ob inſignem quam obtinet in exſiccando facultatem, inquit Fuchſius. Porro radices omnium horum Rapunculorum refrigerantis potentiæ ſunt, & nonnihil aſtringentis; poſſunt autem omnes una cum aliis in acetariis edi. Sunt etiam qui Cervicariæ radicum decoctum adverſus oris & tonſillarum inflammationes conferre affirmant, Dodonæus. Radix alba & tenera acetariis apta jejunio, verno præſertim, Lobelius.*

30. Violæ *Marianæ radix refrigerantis & nonnihil aſtringentis eſt facultatis & potentiæ; eſui ut aliorum ſilveſtrium Rapunculorum apta eſt, & non incommodè acetariis additur.*

46. Rapunculus *Alopecuroides ſpica longa, Cluſ. Hiſt. Hujus radix, ut ſcribit Schwenkfeldius, priuſquam caulem protrudat, elixa & manſa cum ſale, aceto & oleo macerata, cibi appetentiam parit, ſtomacho prodeſt & urinas elicit.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Rapunculus nemoroſus anguſtifolius parvo flore C. B. P. pag. 93. col. 1. pl. XIII. *Campanula lutea linifolia, Lob. Ger. Rapunculus nemoroſus 3. Tab. & pag. 214. col. 1. pl.* IX. *Linum ſilveſtre luteum foliis ſubrotundis, C. B. P. Campanula lutea Linifolia, Lob. Lugd. Bis repetitur in Pinace pag. 93. ſub Rapunculo, & pag. 214. ſub Lino: non poteſt eſſe & Linum & Rapunculus; ergo male citat Caſp. Bauhinus.*

22. Campanula arvenſis minima, Dod. Viola arvenſis & Viola pentagonia, Tab. Aſſerit Dodonæus hanc plantam non lacteſcere, contrarium cernitur cuilibet rumpenti folia; ergo fallitur doctiſſimus Dodonæus.

48. Rapunculus Scabioſæ capitulo cæruleo, C. B. P. pag. 93. col. 2. pl. V. *Rapuntium alterum leptophyllon capitatum, Col. Fabius Columna aſſerit hanc Rapunculi ſpeciem eſſe perennem, ſed longe fallitur teſte experientia.*

Rapunculus Blæſenſis ſeu Solonienſis galeato flore violaceo minore, nobis. Male Draba flore cæruleo galeato dicitur Caſp. Bauhino in Pinace pag. 110. col. 2. pl. VIII. *cum ſit Rapunculi galeati ſpecies, ut monuimus in doctrina hujus capitis ſupra planta 57. Vide ibid. Et pag. 235. ſupra cap. de Draba inter Hallucinationes illic.*

DE TRICAPSULARIBUS PENTAPETALIS
Quarum ſemen odore pineam reſinam imitatur:

SUNTQUE

Hypericum, Aſcyrum, Coris & Androſæmum.

CAPUT II.

Υπερικὸν οἱ δὲ Ἀνδρόσαιμον, οἱ δὲ Κόριον, οἱ δὲ Χαμαιπίτυν, *quoniam ſemen odore pineam reſinam imitatur, Dioſcoridi l. 3. c. 171. & Plinio l. 26. c. 8. Hypericon quod alii Chamæpitin, alii Corion appellant, Perforata vulgo, quod folia ſoli objecta innumeris foraminibus ſcatere videatur: hinc & poroſa quibuſdam dicitur.*

Genera: Dioſcorides præter vulgatum Hypericum & alterum ſequente capite exhibet, quod Ἄσκυρον, οἱ Ἀσκυροειδὲς, οἱ Ἀνδρόσαιμον *dicunt eſſe, Hyperici genus magnitudine diſtans, cum majus & fruticoſius ſit: & Androſæmum dici, quod fructus, qui reſinoſi odoris eſt, attritu digiti veluti cruententur: & ſequente capite* Ἀνδρόσαιμον· οἱ δὲ Διονυσιάδα, οἱ δὲ Ἄσκυρον: *ab Hyperico & Aſcyro differt, &c. Plinio l. c. & l. 26. c. 15. duplex eſt Hypericum: aliud oleraceo frutice tenui cubitali, rubente, &c. aliud quod Corim appellant folio Tamaricis, &c. Eidem l. 27. c. 5. Aſcyrum ſeu Aſcyroides Hyperici genus eſt, cujus comæ tritæ velut cruentant, qua de cauſa quidam hanc Androſæmum vocavere. Idem c. 4.*

Monopetalis tricapſularibus in primo capite hujus quintæ Sectionis explicatis, iiſdem adjicimus tricapſulares pentapetalas plantas in ſecundo & tertio capite explicandas propter conformitatem & connexionem, præcipue in numero capſularum. Etiamſi monopetalæ in primo capite explicatæ, flores producant integros in fundo, in margine tamen quinquefariam dividuntur, & quandam etiam in floribus obſervant analogiam; ideoque iiſdem has pentapetalas in ſecundo & tertio capite contentas adjecimus.

TABULA VI. Sectionis quintæ.

Hypericum
- *1. Vulgare, C. B. P. Matth. Lugd. Eyſt. Tab. Hypericum vulgare ſeu Perforata caule rotundo foliis glabris, J. B. Chabr.* ☉
- *2. Folio breviore, C. B. P. Hypericum Syriacum & Alexandrinum, Lob. J. B. Chab.* ☉
- *3. Supinum minus vel ſupinum glabrum, C. B. P. Hypericum minimum ſupinum ſeptentrionale, Lob.* ☉
- *4. Legitimum ſeu Coris legitima Dioſcoridis, Ponæ Ital. Coris, Matth. Ad. Lob.* ☉
- *5. Supinum tomentoſum*
  - *Majus vel Hiſpanicum, C. B. P. Hypericum tomentoſum Hiſpanicum, Cluſ. Hiſt.* ☉
  - *Minus vel Monſpeliacum, C. B. P. Forte idem cum priore in ſteriliore & aridiore loco proveniens.* ☉

6. Per-

Androſæmum

6. *Perfoliatum & perforatum, C. B. P. Androſæmum alterum Apulum, Col.* ⊙
7. *Minus glabrum erectum pulchrum, nobis. Hypericum pulchrum ſeu* 4. *Trag.* ⊙
8. *Fœtidum capitulis longiſſimis filamentis donatis, C. B. P. Tragium legitimum, Ponæ Ital. Androſæmum fœtidum ſeu Tragodes, Eyſt.* ⊙
9. *Bifolium glabrum perfoliatum non perforatum, nobis. Androſæmum Campoclarenſe, Col.* ⊙

Aſcyrum dictum caule
10. *Quadrangulo glabro, nobis. Aſcyrum, Matth. Fuch. Dod. Lugd. Ger.* ⊙
11. *Rotundo hirſuto foliiſque hirſutis, nobis. Androſæmum alterum hirſutum, Col.* ⊙

12. *Maximum (fruteſcens quaſi) bacciferum, nobis.* ⊙
13. *Flore & theca quinquecapſulari omnium maximis, nobis.* ⊙

§. 1. *HYPERICUM.*

Explicatio Tab. ſextæ Sectionis quintæ.

1. *Hypericum* vulgare, C. B. P. Park. Hypericon, Dod. Hypericon vulgare ſive herba perforata caule rotundo foliis glabris, J. B. Chabr. Ex radice fibroſa, multifariam diviſa, buxeo cortice inteƈtâ, virgulæ ſurgunt complures, rigidæ, lignoſæ, rotundæ, ſubrubentes, in ramos diviſæ, cubitum unum vel amplius altæ: folia Majoranæ, glabra, vel Centaurii minoris Lobelii, nervis perlongum excurrentibus donata, innumeris foraminibus Soli objecta pertuſa eſſe videntur; ſapore ſicco & aſtringente, cum aliquo amarore: flores in extremis ramis copioſi, lutei, ex quinque radiatis petalis compoſiti, ſtaminulis multis cum apicibus concoloribus præditi; quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ triplices ſibiinvicem ſtricte junctæ, in quarum ſingulis ſemina multa, parva, ex nigro ruffa, pinguia; ſingulæ ſeparatæ & exſiccari incipientes granum Hordei magnitudine æquant, ſapore reſinoſo, amaro & ingrato, teſte Lobelio, atque tam flores, quam capſulæ ſemine gravidæ, ſanguineum ſuccum reddunt. Naſcitur paſſim ſecus ſepimenta hortorum & margines agrorum ſilvarumque, ac non raro in locis herboſis, ſubinde etiam humentioribus. Junio, Julio Auguſtoque menſe floret. Apud Dioſcoridem inter Rutas ſilveſtres (cum ipſius ſpecies credatur) hujus deſcriptio etiam legitur. Foliis modo latioribus, modo anguſtioribus variat, quod Tragus duabus figuris expreſſit: caules quoque ejus quod in humentibus provenit, quadrati ſunt, alibi vero rotundi: hujus etiam minor ſpecies foliis non perforatis eſt; eſt & varietas alia caulibus procumbentibus, alia ſurrectis, quæ omnia à ludente ſic natura à ſolo humido vel ſicco contingunt.

2. *Hypericum* folio breviore, C. B. P. Syriacum, Lug. Ger. Syriacum & Alexandrinum, Lob. J. B. Chabr. Folia hujus quadruplo ſunt minora, rotundiora foliis noſtratis Europei, quæ ſummis cubitalibus virgultis confertim tanquam in verticillis exeunt: flores noſtratis floribus ſimiles ſed minores.

3. *Hypericum* minus, Dod. Hypericum minus ſupinum vel ſupinum glabrum, C. B. P. Hypericum minimum ſupinum ſeptentrionale, Lob. Exigua hæc Hyperici ſpecies fibras prolixas pro radicibus habet, ex lignoſo principio pendulas: coliculi ſunt per humum fuſi, prætenues, palmares & aliquando dodrantales, crebri, modo ſimplices, modo in ramulos deducti, per quos folia bina ex adverſo poſita, Serpilli foliis paria, glabra; floſculi pentapetali, minores multo, ſed Hyperici vulgaris ritu ſunt conſtructi ex quinis minimis petalis, luteis, acutis ſeu mucronatis, cum plurimis ſtaminulis curtis concoloribus, magnitudine proportionaliter foliis reſpondentes. In ericetis & udis ſabuloſis arvis paſſim in Gallia & Anglia, in paſcuis arenoſis & ſterilioribus requieſcentibus agris. Floret ineunte æſtate, & ſemina paulo poſt in tricapſularibus parvis thecis, aliorum ſuæ ſortis more Hypericorum, perficit.

4. *Hypericum* ſeu Coris legitima Ericæ ſimilis, nobis. Coris legitima Dioſcoridis, Ponæ Ital. Coris Matthioli, Lob, Ad. Hypericum hoc, Coris dictum, aſſurgit altitudine ad cubitalem & bicubitalem caulem, in multos ramos brachiatum: cui multa adhærent folia Ericæ inſtar, alternatim & denſe diſpoſita: in ſummis cimis proveniunt floſculi pentapetali, lutei; ex quorum centro ſeu medio proveniunt multa ſtamina concoloria: floribus ſingulis ſucceduut capſulæ ternæ, ſtricte ſibiinvicem junctæ, ſemina ſingulæ in ſe continentes: radix eſt lignoſa; caules,

caules, inquam, foliis ſuis, Ericæ inſtar, viridibus veſtiuntur tota hyeme. Coris ſic diſcribitur à Matthiolo. Aſcendit hæc planta ad pedalem & ampliorem altitudinem, à qua ſurſum verſus protruduntur plurimi ramuſculi, lignoſi, rubentes, edentes plurima genicula, quibus rotatim proveniunt multa foliola, ſpiſſa, pinguia, brevia, ſimul concurrentia circa genicula ipſa, Spergulæ marinæ folia æmulantia, atque ramuſculorum faſtigiis ſinguli innaſcuntur flores pentapetali, lutei, majores ſecundi paulo, at multo majores tertii floribus, ex albido rubentes, cum multis ſtaminulis luteis in medio: totus autem flos cum ſtaminulis aliquando ex Matthiolo luteſcit, ſatis gratum odorem ſuffundens: ſemina continentur in capſulis tribus conjunctis, ut in prædictis: radix eſt lignoſa emittens plurimas fibras tenellas: folia retinet viridia per totam hyemem.

5. *Hypericum* ſupinum tomentoſum majus vel Hiſpanicum, C. B. P. Hypericum tomentoſum Hiſpanicum, Cluſ. Hiſt. Eſt hoc multis ramulis hirſutis humi ſtratis præditum: numeroſis confertiſque foliis illos ambientibus, vulgaris foliis fere ſimilibus, ſed plane tomentoſis & incanis, (pictor in villis explicandis negligens fuit:) ejus flores ſecundum ramulos lutei, pallidiores tamen & minores aliquantulum, quam in vulgari: quibus ſuccedunt capitula ſeu vaſcula, vulgaris capitulis ſimilia: radix eſt dura & lignoſa; ſed & ipſi rami per terram ſparſi ſubinde fibras & radiculas denuo agunt. In convallibus quibuſdam non procul Salmantica creſcit, ubi Julio menſe florentes plantas, inquit Cluſius, inveniebam, adeo late ſparſas & diffuſas ut ampli petaſi orbem æquare poſſent. Martio inſequente in maritimis Valentini regni locis, etiam floribus onuſtas, conſpiciebam. Nos copioſe in fluvio *Couſſon* & in aliis ſtagnantibus paludibus paſſim intra ſepta *Chambort* invenimus. Vulgari Hyperico eſt imbecillius & minus odorum. Altera eſt ſpecies Hyperici ſupini, etiam tomento obſita, in Monſpeliano agro à Lobelio obſervata, quam palmo non majorem eſſe aſſerit, priorem autem ſupra deſcriptam eſſe hanc quod cenſeat Lobelius injurius eſt Cluſio; nam plantæ diſſimiles ſunt: priorem Cluſii eandem aſſerit, quam in obſervationibus pro minimo ſupino ſeptentrionali uſurpavit.

6. *Androſæmon* perfoliatum & perforatum, C. B. P. Androſæmum alterum Apulum, Col. E radice fibroſa, rubente, obliqua, plures ſurculos pedales & majores profert rubicundos, rotundos, limbo alternatim per longum decurrente, in caulis geniculis veluti anguloſis, ab imo pluribus alis diviſis, atque geniculis caulis foliis binis admodum hærentibus, ex oppoſito, atque adeo ut à caule perforata videantur, ut in Periclymeno & Androſæmo Campoclarenſi infra deſcribendo, minora, glabra ſeu lævia, ſed acutiora & inferne albidiora, & imperceptibilibus fere punctis nigris per oras depicta, lucem etiam ex poris tranſmittentia ut Hypericum vulgare. Differt ab aliis, nam circa caulis ſummum non decreſcunt & minora ſunt, ſed aſcendendo ſemper ampliora, & latiora ad caulis fere uſque cacumen, ipſaque cava veluti pelviculæ, per ambitum minus dentibus ſerrata, ut pene fallant oculos: flores inſunt cacumini multi coacervati, veluti corymbi, quorum calycum foliola, & florum petala depicta ſunt punctis illis nigris, minutiſſimis, non elatis ut in ſuperioribus: florum botri, antequam pandantur, rotundiores & compreſſiores ſunt aliis, & minores, ſed oblongi parumper fiunt dehiſcere incipientes, colore pallidiores. Aprili & Maio floret: petala florum cava & latiora ſuperioribus ſunt, nerviſque per longum ductis, ac etiam ut calycum inſcripta tunc inferne apparent: coma trita, tam antequam floreat, quam fructus habens, ſanguineum ſuum ſuccum emittit, quo manus inficit, ut aliæ congeneres plantæ, reſinoſumque emittit odorem: Junio Julioque fructus perficit. Differt hæc à Campoclarenſi foliorum tenuitate, quæ illis minora triplo fere videntur, acutiora, lævia, molliora & lucem tranſmittentia, atque in ſummo imis majora: differt etiam nervorum diſcurſu in foliis & floribus. Hujus ortus in campeſtribus Soli expoſitis calidiorum regionum, illius vero in umbroſis montibus, frigidioribus, ſeptentrionalibus. Hujus folia, inquam, ficut & ſequentis ſunt glabra, acuminata verſus mucronem; at vero ſunt hujus multo majora verſus baſin; ubi cauli committuntur eundem arcte amplectuntur, ita ut à caule perforari videantur: ſed præcipue ab Hyperico pulchro Tragi differt in hiſce, quod primo florem producat majorem, & foliola quinque calycem conſtituentia habeat crenata ſeu paululum ſerrata, thecam tricapſularem etiam majorem, rugis undique ſcatentem: hoc neutiquam in foliolis capſularum baſin ſuſtinentibus Hyperici pulchri Tragi, nec in aliis præterquam in Hyperico, Coris Alexandrina dicto, cernitur.

7. *Hypericum* minus glabrum erectum pulchrum, nobis. Hypericum minus erectum, C. B. P. Hypericum pulchrum ſeu 4. Trag. Hæc Hyperici ſpecies pulcherrima eſt, caule conſtat terete, tenuiſ-

tenuiſſimo, cubitali & altiore, nonnunquam rubente: flore luteo, pentapetalo, reliquorum (præter minimum ſeptentrionale Lobelii) floribus minore: folia ſunt glabra, mucronata, verſus baſin arcte caulem ſine pediculis amplectentia, ſuperioris ſexti ritu, ſed triplo minora, Tithymalo, Eſula rotunda dicto, valde colore & conſiſtentia accedentia, ſurculos ſeu ramuſculos biunciales & triunciales profert in ſuperiore caulis rubentis parte, raro ſparſos, non autem in corymbos diſpoſitos; ſingulis pediculis curtis ſinguli innaſcuntur floſculi lutei, quinque minimis foliis tanquam baſi innitentes, planis, non crenatis, ut in ſuperiore ſexto: ſingulis floribus ſuccedunt capſulæ minores itidem, ternis loculamentis diſtinctæ, in quorum ſingulis numeroſa minuta continentur ſemina ruffa. Hoc verum Dioſcoridis Hypericum Tragus exiſtimat, quia ejus flores & ſemina reſinoſum odorem ſpirant. Provenit in agris humidis ſilviſque & ericetis in Gallia paſſim & Anglia. Floret ineunte æſtate, atque ſemina perficit eadem exeunte.

8. *Androſæmum* fœtidum capitulis longiſſimis filamentis donatis, C. B. P. Tragium legitimum, Ponæ, Androſæmum fœtidum ſeu Tragodes, Eyſt. Androſæmum fœtidum, Park. Caule eſt tereti, lævi, ramoſo in ſuperiore parte: foliis ad genicula adverſis, duplo Hyperici vulgaris majoribus, glabris, neutiquam pertuſis, fœtidis, ſapore ut omnibus videretur acidulo; floribus maximis, Sicilianæ proximis, luteis; denſa cirrorum luteorum, tenuiſſimorum, longorumque intortis apicibus ſegete medium occupante, capitulo tricapſulari, è cujus ſummo ſtamina tria longa emicant: caulem habet tricubitalem & aliquando ampliorem: foliis eſt ſempervirentibus in calidioribus regionibus: capitula longa valde, uvarum Terebinthi æmula, raro ſponte decidentia. In Creta capita reddunt reſinam liquidam, quæ Tragum ſeu hircum potius quam reſinam repræſentat, ſicut & folia. Tota planta ſecus rivulos ac ſcaturigines aquarum in Creta provenit, nullibi ſponte alibi.

9. *Androſæmum* bifolium glabrum perfoliatum non perforatum, nobis. Androſæmum Campoclarenſe, Col. *Androſæmum*, Matth. in Fol. Fuch. Aſcyrum ſeu Hypericum bifolium glabrum non perforatum, C. B. P. Hujus plantæ radix tenuis eſt, obliqua, duos vel tres caules rotundos, rectos, læves, firmos, parum cavos, tenues, cubitales & longiores producens, folia geniculis abſque petiolo hærentia habentes, ut fere perfoliata videantur, virentia, lævia, inferne albidiora, nec poros tranſlucidos habentia (ut in Hyperico vulgari, *Perforata* dicto quia lucem per foliorum poros tranſmittit) in illorum circumferentia inferna parte nigris punctis inſcripta, rigentia: in caulis imo ſunt rotundiora, minora & denſiora, ob pediculorum brevitatem; ad medium uſque caulis ſemper majora & longiora, triunciali longitudine, & ſeſquiunciæ fere latitudine; è medio vero caulis ad ſummum uſque decreſcentia, minora, anguſtiora ut admodum tenuia ſint. Ex illis alæ prodeunt multæ & veluti cohærentes, diviſam umbellam conficientes dum adhuc floreſcunt, Origani & Centaurii minoris modo: flores quidem Melini, non diſſimiles Hyperico, niſi magnitudine, punctis nigris inſcripti ſecus oras petalorum florum atque calyculorum, in quibus puncti illi nigri è pilo tenuiſſimo breviſſimoque ſuſtineri videntur, hirſutiei modo, quæ etiam in ſummis foliolis alarum eſt: defloreſcentibus floribus protendente ſe magis caulis cacumine, alæ illæ dividuntur, atque aliæ ſuper alias alternatim ſupereſſe videntur, in quibus calyces fructus habent quinquefoliatos, ut in Hyperico, quorum baſi ſeu fundo adnectitur capſula tripartita, in cujus ſingulis loculamentis ſeu cellulis latet ſemen copioſum, nigrum, minutum, ut punctus, qui in orationis fine deſcribi ſolet, quique à Dioſcoride notatur verbo κωλάγραφος. Hoc non tantum in ſeminis effigie atque magnitudine obſervatur, ſed in florum, calycum atque foliolorum fructus ſuperficie, veluti punctis inſcriptum nigris atque parum elatis. Odor plantæ, florum & fructuum præſertim, reſinoſus atque ſuccum nigropurpureum ſanguineum flores, fructus & ſtaminum apices, ut in Hyperico, triti emittunt. In valle oritur Campoclarenſi, locis umbroſis; & per Mateſium montem ſeptentrionalibus locis. In umbroſis ſilvis *Fontainbelleau* ſæpe à nobis conſpiciebatur: Julio menſe illic floridum invenimus.

10. *Androſæmum* Aſcyrum dictum caule quadrangulo glabro, nobis. Aſcyrum, Matth. Fuch. Dod. Ad. Lob. Lugd. Ger. Aſcyrum vulgare, Park. Aſcyrum hoc altius aſſurgit Hyperico; folia ejus majora, glabra, albidiora; foraminoſa haud apparent: flos ſicut Hyperici: capſulæ itidem ſeminales formâ ſimiles, exiguis punctulis reſperguntur: radix durior; ſuccus ſanguineus ex hujus foliis & floribus manat, ſi terantur aut digitis confricentur. In umbroſis quibuſdam locis & pratis humidis ſilviſque reperitur: flores & ſemina Hyperici vulgaris floribus & ſeminibus conformia ad maturitatem perveniunt.

11. *Androſæmum* Aſcyrum dictum caule rotundo hirſuto, nobis. Androſæmum alterum hir-

ſutum, Col. Hypericum in dumetis naſcens 2. Trag. Radice eſt obliqua rubeſcente, ex qua caules emittuntur cubitales, rotundi, ſubhirſuti, folia habentes utrinque hirſuta, mollia, albicantia, lucem è poris ut in Hyperico tranſmittentia, caulium geniculis breviſſimo petiolo hærentia, à caule parum diſtantia, ut in Hyperico, & magis alis frequentibus diviſo; à medio alæ iterum dividuntur, qua nota à ſuperiore octavo Campoclarenſi, juncta hirſutie, præter alias differentias diſtare videtur: folia ut in illo in ſummo minora, ſed non adeo, etſi minima videantur; quæ vero caulem ambiunt, breviora magiſque retuſa: coma hujus ab aliis non differt flore, calyculis aut diviſurâ, niſi quod major ſit Hyperico vulgari, & minor Androſæmo Campoclarenſi Columnæ. Eodem tempore floret, Julio nempe, atque trita coma flores & calyces ſanguineum ſuccum, ut congeneres, fundunt; odore reſinoſo, tactuque viſcido ſeminum calyculi ſunt.

12. *Androſæmum* maximum (quaſi fruteſcens) bacciferum, nobis. Androſæmum maximum fruteſcens, C. B. P. Androſæmum, Dod. ut. Lugd. Cæſ. Androſæmo huic majori cauliculi ſunt recti, rotundi, ſtriati, duri ac lignoſi, præſertim circa radicem, cubitales: folia triplo, quadruplo majora, quam Hyperico vulgari vel etiam Aſcyro, quæ initio virent, poſtea ſub finem æſtatis obſcure rubent, è quibus non atriori ſanguini ſed rubenti ac vermiculato vino ſuccus ſimilis attritu exprimitur, ac ut Dioſcorides ſcribit οἰνώδης: flores lutei, majores quam ſuperiorum, quibus ſingulis orbiculatum ac ſubrotundum ſuccedit capitulum, conſtituens pelliculam baccæ ritu, initio virens, deinde rubens, poſtremo nigricans, intra hujus pelliculam exteriorem, baccam omnino referentem includitur ſemen plurimum, ruffum, tribus loculamentis diſtinctis & ſeparatis contentum, quod partim à cellulis illis ternis, partim à pellicula exteriore nutritur uſque ad ſiccitatem & maturitatem. Hoc huic eſt familiare præter cæteras Hyperici & Androſæmi ſpecies; cum omnes reliquæ ſemina in tribus cellulis conjunctis, ſingulis grani hordei magnitudinem æquantibus, contineant ſine pellicula exteriore. Dura ac lignoſa ac reſtibilis eſt radix apud Italos, Gallos, Germanos, Siculos, ac etiam Britannos: in ſilvis ac locis nemoroſis naſcitur. Junio ac Julio menſibus floret, ſub exitum Auguſti & initium Septembris ſemen, in baccarum pelliculis, externis nigris, contentum, ſed magis particulariter in ſuis propriis ternis thecis, trifariam baccis etiam ſeſe aperientibus. Autumno fructus nigredinem contrahunt, atq; tunc quidem οἰνώδης ſuccus dilute rubens ex ipſis nullo negotio exprimitur, quam ob cauſam non parum falluntur, qui hujuſmodi ſuccum ex foliis exprimi putant: à vero tamen aperte recedunt, qui Clymenum eſſe exiſtimant, ita ut repræhenſione horum error opus non habeat.

13. *Androſæmum* flore & theca quinquecapſulari omnium maximis, nobis. Aſcyrum magno flore, C. B. P. & Prod. Hoc vulgari Androſæmo ſub exortum è terra quodammodo accedit diſpoſitione foliorum, quæ bina ſemper ſitu adverſo, pallide virentia, inferne albidiora, binas ternaſve uncias longa, unciam lata, cingunt caulem pedalem, rotundum, glabrum, ruffeſcentem: in caulis ſummo flores, calyce viridi, quinquefariam diviſo, ſuſtentati, pallide lutei, magni, ex quinis petalis incurvis ſeu arcuatis, uncialibus, compoſiti, quintuplo Androſæmi majoris florem ſuperantes; è quorum medio ſtaminula infinita flava exurgunt, longa, globatim diſpoſita, apicibus veluti punctis notatis: filiculas pyramidales, ex loculamentis quinis adhuc viridibus, arcte junctis, exſiccatis autem apertis conflatas, triplo capſulis cæterorum Androſæmorum aut Hypericorum tricapſularibus majores fert: radix longe lateque ſerpit, qua longe à matre radice ſeſe propagat, adeo ut magnitudine floris ejuſque petalis arcuatis, ſtaminum multitudine, capſulis quinquefariam diviſis earumque amplitudine, atque reptante radice, quam facillime à cæteris omnibus ſuæ ſortis diſtinguatur. Repertum fuit in monte Olympo à generoſo viro Georgio Wheeler in peregrinationibus ſuis Aſiaticis. Floret Junio & Julio, ſemina perficit Auguſto & Septembri menſibus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Flores & ſemina Hyperici cocta, potius infuſa, pota urinam provocant, atque calculoſis proſunt: folia contuſa ambuſtis, vulneribus, atque tetris ulceribus impoſita medentur. Folia, flores & ſemina contuſa parum, atque oleo infuſa, ſolique ad aliquot ſeptimanas expoſita, facta poſtea colatura atque expreſſione, ſi denuo injiciatur in oleum eadem quantitas, & ſoli exponatur ad aliquod tempus, oleum ſanguinei coloris facit, quod præcipuum eſt remedium vulneribus, quacunque corporis parte infligantur, imo etiamſi corpus penetrent: nervis punctis idem oleum tutiſſimum præſidium ſimul & remedium. Oleum Hyperici hoc modo fit. Rec. vini albi lib. duas, olei Olivarum,

rum lib. quatuor, olei Terebinthi lib. duas, in quibus infunde foliorum, florum & ſeminis Hyperici contuſorum mediocriter, q. ſ. quæ indantur in ampullam aut aliud vas vitreum ſatis amplum, omnium capax, exponatur ſoli per octo aut decem dies, deinde coquantur in eodem vaſe, quod imponitur cacabo, in cujus fundo injicitur ſtramen, cui vas innitatur, durante ebullitione vaſe bene clauſo, poſtea facta colatura & expreſſione renovantur folia, flores & ſemina Hyperici ad eandem doſin, ſine additione vini. Hoc Balſamum verum Peruvianum æquat, atque vulnera & ulcera citius curat Balſamo Peruviano. Aliter, Recipe ſummitatem Hyperici & olei communis, ſingulorum lib. duas, Myrræ & Gummi Elemi, ana. unc. duas, Terebintinæ unc. quatuor, Aloes unc. unam, Thuris & maſtiches, ana. unc. ſem. infundantur bulliantque in diplomate S. A. fit Balſamum optimum iiſdem conducens morbis, quibus & prius. Semina infuſa vino per quadraginta dies curat ſciaticam, teſte Dioſcoride. Si bibatur vinum in quo ſemina, flores & folia ſint infuſa, pellit tertianas & quartanas, eodem teſte. Tinctura florum Hyperici egregium eſt medicamentum in mania intro ſumptum. Galenus 8. Simpl. 149. Hypericum calefacere, ſiccare, tenuique eſſe eſſentia, itemque ulcera ſanare docet.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 279. & 280. collocat Caſp. Bauhinus Hypericum, Androſæmum, Aſcyrum & Corim: cum omnes hæ plantæ, uti dictum, ſint pentapetalæ tricapſulares, male hic diſponuntur inter Gratiolam, monopetalam bicapſularemque plantam, & polygonum flore herbaceo & ſemine unico triangulari præditum: debent adjungi pentapetalis tricapſularibus, ſibi ſimilibus, ut Violis martiis, ſilveſtribuſque male locatis ab eodem Bauhino inter Lappas & Leucoia bivalvia, pag. 199, & 200.

Pag. 280. col. 1. pl. IV. Aſcyrum, Lob. Dod. Ger. Aſcyrum vulgare, Park. Aſcyrum II. Matth. & Aſcyrum, Matthioli Lugd. Hypericum Aſcyrum dictum caule quadrangulo, J. B. (p. 382. ubi figura Ocymoidis non ſpecioſi adhibetur & pag. 344. apponitur figura Aſcyri, eſt enim tranſpoſitio figurarum) ex horum figura eſt Aſcyrum caule quadrangulo glabro; ergo male omnia hæc nomina adhibentur pro ſynonymis cum Androſæmo ſeu Aſcyro hirſuto, C. B. P. vel Aſcyro caule rotundo hirſuto, nobis; vel Androſæmo altero hirſuto, Col. Huic poſtremo ſynonyma ſunt Aſcyrum Androſæmum Matth. Fol. ed. Bauh. Fuch. Androſæmum Hypericoides, Ger. Ruta ſilveſtris Hypericoides, Dod. Hypericum Androſæmum dictum, J. B. Chabr. Androſæmum, Lob. ergo confundit Caſp. Bauhinus Aſcyrum paluſtre glabrum caule quadrangulo cum Aſcyro caule rotundo hirſuto ſeu Androſæmo hirſuto, C. B. P. Deinde Aſcyrum II. ſive Hypericum bifolium glabrum non perforatum & V. Androſæmum alterum foliis Hyperici aliquibus Hypericoides, C. B. P. Androſæmum, Lob. ſunt una & eadem planta; ideo male a Caſp. Bauhino pro duabus diſtinctis citantur.

Pag. 280. col. 2. pl. II. Coris cærulea maritima, C. B. P. Coris Monſpeliaca, Ad. Lob. Cam. Tab. Coris quorundam, Cluſ. Hiſt. Hæc planta eſt galeata, ergo male diſponitur cum Core legitima Ericæ ſimili, quæ eſt ſpecies perfecta Hyperici: amandetur ad finem galeatarum, & tolletur lapſus Caſp. Bauhini.

DE PENTAPETALIS TRICAPSULARIBUS,
CAPUT III.
VIOLA rotundifolia & longifolia.

Viola ἴον *Dioſcoridi l. 4. c. 122. aliis* ἴον πορφυροῦν, *Viola purpurea, à floris colore: Theophr. 1. hiſt. 15.* ἴον, *& 1. Hiſt. 21.* ἴον μέλαν καὶ μελάνιον; *nigram Violam, à florum colore nigricantis purpuræ, vocat Plin. l. 21. c. 6. Ex Violis, quæ ſponte apricis & macris locis proveniunt purpureæ, latiore folio ſtatim à radice carnoſo exeunt, ſolæque Græco nomine à cæteris diſcernuntur, appellata Ia, ut ab his ianthina veſtis.* ἴον *Græcis vocatum in Geoponicis Nicander credidit, Hermolao referente, quod Nymphæ quædam Ioniæ, florem eum Jovi primum munere dederint. Alii* ἴον *volunt dici, quod cum Jupiter puellam Io adamatam in vaccam convertiſſet, terra florem hunc pabulo ejus produxerit, qui propter ipſam factus, ab ipſa nomen acceperat. Hinc Latinis Viola, quaſi Vitula.*

Genera plura Plinio, purpureæ, luteæ, albæ: ſed de purpureis primum, quarum unum genus apud Dioſcoridem & Plinium.

TABULA

TABULA VII.

- *Viola*
  - *Rotundifolia*
    - *Martia*
      - 1. *Purpurea odora flore*
        - *Simplici*
          - *Violaceo.* ☉
          - *Carneo.* ☉
          - *Albo.* ☉
        - *Multiplici*
          - *Violaceo.* ☉
          - *Albo.* ☉
      - 2. *Inodora ſilveſtris, C. B. P. Inodora, Dod. Viola Martia canina, Eyſt.* ☉
    - 3. *Marococi ſeu Granadillæ foliis, nobis.* ☉
    - 4. *Martia major inodora hirſuta, nobis.* ☉
    - 5. *Paluſtris inodora glabra, nobis.* ☉
    - 6. *Alpina lutea, C. B. P. Viola montana floribus luteis, Lob.* ☉
  - *Longifolia*
    - *Erecta*
      - 7. *Flore cæruleo & albo, Eyſt. Viola elatior, Cluſ. Hiſt.* ☉
      - 8. *An Jovis flos Theophraſti, C. B. P. Viola aſſurgens tricolor, Dod. Ger.* ☿
    - *Procumbens*
      - 9. *Tricolor hortenſis, C. B. P. Viola tricolor, Dod.* ☿
      - 10. *Bicolor arvenſis, C. B. P. Viola tricolor petræa, Ger.* ☿
    - 11. *Montana lutea grandiflora, C. B. P. Viola flammea lutea, Lugd.* ☉
    - 12. *Alpina folio in plures partes diſſecto, C. B. P. Viola montana folio multifido, J. B. Chabr.* ☉
  - 13. *Paluſtris pinguicula dicta, nobis. Pinguicula ſeu Sanicula Eboracenſis, Ger.* ☉

§. 1. *VIOLA ROTUNDIFOLIA.*

Explicatio Tab. ſeptimæ Sectionis quintæ.

1. *Viola* Martia purpurea flore ſimplici odoro, C.B.P. Viola purpurea, Fuch. Matth. Lugd. Viola nigra, Dod. Cluſ. Hiſt. Viola martia purpurea, J.B. Chabr. Inter prima Veris munera ſunt Violæ martiæ purpureæ ex radicibus fibroſis, aliquando in plura capita diviſis, folia emittentes ex rotundo nonnihil oblonga, ſerrata, longis pediculis appenſa, inter quæ petioli è radice quoque enati, ſinguli ſingulos ſuſtinentes flores, ex cæruleo purpuraſcentes, odoris ſuaviſſimi, calcari donatos, è quinque petalis compoſitos; quibus evaneſcentibus ſubveniunt capitula rotunda in tres cellulas carinaſve dehiſcentia, ſemine albo, parvo, rotundo ſeu oblongo plena. Viret hyeme pariter ac æſtate, frigoris patientiſſima. Provenit in locis opacis juxta dumos, muros, agrorum hortorumque margines; pingui ſolo plurima frequenſque emicat. Flores utplurimum Martio, in calidioribus regionibus Februario, aliquando etiam Aprili profert. Reperitur copioſe in colle dicto *lè Coſtè de Chaille*, ſecundo à capite Blæſenſium milliari, flore rubro & albo ſimplici. Inter myriades ſponte naſcentes quædam reperiuntur, quæ à luxuriante natura flores plenos emittunt, eoſqne vel violaceos, vel albos.

2. *Viola* Martia inodora ſilveſtris, C. B.P. Inodora, Dod. Viola martia canina, Eyſt. Radice eſt ſarmentoſa, tenui & longâ, vario reptatu hinc inde penetrante terram, denſa & longa fibrarum comâ per intervalla prædita: folia circinatæ fere rotunditatis, niſi in acutiorem mucronem deſinerent, ſupina parte leviter hirſuta, viridantia, pronâ vero glabra, dilutius virentia & fere luteola, interdum ſubpurpurea, in ambitu ſerrata, guſtu viſcido, pediculis tenuibus quadrantalibus: cauliculi pauci, quos ad alas involucra folioſa, acuta, in ambitu hirſuta, complectuntur, floſculos in ramulorum ſummitate proferunt, Violæ martiæ odoratæ ſimiles, quinis petalis conſtantes, quorum ſupremum longius protenſum reliquis, calcar deformat, purpuram utrinque ſecante faſcia alba, qua ipſa albedine reliquorum quatuor petalorum, ſaturata purpura tinctorum, ungues colorantur, nulla odoris gratia, in medio ſtamina lutea, cum ſtilo virente: caules ſubinde ad cubitalem naſcuntur longitudinem, inque ramos deducti foliis veſtiuntur; flores uti ſupra dictum gerentes, quos ſubſequuntur ſiliquæ longæ, in tres cellulas de-

dehiſcentes, ſemine albo oblongo farctæ, copioſo. Obſervatur paſſim ad macrorum & ſiccorum agrorum & pratorum margines; item in dumetis & ſilvis, florens eodem tempore, quo purpurea vulgaris odora, ſed multo diutius perdurans.

3. *Viola* Marococi ſive Granadillæ foliis, nobis. Hæc Viola exotica Americana floribus ſemine & capſula ſeminali, Violæ noſtrati Martiæ omnino conformis eſt, ſimilemque violaceo colore præditum fert florem: folia ſolummodo habet lata, ſinuoſa, in ternos lobos hederaceos profunde ſatis diviſa, Granadillæ ſeu Floris paſſionis triphylli modo, unde ei nomen datum. Hanc plantam habuimus ex horto Eboracenſi Londinenſi dono hortulani cujuſdam nomine *Blackburne*, qui ſemen hujus habuit ex Virginia anno 1653.

4. *Viola* martia major hirſuta inodora, nobis. Hæc à radice innumeris fibris ſcatente folia emittit plurima, latiora ſeu ampliora, hirſuta, pediculis ſatis longis, hirſutis itidem, innitentia; non repit Violæ martiæ more, nec ramulos edit ut Viola canina: inter folia exeunt alii pediculi ex eadem radice orti, ſinguli ſingulos ſuſtinentes flores inodoros, ampliores floribus Violæ martiæ ſeu odoræ, dilute cæruleos, lineis albis medium petalorum percurrentibus. Floret Martio & Aprili menſibus. Viola hæc flores copioſe fert, & ideo à ruſticis colliguntur & miſcentur floribus Violæ martiæ, atque venum offeruntur officinis, ſummo cum detrimento reipublicæ. Hoc obſervatu dignum Apothecariis, ne impoſterum decepti decipiant clientes, & medicos præſcribentes Syrupum genuinæ Violæ martiæ. Copioſe provenit in montoſis ſilvis circa Oxonium.

5. *Viola* paluſtris rotundifolia glabra, nobis. Hujus radix alba geniculata, multis fibris ex ſingulis geniculis exeuntibus horizontaliter, non deorſum tendentibus, prædita (quod multis radicibus diverſarum plantarum aquaticarum contingit) ex cujus ſuperiore parte protruduntur pediculi tenues, quorum ſingulis ſingula innituntur folia, rotunda, glabra; atque exinde etiam exeunt alii pediculi tenues, ſuſtinentes flores ſaturate violaceos, duplo aut triplo floribus Violæ martiæ minores, ex quinis parvis petalis conflatos: floribus flacceſcentibus ſubveniunt capſulæ longæ, tenues, tribus loculamentis diſtinctæ, aliarum Violarum ſilveſtrium more, in quorum ſingulis continentur plurima ſemina ſubfuſca. Hæc Viola facile à latifoliis omnibus diſtinguitur, primo à natalibus, quippe in humidis & paludoſis muſco obductis reperitur; ſecundo, parvitate florum violaceorum; denuo foliis rotundis. Floret Aprili, Maio & Junio; ſemina perficit menſe poſtquam flores protulerit. Provenit ad margines fluvii *Chervill* inter Oxonium & Water-eaton. Utraque hæc ſpecies, quarta ſcilicet & quinta, detecta fuit à *Jocobo Bobert* decennio abhinc.

6. *Viola* Alpina rotundifolia lutea, C. B. P. Viola montana floribus luteis, Lob. Obſer. Viola montana prima, Cluſ. Hiſt. Viola martia lutea, Ger. Folia habet hæc Violæ nigræ ſeu martiæ fere ſimilia, minora tamen, breviora, rotundiora, & è viridi colore palleſcentia, calido guſtu: cauliculos item anguloſos in quibus ſingulis bini aut terni flores ex alarum ſinu prodeunt, Violæ vulgaris floribus minores, flavi, inodori, quinque petalis conſtantes, quorum infimum majuſculum eſt, & quinque radiolis ſive nervis nigris interiore parte diſtinctum; reliqua, exteriore parte: ſemen in triangulis capitulis, quæ maturitate dehiſcentia, exiguum, nigricans, aliarum Violarum, præſertim colore, ſeminibus ſimile emittunt: radix alba, craſſiuſcula, multas propagines è lateribus procreans, candidiſque longis fibris hirſuta eſt. Abundanter naſcitur in omnibus Auſtriæ & Stiriæ Alpibus, Junio atque Julio florens; in cultis autem hortis Aprili. In Borealibus etiam Angliæ montibus invenitur.

§. 2. *VIOLA LONGIFOLIA.*

7. *Viola* erecta flore cæruleo & albo, Eyſt. Viola arboreſcens, Matth. Viola elatior, Cluſ. Hiſt. Mater Violarum Dal^pii. Lugd. Viola ſurrectis cauliculis quibuſdam arborea dicta, J. B. Chab. Hæc eſt maxima & altiſſima omnium Violarum; nam eſt ſurrectis cauliculis, cubitum aliquando altis, anguloſis: folia ſubrotunda, vulgaris Violæ, ſub initium ſaltem, prima verſus terram æmula; ſuperiora longa ad uncias quatuor, alia longiora, alia breviora, anguſta, ſerrata, quæ cultu & mangonio majora evadunt, & latiora redduntur; ad caulium genicula alia emergunt foliola minora & laciniata, per ambitum etiam ſerrata, colore Violæ vulgaris martiæ: flores quoque quinque petalis conſtantes, in circuitu dilute violaceis, qui longis inſident pediculis, è foliorum ſinu ortis, quorum petala duo lateralia interna parte villis obſita, & ſub imo pulchellis ſtriis decorata: floribus ſingulis emarcidis ſuccedunt ſiliquæ longæ, non rotundæ, in ternas capſulas ſeu carinas diviſæ, atque dehiſcentes ſemina plurima effundunt alba,

parva, oblonga: radix tota fibroſa eſt ac perennis. Tota planta ſapore viſcido eſt, & multa communia habet cum Viola tricolore quoad diſpoſitionem foliorum. Planta eſt perennis, ſed cur arboream dixerint quidam, non video, eſt enim herbacea; altior & erectior juſtiore titulo dici potuit. Spontanea occurrit inter vepres in Galliæ Angliæque montium jugis, atque etiam in ſilvis aliiſque quibuſdam locis. Floret non modo Vere, ſed & tota æſtate in Autumnum uſque aliquando.

8. *Viola* erecta an Jovis flos Theophraſti, C. B. P. Viola aſſurgens tricolor, Dod. Ger. Viola tricolor ſive flos Trinitatis, J. B. Chabr. Pulcherrimi flores eorumque varietas effecit, ut in hortos tranſlata, cultu digna judicaretur, quos quinque petalis conſtantes, delicias ſuas adverſa facie ſpectatori offerre videas, modo totos purpureos, modo luteos, cæruleos, violaceos, cæruleo & purpureo variegatos, aliterque etiam verſicolores; pediculis inſiſtunt longis concavis ex foliorum alis ortis, quæ modo inferne ſubrotunda, ſuperne oblonga, in ambitu ſerrata & laciniata, caulibus exeunt procumbentibus non ſurrectis, ramoſis, ex radice tenui & fibroſa ortis: ſemen in pericarpiis triangularibus, turgidulis, minutis, copioſum, ſplendidum. Vere unà cum Viola nigra martia, aut paulo poſt emicat, æſtate dein tota & maxima Autumni parte floret. Exit in pluribus locis aridis; naſcitur & in hortis & crebro quidem ſua ſponte, ſilveſtri ſpecioſior & elegantior.

9. *Viola* tricolor hortenſis repens, C. B. P. Procumbens, nobis. Viola tricolor, Dod. Viola flammea, Cæſ. Viola hæc flammea cauliculo aſſurgit dodrantali, triangulo & ſtriato, foliis per intervalla anguſtioribus Viola vulgari, magiſque ſerratis, aliis tenuibus intermixtis: è quorum ſummo cauliculus exit florem ſuſtinens pentapetalum triplici colore diſtinctum; medio veluti flamma radiat flava, ad puniceum vergens, in ambitu albicat ſupernis partibus, folium infimum violaceum ſaturatius eſt, ideo flos aſpectu venuſtus eſt, at ſine odore. Seritur ſemine à matronis aliiſque curioſis & ſtudioſis elegantium florum; ſingulis annis moritur, ſed facillimo proventu renaſcitur ex ſemine deciduo: nam ubi ſemel ſata fuerit, non opus eſt iterum ſerere, ſi permittatur ſementeſcere. Floret per totam æſtatem, atque eodem tempore ſemina perficit ſubfulva, in capſulis oblongis triangularibus.

10. *Viola* bicolor arvenſis, C. B. P. Silveſtris, Icon. Lob. Viola tricolor petræa, Ger. Viola Trinitatis minor petræa, Tab. Eſt hæc humilis admodum planta, folia producens hirſuta, minus in margine ſerrata: caules debiles per terram ſtrati: flores itidem aliquando trium colorum, albidi, cærulei & lutei; aliquando binorum, albi & cærulei, omnium minimi, expertes odoris: capſulæ ſeminales ſeu carinulæ minores, minora ſemina, ſubrotunda, ſubruffaque in ſe continent. Eſt planta annua ſicut octava & nona præcedentes, atque floret per totam æſtatem in arvis ſegetalibus & neglectis.

11. *Viola* montana lutea grandiflora, C. B. P. & Cam. Viola flammea lutea, Lugd. Viola flammea major pallido colore mixta, Eyſt. Plurimos hæc ex una radice profert caules, pedales, anguloſos, valde ramoſos, quos per intervalla ad ſingula genicula ambiunt folia Violæ tricoloris foliis ſimilia, longiora, craſſiora, ſucci plena, leviter & rarius dentata, apophyſibus ad latera oblongis & profunde laciniatis, amariuſculi guſtus & nonnihil acris: ex ſummis alis longi oriuntur pediculi triangulares, tenelli, ſinguli ſuſtinentes florem omnium qui in hoc genere videntur maximum, quinis petalis ut vulgaris Martia conſtantem, quorum duo ſuperiora extremis oris ex cæruleo purpuraſcunt, circa umbilicum pallidi ſunt coloris, maculis ex cæruleo purpuraſcentibus reſperſi, triniſque purpureis radiis ex umbilico emicantibus inſigniti; inferius petalum latius eſt, aurei fere coloris, ſeptenis radiis purpureis, ab umbilico intercurſantibus maculis, ex cæruleo purpuraſcenti infimo labro notatum; odor ſuaviſſimus: craſſiuſcula capitula oblonga, quæ in ternas partes ſeu carinas dehiſcentia, ſemen oſtendunt aliis ſimile, puſillum, rotundum, maturitate fuſcum, Violæ tricoloris ſemini proximum: radix fibroſa & durabilis, quæ facile etiam ramis pangi poſſit. Sponte in Helveticis montibus naſci ferunt. Floret pene tota æſtate. Eſt & alia hujus varietas omnino flava, ſuperioris autem flos varius, purpuraſcentibus radiis ex umbilico emicantibus, qui magnam gratiam flori adferunt; aliquantulum enim odoratior videtur. Reperitur & flore toto purpureo. Hæ varietates colorum ex ſeminio proveniunt, ſicut in aliis multis ſpeciebus accidere ſolet.

12. *Viola* Alpina folio in plures partes diſſecto, C. B. P. Viola montana folio multifido, J. B. Chabr. Rara hæc Violæ ſpecies à Johanne Bauhino in monte *Nombres* reperta prope balneum *Wurmes* ſimplici fere radice hærebat; folia longiuſculis pediculis nitebantur è radice ſtatim ortis, in decem longiuſcula & anguſta ſegmenta, ſingula Linariæ folia referentia (nervo

vo ſecundum longitudinem decurrente) ad pediculum uſque diſſecta, guſtu glutinoſo, reliquarum Violarum more: florem, qui tum deciderat, non obſervavit idem Johannes Bauhinus, ſuperſtitibus tantum adhuc ſiliquis tricapſularibus, in tres carinas hiantibus, quas pediculi breviores quam foliorum ſuſtinebant.

13. *Viola* paluſtris Pinguicula vel ἰόνυχον dodecatheon Plinii, Geſn. Cam. Pinguicula ſeu Sanicula Eboracenſis, Ger. Cucullata, quibuſdam Crias Apulei, Ludg. Pinguicula, vel Liparis Geſn. Hort. Cluſ. Pan. & Hiſt. Venuſta & elegans etiam eſt hæc plantula, quaterna, quina, nunc plura, nunc pauciora habens foliola, Gentianellæ fere ſimilia, per terram ſtrata, circa radicis caput latiuſcula, deinde in mucronem deſinentia, ſatis denſa, pinguia, ſucculentaque, tenella tamen & dilute virentia, potius palleſcentia, amaricantis guſtus: ex horum meditullio unus aut plures oriuntur cauliculi, nudi, fere palmares teneri atque exiles, quibus inſident ſingulares flores, utplurimum violacei, aliquando carnei vel albidi, cauda ſive calcari prominente, quemadmodum in Conſolidæ vulgaris vulgo dictæ ſive Cymbalariæ flore: iis ſuccedunt rotunda capitula, mucronato apice prædita, minutum, longum, nigricans ſemen continentia: radices tenues ſunt, fibroſæ & candicantes. Provenit in omnibus fere pratis uliginoſis, in quibus creſcit primula Veris flore rubro; quæ albo eſt flore ſponte provenit non modo in *Sneberg*, *Durenſtain*, aliarumque Alpium jugis, in locis à ſoluta recens nive adhuc madentibus, ſed etiam permixta illi quæ purpureo eſt flore in omnibus fere prædictis pratis paſſim locorum. Maio floret, & Junio ſemen perficit, in Alpibus vero ſerius. Pinguicula, inquit Geſnerus, facto à nobis nomine, appellatur hæc planta, quæ florem cæruleum, ut Viola martia, profert inodorum: folia humida, mollia, lævia, abſque nervo (ni fallor) ut Lingulaca vel Ophiogloſſum. Naſcitur in paluſtribus. Hæc ille. Inſuper hæc planta tam quæ flore eſt cæruleo, quam quæ albo, pleriſque Angliæ locis invenitur borealibus, in quibus Primula veris flore rubro permiſta creſcit. **Butterwort**, id eſt, Butyri radicem, à pinguedine butyro ſimili, qua fiſſuras in vaccarum uberibus ſanare ſolent, appellari audio: à meridionalibus vero Anglis, apud quos etiam naſcitur, **White-root** vocari, quia oves interficit, ſi ob cibi penuriam veſcantur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Violæ *martiæ flores & folia temperiem habent frigidam & humidam. Flores quidem omnibus inflammationibus internis, laterum potiſſimum & Pulmonis utiles ſunt: pectoris, aſperæ arteriæ, nec non faucium aſperitates & ſcabrities leniunt: jecinoris, renum & veſicæ nimios calores reſtinguunt: ardentem febrium ardorem mitigant: bilis acrimoniam obtundunt: ſitim arcent & ſedant. Quod ex Violis fit* δροσάτον, *ſive uti Actuarius nominat* σεράπιον, *ſi ex diluto decoquatur in quo pluries recentes flores fuerint macerati, alvum lenit & bilem per inferna educit trium aut quatuor unciarum pondo ſumptum. Fit ex Violis oleum, quod refrigerandi humectandique potentia pollet, temporibus illitum ſomnum clementer conciliat, quem calida aut ſicca temperies remoratur: cum ovi luteo ſedis & hæmorrhoidum dolores mulcet: additur quoque utiliſſime cataplaſmatis refrigerantibus ac dolorem ſopientibus. Fit autem oleum in quo flores Violarum macerantur, aut ex immaturis olivis Græci* ὠμοτριβὲς ὀμφάκινον *nominant; aut ex amygdalis dulcibus, uti Meſues ait. Sint & Violæ ipſæ recentes frigidæ humenteſque oportet, aridæ enim jam deperdita humiditate & minus refrigerant & caliditatis nonnihil adeptæ videntur. Recentiores aridas Violas medicamentis, quæ cor corroborare creduntur, utiliter admiſceri ſentiunt. Folia Violarum in olere ſumpta refrigerant, humectant alvumque leniunt: foris admota calidas omnes inflammationes mitigant cum per ſe, tum cum polenta impoſita. Imponuntur & æſtuanti ſtomacho & oculis, Galeno teſte: Dioſcorides ſedi etiam excidenti imponi ſcribit. Prodeſſe autem excidenti ſedi poſſunt, non uti aſtringens aliquod ſedem reprimens, ſed veluti molliens & malacticon, qualia ſæpenumero prius admovenda, quam reduci ea præſertim inflammata queat. Plinius quoque ait Violas crapulam & gravedines capitis levare impoſitis coronis olfactuve; diſcutere etiam anginas, ex aqua potas. Id quod purpureum eſt ex Violis comitialibus mederi maxime pueris in aqua potum: ſemen ſcorpionibus adverſari dicitur.*

Viola *tricolor à pleriſque Jacea nominatur (eſt tamen & alia Jacea capitata, pappoſa, quæ nigra nominatur) aliis Herba Trinitatis propter triplicem florum colorem dicitur. Qualitatem habet frigidam quidem, obſcuram, ſed humidam manifeſtiorem, lenti glutinoſique ſucci (uti Malvæ) particeps: emollientis ea de cauſa facultatis, verum minus quam illa. Prodeſt, ut recentiores aiunt, febricitantibus, maxime pueris & infantibus, quorum convulſionibus, co-*

 mitialis

initialis morbi acceſſionibus ſubvenire creditur: commendatur ad Pulmonis pectoriſque inflammationes, & ad ſcabiem corporiſque pruritum: ulcera quoque glutinare fertur. Viola inepte collocatur à Caſp. Bauhino pag. 199, & 200. inter Lappam & Leucoium ſiliquoſum, cum quibus nullam habet affinitatem nec in floribus, nec in capſulis ſeminalibus ſeminibuſve.

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS.

Digitalis, Scrophularia, Verbaſcum, Blattaria, Nicotiana, Hyoſcyamus, Linaria & Antirrhinum.

CAPUT IV.

DIGITALIS.

D*Igitalis, quod flores digitale referant, nomen habet. Sunt qui ad Verbaſcum, alii ad Aliſmatis genus alterum Plinii referant. At doctiſſimus Fabius Columna, Ephemeron Dioſcoridis l. 4. c. 85. cenſet.*

Pars TABULÆ VIII. Sectionis quintæ.

Digitalis
- 1. *Purpurea folio aſpero, C. B. P. Digitalis vulgaris, Park. J. B. Chabr.* ⊙
- *Ferruginea*
  - 2. *Latifolia, nobis.* ⊙
  - 3. *Anguſtifolia, nobis. Digitalis anguſtifolia flore ferrugineo, C. B. P. Digitalis gilvo flore alias ferrugineo, Lob.* ⊙
- *Lutea*
  - 4. *Magno flore, C. B. P. Digitalis lutea amplo flore, Ponæ Ital.* ⊙
  - 5. *Minor parvo flore, nobis. Digitalis lutea parva, Lob. Icon.* ⊙
- 6. *Perfoliata glabra flore violaceo minore, vel Digitalis Virginiana Lyſimachiæ facie foliis ſubrubentibus flore violaceo minore, nobis.* ⊙
- 7. *Minima Gratiola dicta, nobis. Gratiola centauroides, C. B. P. Gratiola, Matth. Dod. ut. Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Gratiola ſeu Gratia Dei, J. B. Chabr. Gratiola flore albo & Gratia Dei, Eyſt.* ⊙

Explicatio partis Tab. octavæ Sectionis quintæ.

1. D*Igitalis* purpurea folio aſpero, C. B. P. Digitalis vulgaris, Park. J. B. Chabr. Digitalis purpurea, Dod. Tab. Ger. Digitalis J. B. Chabr. Vulgatiſſima eſt hæc Digitalis, quæ purpurei floris eſt, nunc ſaturatioris, nunc dilutioris, perraro albidi: cui folia ſunt longa, lata, ſuperne viridia, inferne incana, per ambitum crenata, aſpera, Verbaſci foliis quodammodo ſimilia, minora tamen minuſque lanuginoſa: caulis rectus, rotundus, bicubitalis aliquando in fertili ſolo, à medio ſurſum verſus compluribus floribus gravidus, non orbiculatim aut alternatim, ſed ab uno caulis latere caulem cingentibus, ſupra invicem aut ut aiunt ἐπ' ἄλληλον diſpoſitis, deorſum verſus dependentibus, forma oblongis, cavis, nigris in fundo, dactylothecis propemodum ſimilibus, calathi aut digitalis ſartorii munimenti effigiatura, colore foris coccineo, excepta inferiore parte, quæ propter nonnullam admiſtam albedinem carneo eſt dilute colore, intus vero ſimiliter purpureo, inferiore parte (quæ & pilis longis obſita eſt) verſicolore, albis maculis intercurſantibus: floris fundo interius & penitius adnaſcuntur ſtamina alba aut purpuraſcentia, contorta, quæ apices didymos croceos, guttatos, ſuſtinent: ſtilus tenuis, purpuraſcens ex hirſuti oblongique pericarpii mucrone protenditur: cui poſtea incluſum continetur ſemen minutum, in binis capſulis adhuc viridibus ſimul junctis, membrana media intercededente, & duplicem ſeriem ſeminum minutorum, ſubrufforum, diſtinguente: radix plurimis conſtat tenuibus fibris. Pleriſque Germaniæ, Galliæ, Angliæ locis ſaxoſis, ſilvoſis & neglectis, atque in montium convallibus ſponte & copioſe exit ubi ferreæ fodinæ ſunt. Eſt & flore albo & dilute carneo, quæ inter myriades vulgares purpurei coloris reperitur, à quibus nec foliis, nec floribus, nec capſulis ſeminalibus, ſed ſolo floris colore differt.

2. *Digitalis* latifolia flore ferrugineo, nobis. Digitalis maxima ferruginea, Park. Parad. Hæc Digitalis folia profert oblonga, ſulcata, nervoſa, atrovirentia, averſa parte ſubhirſuta, foliis

foliis Digitalis ferrugineæ anguſtifoliæ ſequentis latiora, alternatim caulium geniculis adhærentia, qui ſunt bipedales, ſuſtinentes in faſtigio ſpicatim plures flores Dactylothecæ vulgaris ritu, integros in fundo, majores, levi crenarum veſtigio per ambitum inciſos, foris totos hirſutos, ferruginei coloris, intus eodem colore ſaturatiore & ſtriis variegatis pictos, labro productiore villoſo propendente, medio ritu hiante, latentibus in fundo florum apicibus luteis, inque florum locum ſuccedunt thecæ bicapſulares binæ, arcte ſibiinvicem adhærentes, bifidæ & acute mucronatæ, craſſiores multo Digitalis anguſtifoliæ flore ferrugineo capſulis; ſemina itidem paria hinc inde in duplici loculamento, ruffa, ſed majora, continentes.

3. *Digitalis* anguſtifolia flore ferrugineo, C. B. P. Digitalis gilvo flore aliàs ferrugineo, Lob. Digitalis ferruginea folio anguſtiore, J. B. Chabr. Caulis hujus binos cubitos altus eſt, mediocriter craſſus, teres, lævis, cujus ſcapus ſummus in alas aliquot dividitur: folia Digitalis anguſtifoliæ ſubluteæ foliis proxima, longa, anguſta, acuminata, atrovirentia ſuperne, nervoſa, inferne ſubhirſuta, alternatim cauli adnaſcuntur: flores longa ſerie thyrſoide diſpoſiti, Digitalis purpureæ multo breviores rigidioreſque, foris toti hirſuti, ferruginei coloris, intus rictu hiante donati, latentibus in fundo & ſecundum ſuperiorem floris partem apparentibus ſtaminulis cum apicibus luteis: inſidet flos calici ſtellato quinque radiis conſtanti, veluti baſi recurvæ: floribus deciduis ſuccedunt thecæ bicapſulares, duobus loculamentis mucronatis diſtinctæ, ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum ſubruffortum, ſicut in Digitali priore latifolia flore ferrugineo: hujus folia ſunt præcedentis anguſtiora; flores, capſulæ ſeminales ipſaque ſemina prioris ſunt minora. Atque in hiſce conſiſtit præcipua differentia inter majorem & hanc minorem.

4. *Digitalis* lutea magno flore, C. B. P. Digitalis lutea flore amplo, Ponæ Ital. Ex radice hujus tuberoſa, longa, multis craſſiuſculis fibris ſcatente, exit caulis cubitalis & aliquando altior, rotundus, lævis, circa quem folia diſponuntur alternatim, longa, anguſta, glabra, dilute viridia: in caulium ſummis cimis flores apparent lutei, integri in fundo, patuli & hiantes in margine, & quinquefariam diviſi Campanulæ Perſicæfoliæ florum ritu, ſpicatim & ex uno latere pendentes, quemadmodum videre eſt in Digitali purpurea vulgari; ex fundo florum exeunt ſtamina cum apicibus pallidis: floribus fatiſcentibus ſuccedunt capſulæ binæ virides adhuc arcte junctæ, pyramidales, ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum, ſiccatæ ſponte aperiuntur, atque ſemina ſubruſta, multa, minuta effundunt: foliis latioribus & brevioribus, floribus multo majoribus, capſulis ſeminalibus ſeminibuſque itidem ſequentis majoribus, facile ab ipſa cognoſcitur. Floret circa medium Auguſti, & verſus finem Septembris maturantur ſemina.

5. *Digitalis* lutea minore flore, nobis. Digitalis lutea parva, Lob. Icon. Hæc minor eſt priore, atque minoris elegantiæ; foliis eſt anguſtioribus magiſque viridibus, æqualem adipiſcitur altitudinem cum priore: flores etiam ſpicatim fert luteos, triplo prædictæ luteæ floribus minores, integros in fundo & quinquefariam in margine profundius diviſos: quibus ſuccedunt capſulæ & ſemina ibidem contenta multo minora. Naſcitur ſponte copioſe in ſilva *Fontainbelleau* in collibus illic Betula ſcatentibus.

6. *Digitalis* perfoliata glabra flore violaceo minore, vel Digitalis Virginiana Lyſimachiæ facie, foliis ſubrubentibus flore violaceo minore, nobis. Hæc Digitalis Virginianæ elegans ſpecies caules promit bipedales, ſubrubentes; quos ambiunt per intervalla ad ſingula genicula bina folia, mucronata, Limonii majoris, primo ortu, foliis haud abſimilia, ex adverſo adnaſcentia, quæ à caule perforantur, Lyſimachiæ quodammodo æmula, quæ adeo arcte caulem cingunt ut Digitalis Virginiana perfoliata merito dici poſſit: ex alis ad genicula ſuperiora enaſcuntur pediculi alios procreantes; quibus innaſcuntur flores calyce & forma Dactylothecæ ſeu Digitalis minoris niſi quod flos integer in fundo tantum, in margine quinquefariam ſinuetur ut Nicotiana femina, coloris violacei: in fundo autem floris ſeu tubi quatuor ſtaminula arcuata latent, quorum ſingulorum extremo, aliarum Digitalium florum more, duo apponuntur teſticuli rubelli, lentiformes in ſuperiore floris parte: eſt enim ſtilus propendens, verſus inferiorem partem luteus, lanuginoſus: poſt flores evanidos ſingulos ſuccedunt thecæ bicapſulares, in mucronem acutum bifurcatum definentes, continentes in ſe ſemina minuta, infinita, cæterarum Digitalium more. Nomen indigitat natales: floret æſtate, atque eadem exeunte & ineunte Autumno ſemen perficit ſuum.

7. *Digitalis* minima Gratiola dicta, nobis. Gratiola centauroides, C. B. P. Gratiola, Matth. Dod. ut. Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Gratiola albo flore & Gratia Dei, Eyſt. Cauliculos promit hæc plurimos, dodrantales & quadrangulares, frequentiaque circa hos folia, anguſta, oblonga,

longa, Hyſſopi vulgaris ſimilia, ſed glabra, cujus & ipſa herba effigiem & formam refert, niſi quod non ut illa erigatur, ſed aliquatenus humi procumbat: flores in tenuibus pediculis oblongi è foliorum alis exeunt è dilute purpureo albidi, integri in fundo, quinquefariam in margine diviſi, aliarum Digitalium florum æmuli; quibus evanidis ſuccedunt capſulæ binatim arcte ſibiinvicem, adhuc virides, adhærentes, interceſſu membranæ mediæ, ſeu ſepimenti dirimentis duplicem ſeriem ſeminum minutorum, hinc inde contentorum, Digitalium more: radices frequenter geniculatæ, Graminis canini modo ſerpunt, & à nodis fibras multas dimittunt. Saporem tota herba inſigniter amarum obtinet. Naſcitur ſponte in paluſtribus, humidis ac uliginoſis pratis Germaniæ, Galliæ, præſertim in pratis *Gentily* primo lapide ab urbe Lutetia Pariſiorum, ſecus fluviolum *Goblin* dictum. Floret Julio & Auguſto; raro propter nimiam rependi aviditatem ſemina ad maturitatem perducit, adde quod tempore fœniſecii metitur floreſcens, ſed in hortis ſemina in capſulis ſuis ſeminalibus, Digitalis capſulis conformibus, omnino ſimilia collegimus.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Facultatem Digitalis folia, cum amara ſint, calidam & ſiccam obtinent, cum nonnulla expurgandi vi conjunctam; interim nullius ſunt uſus, nec medicamentis admiſcentur: flos ſolus ſola pulchritudine & forma placet gratuſque eſt. Sunt tamen qui noxiam & venenoſam qualitatem hujus folia habere affirment, idque evidenti experimento cognitum. Nam cum ex hujus & aliarum herbarum foliis cum ovis placentæ eſſent factæ, quotquot eas guſtaſſent atque ediſſent, mox ſeſe male habuiſſe & ad vomitionem irritari dicuntur. Digitalis purpurea plurimi fit ad omnia vulnera ſananda, inquit Lobelius in Adverſariis. Somerſeti Angliæ ruſtica turba hujus decocto febricitantibus purgationes & interdum ſuperpurgationes & vomitiones humidioribus alvo molitur.

7. Digitalis *Gratiola dicta, nobis. Gratiola, Dod. ut. Ad. Lob. Tab. Ger. Eſt enim Gratiola ut amariſſima, ita etiam temperie calefactoria & reſiccans, eximiam ſimul expurgandi cum per ſuperiorem, tum per inferiorem ventrem obtinens. Educit non modo lentam pituitam, verum & craſſam & flavam bilem. Prodeſt ad diutinos coxendicis dolores & inveteratas febres, ſive tertianas, ſive erroneas alias: jecur & lienem expurgat, ab obſtructionibus liberat, ventris lumbricos pellit, putredinibus adverſatur. Doſis maceratæ & infuſæ aut leviter decoctæ eſt ab uncia* 1. *ad duas vel plures. Folia impoſita conſolidant & glutinant recentia vulnera. Paſſim in robuſtis corporibus à practicis hujus ſeculi commendari Gratiolam reperietis, præſertim ad movendas hydropicorum aquas. Eſt vero calida & ſicca temperie, tam violenter purgat* ἀνῶ ϗ κατῶ, *ut Helleboro comparari poſſit; quidam Tithymalo ſeu Eſulæ comparant: ſed omnino ab hujuſmodi medicamentis mochlicis & violentis abſtinendum ſuaderem, quandoquidem benigniora ſatis & ſufficienter nobis ſuppetunt.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Digitalis major lutea vel pallida parvo flore, C. B. P. Digitalis lutea parva, Lob. Icon. pag. 244. col. 2. pl. 11. & ibidem pl. IV. *Digitalis anguſtifolia lutea C. B. P. Digitalis lutea parva, Lob. Icon. Bis adhibetur Digitalis lutea parva Lobelii pro Synonyma a Caſparo Bauhino; cum planta 11. & planta* IV. *ſint una & eadem, non debuit Bauhinus multiplicare entia ſine neceſſitate, nam ex noſtra ſententia 11. planta, item* 111. & IV. *indigitant tantum unam & eandem Digitalem minorem flore luteo parvo, quod examinantibus evidenter aparebit.*

Pag. 103, & 104. collocat Digitalem inter Auriculam urſi ſeu Saniculam, & Lyſimachiam, & Veronicam, & disjungit a ſibi ſimilibus Verbaſco, Blattaria &c. ergo nullam ſibi propoſuit methodum genuinam & veram Caſp. Bauhinus.

DE

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS

CAPUT V.

SCROPHULARIA.

Scrophularia à radice nodoſa, & ab effectu, quod ad Scrophulas prodeſſe credatur, nomen accepit. Alia tamen radice eſt nodoſa, alia fibroſa, nodis carens.

Scrophularia florem habet parvum, brevem, integrum in fundo, in margine quatuor laciniis conſtantem, ſupina parte bifida & ſurſum reflexa, inferna ut labellum propendente, duabus aliis latera claudentibus, tenui ſtilo cum ſtaminulis emergente præditum; atque floribus ſingulis ſic conſtructis & calycibus quinquefariam diviſis innitentibus, ſuccedunt vaſcula ſeu capſulæ pyramidales, arcte ſimul junctæ dum adhuc ſunt virides; exſiccatæ, aliquantulum mucronatæ & diviſæ, ſepto membranaceo diſterminante duplicem ſeriem ſeminum, minutorum, fulvorum aut ſubrufforum. Hiſce notis affinitatem & cognationem cum cæteris monopetalis bicapſularibus, à fine ultimo (id eſt, modo florendi & capſulas ſeminales, ipſaque ſemina producendi) deſumptam oſtendit. Scrophularia, habita ratione durationis, eſt vel annua, vel perennis; ratione foliorum eſt, vel foliis Urticæ, Lamii, Betonicæ, Scorodoniæ, Sambuci, Papaveris rhœadis vel Rutæ modo diviſis; ratione colorum florum, eſt vel rubro, vel luteo, vel obſoleto & variegato colore; ratione radicum, eſt vel radice fibroſa, vel nodoſa tuberoſave.

Pars TABULÆ VIII, & IX.

Scrophularia
- *Annua* — *Folio*
  - 1. *Urticæ, C. B. P. Scrophularia peregrina, Cam. Scrophularia flore rubro, J. B. Chabr.* ☿
  - 2. *Lamii flore luteo, nobis. Scrophularia flore luteo, C. B. P. Scrophularia magna amplis foliis, C. B. P. Chabr.* ☿
- *Perennis*
  - *Radice*
    - 3. *Nodoſa fœtida, C. B. P. Scrophularia vulgaris & major, J. B. Chabr.* ⊙
    - 4. *Fibroſa Betonicæ foliis, nobis. Scrophularia aquatica major, C. B. P. Betonica aquatica, Lob. Ad. Dod. Lugd. Tab. Ger.* ⊙
  - *Foliis*
    - 5. *Scorodoniæ, nobis.* ⊙
    - 6. *Sambuci capſulis maximis, nobis. Scorophularia peregrina, Park.* ⊙
    - 7. *Filicis modo laciniatis, C. B. P. Scrophularia Cretica* 1. *Cluſ. Hiſt.*
    - *Diviſis*
      - 8. *Tenuiter, ſeu Ruta canina major, nobis. Ruta canina, Ad. Lob.* ⊙
      - 9. *Tenuiſſime, ſeu Ruta canina minor, nobis.* ⊙

Explicatio partis Tab. octavæ, & novæ Sectionis quintæ.

1. *Scrophularia* annua folio Urticæ, C. B. P. Scrophularia peregrina, Cam. Scrophularia flore rubro, J. B. Chabr. Scrophularia altera elegans, Park. Hæc Scrophularia ex Creta ſemine nata aliquot ſtolones à radice fibroſa profert, cubitales & ſeſquicubitales, quadrangulares, ex atro purpuraſcentes, quibus folia mucronata partim æquali, partim inæquali ſitu innaſcuntur, longiuſculo pediculo appenſa, Urticæ foliis non diſſimilia, ſed lævia, non mordacia Urticæ ritu, ſatiſque mollia, ſuperne ſaturata viriditate nitentia, inferne nequaquam; ex quorum alis breves emergunt ramuli, quadranguli etiam, in ſimiles alios, ſed longe minores diviſi, ſuſtinentes parvos calyces, in quinque lacinias ſectos, & in hiſce floſculos coloris ex atro

atro purpurei; quatuor laciniis conſtantes, ſupernâ bifida & ſurſum reflexa, infernâ ut labellum propendente, duabus aliis latera claudentibus; atque floribus ſingulis ſingula ſuccedunt vaſcula ſeu capſulæ duabus cellulis diſtinctæ, ſuperius aliquantulum mucronatæ, ſepto medio duplicem ſeriem ſeminum minutorum hinc inde partiente, quæ omnia referunt Scrophulariam teſſera ſua eſſentiali à fine ultimo deſumpta. Tota planta odorem magis fœtidum ſpirare videtur.

2. *Scrophularia* annua folio Lamii flore luteo, nobis. Scrophularia flore luteo, C. B. P. Ger. Scrophularia montana maxima, Col. Scrophularia magna amplis foliis, J. B. Chabr. Lamium Pannonicum 2. ſive exoticum, Cluſ. Hiſt. Galeopſis altera luteopallida, Park. Folia primum naſcentia rotunda ſunt, Lamii foliis quodammodo forma, Urticæ pilis villoſis ſimilia, niſi ampliora utplurimum eſſent, mollique lanugine villoſa, pingui & lento quodam veluti rore leviter aſpera, dum novella ſunt, in ambitu ſerrata, longis pediculis fulta, inter quæ altero anno emergit caulis quadrangulus utplurimum, aliquando ſexangulus (utriuſque enim formæ naſcuntur) molli lanugine pubeſcens, per quem ex intervallis æqualiter, ſed adverſo ſemper ſitu, in nodis ſparſa ſunt folia, modo bina, modo terna, ſuperioribus minora, & brevioribus petiolis inhærentia: in quorum alis, unnc bini nunc terni, pro foliorum numero exiliunt pediculi unciales, tenues, firmi, hirſuti, ternos vel quinos flores ſuſtinentes concavos, integros in fundo, anteriore parte nonnihil hiantes, exiguo labello prominente, & tenui ſtilo cum ſtaminulis emergente, præditos, coloris lutei, aliquando è viridi palleſcentis: unicuique flori deciduo ſuccedit theca bicapſularis, ſepto medio ſeparante duplicem ſeriem ſeminum minutorum, nigrorum, aliarum Scrophulariarum formâ: radix fibroſa obliqua, multis fibris capillata. Hujus caules hyeme pereunt, ſed novo Vere, interdum etiam ante hyemem ex ſemine renovatur. Floret Maio, ſemen Julio maturum eſt, deinde tota planta radicitus perit; nonnunquam tamen in calidioribus regionibus ex eadem radice, poſt ſemina ad maturitatem perducta, repullulat.

3. *Scrophularia* radice nodoſa fœtida, C. B. P. Scrophularia major, Brunsf. Ad. Lob. Cæſ. Lugd. Tab. Ger. Scrophularia minor Janſon. in Ger. Scrophularia vulgaris & major, J. B. Chab. Scrophularia, Matth. Dod. Hæc quæ major cognominatur (ad differentiam Scrophulariæ minoris, ſcilicet Chelidonii minoris, cui nomen Scrophulariæ minoris à quibuſdam imponitur) quadrangularibus ac ſubinde cubito altioribus aſſurgit caulibus, colore obſcure purpureo nigricantibus, interius vacuis: folia ab uno veluti geniculo ſemper bina, ex adverſo poſita, lata, acuminata, per margines crenata, Urticæ majoris ſimilia, ſed majora, nigriora, haudquaquam tactu urentia ſive pungentia: floſculi in ſummo alarum pravuli colore obſcure purpurei, formâ exiguas caſſidas ſatis exprimentes; ſemina in rotundis, ſed tamen acuminatis, bifidis capſulis (ſepto medio membranaceo ſatis ſpiſſo dividente duplicem illam ſeriem ſeminum minutorum) continentes: radix albida, nodoſa, tubercula plurima profert, obliqua utplurimum; ſingulis annis idcirco progerminans. Secus agrorum margines, in ſcrobibus ſiccis & ſilvis non raro provenit, item in aquis juxta Betonicam aquaticam. Floret Julio & Auguſto, ſemen ſub finem Auguſti aut initium Septembris matureſcit in thecis ſuis bicapſularibus exiguum & multiplex, nigrum. Tota planta fœtidi eſt ſaporis.

4. *Scrophularia* radice fibroſa, nobis. Scrophularia aquatica major, C. B. P. Scrophularia maxima radice fibroſa, J. B. Chabr. (Figura tranſpoſita, Sideritidis enim apponitur figura loco Scrophulariæ) Quadratis caulibus ad cubitos binos, ternos altis, creſcit hæc Scrophularia, quibus folia Scrophulariæ vulgaris colore æmula, figura autem Betonicæ adhærent, quæ ſerrata, atroviridia, fœtida, in obtuſum mucronem, ut Betonicæ vulgaris, deſinunt: flores, vaſcula bicapſularia acuminata, & ſemina, majoris Scrophulariæ floribus capſulis ſeminalibus & ſeminibus accedunt: verum radix non ut vulgaris ſtrumoſa ſeu nodoſa, ſed innumeris fibris contexta; ſic foliis Betonicæ inſtar atque radice fibroſa, quam facillime primo intuitu à vulgari foliis acuminatis & radice nodoſa tuberoſave diſtinguitur; inſuper hæc in aquis ad altitudinem viri aliquando exſurgit. Provenit ad foſſas aquarum, & juxta aquas profluentes emicat. Floret menſibus Maio & Junio; Julio & Auguſto matureſcit ſemen.

5. *Scrophularia* Scorodoniæ foliis, nobis. Hæc aſcendit ad altitudinem bipedalem, atque caulis ejus in multos ramulos brachiatur, quadratus, multis geniculis donatus; ad ſingula genicula bina è regione apponuntur folia mucronata, ſerrata, ſcabra, Salviæ ſilveſtris inſtar, atroviridia, adeo Scorodoniæ ſive Salviæ agreſtis foliorum æmula, ut antequam flores capſulas pyramidales binis cellulis diſtinctas, & ſemina in prædictis cellulis contenta producat, pro Scorodonia haberi poſſit. Florem fert uncialibus pediculis innitentem, integrum in fundo, quin-

quinquefariam in margine partitum laciniis quatuor ferruginei coloris, infimâ vireſcentis; ex fundo floris exeunt quatuor ſtamina ſubviridia, perbrevia, uno cum ſtilo ejuſque apice ejuſdem coloris: hiſce deciduis ſuccedunt capſulæ pyramidales, mucronatæ, adhuc virides arcte ſibiinvicem junctæ, exſiccatæ apertæ, inque ſingulis cellulis ſemina continentur minuta, ſubfuſca, cæterarum ſuæ ſortis more.

6. *Scrophularia* Sambuci foliis capſulis maximis, nobis. Scrophularia peregrina altera, Park. Caulis hujus aſcendit ad altitudinem bipedalem; folia habet alata alternatim poſita, uno extremum claudente, dilute virentia, ſerrata: in ſummis ramuſculis ex alarum ſinibus exeunt flores, multo ampliores cæteris ſuæ ſortis, ſublutei, eleganter ſtriis pallidis picti; quibus ſuccedunt capſulæ multo majores cæterarum capſulis, in duo loculamenta partitæ ſepto medio, in quorum utroque multa continentur ſemina majora & craſſiora cæteris ſuæ claſſis ſeminibus.

7. *Scrophularia* foliis Filicis modo laciniatis, C. B. P. Scrophularia Cretica 1. Cluſ. Hiſt. Scrophularia Cretica latifolia, Park. Huic prodeunt initio folia humi expanſa, Scabioſæ primis foliis non valde diſſimilia; deinde ſeſquicubitalis aſſurgit caulis, quadrangulus, cavus, viridis angulis purpuraſcentibus, interdum etiam ea parte, quæ à ſole illuſtrata eſt, purpureus, cujus infimam partem ambiunt longe ampliora folia, in multas lacinias diviſa, ex adverſo naſcentia, deinde reliquum caulem alia, quæ alata ſunt Filicis aut Alectorolophi foliorum adinſtar, multis laciniis prædita, quæ rurſus in alias longe minores & in ambitu ſerratas ſecantur: à medio caule ad ſummum ex alarum ſinu naſcuntur rami, etiam quadranguli, foliis præditi, & illi ſimiliter in alios ramulos diviſi, ſuſtinentes floſculos inſtar utriculorum, cavos, integros in fundo, vireſcentes, ſifariam in margine leviter diviſos, Scrophulariæ vulgaris floribus non abſimiles, ex flavo vireſcentes, ſex diviſionibus ſeu laciniis conſtantes, quarum binæ infimæ ſunt valde exiguæ, & inferne aliquantulum reflexæ; quæ in lateribus ſunt paulo altius attolluntur, & ſuprema parte aliquantulum purpuraſcunt, ſed binæ ſupernæ majores ſunt reliquis, & quodammodo reflexæ, purpureique ex atro coloris, paucis & brevibus flavis ſtaminulis ex umbilico prodeuntibus: radix pollicaris pene magnitudinis eſt, in multas craſſas fibras diviſa, albicantis coloris: an vero ſit perennis nihil affirmare poſſum, inquit Cluſius, quandoquidem non per aliquot annos coluerim, ſed ſemine ex Creta accepto nata fuit in horto *Johannis Mullier.* At mittebatur ſub nomine Rutæ ſilveſtris. Nos ex ſatione ejuſdem ſeminis vidimus aſcendere ad altitudinem bipedalem, ſed ingruente hyeme periit; ſic in ambiguo relinquimus: donec coluerimus peraliquot annos nihil de duratione proferre poſſumus.

8. *Scrophularia* major Ruta canina vulgo dicta, nobis. Ruta canina, Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Cluſ. Hiſt. Scrophularia altera Ruta canina dicta, Park. Radix hujus eſt craſſa, longa, à qua fibræ plurimæ dimittuntur in terram; ex eâdem multi ſurſum verſus protruduntur caules cubitales, aliquando ſeſquicubitales: quorum geniculis adnaſcuntur folia, Papaveris Rhœadis foliorum æmula, ſuperne tenuius diviſa & denſius diſpoſita: in ſummis caulium ramis proveniunt flores multi, florum cæterarum Scrophulariarum formâ & figurâ, rictuque donati exterius, integri in fundo, cum ſtaminulis eidem adhærentibus: hiſce ſingulis deciduis ſuccedunt ſingula capitula bicapſularia, minora cæteris antedictis, in bina loculamenta diviſa, in quorum ſingulis plurima ſemina minuta, ſubnigra continentur. Tota planta fœtet, aut ſaltem ingratum ſuffundit odorem. Provenit in aridis Italiæ, Galliæ; ſed nuſquam abundantius quam ad ripas Ligeris, non procul Blæſis. Floret ſub initium Julii, & tardius; Auguſto & Septembri ſemen ſuum perficit.

9. *Scrophularia* minor Ruta canina dicta, nobis. Hæc eſt planta pedalis duplo minor priore in omnibus; folia protrudit ex geniculis caulium multo tenuius diſſecta: flores integros in fundo, quinque laciniis in margine diviſos, ſtamina & ſtilum admodum brevia ex fundo floris orta habentes; quibus fatiſcentibus & evaneſcentibus ſuccedunt capſulæ omnium minimæ, bifidæ, virides adhuc arcte junctæ, & ſtricte unitæ, pyramidalem exhibentes figuram, acumine pungente præditam, ſed exſiccatæ ſponte aperiuntur, & ſemina plurima minuta, ſubfuſca effundunt, ſeminibus cæterarum itidem minora.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Scrophularia *facultate eſt calida & ſicca: folia abſterſoria vi prædita, ad prava & fœtida ulcera plurimum prodeſſe feruntur: cum melle ſuccus horum decoctus curat ulcera contuſa, ſi mane & ſero continuis diebus contrita & ſuper focum calefacta folia iiſdem imponantur.*

Vulgaris nodoſa ad duros glandularum tumores, quos Græci χοιράδες, *Latini ſtrumas, vulgo ſcrophulas appellant, & ad hæmorrhoidum cum dolore tumores prodeſſe fertur: alii radicem nodoſam cum butyro inſulſo contuſam, loco haud inſolato, ſed humenti ad dies quindecim reponunt, mox lento igne decoquunt, percolatum obſervant, quo ſtrumas & hæmorrhoidas illinant, non abſque ſucceſſu. Dici non poteſt, inquit Tragus, quantopere unguentum ex ſucco Scrophulariæ cum tota paratum adverſus ſcabiem maligniſſimam, lepræ ſimilem, commendetur. Scrophulariæ Betonica aquatica dictæ folia, abſterſoria vi prædita, ad prava & fœtida ulcera proſunt; & horum ſuccus cum melle decoctus.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 235. col. 2. pl. 11. Scrophularia paluſtris non fœtida ſive aquatica minor, C. B. P. Betonicæ aquaticæ ſeptentrionalium ſpecies minor, Lob. Obſ. Ibidem pl. 111. Scrophularia aquatica major, C. B. P. Betonica aquatica, Ad. Lob. Dod. Lugd. Tab. Ger. Qua ratione Betonica aquatica dicatur non video. Nam quod ideo Betonica vocitetur, quod non ſecus ac Betonica vulgaris umbroſa & frigida amet loca, ut innuit Lobelius in Adverſariis pag. 230. illa ratio certe quoque frigida eſt. Adferamus meliorem rationem cur non debeat dici Betonica. Betonica ex libro naturæ & a fine ultimo eſt planta galeata verticillata, at hæc eſt planta monopetala bicapſularis; ergo neutiquam dicenda Betonica, ſed Scrophularia; igitur ignaviter primo lapſus eſt Lobelius, & per conſequens omnes authores ejus ſequaces, qui non attentius finem ultimum plantarum conſiderarunt. Deinde maximopere authoribus vitio eſt vertendum, quod ſpecies hujus generis nunc appellent ſub nomine Lamii Pannonici, ut in v. *planta pag. 336. Cluſio authore, plurimæ ſub Galeopſidis nomine ab authoribus nominantur mendoſe ſatis, quia Lamium ſeu Galeopſis, tum Sideritis, ſunt plantæ galeatæ toto cœlo a Scrophularia diverſæ, quæ, uti dictum, eſt planta monopetala bicapſularis: idem dicendum de iis qui hiſce plantis Rutæ & Clymeni nomina adaptarunt. Porro Scrophularia collocatur inter Serratulam & Stachydem cum quibus nihil habet affinitatis: ſed debuit aſſociari cum Digitali, Verbaſco, Blattaria. &c.*

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS
CAPUT VI.
VERBASCUM.

VErbaſcum φλόμος *Dioſcoridi l. 4. c. 104.* ἀ φλέγω *uro, quaſi* φλόγος *flamma, quia hujus pro elychniis uſus eſt.*

Genera ſumma duo Dioſcoridi; album & nigrum: in albi genere mas eſt & femina: mas foliis albis, oblongis, anguſtis: feminæ folia Braſſicæ latiora, candida; flores candidi, aut ex luteo palleſcentes: nigrum foliis eſt albo minoribus & nigrioribus (Verbaſcum ſilveſtre Matth. & Verbaſcum ſilveſtre, Dod. cum ſint galeatæ & verticillatæ, alio à nobis amandabuntur ad galeatas verticillatas Sect. 9. ad quas jure ſpectant.) *Præter has ſpecies eſt & tertia, quæ Lychnitis & Thryallis foliis craſſis, ad lucernarum elychnia aptis. Et Plinio l. 25. c. 10. Verbaſcum Græcis Phlomon, genera habet prima duo: album in quo mas: alterum nigrum, in quo femina: tertium, quod non niſi in ſilvis reperitur. Sunt folia Braſſicæ latiora, piloſa &c. Silveſtri folia Eleliſphaci alba, ramis lignoſis. Tertia Lychnitis vocatur, ab aliis Thryallis foliis ad lucernarum lumina aptis.* Vide Hallucinationes

Verbaſcum eſt planta monopetala (id eſt, flore conſtat integro in fundo, etiamſi quinquefariam in margine dividatur) bicapſularis: in hiſce convenit cum Blattaria, ſed illius capſulæ ſunt pyramidales ſeu coniformes, brevibus pediculis donatæ; hujus autem rotundæ, longis pediculis conſtantes. Folia Verbaſci ſunt utplurimum incana, tomentoſa, pulverulenta aut rugoſa, majora; Blattariæ vero folia ſunt minora, viridia ſecundum magis & minus: caules Verbaſci ſunt multo magis ramoſi caulibus Blattariæ. Sunt tamen genera plantarum valde affinia, ſicut Jacea & Stœbe inter capitatas pappeſcentes: & Malva, Althæa, Alcea, inter mollientes, uti poſtea declarabimus.

Pars

Pars TABULÆ IX.

Verbaſcum { Foliis {

Incanis {

1. *Mas latifolium floribus luteis arcte caulibus adhærentibus ſine foliis anguſtis inter flores emanantibus, nobis. Verbaſcum latifolium luteum, C. B. P. Verbaſcum mas & Candela regia, Lob. Tapſus barbatus, Ger.* ☿

2. *Maximum odoratum meridionalium floribus luteis & albis arcte caulibus adhærentibus & foliis multis anguſtis inter flores emanantibus, nobis. Verbaſcum maximum meridionalium odoratum luteum & album, J. B. Chabr. Verbaſcum femina flore luteo magno, C. B. P. Verbaſcum lychnite minus, Ger.* ☿

3. *Et pulverulentis floribus luteis parvis racematim provenientibus, nobis. Verbaſcum pulverulentum flore luteo parvo, J. B. Chabr.* ☿

4. *Floribus albis parvis racematim provenientibus, cum ſtaminulis itidem albis, nobis. Verbaſcum lychinite flore albo parvo, C. B. P. Verbaſcum lychnite, Matth. Lob.* ☿

Viridibus {

5. *Perenne floribus luteis racematim provenientibus ſtaminibus purpuraſcentibus, nobis. Verbaſcum nigrum flore ex luteo purpuraſcente, C.B.P. Verbaſcum nigrum Salvifolium purpureo flore, Ad. Lob.* ⊙

6. *Papaveris corniculati valde ramoſum floribus luteis parvis racematim provenientibus, nobis. Verbaſcum nigrum folio Papaveris corniculati, C. B. P. Verbaſcum criſpum & ſinuatum, J. B. Chabr.* ☿

7. *Craſſioribis, nobis. Verbaſcum nigrum, Dod. Trag. Verbaſcum anguſtifolium ramoſum folio craſſiore, J. B. Chabr.* ☿

Explicatio partis Tab. nonæ Sectionis quintæ.

1. V*Erbaſcum* foliis incanis mas latifolium floribus luteis arcte caulibus adhærentibus ſine foliis anguſtis inter flores emanantibus, nobis. Verbaſcum mas latifolium luteum, C. B. P. Verbaſcum latifolium mas, Eyſt. Verbaſcum mas & Candela regia, Lob. Tapſus barbatus, Ger. Verbaſcum latius, Dod. Verbaſcum album vulgare ſive Tapſus barbatus communis, Park. Verbaſcum mas, Tab. Verbaſcum hoc vulgare, ad tres vel aliquando quatuor cubitos excreſcit, & ex radice alba, craſſa ſatis, multas fibras à ſe emittente, caulem itidem craſſum, ſingularem, rectum, nunc incurvum profert, nunc multis alis brachiatum, lanuginoſum incanumque: folia quodammodo Enulæ, longa, lata, mollia, incana, ſeu incana lanugine pubeſcentia tota, nullo aut brevi pediculo donata, majora & inferiora per terram ſparſa, ſuperiora cauli adnata minora, quæ omnia pro ætate variant, quædam tomentoſa, alia rugoſiora, alia magis pulverulenta: caules, uti dictum, modo ſingulares, modo plures brachiati, hinc tanta figurarum diverſitas apud Authores: flores integri in fundo, & quinquefariam in margine diviſi, longo thyrſo plures arcte & quaſi ſimul juncti, lutei, odore obſcuro, non ingrato, in medio apices quinque, duo glabri, lutei, reliqui albidi, lanuginoſi: floribus in inferiore ſpicæ parte cadere incipientibus ſuccedunt capſulæ pyramidales, mucronatæ, paululum itidem hirſutæ, bifidæ, ſepto medio diviſæ, membranâ ſeparante, imò nutriente, duplicem ſeriem ſeminum, hinc unam, illinc alteram, minutorum, ſubfuſcorum, papaverino ſemini parium. Frequentiſſime reperitur juxta agrorum arvorumque margines, aggeres, ſcrobes, aliiſque in locis non cultis. A Julio menſe in Autumnum uſque florens reperitur.

2. *Verbaſcum* foliis incanis maximum odoratum meridionalium floribus luteis & albis arcte caulibus adhærentibus & foliis multis anguſtis inter flores emanantibus, nobis. Verbaſcum maximum Meridionalium odoratum luteum & album, J. B. Chabr. Verbaſcum femina flore luteo magno, C. B. P. Verbaſcum maximum album femina flore ſubpallido, Lob. Icon. Verbaſcum lychnite minus, Ger. Excellit hoc maximum odoratum meridionalium Verbaſcum, ut magnitudine, ita & multitudine foliorum, tum etiam odore ſuaviori omnibus Verbaſci ſpeciebus. Varietas etſi videtur ſupra deſcripti communis, in interſtitiis tamen florum tanta copia foliolorum anguſtorum, mucronatorumque conſpicitur, ut primo intuitu

à priore diſcerni facile queat: floribus luteis & interdum albis exit, quinquefariam in margine diviſis, etiamſi flos ſit integer in fundo; petala exteriora quina arantur lineolis rubris odore ſuaviſſimo, nec in cæteris priori communi diſſimilis. Flore eſt luteo vel albo, unde duplicem Iconem authores Lobelius & Gerardus poſuere fruſtra pro una & eadem planta diverſi coloris flores edente. Provenit in campeſtribus Italiæ, Galliæ. Floret æſtate, atque verſus autumni exitum ſemina minuta, ſubruffa, in capſulis ſuis, binis loculamentis diſtinctis, gerit.

3. *Verbaſcum* foliis incanis & pulverulentis floribus luteis parvis racematim provenientibus, nobis. Verbaſcum pulverulentum flore luteo parvo, J.B.Chabr. Totum hoc Verbaſcum denſiſſimo undequaque pulviſculo candicante, inferius tamen copioſiore quam ſuperius, obductum eſt, ſed qui facile deradi poſſit, ſuis florum calycibus caulibuſque relictis viridantibus: ſurgit vero caule cubitali, ac etiam majore, recto, ſtriato, duro, fractuque contumaci, medullam albam in ſe continente, per quem folia pedalia & ſeſquipedalia longitudine, latitudine fere palmaria & ſeſquipalmaria, rugoſa, acuminata, paululum in ambitu ſerrata, gravis ſi fricentur odoris, ſapore herbaceo cum tantillo amarore: ſuperior pars innumeras edit propagines, foliis parvis veſtitas, floribus numeroſis, parvis, luteis, nullo inſigni odore donatis onuſtas, pediculo brevi nixis, colore antequam explicentur partim luteo, partim candido, propter pulviſculum ſub quo latent, qui expanſi quinquefariam apparent diviſi in margine, integri tamen in fundo, & vulgaris Verbaſci floribus conformes, ſed iis quadruplo ſunt minores, in quorum ſingulorum medio ſtamina & ſtilus aparent unà cum apicibus ſuis: quibus ſubveniunt capſulæ pyramidales & bipartitæ, ſemina minuta, fuſca continentes: radix longa, craſſiuſcula, interius albicans, exterius rubens, ſapore amaro. Floret intra mœnia *Monbelgardi* à porta *des graviers* dicta ad portam prope *Caſtellum* Junio & Julio; ſemina perficit Septembri.

4. *Verbaſcum* foliis incanis floribus albis parvis racematim provenientibus cum ſtaminibus itidem albis, nobis. Verbaſcum lychnite flore albo parvo, C.B.P. Lychnitis, Hiſt. Lugd. Verbaſcum lychnite, Matth. Lob. Verbaſcum Matthioli, Ger. Phlomos mas alter, Verbaſcum lychnite Matthioli, Lob. Folia hoc edit multa, craſſa, hirſuta, Verbaſci ſupra deſcripti, Tapſus barbatus dicti, æmula: inter quæ caulis oritur ſingularis, foliis anguſtioribus, incanis ſeu villoſis veſtitus uſque ad bifurcationem ramorum; quibus innaſcuntur flores multi, lutei, minores, variantes ſecundum cœlum & ſolum quibus committuntur: capſulæ ſuccedunt pyramidales, biſulcatæ, ſepto medio diviſæ: in quibus continentur hinc inde in binis loculamentis ſemina minuta, papaverinis ſeminibus ſimilia. Reperitur ad margines ſilvarum & agrorum. Floret æſtate atque paulo poſt ſemen ſuum perficit in thecis bicapſularibus.

5. *Verbaſcum* foliis viridibus perenne floribus luteis racematim provenientibus ſtaminulis purpurpaſcentibus, nobis. Verbaſcum nigrum flore ex luteo purpuraſcente, C.B.P. Verbaſcum nigrum, Dod. deſc. Trag. Lob. Icon. Tab. Ger. Verbaſcum nigrum ſalvifolium purpureo flore, Ad. Lob. Dicitur Verbaſcum nigrum, quia huic ſaturate virent folia, haudquaquam lanuginoſa aut mollia, ut præcedentia, ſed aliquantulum aſpera, & nonnihil graveolentia, ſerrata in margine; magnitudine foliorum quarti, cui itidem ſingulares caules reſpondent: flores minores, lutei, ſtaminibus & ſtilo in medio præditi; capſulæ pyramidales, biſulcæ itidem: nec radix eſt diverſa aut multum differens.

6. *Verbaſcum* foliis viridibus Papaveris corniculati valde ramoſum floribus luteis parvis racematim provenientibus, nobis. Verbaſcum nigrum folio Papaveris corniculati, C.B.P. Verbaſcum criſpum & ſinuatum, J.B. Chabr. Huic Verbaſco ſunt infima folia per terram ſtrata, ſeſquipalmum circiter longa, Papaveris corniculati lutei modo ſinuata, dilute virentia, paululum hirſuta, ſuperiora vero quæ caulibus adhærent, breviora, & in acutiorem mucronem definentia, fere hederacea, pulvere aſperſa utrinq, magis tamen inferne. Videntur nullo pediculo ex alis prodeunte caulem amplecti cui ſunt continua; flores parvi, lutei, Blattariæ floribus non abſimiles, in quinque ſegmenta in margine diviſi, integri tamen in fundo, ſtaminibus totidem villoſis, purpuraſcentibus, medium ejuſdem floris occupantibus, apicibus croceis donatis. Secus vias in Italia provenit. Floret æſtate cum cæteris, & verſus Autumni initium ſemina ad maturitatem perducit.

7. *Verbaſcum* foliis viridibus craſſioribus, nobis. Verbaſcum nigrum, Dod. Trag. Verbaſcum 3. Matthioli, Lugd. Verbaſcum anguſtifolium ramoſum folio craſſiore, J. B. Chabr. Pulchrum hoc Verbaſcum communicavit D. Agerius Johanni Bauhino collectum, ut aiebat, in Auſtria. Foliis eſt dodrantalibus, uncias duas & ſemiſſem latis, ſpiſſis, albis, veluti lanugine pulverulenta obductis: caulibus, quantum ex portionibus datis judicare potuit Johannes Bauhinus, ramoſis, ut in Verbaſco minore; floribus aureis, minoribus quam in vulgari.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Recentiores mollium lanuginoſorum Verbaſci foliorum decocto prominentes cum dolore hæmorrhoidas utiliter fovent, nam & dolorem ſopiunt, & ipſas hæmorrhoidas reſiccando reſolvunt: flores lutei capillos luteos tingere poſſe putantur; eoſdem cum exiguo oleo in fimo aliquot diebus maceratos, donec videlicet exſoluti fuerint, ad hæmorrhoidum dolores poſteriores commendant. Verbaſci decoctum tollit oculorum ardorem, ſi eo abluantur; aqua ſtillatitia in eos injecta lacrymantes exſiccat. Dioſcorides in alvi profluvio utiliter cum vino rubro dari, decoctumque ruptis, convulſis, & tuſſi veteri auxiliari, dentium itidem dolores mitigare refert.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 240. col. 2. pl. 1. Verbaſcum latis Salviæ foliis, C.B.P. Verbaſcum fruticoſum Salvifolium luteo flore, Lob. & ibidem pl. 11. Verbaſcum anguſtis Salviæ foliis, C.B.P. Verbaſcum ſilveſtre foliis Salviæ tenuifoliæ, Lob. Icon. Hæ binæ plantæ neutiquam dicendæ fuiſſent Verbaſci ſpecies ab authoribus propter incanam lanuginem foliorum, Verbaſci foliis accedentem, cum Verbaſci omnis flos ſit integer in fundo, at in margine quinquefariam diviſus, cuiq; deciduo ſuccedit theca ſeminalis bicapſularis, multa continens ſemina minutula, ut videre eſt in ipſis Verbaſci capſulis, item in Digitalis, Scrophulariæ, Blattariæ, Gratiolæ, Nicotianæ & Hyoſcyami, & id genus aliis ejuſdem claſſis: ſed cum denominatio ſecundum doctrinam noſtram, ex libro naturæ deſumptam, debeat a nobiliore parte, (id eſt, floribus, capſulis ſeminalibus, ipſiſque ſeminibus) deſumi, neutiquam hæ binæ plantæ dicendæ ſunt Verbaſci ſpecies, ut volunt Caſp. Bauhinus reliquique authores: ſed cum verticillatim diſpoſitos gerant flores & capſulas quibus includuntur ſemina Salviæ more, id eſt, in ſingulis capſulis, quinquefariam in margine diviſis, ferant quatuor ſemina in capſulæ fundo, ſuccedentia floribus galeatis, verticillatarum plantarum ritu; Salviæ potius fatuæ ſeu ſilveſtris dicendæ eſſent ſpecies, & ideo Salviæ ſilveſtris ſeu fatuæ obtinebunt nomen genericum a nobis aſſignatum, inter galeatas verticillatas plantas Sectione octava explicandas. Cuilibet hæc noſtra ſcripta conſideranti apparebit veritas. Diffuſius de hiſce inter verticillatas galeatas dicemus, hæc ſufficiant impræſentiarum.

Ibidem pl. III. Verbaſcum acuto Salviæ folio, C.B.P. Phlomos lychnitis altera Syriaca, Lob. Verbaſcum ſilveſtre folio Salviæ, Lugd. Verbaſcum lychnite Syriacum incanum ſummitate floris Hieroſolymitani, J. B. Chabr. Ibidem pl. IV. Verbaſcum ſubrotundo Salviæ folio, C.B.P. Verbaſcum ſalvifolium exoticum, Lob. Lugd. Horum flos conſtat quinis petalis bifidis, atque capſulam fert pyramidalem continentem plurima ſemina minuta, nutrita a piſtillo in medio capſulæ, Lychnidum more; ergo ſunt Lychnides, non Verbaſca, a foliis incana lanugine obductis; nam hoc etiam convenit Lychnidi coronariæ, aliiſque etiam Lychnidum ſpeciebus, quarum folia tomento tegi ſolent. Verbaſcum IV. nec a flore, nec a capſula eſt Verbaſcum, ex Icone Parkinſoni.

Verbaſcum ab authoribus nigrum dicitur cum nulla dentur folia, nec flores, nigra, ſaturate viridia debent dici.

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS.
CAPUT VII.
BLATTARIA.

Blattariam, Plin. l. 25. c. 9. ſic expreſſit: eſt ſimilis Verbaſco herba, quæ ſæpe fallit pro ea capta, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abjecta Blattas in ſe contrahit, ideoque Romæ Blattariam vocant, hæc ille. Hoc Dioſcorides l. 4. c. 104. Verbaſco, ſilveſtri cui flos eſt aureus, tribuit.

Blattaria pro nota generica qua diſtinguitur à Verbaſco, hanc habeto, *viz.* quod folia habeat utplurimum magis viridia, minora; & capſulas rotundiores, longioribus pediculis innitentes. Eſt à colore florum, cærulea, alba, lutea, vel gilva: ratione radicum eſt vel perennis, vel annua.

Pars TABULÆ IX. & tota X. Sectionis quintæ.

- *Blattaria*
  - *Perennis*
    - *Flore*
      - 1. *Violaceo, nobis. Blattaria flore purpureo, Ger. Park.* ⊙
      - 2. *Gilvo ſeu obſoleti Coloris, nobis.* ⊙
    - 3. *Cretica incana foliis binis conjugatim poſitis uno majore extremum claudente, nobis. Verbaſcum fruticoſum auriculatum, Ponæ Ital.* ⊙
  - *Annua*
    - 4. *Cretica piloſa foliis binis conjugatim poſitis uno majore extremum claudente, nobis. Blattaria piloſa Cretica Arctus quorundam, J. B. Chabr.* ☿
    - 5. *Ramoſa floribus luteis ſtaminulis purpureis, nobis. Blattaria Plinii, Dod. Ger. obſ. & Icon. Lob. Verbaſcum nigrum, Park.* ☿
    - *Flore*
      - 6. *Minore luteo vel albo ſtaminulis purpureis, nobis. Blattaria flore luteo, Ger. Park. Blattaria lutea, J. B. Chabr.* ☿
      - 7. *Majore luteo & capſula itidem majore, nobis. Ejuſdem varietas major capſula aculeata.* ☿
  - *Exotica*
    - 8. *Cretica ſpinoſa foliis Leucoii incanis, nobis. Blattaria Cretica ſpinoſa, Park. Leucoium Creticum ſpinoſum, Cluſ. Hiſt.*
    - 9. *Raguſiana incana multifida, nobis. Blattaria incana multifida, Boccon.*
  - *Rubra ſpicata*
    - *Major*
      - 10. *Glabra communis folio acuto, nobis. Lyſimachia ſpicata purpurea forte Plinii, C. B. P. Lyſimachia purpurea communis major, Cluſ. Hiſt.* ⊙
      - 11. *Lanuginoſa folio ſubrotundo, nobis.* ⊙
    - 12. *Minor, nobis. Lyſimachia rubra nonſiliquoſa, C. B. P. Lyſimachia 2. vel minor flore rubro, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 13. *Minima pluribus cauliculis procumbentibus, nobis. Lyſimachia linifolia purpurocærulea, C. B. P. Lyſimachia rubra minima, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- *Blattariæ affinis planta*
  - 14. *Major flore luteo, nobis. Lyſimachia lutea major quæ Dioſcoridis, C. B. P. Lyſimachia lutea, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 15. *Minor flore luteo foliis punctis nigris notatis, nobis. Lyſimachia 3. ſive minor lutea, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 16. *Bifolia lævis flore albo Ephemeron dicta, nobis. Ephemerum vel potius Ephemerum ſpurium, Dod. Ger.* ⊙

Explicatio partis Tab. nonæ & totius decimæ.

1. B*Lattaria* perennis flore violaceo, nobis. Blattaria flore purpureo, Park. Ger. Blattaria flore cæruleo vel purpureo, J. B. Chabr. Folia multa habet per terram ſtrata, mediocriter lata, atroviridia, abſque ſerraturâ ullâ in margine; ex quorum medio oriuntur caules plures, cubitales à mediâ parte fere, ſurſum verſus ornantur floribus integris in fundo, quinquefariam in margine diviſis, longis pediculis innitentibus & rarius diſpoſitis, coloris purpurei cum ſtaminulis aurei coloris: radicem habet pollicarem, multis fibris ab eadem prodeuntibus donatam.

2. *Blattaria* perennis flore gilvo ſeu obſoleti coloris, nobis. Folia hujus ſunt multo majora foliis Blattariæ purpureæ, & Symphyti foliis quam proxime accedunt: flores edit ſatis amplos, eleganter coloratos, inter carneos ſeu dilute rubellos gilvos, integros in fundo, quinquefariam in margine diviſos quinis quaſi petalis, rotundis verſus extrema, inque horum ſingulorum medio conſpiciuntur quina ſtamina: quibus ſuccedunt capſulæ rotundæ, biſulcæ, ſepto medio diſtinguente duplicem ordinem ſeminum minutorum. Natura eſt adeo intenta productioni hujus radicibus ſuis, ut ægre in Gallia meridionali, multo minus in Anglia ſemen ſuum perficiat.

3. *Blattaria* perennis Cretica incana foliis binis conjugatim poſitis uno majore extremum clau-

claudente, nobis. Verbaſcum fruticoſum auriculatum, Ponæ Ital. Folia profert longa, pedalia fere, alternatim ex caule exeuntia; appendicibus ſive lobis binis è regione coſtam amplexantibus, quinto folio in extremo coſtæ maximo; omnia folia prædicta, incana lanugine craſſâ ſunt obducta, tactu dura & piloſa, ſicut caulis, qui rotundus, bipedalis & alis multis è foliorum ſinubus prodeuntibus diviſus: flores in ſummo caulis & alarum profert, ſed in caule prius, deinde in alis, ita ut diutius floreat: ab imo incipiunt flores expandi (ut in cæteris hujus & Verbaſci ſpeciebus) qui magni ſunt, pollicari diametro, colore auri hilari, integri in fundo, quinquepartiti in margine, purpuraſcentem habentes umbilicum & ſtamina lutea, hirſutie magna, tenuiſſima, purpuraſcente prædita; quibus fatiſcentibus ſuccedunt capſulæ rotundæ, biſulcæ; in quibus hinc inde ſemen exiguum, ut in cæteris, continetur. Floret Maio. Planta eſt perennis, nova ſemper ex imo germina proferens, & propter flores hilares & diu durantes hilaris ac venuſta eſt planta. Oritur in Creta teſte Honorio Bello.

4. *Blattaria* annua Cretica piloſa foliis conjugatim poſitis uno majore extremum claudente, nobis. Blattaria piloſa Cretica arctus quorundam, J. B. Chabr. Verbaſcum foliis ſubrotundis flore Blattariæ, C. B. P. & Prod. Blattaria Cretica incana rotundo laciniato folio, Park. Hujus caules ſunt rotundi, hirſuti, pedalis & ſeſquipedalis altitudinis; quibus adhærent folia alternatim ſita, & per binos lobos ex adverſo poſita, uno extremo reliquis quintuplo majore claudente coſtæ ſeu pediculi extremum (omnia folia hujus incana lanugine obducuntur in meridionalibus regionibus, at in frigidioribus hirſutie tantum ſcatent) verſus medium caulem in ramos brachiatur, quibus adnaſcuntur floſculi lutei, parvi, cæterarum more, longis pediculis innitentes, quibus ſubveniunt capſulæ minores, rotundæ, parvæ, itidem biſulcæ, continentes hinc inde à latere ſepti medii duplicem ſeriem ſeminum minutorum, fuſcorum aut ſubnigrorum; cùm flores & capſulæ ſeminales, tum ſemina minora ſunt. Videtur mihi diverſa planta à præcedente, cum præcedens Columnæ ſit perennis major, hæc etiam annua minor. Provenit inter ſaxa & muros in monte Baldo.

5. *Blattaria* annua ramoſa floribus luteis ſtaminibus purpureis, nobis. Blattaria Plinii, Dod. Ger. Lob. Obſ. & Icon. Verbaſcum nigrum vulgare, Park. Hujus folia obſcure virent, lævia ſunt, haudquaquam lanuginoſa & aliquantulum reſplendentia, oblonga, & per margines ſerrata, minora quam Verbaſci multo: caules recti, in alas diviſi, breviores quoque ſunt, quos ſuperius conveſtiunt flores, ut plurimum lutei, minores, ſtaminibus aliquot in medio purpureis & hirſutis, nonnihil odorati, ſubinde tamen dilute rubentes, aut obſoleto colore purpuraſcentes, quandoque & nigræ Violæ eleganti colore nitentes: quibus ſuccedunt duriuſcula & rotunda vaſcula, majora quam Lini, longiuſculis pediculis nitentia: ſemen vero in duplici loculamento nigricans, minutum: radix dura adnatis fibris tenuibus. Paſſim in pluribus Italiæ, Germaniæ utriuſque locis juxta aquarum margines, in lutoſis aggeribus, & haud longe à fluviorum ripis provenit, & quidem qui lutei coloris frequentius, purpurei rarius, Violæ nigræ coloris florem ferens juxta Albim in Bohemia reperitur, & ſemel ſata facile deinde ſingulis annis in hortis redit. Floret hæc Blattaria à Junio in Septembrem uſque: ſemen interea perficitur. Videtur mihi Blattariæ ſpecies, primo à foliis obſcure virentibus & reſplendentibus; aſt certiore indicio à pediculis longis & capſulis rotundis quæ indigitant Blattariam ſecundum doctrinam noſtram.

6. *Blattaria* annua flore minore luteo vel albo ſtaminulis purpureis, nobis. Blattaria flore luteo, Ger. Park. Blattaria lutea, J. B. Chabr. Hujus folia ſunt longa, anguſta, ſerrata, mucronata, obſcure viridia; caules ſunt bicubitales, in ſumma parte ramuſculos edentes; in ſummis caulium longis pediculis innituntur floſculi raro diſpoſiti, lutei, integri in fundo, quinis ſegmentis rotundis diviſi in margine, in quorum medio ſunt ſtamina quina, pilis purpureis tecta, quibus ſubveniunt capſulæ rotundæ, biſulcæ, calycibus quinquefoliatis inſidentes, inque capſulis duobus loculamentis diſtinctis continentur ſemina plurima juncta, hinc inde adhærentia ſepto medio adhuc viridia, exſiccata fuſca à ſeinvicem ſejuncta, Papaveris inſtar. Planta eſt annua.

7. *Blattaria* annua flore majore luteo capſula itidem majore, nobis. Blattaria flore amplo, Ger. Lob. Icon. Lugd. Blattaria flore amplo, J. B. Chabr. Hæc folia habet laciniata & profunde ſerrata, viridia: à medio caule ad ejuſdem cimas obſervatur foliolum anguſtum, non ſerratum: ad oppoſitionem uniuſcujuſque pediculi floris cum caule, atque ex ſinibus foliorum, exeunt flores curtis pediculis innitentes, ſatis magni, coloris aut purpurei aut lutei, binatim aut ternatim ſecundum ſpicam ſiti. Planta eſt biennalis ſeu bima; poſtquam ſemen maturuerit, perit.

8. *Blattaria* Cretica ſpinoſa foliis Leucoii incanis, nobis. Blattaria Cretica ſpinoſa, Park.

Leu-

Leucoium Creticum ſpinoſum Cluſ. Hiſt. Glaſtavida 1. Cretica, Pon. Ital. Glaſtavida Cretenſum Belli, Ep. 3. & 4. ad Cluſ. Cluſ. ap. 2. Blattaria hæc ſpinoſa creſcit ad altitudinem cubitalem & bicubitalem, ſurſum verſus in plures ramuſculos, duros, lignoſos ſparſa, quos cingunt folia confertim naſcentia, incani & cineracei coloris, per oras laciniata, ſimul & dentata & ſparſim in ramulis multis ſuperioribus flores flavos fert, integros in fundo, quinis petalis, ſubrotundis in margine diviſos; in medio ſtamina concoloria profert: rami prædicti initio ſatis ſunt tenelli, paulo poſt tamen duri, lignoſi & ſpinoſi evadunt: floribus emarcidis ſuccedunt capſulæ rotundæ, biſulcæ, longiuſculis pediculis innitentes (hoc arguit hanc plantam eſſe Blattariam, non Verbaſcum, ex doctrina noſtra; multo minus Leucoium ut vult Cluſius aliique authores ipſum ſequentes) continentes ſemina minuta, plurima, fuſca, duobus loculamentis diviſa, ſepto medio dirimente duplicem ſeriem, hinc unam, illinc alteram.

9. *Blattaria* Raguſiana incana multifida, nobis. Blattaria incana multifida, Boccon. Flores, capſulæ & ſemen hujus Blattariam eſſe arguunt: folia vero magna multiplicibus & profundis diviſionibus inciſa, colore è virore candicantia. Abſynthii Pontici vulgaris foliorum aliquatenus æmula. Ramum unicum hujus plantæ abſque radice habuimus (inquit P. Boccone) à Johanne Maria Ferro Veneto aromatario, qui Raguſa allatum eſſe affirmabat.

10. *Blattaria* rubra ſpicata major glabra communis folio acuto, nobis. Lyſimachia ſpicata purpurea forte Plinii, C. B. P. Lyſimachia purpurea communis major, Cluſ. Hiſt. Pſeudolyſimachium purpureum alterum, Dod. Lyſimachia purpurea, Lob. Cæſ. Cam. Tab. Lyſimachia purpurea ſpicata, Ger. J. B. Chabr. Folia bina, glabra, aliquando terna, rarius quaterna, caulem ambiunt: caules promit rectos, bicubitales fere, quadrangulares, articulatos: folia, inquam, è ſingulis geniculis bina, glabra, ex adverſo locata, oblonga, acuminata, ad Lyſimachiæ veræ luteæ folia ſatis accedentia: floſculi ſuperius caulem ad ſemipedalem longitudinem verticillatim ambientes cernuntur & ſummum caulis veſtiunt, integri in fundo, quinquefariam utplurimum, nonnunquam ſifariam in margine profunde ſatis diviſi, colore eleganti rubentes: ſemen haudquaquam in ſiliquis quadripartitis, lanigeris, Lyſimachiæ ſiliquoſæ modo; ſed in thecis oblongiuſculis bipalmaribus, Blattariæ formâ & ritu, duobus loculamentis diſtinctis, hinc inde: radix craſſa, dura, foris nigricans. Planta hæc durabilis eſt naturæ, & locis exit aquoſis, juxta ripas fluminum, & in aliis perinde humidis. Floret Julio & Auguſto, Autumno ſemina in capſulis biſulcis perficit more aliarum Blattariarum.

11. *Blattaria* rubra ſpicata major lanuginoſa folio ſubrotundo, nobis. Hæc Blattaria nobis ſic dicta, à decima priore differt, quod ſit foliis ſubrotundis, incanis; caulibus itidem lanuginoſis; Lyſimachiæ autem purpureæ communis Cluſii folia ſunt glabra (item caules) oblonga, mucronata, cætera ei par.

12. *Blattaria* rubra ſpicata minor, nobis. Lyſimachia rubra non ſiliquoſa, C. B. P. Lyſimachia ſecunda vel minor, vel minor flore rubro, Cluſ. Pan. Lyſimachia purpurea ſive minor, Cluſ. Hiſt. Hæc eſt humilior & decima multo minor, pedalem & ſeſquipedalem altitudinem raro ſuperans: caules illi teneriores, graciliores, quadranguli etiam, ſuperiore parte caulis in plures ramos diviſâ, ex adverſo inter ſe naſcentes: folia vulgaris majoris multo minora & anguſtiora, ſibiinvicem oppoſita; ſi mordeantur lenta & gummoſa ſunt, deinde nonnihil acrimoniæ & amaritudinis exerentia: quæ vero in ſummis ramulis naſcuntur, confuſum habent ordinem, neque ſeriem ullam ſervant; & inter quæ cauliculi emergunt rariores, ſuſtinentes flores minores, neque adeo barbatos aut verticillorum inſtar ambientes ſummitatem caulium, hexapetalos quaſi; etiamſi integri ſint in fundo, ſex tamen petalis videntur conſtare exterius, colore rubro, ſtaminulis ex umbilico prodeuntibus: radix dura, lignoſa, non repens ut ſuperioris; ſed ex eodem corpore multos caules ſingulis annis proferens, & ſubinde lateribus ſe propagans, multis fibris terræ adhærens. Provenit multis Pannoniæ locis in pratis humidis & Danubii inſulis, frequentiſſime vero ultra Poſonium, vulgo *Presberg* dictum, itinere Tornavienſi reperiit Cluſius. Floret cum vulgari Junio & Julio, ſemen matureſcit Auguſto & Septembri.

13. *Blattaria* rubra ſpicata minima pluribus cauliculis procumbentibus, nobis. Lyſimachia linifolia purpurocærulea, C. B. P. Lyſimachia rubra minima, Cluſ. Hiſt. Hæc dodrantalis eſt altitudinis & ſtatim ſecundum radicem ramulos in latera fundit, graciles, virides, frequentibus foliolis anguſtis, inſtar foliorum Lini, ſed lævioribus obſitos: inter quos naſcuntur ſingulares, interdum gemini calyculi, longiuſculi, quales fere in Lyſimachia rubra minore: è quibus emergit floſculus, integer in fundo, at in margine quinis quaſi petalis conſtans, ex purpureo cæruleis: quibus defluentibus ſuccedunt capitula membranacea, bifida, calyculis incluſa,

cluſa, exili ſemine candicante plena: radix longiuſcula, fuſca, aliquot fibris donata. Ubi ſponte proveniat incertum: at à D. Mera accipiebat Cluſius.

14. *Blattariæ* affinis planta major flore luteo, nobis. Lyſimachia lutea major quæ Dioſcoridis, C. B. P. Lyſimachia lutea, Cluſ. Hiſt. Trag. Fuch. Ad. Lob. Cæſ. Tab. Ger. Eyſt. Lyſimachium legitimum, Dod. Fruticoſa eſt hæc planta, & multis cauliculis aſſurgit rectis, plurima parte rotundis, nonnihil anguloſis, geniculatis, duos aut tres pedes altis: foliis ex ſingulis nodulis ternis quaterniſve oblongis, anguſtis, Salicis ſimilibus, ambitu haudquaquam inciſis: floſculi in ſummis alis exeunt umbellatim lutei, quinis petalis ſubrotundis in extremitate conſtantes; quibus ſuccedunt capitula rotunda, quadrifariam aut quinquefariam ſe aperientia, parva, Coriandri ſeminibus magnitudine ſimilia; in quorum ſingulis loculamentis plurima ſemina continentur, minuta, Blattariæ ſeminum omnino æmula: radix tenuis per obliquum ſerpit,& in pluribus locis circumcirca radicem principalem progerminat. In paluſtribus & aquoſis juxta rivulos,ſcrobes, aggeres, ac margines agrorum aquis madefieri ſolitorum gignitur. Junio Julioque florens reperitur, ſemine prægnans Auguſto & Septembri.

15. *Blattariæ* affinis planta minor flore luteo foliis nigris punctis notatis, nobis. Lyſimachia lutea minor foliis nigris punctis notatis, C. B. P. Lyſimachia lutea altera, Cluſ. Hiſt. & Pan. Lyſimachia in alis foliorum florens, Cæſ. Lyſimachia 3. ſive minor lutea, Cluſ. Hiſt. Habet Hæc pedalem caulem, tenuem, ſtriatum, cavum, nullis nodis ſeptum ab imo, brevibus binis foliis, vel potius vaginulis, ad ſingulos nodos ex adverſo naſcentibus cinctum, quæ circa medium caulem naſcuntur longiora ſunt, anguſta, tenella, ex viridi palleſcentia, tenuibus quibuſdam venis oblique ſecta, ex quorum ſinu enaſcuntur unciales pediculi, tenues, ſuſtinentes florum muſcoſorum, quinque parvis flavis petalis conſtantium (prodeuntibus ex medio longiuſculis tenuibus ſtaminibus cum apice aureo) veluti ſpicam: radice nititur longa, hac illac ſe ſpargente, ad cujus internodia frequentes creſcunt tenues & quaſi capillares fibræ, qualibus pleræque aquaticæ ſtirpes donatæ ſunt; adnatis ſe propagat. Naſcitur hæc, *Schilickio* referente, in locis riguis ad Alpium *Kanfburno* vicinarum radices. Eadem eſt cum Lobelii Lyſimachia in foſſis *Gandavi* è regione palatii principis. In Hollandia circa *Amſtelodamum* magna copia inter arundines, &c.

16. *Blattariæ* affinis planta bifolia lævis, flore albo Ephemeron, nobis. Ephemerum, Matth. Ephemerum vel potius Ephemerum ſpurium, Dod. Ger. Hæc planta Blattariæ affinis nobis eſſe videtur, quia foliis prodit oblongis, latiuſculis, verſus caulem duriuſculis, glabris veluti Iſatidis foliis, ſed tamen minoribus, cingentibus ad genicula cauliculos complurimos, rotundos, altos ſatis, non ſine adnatis aliis minutioribus: quos ſuperius ſpicatim conveſtiunt candidi floſculi, quinque petalis conſtantes, haud magnis, ſingulis in extremitate ſubrotundis, ſucceſſive à medio caule ad ſummum prodeuntes & ſe expandentes; quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ rotundæ, quinquifariam ſectæ, ſeu quinis loculamentis diſtinctæ, atque in ſingulis plurima ſemina minuta, nigra, continentur Blattariæ ſeminum ritu. *De facultatibus Blattariæ nihil Plinius. Sapor autem ac amara ejus qualitas guſtabilis calidam & ſiccam eſſe teſtantur.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI Aliorumque Authorum.

Pag. 239, 240, & 241. Caſparus Bauhinus collocat Verbaſcum & Blattariam inter Horminum & Æthiopem, Galeatas verticillatas plantas, & male, cum Horminum & Æthiopis ſpectent ad galeatas verticillatas, Verbaſcum & Blattaria autem ſint monopetalæ bicapſulares; debuere igitur aſſociari ſibi ſimilibus, ut nos præſtitimus habita ratione florum & capſularum.

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS

CAPUT VIII.

NICOTIANA ſive TABACUM.

Nicotiana à Johanne Nicotio Regis Galliæ Conciliario dicta, cujus opera anno 1560. *Galliis innotuit, quam Ulyſſipone, dum legati munere fungeretur, à Belga è Florida Inſula reduce alatam accepit. Tabacum ab ejus nominis Inſula dicitur, teſte Monardo.*

Nicotianæ nota generica hæc eſto, quod flores longiore tubulo conſtantes habeat, integros

in fundo, magis anguloſos in margine, quinque etiam plicis anguloſis prominentibus (præter tertiam qui Hyoſcyamus luteus eſt;) floribus evaneſcentibus ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ oblongæ, tumidæ in medio, ex tenui principio è calyce quinquefoliato herbaceo & in tenuem ſurſum verſus mucronem definentes, ſepto duplicato arcte ſibiinvicem adhærente & ſeparante duplicem ordinem ſeminum minutorum, ſubfuſcorum verſus dorſum uniuſcujuſque ſepti medii.

Pars TABULÆ XI.

- *Nicotiana*
  - *Longifolia ſeu folio mucronato acuto*
    - *Major*
      - 1. *Latifolia, nobis. Nicotiana major latifolia, C. B. P. Tabacum latifolium, Cam. Eyſt. Petum latifolium, Cluſ. ad Monard.* ☿
      - 2. *Anguſtifolia, nobis. Nicotiana major anguſtifolia, C. B. P. & Eyſt. Tabaccum anguſtifolium, Cam. Petum anguſtifolium, Cluſ. ad Monard.* ☿
    - 3. *Minima, nobis. Tabacum minimum, Cam. Petum. 3. Cluſ. ad Monard.* ☿
  - 4. *Latifolia ſeu folio ſubrotundo*
    - *Minor capſula rotunda priapi forma floribus luteis minoribus foliis rotundis obſcure virentibus glutinoſis, nobis. Nicotiana minor ſeu Hyaſcyamus luteus, Eyſt. Hyaſcyamus luteus, Dod. Cam. Ger.* ☿

Explicatio partis Tab. undecimæ Sectionis quintæ.

1. *Nicotiana* major latifolia, C. B. P. Nicotiana major, Tab. Tabacum latifolium, Cam. Eyſt. Hyoſcyamus Peruvianus, Dod. Cam. Ep. Petum latifolium, Cluſ. ad Monard. Sana ſancta Indorum, Ad. Lob. Ger. Tornobonia quia à Tornobono miſſa, Cæſ. *Uppowoc* indigenis Virginiæ. Caules ad tres vel plures cubitos non raro attolluntur, ramis nonnullis brachiati, qui foliis nonnullis etiam conveſtiuntur latis, oblongis, acuminatis, majoribus quam lutei Hyoſcyami, mucronatis, Oxylapathi fere ſimilibus, latioribus, mollibus tamen & dilute virentibus tenuiterque hirſutis, quæ quandoque cauli ſic adhærent, ut ipſum amplecti videantur, alias è pediculo non exiguo prominent, viſcoſa ut melle illita videantur cum caulis tum folia: flores oblongiore formâ, intus concavi, integri in fundo, ſed longiores, tubi inſtar, in margine patentiores, quam Hyoſcyami lutei, in ambitu ſeu margine quinquangulares, colore dilute aliquando dilutius rubello & in margine propemodum albicantes: vaſcula bicapſularia, ſepto medio diſcriminante duplicem ordinem ſeminum minutorum, numeroſorum, ſeminibus Papaveris multo minorum. Ex Americæ, quam Indiam occidentalem vocant, provinciis, inter quas regio *Peru* eſt (quin & non multis abhinc annis in Virginia, copioſe colitur ab Anglis illic habitantibus, & populo Septentrionales regiones habitanti affatim inde ſubpeditatur) in Europam primo venit, ubi in hortis ſatis feliciter adoleſcit, Septimeſtri aut Octomeſtri ſpacio ad abſolutionem ſeu maturitatem perveniens obſervatur. Seritur Vere, ſub Julium aut Auguſtum aut quandoque ſerius flores edit, poſtea Autumno ſemina ad maturitatem perducit.

2. *Nicotiana* major anguſtifolia, C. B. P & Eyſt. Tabacum anguſtifolium, Cam. Tabacum alterum minus, Lugd. Hyoſcyamus Peruvianus minor, Dod. Petum anguſtifolium, Cluſ. ad Monard. Tabacum ſive Herba ſancta minor, Lob. Icon. Humiliore caulis & foliorum habitu anguſtiore differt à priore. Hujus ſecundæ folia plerumque in acutiorem mucronem abeunt & pediculo cauli annectuntur: florum quoque proventu locupletiore, eorumque colore intenſiore gaudet. Vulgus herbariorum huic feminæ, ut Nicotianæ latifoliæ majoris maris titulum aſſignat.

3. *Nicotiana* minima, C. B. P. Tabacum minimum, Cam. Tabacum ſive ſana Sancta minima, Lob. Lugd. Petum 3. Cluſ. ad Monard. Hæc Nicotiana minima foliis eſt Hyoſcyami lutei Dodonæi, mucronatis, anguſtioribus pediculis adhærentibus: floribus minoribus aliquanto, prædictis non obſimilibus, ſaturatius purpuraſcentibus, quinquefariam in margine itidem diviſis, ſed profundius: dodrantalis eſt herba, facie à cæteris non diverſa, niſi quod ſit minor, eodem etiam fervido virenteque guſtu prædita. Eſt & alia minima dodrantalis, facie etiam à cæteris vix multum differens, niſi quod floſculi Hyoſcyami lutei multo ſint minores, ex flavo herbaceo itidem: folia Doronici aut Plantaginis anguſtifoliæ, minora & anguſtiora Pulmonariæ: radix puſilla, fibrata.

4. *Nico-*

4. *Nicotiana* minor, C. B. P. Nicotiana minor ſeu Hyocyamus luteus, Eyſt. Hyoſcyamus luteus, Dod. Cam. Ger. Multo humilior eſt Nicotianâ primâ ſeu latifoliâ, cubitalis, aliquando altior; caule conſtat rotundo, pingui, leviter hirſuto, ſaturatius virente; in quo folia ſubrotunda, pinguia, viſcoſa, ut quaſi melle glutinoſo obduci videantur, & parum etiam piloſa, Solani furioſi foliis haud abſimilia: flores in dentatis foliaceis calyculis è alabaſtriculiſve, qui quinquefariam in margine ſinuoſâ, è flavo languidiorem pallentem colorem induunt, Nicotianæ latifoliæ floribus multo minores, minuſque patuli, abſque mucronatis angulis plicantibus, in quina obtuſo labra diviſi: hiſce deciduis ſubrotunda capitula ſuccedunt in ſummo priapum omnino referentia, (unde à quibuſdam, ut Geſnero, Priapeia à fructus formâ dicitur,) lividopalleſcentibus ſeminibus, Nicotianæ latifoliæ ſeminibus majoribus, referta: radix ſubtus demiſſa, annua, fibris lateralibus multum obſidetur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Nicotiana *calida & ſicca eſt, & quidem ſecundo ordine ex ſententia Nicolai Monardis. Adeſt ei narcotica ſeu ſtupefaciens vis, tum & per alvum purgatoria, nec non, ut Monardes ſcribit, alexipharmaca quædam; ſaporem inducit, mentem emovit, & ſimilem ebrietati conſtitutionem adfert vel ſolo fumo accepto, ut teſtatur Andreas Thevetus, cum ſit calida & ſicca Nicotiana in ſecundo gradu: itaque calefacit, reſolvit, mundificat & aliquantulum aſtringit, ut ex ſequentibus qualitates judicare licebit: confert enim ad cephalagiam, hemicraniam, tetanum, dentium dolores, pectoris vitia, lienis & jecoris obſtructiones, cruditates ventriculi, ventris tineas, nephritides, ſuffocationes uteri, articulorum dolores, perniones, venena, polypum, podagram, impetigines, capitis ſcabiem, aſthma, famem, ſitim, recreationem & alia innumera, ut diffuſius docetur apud Johannem Bauhinum pag. 262, 263, & 264. Plura qui volet de viribus Tabaci ſeu Nicotianæ, petat ex Raphaelis Thorii hymno de Tabaco, & Michaelis Neandri Tabacologia. Qui vituperia Tabaci voluerit, conſulat commentarium Simonis Pauli de abuſu Tabaci & Thée pag. 32.*

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS

CAPUT IX.

HYOSCYAMUS.

Yοσκύαμος *Dioſcoridi l. 4. c. 69. id eſt, Faba ſuilla, vel porcina, quod apri ejus paſtu reſolvantur & convellantur præſenti mortis periculo, niſi aqua copioſa ſtatim ſe foris & intus polluerint, ut Ælianus prodidit. Dioſcorides differentias tres propoſuit: unam ſemine nigro, floribus pene purpureis: alteram ſemine ſubflavo, floribus luteis: tertiam mitiſſimam, candidi floris & ſeminis. At Plinius l. 25. c. 4. Apollinaris genera plura ſunt; unum ſemine nigro; alterum candidius: tertium Irionis ſemini ſimile: quartum candidi ſeminis in maritimis: item ruffi ſeminis.*

Hyoſcyamus eſt planta monopetala (id eſt florem integrum in fundo habens) quinquefariam in margine diviſa, atque ſingulis floribus fatiſcentibus ſuccedit capſula quinque pungentibus apicibus donata, cum operculo bullato, prona parte convexo, ſupina concavo, integente eandem capſulam cylindriacam, continentem plurima ſemina, nunc nigra, aut ſubruffa; nunc alba: atque hiſce notis quam facillime diſtinguitur generice à Nicotiana, cum qua plurimum habet alioquin affinitatem.

Pars TABULÆ XI. Sectionis quintæ.

- *Hyoſcyamus*
  - 1. *Niger vel vulgaris, C. B. P. Cluſ. Hiſt. Hyoſcyamus niger, Dod. Hyoſcyamus vulgaris, Eyſt.* ☿
  - *Albus*
    - 2. *Major vel* 3. *Dioſcoridis & 4. Plinii, C. B. P. Hyoſcyamus albus, Dod. Matth. Ad. Lob. Lugd. Eyſt. Ger.* ☿
    - 3. *Minor, C. B. P. Lob. Icon. Hyoſcyamus albus vulgaris, Cluſ. Hiſt.* ☿
  - *Luteus Creticus*
    - 4. *Major, C. B. P. & Prod. Matth. ed. Bauh. Hyoſcyamus Creticus alter, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 5. *Minor, C. B. P. Hyoſcyamus 4. vel Creticus albus, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - *Flore rubello vel purpuraſcente*
    - 6. *Syriacus, Cam. J. B. Chabr. Hyoſcyamus flore rubello, C. B. P. Hyoſcyamus peregrinus flore rubello, Cluſ. Pan.* ☿
    - 7. *Ægyptiacus cauliculis ſpinoſiſſimis, nobis. Hyoſcyamus cauliculis ſpinoſis, C. B. P. Hyoſcyamus Ægyptius, Cluſ. Hiſt. Hyoſcyamus peculiaris flore purpuraſcente, J. B. Chabr.* ☿
  - 8. *Flore variegato, nobis. Hyoſcyamus albus Ægyptius, Proſp. Alpin. de Exot. Hyoſcyamus albus Veſlingii in Proſp. Alpin.* ☿

Explicatio partis Tab. undecimæ Sectionis quintæ.

1. *Hyoſcyamus* vulgaris vel niger, C. B. P. Hyoſcyamus vulgaris, Eyſt. Hyoſcyamus niger, Dod. Ad. Lob. Ger. Hyoſcyamus niger vulgaris, Cluſ. Hiſt. Apollinaris, Cord. in Dioſcorid. Hyoſcyamus hic vulgaris niger dictus Faba ſuilla, Dens caballinus, Cæſ. Altercum & Herba Apollinaris, Cam. E radice albicante craſſa & parum fibroſa provenit caulis craſſus, ramoſus, cubito procerior, villoſus, quem impari ſitu veſtiunt oblonga, pinguia & quadantenus lanuginoſa folia, marginibus laciniata, & diviſuram Pedis anſerini ſeu Atriplicis latifoliæ referentia, ſummum ejus faſtigium contractum, ſe explicans inter folia, tam in caule, quam adnatis lateralibus ſeriatim promit flores circa umbilicum purpuraſcentes, è flavo pallidos, & variis obſolete purpuraſcentium nervulorum reflexibus & gyris obſitos, fœtidi ac viroſi, non minus quam tota planta, odoris: hos emarcidos excipiunt Balauſtii forma vaſcula ſeu calathi oblongi, teretes, ventricoſi, ſuperne (pro ratione petalorum fiorum, quæ ſunt quinque) in quinque lacinias cuſpidatas rigentes dirempti & operculo rotundo, duriuſculo occluſi, quod maturitate tandem exſiccatum & diſſolutum ſemina effundit Paaverum ſeminum colore, depreſſa, exigua, copioſa, ſepto medio diſterminante plurima prædicta ſemina hinc inde. Paſſim in neglectis ruderatis & fimetis prope villas reperitur. Floret Junio & Julio menſibus; ſemen perficit durante autumno.

2. *Hyoſcyamus* albus major vel 3. Dioſcoridis & 4. Plinii, C. B. P. Hyoſcyamus albus, Dod. Matth. Ad. Lob. Lugd. Ger. Eyſt. Hic facie germana cum Hyoſcyamo vulgari cognitionem prodit, foliis licet latioribus ſit & rotundioribus, tactuque veluti oleaginoſis, mollioribus, hirſutis & viridibus: flores pari formâ & ſitu oriuntur, minores & pallore albeſcentes: ſeminum quoque calyculi reſpondent, ſed citra rigentes cuſpides; ſunt autem in albis granula pauciora, depreſſa, ſcabra, ſeminibus prædicti magis palleſcentia; ex quibus celeri ortu, eodem quo ſatus eſt anno, ſeſe perficit, & ſemeſtris aut ſeptimeſtris eſt vitæ. Hunc maritima rudera aſpera, præſertim ubi Rhodanus in mare influit, alunt: citius floret priore, citiuſq; ſemen itidem perficit.

3. *Hyoſcyamus* albus minor, C. B. P. Lob. Icon. Hyoſcyamus albus vulgaris, Cluſ. Hiſt. Foliis eſt candidioribus mollioribuſque, nec ita laciniatis, ſed potius ſinuoſis, brevibus, ſatis craſſis, longiore pediculo fultis: flores illi albi minores, calyces plures & læviores.

4. *Hyoſcyamus* luteus Creticus major, C. B. P. & Prod. Matth. ed. Bauh. Caulibus eſt cubitalibus, robuſtis, ramoſis, rotundis, molli lanugine obſitis: foliis latis, ſubrotundis, ſinuatis & circumroſis, hirſutis, longo pediculo donatis, ex quorum alis pediculi lanuginoſi exſurgunt, flores ſuſtinentes ex calyce hirſuto, in quinque apices ſecto, prodeuntes, oblongos,

Lamii

Lamii Melyſſophylli forma, quinquefariam diviſos; ex horum medio ſtamina quina purpuraſcentia, apicibus flaveſcentibus & cum ſtilo oblongo ejuſdem coloris, efferuntur: floribus dilapſis calyces indurantur, qui ſemen minutum, ſubruffum continent. Semen hujus à Caſaubona accepit Johannes Bauhinus.

5. *Hyoſcyamus* Creticus luteus minor, C. B. P. Hyoſcyamus 4. vel Creticus albus, Cluſ. Hiſt. Tota hæc planta mollior & tenerior Hyoſcyamo albo jam deſcripto: folia longiore pediculo ſunt innitentia, molli lanugine prædita, latiuſcula, minus ſinuoſa, ſed magis ſerrata, vitiginea quaſi, minora tamen & teneriora: ramos habet candidiore lanugine pubeſcentes: flores prorſus aureos, interne circa umbilicum violacei coloris: radicem ſatis craſſam Napi fere inſtar. Perennis ne eſſet, an non, nihil ſignificabat Jacobus Plateau, qui ejuſdem ſemina ex Creta habuit, eundemque coluit.

6. *Hyoſcyamus* rubello flore, C. B. P. Hyoſcyamus Syriacus, Cam. Hort. Hyoſcyamus peregrinus rubello flore, Cluſ. Pan. Hyoſcyamus Syriacus, J. B. Chabr. Hæc planta rara à Paludano ex Syria delata, prorſum cum ſequente convenit, ſola foliorum latitudine diſcrepans. Ipſa planta, teſte Camerario, plerumque Iconis quantitatem quinquies in ſe continere deprehenditur.

7. *Hyoſcyamus* Ægyptius cauliculis ſpinoſiſſimis, nobis. Hyoſcyamus Ægyptius cauliculis ſpinoſis, C. B. P. Hyoſcyamus Ægyptius, Cluſ. Hiſt. Hyoſcyamus peculiaris flore purpuraſcente, J. B. Chabr. Cubitalis eſt hic altitudinis, minimique digiti craſſitudinis; caulem acquirit in hortis firmum, molli incanaque lanugine præditum, per quem hinc inde ſparſa folia, præcedentis foliis non abſimilia, ſed minora, breviora ſaltem, frequentibus profundiſque laciniis diviſa, tenuique (dum adhuc tenella ſunt) & longa lanugine pubeſcentia: ſummus caulis in aliquot ramos nutantes & inflexos dividitur, qui alternatim anguſtiora, minoraque nec laciniata ſurſum verſus gerunt folia: calyculos vulgari, ſimiles, in quinque cuſpides ſatis firmas deſinentes: in quibus flores colore quodammodo vulgaris ſimiles, hoc eſt, palleſcentes, & purpureis venis diſtincti, initio naſcuntur, ſed deinde in paulo majorem amplitudinem excreſcentes in elegantem ex rubro purpuraſcentem colorem mutantur, ſaturatioribus tamen venis, nec umbilico purpureo, ut vulgaris nigri flores, ſed candicante, ſtiloque purpuraſcente & quinque ſtaminibus exornato: floribus ſuccedunt bullata, quemadmodum in vulgari, capitula, ſemen etiam ſimile continentia. Natus Cluſio ex ſemine, quod doctiſſimus vir Bernardus Paludanus Friſius ex Syriaca, Ægyptiaca peregrinatione redux, Patavio ad Cluſium miſerat *Benze* nomine. Eſt forte ille quem C. V. Rauwolfius apud Chalepum obſervavit l. I. c. IX. ſui Hodœporici. Nos ſemina ejuſdem plantæ ad nos tranſmiſſa habuimus ex territorio Chalepenſi, à nunquam ſatis laudando benefactore noſtro D. *Roberto Huntington*. Jam floruit in horto publico, atque ſemina edidit.

8. *Hyoſcyamus* albus Ægyptius Proſp. Alpin. de Exot. Hyoſcyamus albus Veſlingii in Proſp. Alpin. Hyoſcyamus hic Ægyptiacus albus exoritur à radice plerumque ſimplici, per fibras tamen craſſas varie deductâ, caule ſæpius unico, nonnunquam geminis, ſurrectis gracilibus quidem, ſed firmis; hi plurimis deinde ramorum brachiis multiplicantur, quibus utriſque mollis inſperſa lanugo canitiem ante ſenium addit: per caules hinc inde ſparſa ſunt folia, oblonga, ex mediocri latitudine in acumen deſinentia, vulgaris Hyoſcyami foliis longe minora: his pariter ex denſata lanugine albicans tomentum, à pictore vix exprimendum, inſtratum eſt; oræque crebris inciſuris dentium ſerræ æmulis, prope medium imumque caulis ſerratæ omnino videntur: flores circa ſummos caules è calyculis ſuis emergunt, paulatimque ab anguſta cervice latiores, quina labella blanda in riſum ducunt. Exterius ſimplici candore nitent, interius admixto rubro cum flavedinis portione variegati: dilapſis floribus calyces hæredes ſeminaque ſuperſunt, alba, puſilla, quæ humorum, ac potiſſimum ſanguinis impetum per venas ventriculi & pulmonum efficaciter coercent, dolorem item meningum, pleuræ membranæ, tum coli inteſtini graviſſima tormenta mitigant. Naſcitur cum Hyoſcyamo luteo juxta pyramides Ægyptiacas, non minores illas (quarum plures viſuntur) ſed majores tres circa Memphin urbem conſpicuas, immenſi laboris opera, & quæ non vane Plinius Regiæ pecuniæ vanam & inutilem oſtentationem judicavit. Floret æſtate, & verſus autumnum ſemina perficit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Hyoſcyamus *albus omnibus ſuis particulis refrigerat, dolores omnes ſedans: adverſus acres calidaſque defluctiones oculorum aliarumque partium proficit. Sanguinis eruptiones & muliebria compeſcit profluvia: ad teſtium aliarumque partium inflammationes adhibetur. Proſunt ſubinde*

inde ſi ſola imponantur folia, quandoque eadem cataplaſmatis permiſcentur. Eſt & ſeminis ſolius nonnunquam uſus: additur vero & antidotis dolorem ſopientibus: radix commanſa, aut in aceto decocta, dentium dolores finire poteſt. Breviter, Hyoſcyamus ſimilem Opio ac Myconio facultatem habet: imminet quoque & ab ipſo, quod ab illis, periculum. Teſtatur Dioſcorides folia in olere ſumpta mentis emotionem facere. Plinius etiam foliis mentem corrumpi ait, ſi infuſio, in qua plura quam quatuor dilituêre, bibatur: mitior autem habetur candidior, quem Medici, inquit Dioſcorides, recepêre, deinde luteus; niger ut deterrimus improbatur. Galenus etiam nigrum inſaniam ac ſoporem adferre affirmat, huncque flavum ſive luteum propinquam obtinere facultatem; fugiendum utrumque ut inutilem & venenoſum: candidum vero ad ſanationes maxime idoneum eſſe. Pictones ac Andegavenſes Hyoſcyamum adverſus pruriginem plurimum commendant, indeque Vernaculo ſermone l' Herbe aux tignes *vocant. Siccæ enim herbæ citinos carbonibus inſpergere ſolent, fumumque exhalantem manibus excipere, ac eo frigore contractas prurigines tolli aſſerunt. Vide cætera apud Johannem Bauhinum, Simonem Pauli pag.* 347, 348, & 349. *Satius, inquit, eſt omni Hyoſcyamo abſtinere quam cum periculo vitæ ægri cujuſvis obvii, legitimum, ſcilicet album, non eligere, &c.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI.

Pag. 169. collocat Caſparus Bauhinus Hyoſcyamum & Nicotianam inter Mandragoram, plantam bacciferam, pomiferamve (quæ jure a fine ultimo debet aſsociari Solanis) & Papaver quod eſt planta tetrapetala multicapſularis; ſed a fine ultimo, nec Hyoſcyamus, nec Nicotiana, alterutri horum conveniunt; ergo aptius & Hyoſcyamus & Nicotiana, quippe bicapſulares & monopetalæ plantæ, aſſociantur cum ſuis ſimilibus bicapſularibus monopetalis, Digitali ſcilicet, Verbaſco, Blattaria, Scrophularia, &c.

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS

Floribus rictu anterius, & calcari poſterius donatis.

CAPUT X.

LINARIA.

Cum Linaria quibuſdam Antirrhini ſpecies videatur, & an Antirrhinum Plinii ſit quidam dubitant, idcirco eandem Antirrhino immediate præponemus. *Quibuſdam Oſyris cenſetur, ex qua Galeni ſeculo, ut & nunc in Italia, ſcopæ conficiebantur.* Ὄσυρις *foliis eſt Lini initio nigris, dein rubeſcentibus, &c. Dioſcoridi l. 4. c. 143. & Plin. l. 27. c. 12. Oſyris foliis eſt nigris ſeu Lini, ſemine initio nigro, dein rubeſcente, &c. Linaria Latinis, quod foliis Lini ſit.*

Linaria eſt planta bicapſularis monopetala, cujus flores integri in fundo, rictu anterius, calcari poſterius donati ſunt: ſolo calcari poſterius prominente dum eſt in flore ab Antirrhino diſtinguitur, at poſt florem evanidum & hujus & illius facilius diſtinguuntur genera inter ſe; nam Linaria primo habet calcar in poſteriore floris parte, quo deſtituitur Antirrhinum. Secundo, Linaria habet capſulam ſeminalem duobus loculamentis diſtinctam, ſepto medio ſeparante hinc unam, illinc alteram ſeriem ſeminum, aut compreſſorum, foliaceorum, quæ ſunt aliàs nigra, aliàs fuſca; aut anguloſorum rugoſorumve, aut denique rotundorum: exſiccata capſula bifariam aperitur ſurſum verſus. At Antirrhinum; etiamſi florem gerat rictu donatum anterius, nullo calcari poſterius afficitur, ſed immediate calyci foliaceo, herbaceo, quinquepartito immergitur; deinde capſula ſeminalis Antirrhini, etiamſi bifariam dividatur ſepto medio, tribus tamen foraminibus ſurſum verſus lateraliter perforatur, atque ſeptum medium multo magis ſpiſſum habet, ſemina plurima nigra, aut fuſca rugoſa itidem ſibi adhærentia continens utrinque. Linaria ergo eſt vel ſemine foliaceo compreſſo, eoque aut nigro aut fuſco, vel anguloſo & rugoſo, vel rotundo: ratione durationis vel eſt perennis vel annua: ratione foliorum eſt vel latifolia, quæ eſt foliis inordinatim poſitis; vel tribus, caulibus adhærentibus; vel quatuor ad ſingula genicula poſitis: vel anguſtifolia, quæ ratione colorum florum eſt vel colore albo, violaceo, ſaturatius vel dilutius tincto: vel denique variegato, id eſt, variis coloribus picto: vel ferruginei aut obſoleti coloris: eſtque inſuper vel foliis glabris glaucis, vel hirſutis: deniq; eſt major vel minor.

TABULA

Linariæ ſemine foliaceo, compreſſo, nigro aut fuſco; anguloſo, rugoſo, ſubnigro, aut fuſco & rotundo.

TABULA XII. XIII. & pars XIV.

Linaria — *Semine*

- *Foliaceo compreſſo, nigro aut fuſco*
  - *Annua*
    1. *Dalmatica maxima foliis Lauri flore magno, nobis. Linaria latifolia Dalmatica magno flore, C.B.P. & Prod. Linaria maxima Dalmatica foliis Lauri, J. B. Chabr.* ☿
    2. *Latifolia triphyllos ſicula, Boccon.* ☿
    3. *Triphyllos cærulea, C. B. P. Linaria Apula, Col.* ☿
    4. *Tetraphylla tenuifolia, nobis. Linaria tetraphylla lutea minor, Col. Linaria quadrifolia lutea, C. B. P.* ☿
    5. *Lutea parva erecta, nobis. Linaria lutea parva annua, J. B. Chabr.* ☿
    6. *Anguſtifolia flore majore luteo, nobis.* ☿
    7. *Minima maritima viſcoſa foliis hirſutis floribus luteis, nobis.* ☿
    8. *Minor cærulea recta, Park.* ☿
    9. *Linaria pumila tetraphylla, Boccon.* ☿
  - *Perennis*
    10. *Vulgaris folio luteo majore, nobis. Linaria vulgaris, Eyſt. Linaria vulgaris lutea, Ger. J. B. Chabr.* ⊙
    - *Flore pallido rictu*
      11. *Purpureo, C. B. P. Linaria inodora flore albicante, Cam. Linaria flore albicante, Eyſt.* ⊙
      12. *Aureo, C. B. P. Linaria Pannonica 1. Cluſ. Hiſt. Tab.* ⊙
    13. *Oſyris ſeu Linaria alba, Lob. Park.* ⊙

Linariæ perennes ſemine anguloſo ſeu rugoſo, nigro aut fuſco.

- *Anguloſo, rugoſo, ſubnigro aut fuſco*
  - *Perennis*
    14. *Linaria tenuifolia cærulea, nobis. Linaria cærulea Dal^pii^. Lugd.* ⊙
    15. *Aſparagi, Corrudæ prioris dicti Cluſio, foliis, nobis. Linaria Molluginis facie, Boccon.* ⊙
    16. *Purpurea major odorata, nobis. Linaria purpurea major odorata, C. B. P. Linaria purpurocærulea elatior, Eyſt.* ⊙
    17. *Pumila ſupina lutea, nobis. Linaria pumila ſupina lutea, C. B. P. Linaria Hiſpanica 5. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    18. *Moravica procumbens cærulea, nobis. Oſyris purpurocærulea repens, Ad. & Icon. Lob. Linaria Moravica 2. Cluſ. Hiſt.* ⊙
    19. *Quadrifolia cærulea procumbens, nobis. Linaria 3. Stiriaca, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    20. *Bellidis folio, nobis. Linaria Bellidis folio C. B. P. & Prod. Linaria odorata, Dod.* ⊙
    21. *Sempervirens foliis longiſſimis, nobis. Linaria ſempervirens, Proſp. Alpin. de Exot.* ⊙
    2. *Cærulea calcaribus oblongis, nobis. Linaria cærulea calcaribus oblongis, J. B. Chabr.* ⊙

Linaria

Linaria { *Semine* {

Anguloſo, rugoſo, ſubnigro aut fuſco { *Annua* {

23. *Triphylla minor lutea Valentina, Dod. Lob. Linaria Hiſpanica* 1. *Cluſ. Hiſt.* ☿

24. *Chalepenſis minor erecta floribus albis lineis violaceis notatis, calyci ex quinis foliis uncialibus conſtructo inſidentibus, nobis.* ☿

25. *Minima foliis hirſutis floribus obſoleti fuſci coloris, nobis.* ☿

26. *Pinnata Helxines folio, nobis. Linaria pinnata Helxines folio, Park.* ☿

Rotundo { *Folio* {

Hirſuto {

27. *Subrotundo flore ex herbido flaveſcente, nobis. Elatine folio ſubrotundo, C.B.P. Veronica femina, Matth. Fuch. Dod.* ☿

Acuminato in baſi auriculato {

28. *Major, nobis. Elatine folio acuminato in baſi auriculato flore luteo, C.B.P. Elatine, Matth. Lugd.* ☿

29. *Minima flore luteo, nobis.* ☿

30. *Glabro Hederæ folio Clematitis, nobis. Cymbalaria, Matth. Cymbalaria Italica hederaceo folio, Ad. obſ. & Icon. Lob.* ☿

§. 1. *LINARIA ſemine foliaceo, compreſſo, nigro aut fuſco.*

Explicatio Tab. 12, 13, *& partis* 14.

1. *Linaria* maxima Dalmatica foliis Lauri flore magno, nobis. Linaria latifolia Dalmatica, magno flore, C.B.P. & Prod. Linaria maxima Dalmatica foliis Lauri, J.B. Chabr. Folia maxima hæc profert magnitudine fere foliorum Lauri domeſticæ, ad Linariæ tamen foliorum formam accedentia, uncias duas aut etiam tres longa, pediculis carentia, unciam fere lata, in ſummitate caulium ſemper breviora & anguſtiora, omnia tamen in acutum apicem deſinentia, nullo tamen ordine ſervato caulem ambiunt, qui eſt lignoſus quaſi, rotundus, firmus, cubitum ſuperans, in ramos brachiatus: in ſummo faſtigio flores habet Linariæ vulgaris floribus formâ ſimiles, ſed triplo ſaltem majores, ex luteo ruffeſcentes, aureoſve, magnitudine Antirrhini majoris; quibus emarcidis ſuccedunt capſulæ binis loculamentis diſtinctæ, ſepto membranaceo diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum compreſſorum, membranaceorum, nigrorum, tenuium adeo ut vento vel leviſſimo flante, imo aurâ ſeu halitu, avolare facile poſſint. Semen hujus Florentia à Caſabona miſſum ad Johannem Bauhinum nomine Linariæ maximæ Dalmaticæ Lauri foliis; item & ſub nomine Linariæ fruticantis Creticæ accepit idem. Floret æſtate atque interim eâdem finiente perficitur ſemen.

2. *Linaria* latifolia triphyllos Sicula, Boccon. Caules habet hæc rotundos, glabros, pedales, ſubinde majores, quandoque plures ex una radice exeuntes: folia terna, ſubrotunda, lævia, glauca, unciam lata, nonnihil longiora, ordinatim ex adverſo inter ſe abſque petiolis diſpoſita, bina tantum in ſummo caule, in cujus extremo ſpica florum eminet Linariæ vulgaris ritu; flores ſinguli anterius rictu flavo, & poſterius calcari ſeu cauda cærulea palleſcente donantur, ſequuntur capſulæ congenerum more, in quibus continetur ſemen compreſſum, ſubnigrum: radix ſubeſt fibroſa. Floret æſtate in montibus Hyblæis circa Syracuſas, & alibi illic paſſim reperitur. Bauhiniana Linaria triphylla latifolia, excepta notâ brachiatâ in caulis ſummitate cum noſtra omnino convenit.

3. *Linaria* triphyllos cærulea, C.B.P. Linaria triphyllos Apula, Col. Valentinæ Linariæ inferiori foliis accedere videtur hæc Linaria, Cerinolanis agris incultis paſſim obvia, quæ radice alba, tenui firmatur, ex qua plures teneri caules pedales fruticant (aliquando ſingulari caule invenitur) læves, albicantes, foliis per genicula ternis, rutaceis, paulo majoribus, latioribus, acutioribuſque, cinereo colore Rutæ aut Braſſicæ: circa ſummum vero caulis alter-

alternatim diſpoſitis; quibus Martio menſe flores primi coacervati, cærulei, minuti, extumeſcentia labia tantum ſuprà habentes, qui paulatim creſcente caule decidunt, & capſulas inter folia remanentes relinquunt rotundas Linariæ ſuperioris modo: in quibus foliaceum, compreſſum, latum, nigrum, atque reſpectu plantæ magnum conſpicitur ſemen, ſapore palatum calefaciente, nec dulci nec amaro excedente. Provenit, ubi ſupra dictum, in Cirinolanis agris incultis. Floret æſtate; ſemen eâdem perficit.

4. *Linaria* tetraphylla tenuifolia, nobis. Linaria tetraphylla lutea minor, Col. Linaria quadrifolia lutea, C. B. P. Reddenda eſt & huic familiæ plantula hæc verioris Linariæ ſeu Oſiridis congener, etiamſi ob foliorum quaternum numerum Cruciatæ ſimilior, antequam floreat & capſulas ſuas producat, videatur. Plantula eſt pedalis, exigua, exiguâque radice prædita, viticulis multis aſſurgens: ſed caulis eſt rectus, geniculis ſingulis quaterna folia promens, in imo minora, atque è medio ad ſummum non quaterna, ſed alternatim ſingula & breviora folia, Lini & Linariæ æmula, colore Braſſicæ, inferne canaliculata, cauli cruciatim rectà hærentia: flores in ſummo cauliculi faſtigio pauci, petiolis brevibus pendentes, calycibus quinquefoliatis, hirſutis inſidentes, effigie atque poſitu Linariæ vulgari ſimiles, verum multo minores, atque etiam luteſcentes: capſulæ craſſæ, rotundæ, ſex lineis diſtinctæ, apicello in ſummo emicante, atque in binis loculamentis, ſepto medio diviſis, ſemen foliaceum ſeu compreſſum, lunatum, nigreſcens, ut in congeneribus, latet. Sapor idem amarus ineſt, ut in aliis. Aprili menſe floret, & æſtate perficitur ſemen. Oritur in iiſdem locis, quibus Ionthlaſpi lunatum Columnæ, Valvenſium ſcilicet campis.

5. *Linaria* lutea parva annua erecta, J. B. Chabr. Sunt huic caules dodrantales ex radicibus parvis, albicantibus, plures, tenues: folia teneriora & anguſtiora multo, nunc recta, nunc retorta, ſpiſſioraque quam in cæteris, colore glauco, terna, quaterna aut quina, ex certis intervallis adhærentia: floſculi lutei in ramulorum faſtigiis, Linariæ forma, circumcirca crocei aut aurei, ſed quadruplo minores, odore nullo; quos excipiunt globuli rotundi, aliquando oblongi, bifariam ſepto medio ſecti, continentes in ſe ſemen parvum, orbiculatum, compreſſum, ſubfuſcum: radix tenuis eſt. Eſt planta ſemeſtris aut ſeptimeſtris. Huc pertinet Linaria Hiſpanica 4. Cluſ. Hiſt. niſi quod ſit flore cæruleo dilutiore ad cinereum tendente.

6. *Linaria* annua anguſtifolia flore majore luteo, nobis. Hujus folia ſunt quaſi Pſyllii foliorum æmula, longiora: caulem producit ſeſquipedalem, cujus cimis innaſcuntur flores lutei, multo majores quam pro tenuitate plantæ; ſemina compreſſa, nigra. Circa Burdegalam in ſatis arvis provenit.

7. *Linaria* maritima minima viſcoſa foliis hirſutis floribus luteis, nobis. Hæc Linariæ minimæ ſpecies folia edit hirſuta, viſcoſa, ſuperioris foliis multo dilutius virentia, pilis ſcatentia: caules ſemipedales, in quorum cimis flores fert minimos, luteos: quibus evaneſcentibus ſuccedunt capſulæ rotundæ, biſulcæ, aliarum Linariarum more, continentes ſemina nigra, compreſſa ſeu foliacea, non autem ut Linariæ 2[di]. aut 3[i]. §. anguloſa aut rugoſa. Provenit in arenoſis maritimis Armoricæ, ubi nos copioſe ipſam florentem, & ſemina nigra compreſſa ferentem, offendimus.

8. *Linaria* minor cærulea recta, Park. deſc. Linaria minor cærulea eidem, Icone. Plantula hæc tenues emittit caules, quibus tenuiſſima & longa adhærent folia exeuntia ex geniculis; hujus, inquam, folia parva, glauca, per terram ſtrata, longis pediculis innituntur conjugatim ſeu binatim ad ternarium aut quaternarium numerum, ex adverſo poſita, uno extremnm coſtæ mediæ claudente, mucronato etiam & parvo, cæteris conjugatim coſtæ adhærentibus haud abſimili: è medio horum exeunt cauliculi bini, terni, pedales, quorum geniculis adhærent folia longa, tenuiſſima: in ſummis caulibus flores cærulei aut violacei innaſcuntur, majores multo ſequentis Linariæ flore minimo luteo: floribus cadentibus ſuccedunt capſulæ minores, rotundæ, biſulcæ, minuta multa ſemina compreſſa, nigra, in ſingulis cellulis, ſepto medio diviſis, continentes. Seſe ſingulis annis ex ſemine deciduo renovat hæc planta.

9. *Linaria* pumila tetraphylla, Boccon. Pro plantæ tenuitate radix ſatis craſſa plurifariam in varias bifurcationes diviſa, non ſine fibris quibuſdam adnatis: cauliculi tres aut quatuor palmares, geniculati, per terram ſtrati, circa quos folia parva, ſubrotunda, quaterna, ex eodem geniculo orta, Cruciatæ Dodonæi magnitudine, decuſſatim ad genicula cernuntur: floſculos non obſervavit Paulus Boccone. Ad montes Hyblæos prope oppidum *Mililli* naſcitur.

§. 2. *LINARIÆ perennes ſemine foliaceo, compreſſo, nigro aut fuſco.*

10. *Linaria* vulgaris luteo flore majore, C. B. P. Linaria vulgaris, Eyſt. Linaria vulgaris lutea, Ger. J. B. Chabr. Priuſquam flores hæc Linaria vulgaris producat, adeo Tithymalum

cypariſſum aut potius Eſulam mentitur, ut niſi lac deeſſet, à Tithymalo difficile admodum eſſet diſcernere, tanta eſt harum duarum in foliis ſimilitudo: at flores in Thyrſum ſuperiorem congeſti Linariæ ritu primo intuitu ab errore illo prohibent; & qui hujus in poſteriore parte caudam ſive corniculum calcarve Conſolidæ regiæ inſtar, rictumque anteriore parte (qui & Antirrhino & Linariæ in genere communis eſt) obſervaverit, facile deſcernet à Tithymalo: floribus hujus evanidis ſuccedit theca bicapſularis, rotunda, ſepto medio diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum compreſſorum, nigrorum, aliarum præcedentium more: radix lignoſa, dura, alba, varias hinc inde fibras emittens; ac ſuo reptatu in hortis odioſa: ſapor hujus amaricat. Reperitur interdum flore albo, ut eſt Linaria ſequens alba, Eyſt. Hanc Linariam luteam vulgarem à vulgari Eſula diſcernit verſus ſequens,

Eſula lacteſcit, ſine lacte Linaria creſcit.

Floret per æſtatem, interea ſemen ſuum perficit. Provenit paſſim in Germania, Gallia, Anglia Belgioque, ſecus agrorum margines & aliis in locis ſponte.

11. *Linaria* flore pallido rictu purpureo, C. B. P. Linaria inodora flore albicante, Cam. Linaria flore albicante, Eyſt. Hæc proceritate alteram non excedit, foliis autem plane latioribus eſt & læte vireſcentibus; floribus albicantibus, rictu purpuraſcente decoris, & multo rarius diſpoſitis floribus vulgaris Linariæ, qui denſius & ſpicatim cimas ſummas caulium veſtiunt.

12. *Linaria* flore pallido rictu aureo, C. B. P. Linaria Pannonica 1. Cluſ. Hiſt. & Pan. Tab. Bicubitali excreſcit hæc magnitudine, rectum ferens caulem, lævem, viridem, multis foliis ſativo lino ſimilibus circumſeptum, qui ſuperiore parte in multos tenues breveſque ramulos diviſus eſt, ferentes raros flores Linariæ quidem vulgaris floribus reſpondentes, ſed minores & pallidiores, rictu nonnihil villoſo & aureo: ſemen in vaſculis biſulcis, ſepto medio Linariæ vulgaris inſtar diviſis, exile, nigrum, compreſſum: radix longiuſcula, candicans, multis tenuibus & majuſculis fibris in latera expanſis nixa. Perennis eſt planta, ſummo capite ſingulis annis novos caules profert, ſed ex lateralibus fibris non germinat ut vulgaris. Tota planta amariuſcula eſt. Creſcit in montium declivibus, ſecundum publicas vias, & in locis Gramine nudis ſupra Poſonium ad Danubium, *Gumpoſtkirchen*, *Leytenberg*, atque etiam in Moravia. Floret Junio ac Julio, interdum etiam Auguſto & ſubinde ſemen profert.

13. *Linaria* ſeu Oſyris alba, Lob. Park. Ex radice oritur hæc Linaria lignoſa, multis bifurcationibus inferius diviſa, multiſque fibris inde emanantibus; ex qua protruduntur multi caules lenti, multis foliis anguſtis, oblongis, inordinatim diſpoſitis onuſti, haud abſimiles foliis vulgaris luteæ: in caulium cimis proveniunt floſculi multi ſpicatim diſpoſiti, pallide albi, vulgaris forma, ſed magnitudine eos excedentes: ſemen in bicapſularibus thecis, ſepto medio disjunctis & ſeparatis, foliaceum, compreſſum, nigrum: radix eſt alba, longa, craſſa ſatis, multos annos durans.

§. 3. LINARIÆ *perennes ſemine anguloſo ſeu rugoſo.*

14. *Linaria* tenuifolia cærulea, nobis. Linaria cærulea, Dalpii. Lugd. Radicem habet hæc duram, lignoſam, albam: folia proxime radicem Linariæ modo inordinatim diſpoſita, ſed tenuiora, anguſtiora, brevioraque Linariæ majoris odoratæ, quina, ſena, ex uno geniculo ſimul prodeunt capillacea, tenuitate prædita: ramulis multis gracilibus, capillaceis itidem foliis, ſemiuncialibus, veſtitis: in ſummis ramis ad ſemipedalem altitudinem flores ſpicatim proveniunt minores, aliarum Linariarum forma, copioſi, ex cæruleo albicantes, in thyrſi modum congeſti; quos decidentes vaſcula ſubſequuntur inferne valde compreſſa, ſuperne craſſiora, bifida, ſepto medio diſtinguente duplicem ordinem ſeminum rugoſorum, ſubnigrorum. Gignitur in aridis ſquallentibus & apricis circa Monſpelium. Floret Maio deſinente, & paulo poſt ſemen matureſcit

15. *Linaria* Aſparagi Corudæ prioris dicti Cluſio foliis, nobis. Linaria Molluginis facie, Boccon. Caules huic noſtræ Linariæ ſunt cubitales, rotundi, ramoſi, ſubrubentes: folia anguſta, unciam longa, inferiora circum genicula ſtellatim radiata Molluginis inſtar, ſuperiora autem inordinate diſpoſita, illaque Kali modo carnoſa, ſulco canalato per longitudinem diſcurrente. Lutetiæ verſus finem Autumni hujus Linariæ folia frigoris inclementia criſpabantur: flores lutei & vulgaris Linariæ minores: floribus fatiſcentibus ſuccedunt capitula rotunda, in quibus ſemina latent in duplici cellula, ſepto medio diſterminante hinc inde eadem ſemina rotunda. Radix perennis, tenuis & fibroſa eſt huic Linariæ, quæ tota æſtate floret Panormi, & copioſe etiam alibi in Sicilia. An Linaria Cretica anguſtifolia Cluſii.

16. *Linaria* purpurea major odorata, C. B. P. Linaria purpurocærulea elatior, Eyſt. Linaria altera purpurea, Dod. Linaria purpurea magna, J. B. Chabr. Bicubitalem è longa, nigra,

nigra, contorta, ligneſcente radice caulem emittit, eumque ſubrubeſcentem, teretem, glabrum, firmum, in ramos prælongos diviſum, foliis longioribus, viridibus, lævibus, glaucis, Lini ſativi foliis ſimilibus circumſeptum: flores aliarum Linariarum more, ſed minores, longa ſerie, pedali, aliquando ſeſquipedali, per ſummos ramos naſcuntur, antrorſum hiantes, poſtica parte caudam ſeu calcar promentes, colore eleganter purpureos, minores multo quam ſunt Linariæ luteæ vulgaris flores, atque ſpeciem omnium Linariarum elegantiſſimam præbent diu florentes, atque viſum mirum in modum delectantes: producit in parvis vaſculis rotundis, bifidis, ſepto medio pellucido ſeminibus ad maturitatem perductis, duplicem ſeriem ſeminum non latorum & compreſſorum, lævium, nigrorum præcedentium Linariarum more, ſed rotundorum, fuſcorum, aut ſubnigrorum. Floret per menſes ternos æſtivales, atque interea ſemen perficit uſque in Autumnum. Naſcitur in Hungariæ, Auſtriæ & Moraviæ collium acclivibus pleriſque, aſpectu jucundiſſimo. Planta eſt perennis.

17. *Linaria* pumila ſupina lutea, C. B. P. Ratione caulium procumbentium huc jam pertinet. Linaria Hiſpanica 5. Cluſ. Hiſt. Oſyris flava ſilveſtris, Lob. Icon. Ger. Palmaribus exit virgulis, frequentibus, humi ſparſis, quas veſtiunt folia vulgaris foliis ſimilia: extremos ramos occupant multi flores, flavi, vulgaris floribus minores, veluti in ſpicam congeſti: quibus ſuccedunt capitula minora multo quam in vulgari, exiguo ſemine anguloſo & rugoſo plena: radix tenuis & candida, vulgaris modo repens. Salmanticenſi agro aridis locis provenit, ubi tota fere æſtate floret & ſemina producit, nigra matura, inæqualia & rugoſa.

18. *Linaria* cærulea procumbens, nobis. Oſyris purpurocærulea repens, Ad. & Icon. Lob. Linaria 4. Moravica 2. Cluſ. Hiſt. Tenuibus Lini inſtar, & humi diffuſis foliis eſt hæc Moravica Linaria, valde frequentibus, anguſtioribus, ſine ordine diſpoſitis, craſſiuſculis, coloris cæſii, in plures alas nonnunquam diviſis, quarum faſtigium occupant multi, ſpicæ ritu, confertim naſcentes floſculi minores, colore cæruleo utplurimum, nunc violaceo, interdum albo: quibus ſuccedunt capitula ſemine rugoſo, fuſco aut ſubnigro plena, hinc inde à latere ſepti medii, quo duplex ſeminum ordo diſtinguitur. Perennis eſt planta, florens æſtate in Moraviæ collibus, eodemque tempore ſemina perficiens.

19. *Linaria* quadrifolia cærulea procumbens, nobis. Linaria quadrifolia ſupina, C. B. P. Linaria 3. Stiriaca, Cluſ. Hiſt. Linaria Stiriaca repens, Eyſt. Linaria hæc cauliculis eſt palmaribus & humi fuſis, quos ambiunt folia Linariæ vulgaris quodammodo æmula, multo minora tamen, craſſa, ſucculenta, coloris ex herbaceo candicantis & veluti cæſii, non temere per ramulos ſparſa, ſed ſerie quadam terna, ſæpius quaterna, eoſdem amplectentia: flores forma Vulgaris ſunt ſimiles, ſed elegantiſſimo colore præditi, ex violaceo quodammodo purpuraſcentes, labro inferiore ubi hiat aut deducto rictu aperitur plane aureo, guſtus amari: floribus ſuccedunt vaſcula craſſiuſcula, quæ maturitate dehiſcentia duas cellulas oſtendunt, ſepto medio diſterminante eaſdem, ſemine parvo, compreſſo, nigro plenas hinc inde: radix tenuis, alba, multos ex uno capite ramulos profert, atque ſumma tellure procumbentes: ſubinde in extremum Autumnum floret: planta eſt perennis, florens in ſummis Alpibus, & ideo Geſnerus Linariam Alpinam nominat.

20. *Linaria* Bellidis folio, C. B. P. & Prod. Linaria odorata, Dod. Lug. Cluſ. Hiſt. Lob. Ger. Oſyris odorata purpurea, Tab. Singulari aſſurgit hæc caule, eoque nonnunquam cubitali, in aliquot tenues ramulos ſuperiore parte diviſo, quos oblonga folia Lini inſtar ſepiunt, quæ tamen juxta radicem humi ſparſa, cæterarum longe majora latioraque, Bellidis majoris foliis ſimilia ſunt, ſed per ambitum profundius ſerrata; pleraque etiam per caulem ſparſa, altius inciſa: flos exiguus, copioſus, cæruleus, ornatus rictu & cauda, tanquam cæteræ Linariæ, Lavendulæ pene floribus concolor, aliquantulum odoratus, extrema parte hamuli modo incurvus, cauda aut corniculo minore donatus, virgulas ſeu ramulos ſuperiores ſpicatim obſidet: iis ſuccedunt valvulæ, rotundæ, junctæ, Linariæ vulgaris ritu, capſulis ſcilicet biſulcis conſtantes, ſed multo minores, in duplici loculamento, ſepto medio membraneo diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum puſillorum, ſubnigrorum aut nigrorum aliquando: radice eſt ſingulari candicante, minimi interdum digiti craſſitudinem æquante. Sponte provenit montoſis Caſtellæ locis, lapidoſo & arido ſolo, ubi Aprili florentem, Maio Junioque ſemina perficientem obſervavit Cluſius. Nos paſſim & affatim in ſabuloſis agri Solonienſis locis neglectis, item inter ſegetes intra ſepta regiæ *Chambort* vidimus durantem poſt ſemina ad maturitatem perducta, atque ex eadem radice pullulantem ſequente Vere, quicquid in contrarium dixerit Car. Cluſius.

21. *Linaria* ſempervirens foliis longiſſimis, nobis. Linaria ſempervirens, Proſp. Alpin. de Exot. Ex ſeminibus nobis advectis natam hanc plantam perpetuo virentem, & per æſtatem

totam florentem accepimus, quæ Botanicæ cognitionis ſtudioſis elegantiſſima planta viſa eſt. Hæc exit caulibus multis, cubitalibus, ac amplioribus etiam, rectis, rotundis, colore in cæruleum nigricantibus, foliis utrinque alternatim longiſſimis, tenuibus, anguſtis, latitudine ad Linum accedentibus, veſtitis. A radice multis fibris craſſis ſcatente caules emittit; in quorum ſummis faſtigiis, ſpicæ modo, flores producuntur plurimi, parvi, cærulei, elegantes, cum rictu à fronte ſeu anterius, poſterius cum cauda aut calcari brevi, tenui, inflexo ut in Conſolida vulgari regali, cæteriſque Linariæ ſpeciebus: floribus hiſce ſingulis ſuccedunt capſulæ ſingulæ, biſulcæ, & ſepto medio pellucido diviſæ, continentes hinc inde ſemina rotunda, minutiſſima, nigra: radicibus nititur multis, longis, craſſis, albicantibus, ab uno principio radicis, apice ſcilicet, ut in Phalangii ramoſi & non ramoſi radicibus obſervare licet. Hanc ſtirpem plures ſibi perſuaſerunt eſſe legitimam Oſyridem antiquorum, de qua Dioſcorides ita habet. Oſyris frutex eſt niger, ramulos ferens tenues, lentos, fractuque contumaces, & in iis folia terna, quaterna, quina ſenave ſeu Lini, nigra initio, deinde colore mutato rubeſcentia. Decoctum ejus juvat arquatos; amara eſt, & apprime utilis ad tollendas è viſceribus obſtructiones, unde mirum non eſt ſi ejus decoctum ſanet icteros, & urinam efficaciter moveat, ex quo etiam Urinaria dicitur. Floret æſtate, atque ineunte Autumno ſemina matureſcunt.

22. *Linaria* cærulea calcaribus oblongis, J. B. Chabr. Radix tortuoſa, dura, alba, fibrata: caulis ſingularis, ſimplex, pedalis, glaber, teres, gracilis: folia alia adverſa, alia alternata, uncialia, anguſta, acuminata, lævia; flores per ſummum caulem eo ordine quo in Linaria vulgari creſcunt, eâdem forma, dimidio minores, calcari fere longiore, cærulei, quinque herbacei coloris anguſtis longiſque foliolis baſin ſuſtulcientibus: vaſcula minima ejuſdem formæ & ſtructuræ cum cæteris. Cherlerus gener Johannis Bauhini attulit ad eundem collectam in Italia in viis prope Viterbam.

§. 4. *LINARIÆ annuæ ſemine anguloſo ſeu rugoſo, ſubnigro aut fuſco.*

23. *Linaria* triphylla minor lutea, C. B. P. Valentina, Dod. Lob. Hiſpanica 1. Cluſ. Hiſt. Hæc Linariæ ſpecies multo eſt uberior & craſſior vulgari, ternos, quaternos caules ab unâ radice proferens, pedales, interdum ampliores; quos ambiunt Centaurii minoris folia, infima parte verſus terram plerumque terno ordine diſpoſita, ſuperna vero, temere nulloque ſervato ordine ſparſa, & alternatim cauli adhærentia; extremi caules luteorum florum veluti ſpica occupantur, Linariæ vulgari ſimilium, quibus tamen rictus lanuginoſus eſt: cauda ſive calcar purpuraſcentis eſt coloris: hos ſequuntur capitula rotunda, apice prominente in medio, qui eſt productio ſepti medii quo duplex ſeries ſeminum diſtinguitur: radix eſt ſingularis, craſſiuſcula, caules plures emittens. Circa Valentiam Hiſpaniæ, in pratis & locis umbroſis, Martio florentem obſervavit Cluſius.

24. *Linaria* annua Chalepenſis minor erecta flore albo lineis violaceis notato calyci ex quinis foliolis uncialibus conſtructo inſidente, nobis. Hæc Linaria parva annua aſcendit rectà ad pedalem altitudinem; in cujus caulibus viſuntur folia compreſſa, uncialia, raro per cauliculos ſparſa: ex horum finibus oriuntur floſculi albi, lineis parvis violaceis notati, & quod obſervatu dignum calyces ſuſtinentes prædictos flores habet ex quinis foliis compreſſis uncialibus conflatos, & longitudine multum capſulas ipſas ſuperantibus. Semen hujus communicatum habuimus à D. *Roberto Huntington* in territorio circa Chalepum collectum; quod eſt anguloſum & rugoſum, fuſcum aut ſubnigrum.

25. *Linaria* minima foliis hirſutis floribus obſoleti fuſci coloris, nobis. Hæc tenuis Linariæ ſpecies folia habet quodammodo Antirrhini cujuſdam æmula quoad compoſitionem & hirſutiem: floſculum habet minimum, ſubnigrum aut fuſcum, inſoleti coloris, ſed omnino Linariæ, quippe rictu anterius & calcari poſterius donatur; capſulam itidem binis loculamentis diſtinctam, Linariæ in modum, ſepto medio eadem diſtinguente. Male itaque ab authoribus pro Antirrhino minimo apponitur ut clarius in Hallucinationibus deducetur. In ſatis arvis & hortis ubique provenit.

26. *Linaria* pinnata Helxines folio, Park. Linaria hæc à foliis triangularibus Helxines Ciſſampelæ foliorum æmulis, primo intuitu cognoſcitur à cæteris omnibus antedictis; floribus enim, capſulis ſeminalibus & ſeminibus, reliquis Linariæ ſpeciebus eſt conformis, ſi ſit vera Linaria: nos ex ramo appoſito à Johanne Parkinſono male figurato, cum nec flores, nec capſulas ſeminales, nec ſemina in Icone adſculpſerit, ſed capſulas tantum imperfectas exhibet, longiſſimis pediculis pendentes, hoc mihi ſuſpicionem, auget Iconem eſſe vitiatam; obſervent poſteri, ſi ad manus pervenerit talis planta, ut pingendam & diligentius ſculpendam ab artificibus curent.

§. 5. LINARIA *folio ſubrotundo, ſemine rotundo.*

Ἐλατίνη folia habet Helxines, at minora & rotundiora, piloſa, &c. in ſegetibus Dioſcoridi l. 4. c. 40. Idem Plinius l. 27. c. 9. Elatines nomine.

Cymbalaria à Cymbalo nomine duxiſſe videtur: quibuſdam Umbilicus Veneris alter cenſetur: at Hermolaus Barbarus Capnon primum Plinii l. 25. c. 13. eſſe credidit.

27. *Linaria* hirſuto folio ſubrotundo flore ex herbido flaveſcente, nobis. Elatine folio ſubrotundo, C.B.P. Elatine Dioſcoridis, Ad.Lob. Verònica femina, Matth. Fuch. Dod. Cæſ. Ger. Cam. Lugd. Verbaſcum quorundam eidem, qui Matthioli & Fuchſii adhibet figuram. Hæc vera Linariæ ſpecies ex radice parva, alba, fibroſa, crebros per terram expandit cauliculos, vel nihil vel minimum humo ſe attollentes, tenues, villoſos, & ſubinde nonnihil rubentes; folia quam Veronicæ minus acuta, rotunda fere, mollia, lanuginoſa, ſapore amaricante; ex quorum uniuſcujuſque ala pedicellus rubeſcens, villoſus, ſemiuncialis & longior enatus florem ſuſtinet calyce quinq; foliolis hirſutis conſtante præditum, Linariæ omnino ſimilem, calcari brevi poſterius, etiam labelloq; ſeu rictu anterius ex herbido flaveſcente colore, ſuperiore adverſa lacinia, bifida, pulla; ſub qua latent apiculi partim nigri: unicuique flori emarcido ſuccedit capſula bivalvis, ſepto medio diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum fuſcorum, anguloſorum, Linariæ ſeminibus conformium: eſt planta ſemeſtris.

28. *Linaria* hirſuto folio acuminata in baſi auriculato, nobis. Linaria Hederulæ folio, Col. Elatine folio acuminato in baſi auriculato flore luteo, C. B. P. Elatine, Matth. Caſt. Lugd. Elatine recta, Lob. Elatine altera, Dod. Lob. Icon. Tab. Ger. Cum hæc & prior flore, capſula & ſemine, nihil à Linaria differunt, ſed ſolo foliorum aſpectu, huc revocavimus non abſque ratione. Hæc eſt tota magis ſeſſilis, nec humo attollitur, viticulos longiſſimos ſpargens, foliis Helxines ciſampellæ, ſagittæ mucronis alati forma, minoribus quam jam dictæ Elatines & magis acuminatis: flores conſimiles: capſulæ ſeminales biſulcæ Linariæ ritu, ſemenque anguloſum, aſperum, fuſcum, omnino Linariarum inſtar quæ continentur in paragrapho ſecundo. Floret Julio & Auguſto, & Octobri ſemina perficit. Creſcit in agris & inter vites in Gallia utraque hæc ſpecies Linariæ. In arvis demeſſa ſegete in Anglia, poſterior ſerius floret, reperitur folio acuminato, differens à prima foliis rotundioribus, ad baſin minus auriculatis, ac floribus qui ſubcærulei vel cærulei ſunt prope Monſpeſſulum in luco Gramnutio & hinc inde circa vias occurrit.

29. *Linaria* minima hirſuto folio acuminato in baſi auriculato flore luteo minimo, nobis. Hæc in omnibus priori accedit, excepta magnitudine, eſt enim duplo aut triplo præcedente in omnibus minor.

30. *Linaria* folio glabro ſubrotundo Hederæ folio Clematitis, nobis. Linaria Hederæ folio, Col. Cymbalaria, Matth. Lugd. Cæſ. Caſt. Cymbalaria vulgaris, Lacun. Cymbalaria Italica hederaceo folio, Ad. Obſ. Icon. Lob. Cymbalaria foliis hederaceis flore cæruleo, Eyſt. Cymbalaria floſculis purpuraſcentibus, J. B. Chabr. Umbilicus Veneris officin. Lonic. Ex parietinis rimis madefieri ſolitis pendulas fibras evibrat hæc, tenues, purpuraſcentes, teretes, læves, longas, nervo, quem facile ſtringendo linquit cortex farctas, in varias varie fibrillas faceſcentes, per quas folia eſt cernere longis appenſa pediculis, hederacea, anguloſa, ſuperne atrovirentia, inferius Cyclamini modo purpuraſcentia, tenera ſucculenta, obſcuro quodam amarore prædita: ad exortum porro pediculorum, quibus hærent folia, tortiles ſurgunt alii pediculi, quibus flores ſinguli inſident Linariæ minores, purpuraſcentes, rictu pallido anterius, calcari brevi admodum poſterius donati: floribus evanidis ſingulis ſingula ſuccedunt capitula bicapſularia duplici loculamento diſtincta; ſepto medio ſeparante ſemina parva, rotunda, anguloſa ſeu criſpa Linariæ inſtar fuſca, hinc inde à latere ſepti contenta & inde nutrita. Linariam hanc Venetos & Patavinos Pharmacopæos penuria partim, & partim ignorantia veræ Cotyledonis Populeo unguento miſcere teſtatur Mattiolus. Lobelius etiam flores ex luteo virentes falſo ei adſcribit in Adverſariis. Naſcitur, uti dictum ab initio, in antiquis uliginoſiſque ædificiorum parietibus, maceriis & ſaxis. Iiſdem pollere viribus quibus Linaria certum eſt, indicio petito ex fine ultimo. Floret per totam æſtatem, ac eodem tempore uſque ad Autumnum ſemina perficit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Linaria *vulgaris luteo flore majore, C. B. P. Linaria vulgaris, Eyſt. Aqua Linariæ cum drachmis duabus corticis Ebuli in pulverem redacti ſumpta urinam potenter cit, quare hydropicis id medicamentum exhibendum eſt. Herba ipſa vino decocta ac pota morbum regium diſcutit, item & jecur liberat ab obſtructionibus. Succus Linariæ maculas & vitia faciei emendat. Imo, inquit Lobelius, ingenti commodo hydropicis propinatur: quin & ſunt qui decoctum Linariæ contra icterum commendant, ut eo laborantes jejuni illius hauſtulum bibant: adeo ingenti commodo hydropicis propinatur, ut ſi quæ herba urinas pellit, Linaria ea eſt, unde* κατ' ἐξοχὴν *Urinaria dicitur. Extrinſecus imponitur abdomini in ſtranguria, ano in hæmorrhoidum dolore. Schrod.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 212. col. 1. pl. 1. Linaria Scoparia, C. B. P. Herba ſtudioſorum, Tab. Hæc planta non habet florem anterius rictu, poſterius calcari donatum, nec capſulam ſeminalem duobus loculamentis diſtinctam: ergo non eſt Linaria a ſimilitudine foliorum anguſtorum, & oblongorum Linariæ modo: folia non faciunt ad genus conſtituendum, ſed ad ſpecies determinandas, uti ſæpius dictum. Linaria ſcoparia eſt planta ſui generis, a modo florendi, capſulas ſeminales & ipſa ſemina producendi; nec præter folia aliquam affinitatem habet cum Linaria, ergo a Linariis eſt averruncanda & ad heteroclitas & ſui generis plantas amandanda; ſicuti nos præſtabimus ad finem hujus operis.*

Ibidem pl. 11. col. 2. Oſyris fruteſcens baccifera, C. B. P. Caſia poetica Monſpelienſium, Ad. Lob. Cam. Ep. Hæc eſt herba baccifera; ergo inter bacciferas reponenda, non a ſimilitudine foliorum Linariæ, inter Linarias, cum folia uti dictum nihil faciunt ad genus conſtituendum, ſed ſpecies determinandas, ſecundum doctrinam noſtram ex libro naturæ hauſtam.

Pag. 213. col. 1. pl. VI. *Linaria major folioſo capitulo luteo, C. B. P. Linaria aurea, Trag. Item pl.* VII. *Linaria minor folioſo capitulo, C. B. P. Linaria aurea minor, Tab. Hæ plantæ nil niſi folia gerunt Linariæ; nec florem, nec capſulam ſeminalem, multo minus ſemina Linariæ ferunt; ergo non ſunt Linariæ dicendæ; florem enim Virgæ aureæ inſtar ex plurimis ſtaminulis luteis conflatum habent, qui poſtea abit in pappos; ergo jure merito Virga aurea foliis Linariæ nobis appellabitur.*

Ibidem col. 2. pl. XV. *Linaria montana floſculis albicantibus, C. B. P. Anthyllis montana, Lugd. Linaria adulterina, Tab. Nihil poſſidet Linariæ, a fine ultimo, hæc planta; ergo inter heteroclitas plantas eſſet diſponenda, non a ſimilitudine foliorum inter Linarias. His poſitis, Linaria ſcoparia; Oſyris baccifera fruteſcens; Linaria aurea Tragi, & Linaria montana ſive Anonymos Cluſii, non fuiſſent ab authoribus Linariæ dicendæ, multo minus a Caſparo Bauhino inter Linarias recenſendæ.*

Ibidem, Linaria altera capillaceo folio, C. B. P. pl. XII. *Linaria tenuifolia, Lugd. Eſt planta pentapetala, ergo non eſt Linaria: videtur eſſe Sedi ſpecies, ſed propter imperfectam & mancam ipſius deſcriptionem a Dalechampio in Hiſtoria ſua Lugdunenſi allatam, cum ne quidem capſulas deſcribat, relinquimus judicio aliorum Botanicorum hæc quæ determinanda ſcribimus.*

DE MONOPETALIS BICAPSULARIBUS

Floribus rictu anterius, nullo calcari poſterius donatis, ſed calyci herbaceo quinquefoliato immerſis.

CAPUT XI.

ANTIRRHINUM.

L*Ychnidem agriam Plin. l. 25. c. 10. ipſum Antirrhinum ex Galeno (cui* λυχνὶς ἀγρία & βουκράνιον *) vocavit, quia flore ſit Leucoii (* à quo toto cœlo aberrat *) minore tamen ut Dioſcorides l. 4. c. 133. loquitur. Quare ante Lychnides & Caryophylleos flores Antirrhinum (cum & ipſum flore placeat) explicare voluimus, propter affinitatem ſuam cum Linaria in rictu anterius, & capſulam bivalvarem.*

Ἀντίῤῥινον ϗ Ἀνάῤῥινον *Dioſcoridi l. 4. c. 133. dictum, quod fructu ſit vituli narium ſimili. Theophraſto 9. Hiſt. 21.* Ἀντίῤῥιζον, *fructum tanquam nares vituli parit. Plinio loco citato Antirrhinum ſive Anarrhinon, ſive Lychnis agria. Sunt qui velint ab eodem l. 30. c. 2. Cynocephalium herbam dici, id eſt, canis caput, quod ſeminis conceptaculum canis calvam cute & carne*

exutam

exutam repræſentet. Veteres unius tantum meminiſſe videntur, at recentioribus plures ſunt differentiæ.

Antirrhinum eſt planta monopetala, bicapſularis, floribus rictu anterius, abſque calcari poſterius, pars enim ejus inferior immediate calyci herbaceo quinquepartito immergitur: capſula bifariam diſtinguitur in duas cellulas utrinque ſemina continentes, quæ tribus foraminibus ſurſum verſus & quaſi lateraliter perforantur, quorum duo terminantur in cellulam inferiorem, & tertium ſuperius in cellulam ſuperiorem: in ambabus cellulis continentur plurima ſemina, ſubruffa aut fuſca: Linariæ autem capſulæ bifariam ſurſum verſus aperiuntur continentes in ſe ſemina aut fuſca, aut nigra, compreſſa, foliacea; aut anguloſa, rugoſave aut rotunda: atque hiſce notis inter ſe quam facillime diſtinguuntur Linariæ & Antirrhina.

Pars TABULÆ XIV. Sectionis quintæ.

- *Antirrhinum*
  - *Hortenſe*
    - *Anguſtifolium majus flore*
      - 1. *Luteo, nobis. Antirrhinum flore luteo, C.B.P. Antirrhinum luteum, Tab. Ger.* ☿
      - 2. *Albo, nobis. Antirrhinum flore albo, Eyſt. & flore albo oris rubris eidem,* ☿
      - 3. *Rubro, nobis.* ☿
    - 4. *Latifolium majus flore rubro vel albo, nobis Antirrhinum flore rubro, Eyſt.* ☿
  - 5. *Arvenſe ſeu ſilveſtre minus, nobis. Antirrhinum ſilveſtre, Dod. Eyſt.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæquartæ Sectionis quintæ.

1, 2, 3, 4. A*Ntirrhinum* majus longiore folio, nobis. Antirrhinum magnum, Dod. Gal. Antirrhinum majus, Cam. Antirrhinum, Dod. Latin. Ad. Lob. (cui & caput canis & caput vituli) Tab. Antirrhinum purpureum & album, Ger. Os Leonis, Cæſ. Antirrhinum flore rubro & albo, Eyſt. Antirrhino caules ſunt rotundi, glabri, ramoſi & fragiles: folia multa, utplurimum longa & acuminata, Linariæ ſimilia, ſed majora, ſubinde breviora latioraque; flores ſecundum caules in ſuperiore parte inordinatim digeſti, formâ oblongi, integri in fundo, anteriore parte latiores, dum concluſi, ut naſcuntur, permanent, ranæ ori quodammodo ſimiles, & aperti hiantes Leonis rictum æmulantes, colore roſeo rubentes, aut candidi, vel ex candido dilute purpuraſcentes, non raro etiam ſublutei, ei videlicet cui folia latiora & breviora; quos deinde capitulum ſequitur oblongum ſemiunciale, ſuperiore parte anguſtius & tribus foraminibus narium vituli aut canini capitis ſimilitudine; in quibus continetur hinc inde ſurſum & deorſum verſus ſemen multiplex parvum, fuſcum aut ſubnigrum, rugoſum: aliquando è radicibus non magnis fibræ dependent. In hortis apud Italos, Belgas, Gallos & Germanos colitur & ſeritur. Florere incipit Maio, & reliqua deinde æſtate floret & ſemina perficit. Hyemem autem, niſi clemens fuerit, aut in cellis vinariis repoſitum, in Belgio abſque injuria non ſuſtinet. Dicitur & Leo herba, quem inter flores Columella l. 10. refert ſic ſcribens,

Narciſſi comas & hiantis ſæva leonis
Ora feri. *Item infra oſcitat & Leo.*

Cæterum Antirrhinum inutile in medicina, ut ait Galenus. Hoc creſcens invenit Camerarius in agro Monſpelienſi & Nemauſenſi & circa Salernum flore incarnato, luteo, candido. Antirrhinum pulcherrimum flore luteo grandi ſua ſponte naſcitur inter Savenam & Genevam. Flore habetur roſeo rubente, aliquando maculato, ex candido dilute purpuraſcente & candido, Eyſt. & flore albo oris rubentibus, ruberrimis oris luteis, Eyſt. in mœniis Florentiæ copioſe naſcitur. Reperitur in via frequenter in Gallia Narbonenſi, qua itur *Aigremont*, aliiſque in locis. Datur & folio rotundiore latiore & majore cæteris. Eſt & aliud Antirrhinum folio diſſecto Monſpelio delatum ad Johannem Bauhinum: facile eſt notu.

5. *Antirrhinum* arvenſe minus, nobis. Antirrhinum minus, Tab. Ger. Antirrhinum parvum ſive caput ſimiæ, Antirrhinum ſilveſtre, (ſive Phyteuma) Dod. Eyſt. Antirrhinum rubrum

rubrum vel album arvenſe, Thal. Oſyris dicitur frequenter ab Ægyptiis, quia ob ſimilitudinem capitis vitulini dicata ſit Oſyridi eorum Deo, ut bos. Hoc dicitur ſilveſtre, quod ſativo minus ac humilius eſt, & modice hirſutum. Cauliculi huic ſunt tenues, ramoſi: folia oblonga, anguſta: flores non ad ſummum caulis, ſed in finibus juxta foliola exeunt pediculis curtis vix viſibilibus innixi, Antirrhini majoris floribus ſimiles, ſed minores, colore rubro, purpureo, aliquando albo: capitula ſunt minora, ſimiliter breviora, tribus foraminibus in ſuperiore & anteriore laterali parte pertuſa, pellicula integens, viridis, quæ exſiccata & perdita canis calvariam refert: radices ſubſunt tenues, albæ. Naſcitur circa margines agrorum, & in ipſis agris: Julio & Auguſto floret, hyeme perit; æſtiva enim eſt herba. Dicitur Orontium Archigenis, Aurantium quoque, quod auriginem morbum levet. Rari uſus eſt in medicina, ac propter floris elegantiam in hortis colitur. Fabuloſa & ſuperſtitioſa quædam afferuntur de Antirrhino contra ſpectra, incantationes & veneficia.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI, Aliorumque Authorum.

Pag. 112. col. 2. pl. vi. Antirrhinum arvenſe minus, C.B.P. Antirrhinum minimum, Thal. Cam. J. B. Chab. Antirrhinum alterum minimum repens, Lob. Icon. Hæc parvula planta flores profert Linariæ cum cauda ſeu calcari in poſteriore parte, & capſulam bipartitam ſurſum verſus, non autem ſine calcari & tribus foraminibus pertuſam; ergo eſt Linariæ omnino perfecta ſpecies, igitur neutiquam Caſparo Bauhino cæteriſque authoribus dicendum fuiſſet Antirrhinum, ſed Linaria, quandoquidem poſſidet teſſeram ſeu ſymbolum requiſitum ad Linariam conſtituendum. Deinde male Lobelius repentem adhibuit, procumbentem dixiſſe voluit: ſed nec procumbit, multo minus repit aut ſerpit; ergo magis vitio vertendum Lobelio, cauliculos enim ſuos hirſutos, erectos habet, ergo non poteſt dici repens ſenſu Lobelii, nec procumbens ſenſu noſtro.

Pag. 111, 112, & 113. collocat Caſparus Bauhinus Antirrhinum & Linariam inter Caryophyllum & Linum, cum quibus nihil affinitatis habent, a fine ultimo; cum Antirrhinum & Linaria ſint monopetalæ, Caryophyllus autem & Linum pentapetalæ herbæ, de quibus infra dicendum loco proprio.

DE TETRAPETALIS QUADRICAPSULARIBUS.

CAPUT XII.

RUTA.

Πήγανον *Dioſcoridi l. 3. c. 52. Theophraſto 1. Hiſt. 10. ita dicitur quod caliditate ſua* πήγνυσι τὴν γονὴν *(ſemen coagmentet) ut Nicandri ſchol. tradit. Ruta Plinio l. 19. c. 8. ubi ſerendi modum recenſet. Ruta forte dicta à Græco* ῥύτη*: ſcribit enim Iolaus in rebus Peloponeſiacis* πήγανον *in Peloponenſo* ῥύτην *vocari.*

Genera: Dioſcoridi l. c. alia ſativa & hortenſis: alia montana & ſilveſtris: & hæc eidem duplex: ſic ait, Ruta montana & ſilveſtris, ſativâ & hortenſi acrior eſt, & in cibis damnata: eſt enim in hortenſi genere eſui aptior, quæ juxta ficus provenit: ſilveſtris ſativæ quodammodo ſimilis eſt, & cap. 33. vocant etiamnum ſilveſtrem Rutam, quod in Cappadocia & Galatia Aſiatica, Moly dicitur. Frutex foliis longioribus flore candido, &c. Sunt qui Rutam hanc Harmala vocent, Syri Beſoſa, Cappadoces Moly, &c. Theophraſto Ruta caudice uno conſtat & arboris quaſi naturam adipiſcitur: & 2. Hiſt. 1. ex palmite exit & avulſione. Et 7. Hiſt. 4. plura ſunt ejus genera: & 7. Hiſt. 6. ſilveſtris aſpectu vicina urbanæ eſt, præterquam foliis minoribus, &c. & 1. Hiſt. 16. Rutula folia carnoſa habet, ſed caro in latitudinem diſtenditur, non in rotunditatem craſſatur: Plinio l. 20. c. 13. Sativæ folia latiora, rami fruticoſiores: ſilveſtris horrida ad effectum eſt, & ad omnia acrior, &c. Addit Pythagoram in hac marem minoribus herbaceique coloris foliis à femina diſcreviſſe, eam lætioribus foliis & colore.

Ruta eſt planta tetrapetala, raro pentapetala, & tunc eſt quinquecapſularis (itidem hoc à luxuriante natura illi, ficut multis aliis generibus, contingit) utplurimum quadricapſularis: omnes capſulæ virides adhuc ſtricte junctæ ſunt, atque exſiccatæ ſingulæ apertæ, ſemina anguloſa effundunt nigra; cùm folia, flores & ſemina, tum caules contacta, gravem, viroſum, nauſeoſum & tetrum, ingratumque emittunt, & manibus communicant odorem: folia habet alata, binis, ternis conjugationibus affixa coſtæ mediæ, extremum claudente folio trifoliato: in aliis foliis eſt plurifariam diviſis.

Pars

Pars TABULÆ XIV. Sectionis quintæ.

Ruta
- Hortenſis
  - *1. Major latifolia, nobis. Ruta domeſtica, Trag. Ruta hortenſis, Fuch. Ruta major & hortenſis, Lob.* ⊙
  - *2. Minor tenuifolia, nobis. Ruta hortenſis altera, C.B.P. Ruta ſativa tenuifolia, Cord. in Hiſt.* ⊙
- Silveſtris
  - Tenuifolia
    - *3. Major, C.B.P. Ruta ſilveſtris majoribus foliis, Geſn. Hort. Ruta ſilveſtris graveolens, Dod.* ⊙
    - *4. Minor, C.B.P. Tab. J.B. Chabr. Ruta ſilveſtris tenuifolia, Cam. Ruta ſilveſtris minor, Dod. Ger.* ⊙
    - *5. Chalepenſis florum petalis villis ſcatentibus, nobis.* ⊙
    - *6. Syriaca ſilveſtris Harmala dicta flore magno albo, nobis. Ruta ſilveſtris flore magno albo, C. B. P. Ruta ſilveſtris Harmala, Matth. Cluſ. Hiſt.* ⊙

Explicatio partis Tab. decimæquartæ Sectionis quintæ.

1. RUta hortenſis major latifolia, nobis. Ruta domeſtica, Trag. Ruta hortenſis, Fuch. Dod. Gall. Lob. Cam. Ger. Park. Ruta major & hortenſis, Ad. Lob. Ruta hortenſis graveolens, Dod. Ruta latifolia, Tab. Ruta hortenſis vel ſativa, J. B. Chabr. Etiamſi jure inter ſubfrutices, aliquando frutices, reponi debeat Ruta ratione ſubſtantiæ lignoſæ, tamen propter analogiam & proximitatem cum in floribus, tum capſulis ſeminalibus ejuſdem cum prædictis, huc revocavimus, quemadmodum alias fruteſcentes plantas, propter conformitatem in fine ultimo, ad claſſes plantarum, quarum ferunt teſſeram, revocabimus paſſim in hac noſtra doctrina herbarum. Rutæ rami ſunt fruticantes, lignoſi, cubitos duos alti majoreſque, quos alæ dividunt frequentes; albicante veſtiuntur cortice caules, at ſurculoſi ramuli amplius virent: folia odore viroſo, perinde ingrato ſapore & amarore ſcatent, ſubcærulea, terna, ſæpe vel plura conjugatim coſtæ adhærentia, uno impari trifoliato extremum claudente, rotunda, lævia ac ſubpinguia, colore cæſia, ſive ex cæruleo virentia: floſculi in ſummis ramuſculis rotundis apparent pallidi, lutei, aut ex luteo herbacei, conſtantes quatuor aliquantulum concavis petalis cum ſtaminibus concoloribus: in quorum medio quadrangulare utplurimum (raro niſi à luxuriante natura quinquangulare) eminet capitulum, totidem loculos quot angulos conſtituens: ſemen in loculis quaternis ſimul junctis gignitur anguloſum, nigrum. Provenit in arenoſis circa Alexandriam, teſte Bellonio. Plurimam in Caſtella nova & circa *Madritium* & *Guadalaiara* collibus læto ſolo provenire prodit Cluſius, florere Julio & Auguſto, Septembri matureſcere, ſed & florere & ſemine prægnantem eſſe Octobri. Meminit Joſephus in Macheo, Rutam fuiſſe Regiam, admirabilis magnitudinis, quæ à nulla ficu vel magnitudine vel celſitudine vinceretur, eam ex Herodis temporibus perſeveraſſe. In Germania mos eſt Rutam Salviæ adjungere, cujus hanc adferunt rationem, bufones amare loca Salvia conſita, qui ut abigantur Salviam Ruta muniri opportere, quia omni pene veneno reſiſtit; ideo peculiaris fit pauperum Theriaca. Eſt enim tantarum virium ut eas deſcribere neminem poſſe arbitretur Tragus.

2. *Ruta* hortenſis minor tenuifolia, nobis. Ruta hortenſis altera, C. B. P. Ruta ſativa tenuifolia, Cord. in Hiſt. Ruta hortenſis minor, Trag. Ruta hortenſis nobilitate præſtans, Geſn. Hort. folia habet tenuius diſſecta prioris hortenſis, ſed majora quam ſequentis ſilveſtris, quamvis utraq; odore acerrimo ac viroſo prædita ſit: flores fert tetrapetalos, luteos, aut potius ex herbaceo luteos, minores: quibus ſuccedunt capitula quatuor loculamentis partita, multo majora capitulis minoris ſequentis, in quorum ſingulis continentur ſemina anguloſa, nigra. Hæc provenit in Monſpelienſibus agris cum ſequente minore. Reperitur & in Goritienſi agro. Prior vulgatior eſt & per omnia major & cæſii coloris: hæc vero minor, præſtantior & nigricantior.

3. *Ruta* ſilveſtris major, C. B. P. Ruta ſilveſtris, Matth. Dod. Gall. Ad. Lob. Lugd. Ruta ſilveſtris graveolens, Dod. Latin. Ruta ſilveſtris majoribus foliis, Geſn. Hort. Ruta montana, Ger. Hæc hortenſem omnibus partibus & colore cæſio refert, niſi quod ſingula foliorum ſegmenta anguſtiora ſint & longiora. Harum ſilveſtrium una major & procerior, altera vero minor & anguſtioribus foliis prædita, utraque odore gravior, ac ſapore acrior quam hortenſis.

4. *Ruta* ſilveſtris minor, C.B.P. Tab. J.B. Chabr. Ruta ſilveſtris tenuifolia, Cam. Ruta ſilveſtris minor, Dod. Ger. Hæc ſilveſtris altera minor caulem cubito altiorem emittit, cujus ſcapus in ſurculos crebros læveſque dividitur, confertis floribus herbaceis onuſtos, quos delapſos ſequuntur capitula tetragona, multo minora quam præcedentis: folia ſatis craſſa, tenuiſſime diſſecta. Idem fervor & virus quæ reperiuntur in ſilveſtri majore Ruta. Provenit prope *Caſtelneuf* inter ſaxa. Floret circa æſtatem, ſemina profert Septembri.

5. *Ruta* Chalepenſis tenuifolia florum petalis villis ſcatentibus, nobis. Hæc cum priore quarta in omnibus quadrat fere, niſi (quod notatu dignum,) petala quatuor florum eleganti ſpectaculo numeroſis villis ſeu pilis luteis ſcateant, qui diverſitatem à prædicta tenuifolia ſatis clare demonſtrant: capſulas ſeminales producit tetragonas, minores, capſulis Rutæ quartæ pares, atque in ſingulis loculamentis, quæ ſunt quaterna, minutiora ſemina, anguloſa, minora cæterarum omnium prædictarum Rutarum ſeminibus.

6. *Ruta* ſilveſtris flore magno albo, C.B.P. Ruta ſilveſtris Harmala, Matth. Cluſ. Hiſt. Lugd. Harmel Conſtantinopolitanum, Cæſ. Harmala, Dod. Tab. Harmala Syriaca, Ad. Lob. Exigua & pedalis eſt hæc plantula, multos ab una radice emittens cauliculos, pedales, plurimis ramis donatos, ex viridi nigricantibus: in quibus folia longa, denſa, pinguia & carnoſa, ſaturate virentia, multifida, Napelli tenuifolii (quem quidam Antithoram vocant) foliis non valde diſſimilia, guſtu lento, gummoſo, amaro, aliquantulum tamen mordaci: flores in ſummis ramis candidi, quinis petalis conſtantes, multis in medio ſtaminulis cum apicibus concoloribus præditi: capita capitulis Rutæ hortenſis majora, molliora tamen quam illa, & triangularia, ſemine referta inæquali, anguloſo, ruffo, aliquando nigreſcente: radix dura eſt, minimi interdum digiti craſſitudinem æquans, fibras colore ex luteo palleſcente emittens. Tota autem planta graveolentis atque ingrati eſt odoris. Provenit in arenoſis circa Alexandriam teſte Bellonio. Plurimam in Caſtella nova & circa Madritium & *Gaudalaiara* collibus & læto ſolo provenire prodit Cluſius, florere Junio & Auguſto, ſeptembri matureſcere; ſed & florere & ſemine prægnantem eſſe Octobri.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Eſt Ruta hortenſis, teſte Galeno 8. *Simpl.* 49. *ex calefacientium & ſiccantium ordine tertio, & tenuium inſuper partium, ad ventris tormina & colicas paſſiones efficaciſſima; tam ſi decoctum illius quam oleum clyſteribus immiſceas; vel denique ſi epithema ex iis pares. Utraque Ruta & hortenſis & ſilveſtris urendi vim habet, calefacit, exulcerat, urinam cit, menſes ducit; at cum cibo, tum etiam potu, alvum ſiſtit: ſemen in acetabuli menſura vino bibitum contra lethalia medicamenta eſt pro antidoto: quin & folia per ſe ſumpta aut cum nucibus juglandibus aridiſve ficis, venena irrita & inefficacia reddunt, ſimili modo ſumpta contra ſerpentium ictus valent. Hæc grata & expetita contra venena poſt Mithridatis memoriam ſemper veteribus fuit. Homines uſque adeo veterum experimentis confiſi unice eam hoc ipſo die contra peſtem & alia venena commendant, Mithridati auro chariorem fuiſſe vel ex Quinti Sereni Sammonici de Medicina verſibus conſtat, cujus hi ſunt,*

Antidotus vero multis Mithridatica fertur
Conſociata modis; ſed magnus ſcrinia Regis
Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
Syntheſin, & vulgata ſatis medicamina riſit.
Bis denum Rutæ folium, ſalis & breve granum,
Juglandeſque duas, totidem cum corpore ficus:
Hoc oriente die parco conſperſa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.

Qui Ruta veſci nolunt, iis conſulendum, ut quotidie vel balſamo Rutæ, vel illius aceto, in publicum prodituri nares & alia corporis emunctoria inungere non averſentur. Genituram ſeu eſitata ſeu bibita Ruta extinguit: decocta vero cum anetho ſicco tormina alvi potu ſedat. Facit & ad pectoris laterumque dolores, ſpirandi difficultatem, tuſſes, pulmonum inflammationes, coxendicum, articulorum dolorumque cruciatus & rigores, febrium circuitus repetentes pota, velut ante dictum. Idem ad inflationes coli, vulvæ, rectique inteſtini cum oleo decocta & infra vulvæ etiam ſtrangulatui medetur, ſi trita cum melle genitali ſede tenus imponatur. Fervefacta ex oleo & pota lumbricos expellit: ſed & articulariis doloribus ex melle & aquæ ſubter

cutem fuſæ morbo cum ficubus adhibetur. His iiſdem in potu auxiliatur, itemque decocta in vino ad dimidias partes & affricta: cruda quoque & condita in cibo aciem oculorum excitat, quin & oculorum dolores impoſita cum polenta lenit. Caput dolentibus cum roſacea & aceto ſuccurrit, ac profluentem è naribus ſanguinem ſiſtit trita & indita. Teſtium inflammationibus cum laurinis foliis impoſita, & papularum eruptionibus cum Myrto & cerato prodeſt. Cum vino autem aut pipere ac nitro affricta vitiligini albæ medetur, & cum iiſdem illita thymos ac myrmecias tollit. Contra impetigines cum melle & alumine utiliter imponitur. Opitulatur & aciei oculorum hebetiori, ſi additis fœniculi ſucco ac melle oculi ipſi eo inungantur. Eriſypelata, herpetes & ulcera in capite manantia cum aceto, ceruſſa, & roſaceo, inunctione ſanat. Ipſa vero Ruta Alliorum Ceparumque gravem halitum emendat, ſi poſt eſum priorum commanducetur. At montana ſi copioſe eſtur interficit. Atque ſi ſub id tempus quo florere incipit ad muriæ conditurum colligatur, cutem rubifacit, ac inflat cum pruritu ac vehementi inflammatione, eam itaque unctis antea manibus & facie colligere oportet. Tradunt & ſuccum galinaceis pullis inſperſum feles arcere. Illius ſemen epotum contra interaneorum vitia eſt efficax: ideoque antidotis utiliter immiſcetur: contra incontinentiam urinæ toſtam ſeptenis diebus potui dato, & ceſſabit. Ruta itidem in ſubtilem pulverem redacta & drachmæ pondere ex vino hauſta fugat dolorem capitis à cauſa frigida ortum. Rutæ recentis in mortario lapideo contritæ ſuccus unciarum quatuor, in eoque drachmæ ſemis aſſæ fœtidæ diſſoluta, calide bibita, ſalutaris eſt medicina morbo caduco; ſanat etiam clavum, & diutinum capitis dolorem. Ruta tandem quocunque modo uſurpata, interne ſive externe, oculos (uti dictum) reddit acutos & claros, lacrymaſque ſiccat, idem hoc monet ſchola Salernitana,

Nobilis eſt Ruta, quia lumina reddit acuta:
Auxilio Rutæ, vir lippe videbis acutè.
Item Fœniculum, Verbena, Roſæ, Chelidonia, Ruta,
Ex his confice aquam, quæ lumina reddit acuta.
Venenis reſiſtit ut indidem. Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta.

Ex Ruta ſilveſtri conſerva, oleum & acetum fiunt. Compoſitionem diverſimode ex Ruta factam vide apud Johannem Bauhinum pag. 198, 199. Conſule Tabernæmontanum Teutonice editum: de Rutæ facultatibus uterque prolixe ſatis agit.

Rutæ *Syriacæ Harmal dictæ ſemen datur ad purgandam bilem atram magno auxilio, ſi Matthiolo credimus; paraturque potandum hoc modo. Conjiciuntur in mortarium marmoreum grana aliquot prius clariſſima aqua abluta, & deinde ligneo piſtillo teruntur, affundunturq aquæ unc. 4. eademq; piſtillo aliquantiſper miſcentur, demum linteolo percolatur cremor, cui adduntur mellis optimi unc. 3. & olei Seſamini aut Amygdalini unc. 2. & id omne propinatur melancholicis, facit enim copioſas vomitiones, nec eſt hoc medicamento aliud valentius contra comitiales. Scribunt Arabes hujus Rutæ ſemine inebriari homines adeo ut ſubinde diutius dormiant: maxime confert in eo melancholiæ genere quod ii* Heros *appellant. Recipitur etiam hæc Ruta Syriaca, nec eſt levis momenti in pilularum dictarum fœtidarum compoſitione.*

DE PENTAPETALIS QUINQUECAPSULARIBUS

CAPUT XIII.

GERANIUM.

Γεράνιον *Dioſcoridi l. 3. c. 131. à gruini capitis imagine in ſummo ejus cacumine viſenda, nomen habet: at recentiores à ciconiæ roſtri effigie, roſtrum ciconiæ nominant. Geranium & aliquibus Myrrhis, aliis Myrrhida, (rectius Myrrhida) Plinio l. 26. c. 2.*

Genera duo Dioſcoridi: alterum foliis Anemones, alterum foliis Malvæ. Plinio tria ſunt: primum ſimile Cicutæ, foliis minoribus, ſaporis & odoris jucundi: ſubjungit & Græcorum ſententia, alterum foliis Malvæ, & tertium Anemones.

Geranium pro nota generica hanc obtinuit à natura ipſi datam, ut florem gereret quinis petalis conſtantem, atque ſingulis floribus deciduis ſuccedentes quinque capſulas ſingulares mem-

banaceas, in quarum ſingulis ſingula continentur ſemina: hæ quinque capſulæ ſeminibus onuſtæ, virides adhuc arctè circa roſtri baſin adhærent, & longis fibris in acutiſſimum mucronem terminantibus & cingentibus ſtilum in medio nutritivum deſinunt, referuntque infrà caput gruis cum roſtro longo acuto; atque his notis diſtinguitur Geranium à cæteris omnibus, ſed præcipue à Malva & Alcea, cum quibus aliqualem habet ſimilitudinem quatenus ſemina Malvæ, & Alceæ circulariter amplectuntur ſtilum nutritivum in medio, à quo nutrimentum & incrementum hauriunt ipſa.

TABULA XV.

GERANIA ANNUA.

- Geranium
  - Annuum
    - 1. *Minus batrachiodes Bohemicum purpuroviolaceum, nobis.* ☿
    - *Columbinum ſeu malvaceum*
      - *Majus foliis imis*
        - 2. *Rotundis, nobis. Geranium folio Malvæ rotundo, C. B. P. Pes Columbinus Dod.* ☿
        - 3. *Longis uſque ad pediculum diviſis, nobis.* ☿
      - *Minus* — *Folio*
        - 4. *Rotundo profunde ſinuato & crenato, nobis. Geranium columbinum dictum folio rotundo multum ſerrato, J. B. Chabr.* ☿
        - 5. *Tenuius laciniato flore longiſſimo pediculo inſiſtente, nobis.* ☿
    - 6. *Rotundifolium montanum ſaxatile lucidum, nobis. Geranium ſaxatile, Cam. Eyſt. Park. Geranium lucidum, J. B. Chabr.* ☿
    - 7 *Althææ folio, nobis. Geranium Altheoides majus, Park. Geranium Altheoides, Cam.* ☿
    - 8. *Minimum procumbens Betonicæ foliis, nobis.* ☿
    - *Myrrhinum ſeu Cicutæ folio*
      - 9. *Inodorum, nobis. Geranium Cicutæ folio inodorum, C.B.P. Geranium ſpurium, Dod. colore* { *Cinereo.* ☿ / *Braſilico.* ☿ }
      - 10. *Odoratum ſeu Moſchatum, nobis. Geranium Moſchatum, Eyſt. Cam. Ger. Park.* ☿
    - 11. *Robertianum flore dilute rubello, nobis. Geranium Robertianum primum, C. B. P. Geranium Robertianum, Ad. & Icon. Lob. Dod. Cam. Ger. Robertianum vulgare, Park. Rupertiana vulgo, Cæſ.* ☿
    - 12. *Latifolium cæruleo flore acu longiſſima, nobis. Geranium Creticum, Cam. Tab. Ger. Geranium Creticum ſpecioſum longiſſimis roſtris, J. B. Chabr.* ☿
    - 13. *Apulum Coriandri folio odorum, nobis. Geranium Coriandri folio odorum, C.B.P. Geranium Apulum Coriandri folio alterum odorum, Col.* ☿

GERANIA PERENNIA.

- Geranium (continued)
  - *Perenne*
    - *Batrachiodes*
      - 14. *Folio Aconiti, nobis. Geranium 2. vel Batrachiodes alterum, Cluſ. Hiſt. & Pan. Geranium Batrachiodes cæruleum, Tab.* ☉
      - 15. *Odoratum, nobis. Geranium batrachiodes alterum, Dod. Geranium Batrachiodes longius radicatum, Lob. Lugd. Geranium macrorhizon, Cam. Eyſt.* ☉
      - 16. *Sive magnum cæruleun, Ad. Lob. Geranium Batrachiodes majus 3. Cluſ. Hiſt.* ☉
    - 17. *Sanguineum ſeu maximo flore rubro, nobis. Geranium ſanguineum, Eyſt. Geranium hæmatodes, Dod. Gall. Lugd. Cluſ. Pan. Geranium hæmatodes ſupinum radice reptrice, Lob. Icon.* ☉

Phæum

Geranium — Perenne —

Phæum ſeu fuſcum —

18. *Petalis reflexis, nobis. Geranium montanum fuſcum, Eyſt. Lob. Lugd. Geranium fuſcum & montanum, Dod. Geranium Phæum flore reflexo, J. B. Chabr.* ⊙

19. *Petalis rectis & planis, nobis. Geranium pullo flore, Cluſ. Hiſt. Ger. Park. Geranium Phæum ſive pullo flore Cluſii, J. B. Chabr.* ⊙

20. *Radice Aſphodeli, nobis. Geranium radice grumoſa, C. B. P. Geranium tuberoſum 6. Plateau, Cluſ. Hiſt. & 4. bulboſum Pennæi eidem. Geranium magnum folio trifido flore purpuraſcente, J. B. Chabr.* ⊙

21. *Tuberoſum majus, nobis. Geranium tuberoſum, Dod.* ⊙

22. *Nodoſum, nobis. Geranium nodoſum, C. B. P. Ger. Park. Geranium 5. nodoſum Plateau, Cluſ. Hiſt.* ⊙

23. *Argenteum Alpinum longius radicatum, Pon. Ital. Park. Geranium Alpinum argenteum, Ger.* ⊙

24. *Romanum verſicolore ſive ſtriato flore, nobis. Geranium Romanum verſicolor ſive ſtriatum, Park. Parad.* ⊙

25. *Moſcoviticum purpureum, nobis. Geranium Moſcoviticum purpureum, Park.* ⊙

26. *Triſte, Cornut. Geranium triſte ſeu Indicum noctu olens, Park.* ⊙

27. *Fœtidum ſeu foliis incanis tenuiſſime diviſis flore rubicundo, nobis. Geranium fœtidum, Park.* ⊙

§. I. GERANIA ANNUA.

Explicatio Tab. decimæquintæ.

1. G*Eranium* annuum minus batrachiodes Bohemicum purpuroviolaceum, nobis. Hujus folia omnino Ranunculi Batrachiodis foliorum ſunt æmula: flores fert ſatis magnos, pentapetalos purpurocæruleos, quibus deciduis ſuccedunt ſemina pariter quina, nigra, roſtro adhærentia, gruinum caput & roſtrum referentia. Hoc ſolum inter Gerania batrachiodea annuum eſt, & ideo inter cætera notu facilius, & propter durationem annuam huc inſeruimus. Referat quicunque voluerit ad Gerania batrachiodea perennia. Floret ineunte æſtate, atque cito poſt ſemina perficit.

2. *Geranium* folio Malvæ rotundo majus, nobis. Geranium folio Malvæ rotundo, C. B. P. Geranium columbinum, Tab. Ger. Pes columbinus, Dod. Ad. Lob. (cui & Geranium alterum Dioſcoridis) Cæſ. Huic folia ſunt rotundiuſcula, exiguæ ac minoris Malvæ foliorum æmula, minora, interim candidiora, minus glabra, ambituque ſerrata: cauliculi dodrantales, ſubinde altiores, tenues, nonnihil piloſi, humi procumbentes, ſimilibus foliolis conveſtiuntur; quarum alarum faſtigiis floſculi inſident parvi, pentapetali, ſubpurpurei ſeu rubelli, aliquando albi; quibus ſingulis decidentibus ſubveniunt capſulæ (in quarum ſingulis continentur ſemina ſingula) verſus baſin, quinque fibroſis filamentis exinde ortis, in acutiſſimum aculeum deſinentibus, præditæ; quæ gruini capitis infrà, & gruis roſtrum ſuprà referunt, unde nomen commune huic generi adaptatum, & rite ſatis: radix tenuis & fibroſa, ſingulis annis periens. Naſcitur ſecus vias, locis in neglectis & incultis, paſſim & ubique terrarum. Floret plurima æſtatis parte, quo tempore ſemen perficit: ex quo deciduo ſeſe propagat ſingulis annis. Duplex eſt, majus & minus, majori caules majores, & folia majora & paulo molliora; minori omnia minora & folia aſperiora. Sic folia modo in profundiores, modo breviores & latas lacinias diviſa ſunt: floris magnitudine etiam differunt: flore triplo majore & cærulei elegantioris coloris ex horto dei prope Monſpelium habetur.

3. *Geranium* columbinum majus foliis imis longis uſque ad pediculum diviſis, nobis. Hoc folia ima non rotunda ſinuata, ut ſecundum, ſed uncialia & ſeſquiuncialia habet, inciſa & diviſa uſque ad pediculum, Heptaphylli aut Cannabis foliorum more, colore ſaturatius viridia: ſecundo flores, pediculos conſimiles, niſi quod flores & capſulas ſeminales ipſaque ſemina quarti floribus & ſeminibus habet majora. Tertia hæc ſpecies & quinta in agris & pratis Oxonium circumjacentibus à *Jacobo Bobert* juniore detectæ fuere inter cæteras Geraniorum

malvaceorum ſeu columbinorum minorum ſpecies antea detectas. Florent eodem tempore, æſtate ſcilicet, cum cæteris ſuæ ſortis Geraniis.

4. *Geranium* columbinum annuum minus tenuius laciniatum, C. B. P. & Prod. Geranium columbinum dictum folio rotundo multum ſerrato, J. B. Chabr. Radicem habet oblongam, tenuem, fibroſam, ruffeſcentem, ex quâ cauliculi plures, palmares, rotundi, hirſutie nonnihil aſperi & reclinati prodeunt: folia quæ vix unguem ſuperant rotunda ſunt, in lacinias quatuor primum, & deinde in alias diviſa, & longis pediculis prædita; ad cauliculorum latera floſculi communiter bini, ſinguli ſingulis pedicellis inſident, parvi, cærulei, quibus capitula parva, roſtrata; ad quorum baſin ſunt capſulæ quinque parvæ, totidem ſemina ſingularia in ſingulis continentes, & ubi ſemen maturuerit, capſulæ continentes ſemina ad roſtri apicem reflectuntur, adhærentes filamentis fibroſis incurvatis. Hoc familiare eſt omnibus fere ſeminibus Geraniorum capſulis ſuis ſingularibus involutis. Monſpeſſuli, & paſſim in arvis ſabuloſis ſilviſque reperitur vulgariter hoc, permiſtum cum priore majore: eodem tempore floret & ſemina ſua perficit cum priore majore.

5. *Geranium* columbinum annuum minus folio tenuius laciniato flore pediculo longiſſimo inſiſtente, nobis. Hoc minus à ſuperiore in paucis differt, niſi quod flores, & conſequenter capſulas ſeminales ad baſin longiſſimis pediculis, palmaribus & longioribus aliquando inſidentes gerat: folia tenuius ſunt laciniata, nec mollia aut incana, ſed virentia.

6. *Geranium* annuum rotundifolium montanum ſaxatile lucidum, nobis. Geranium lucidum ſaxatile, C. B. P. Geranium ſaxatile, Cam. Eyſt. Park. Geranium lucidum alterum montanum ſaxatile rotundifolium, Col. Geranium ὑγροσκόπελον, Thal. Geranium lucidum, J. B. Chabr. Hoc folia habet rotunda, ſinuata, Geranii columbini formâ, ſed in aliquot profundas lacinias diviſa, ex virore pulchre lucentia, nonnihil hirſuta, pediculis hærentia, uncialibus aut biuncialibus aliquando: caules multi ſunt lucidi, rubentes, in varios ramos diviſi, interdum cubitales: flores Geranii Robertiani florum colore æmuli, quinis petalis brevibus ſubrotundis donati; quibus ſuccedunt roſtra brevia admodum, aliorum more, quinis capſulis ad baſin donata cum ſeminibus quinis itidem, ſingulis ſingulis capſulis appropriatis, & ibidem contentis. Genevæ copioſe reperitur, ad lacum extra portam *de Riue*: in muris item inter Lugdunum & Genevam *à Chatillon*: item paſſim in ſubgrundiis Oxonienſibus. Floret per totam æſtatem, ſeſe ſemine renovans ſub Autumnum.

7. *Geranium* Althææ folio, C. B. P. Geranium malacoides, Ad. Lob. Ger. Geranium Althæoides, Cam. Geranium malvaceum, J. B. Chabr. Geranium Althæoides majus, Park. Hujus folia ſunt malvaceorum foliis magnitudine ſimilia, colore & mollitie proxima, ſed magis incana, nonnihil oblonga, in ambitu & ſinuata & ſerrata, pediculis tres duaſve uncias longis appenſa, interdum fere dodrantalibus: caules ex eadem radice ſolo lætiore & fimetis multi, & hirſuti, mediocriter craſſi, dodrantem aut cubitum alti: è foliorum ſinu alter pediculus exit duas treſve uncias longus, multifidus, cui flores inſident multi, purpurei, quinque petalis conſtantes: quibus decidentibus roſtra oriuntur uncialia aut ſeſquiuncialia, ad quorum ſingulorum baſin quinæ cernuntur capſulæ peculiares, ſingulæ ſingula continentes ſemina. Hæc planta vix trientalis, aliquando foliis ovatis, crenatis, & Betonicæ fere ſimilibus, quæ in ſterilibus agri Narbonenſis fuit lecta. Monſpelii in agris abundat, item prope Florentiam in montibus ad *Argue*. Floret menſe Martio & Maio; Septembri perficitur ſemen, ex quo deciduo ſeſe propagat.

8. *Geranium* minimum procumbens foliis Betonicæ, nobis. Hæc parvula Geranii ſpecies folia denſe per terram ſtrata gerit, Betonicæ valde æmula quoad formam, ſed quintuplo minora, hirſuta, longiuſculis pediculis ſingulis ſingula innitentia, in ambitu inæqualiter ſinuoſa & crenata; ex cauliculorum medio exeunt pediculi unciales ſinguli binos ternoſve floſculos purpurorubentes gerentes, quinis parvis & exilibus admodum petalis conſtantes; in quorum medio apparet ſtilus ſtaminulis cinctus: quibus ſingulis ſuccedunt roſtra vix ſemiuncialia, ad baſin gerentia quina minuta ſemina capſulis admodum exiguis ſuis incluſa. Planta eſt trimeſtris. Provenit in ſaxoſis & lapidoſis locis *Chaddar* dictis, in agro Somerſetenſi.

9. *Geranium* annuum Cicutæ folio inodorum, C. B. P. Geranium cinerei & Braſilici coloris, nobis. Geranium ſupinum, Dod. Myrrhida Plinii, Roſtrum ciconiæ, Ad. Lob. Geranium Myrrhinum, Roſtrum ciconiæ, Tab. Hoc ſupinos plurimos caules profert, eoſque plures & ſatis craſſos, nodoſos, teretes, & pilis hirtos, per terram ſupinos: folia e geniculis utrinq; exeunt palmum plus minus longa, ex pluribus foliolis ad coſtam rubeſcentem hirſutamque annexis compoſita, quorum ſingularia ad Chamædryos folia accedunt, diviſura profundiore, ſapore inſuavi & aſtringente;

gente; ex foliorum alis pediculi ſingulares oriuntur, trientales, aliquando quadrantales, tenues, rigidi, villoſi, rubentes, qui in pedicellos minores quatuor, quinque, aut ſex fiſſi, floſculos pentapetalos, ſubcæruleos in umbella geſtant: quibus eſt roſtrum breve, quinis capſulis ad baſin ſeminibus ſuis onuſtis ornatum: radix ſimplex, craſſiuſcula fibrata, alba, ſapore eodem cum foliis.

10. *Geranium* moſchatum, Eyſt. Cam. Ger. Park. Huic affinis eſt hæc ſpecies inventu rarior, tota major, colore dilutius virente, odore grato moſchi: foliis non ita alte inciſis & nonnunquam tantum ſerratis. Circa Borboniam copioſe ſatis creſcentem invenimus nos. Creſcit etiam circa Monſpelium & Genevæ *au plain palais*. Virens reperitur Februario & Martio. Baſiliæ Octobri in itinere Mutenſi reperit Johannes Bauhinus. Dicitur moſchatum arvenſe ab odore moſchi.

11. *Geranium* Robertianum flore dilute rubello, nobis. Geranium Robertianum primum, C. B. P. Geranium Robertianum, Ad. & Icon Lob. Dod. Cam. Ger. Geranium Robertianum murale, J. B. Chabr. Geranium Robertianum vulgare, Park. Rupertiana vulgo, Cæſ. Herba Roberti & Geranium Dioſcoridis, Lugd. Obvium ubique in ruderibus Geranium Robertianum radice tenui, colore buxeo, quæ caules ſurrigit dodrantales & cubitales, hirſutos, geniculatos, rubentes maxime circa articulos, & prope terram ramoſos: folia partim à radice, partim ex geniculis hirſuta, pediculo etiam rubente hirſuto, Matricariæ fere diviſura, ſegmentis primariis duntaxat tribus, odore ubi teritur Paſtinacæ, ſapore aſtringente, per oras aliquantulum rubentia; interdum tota planta rubet: flores purpurei, dilutiore purpura ſtriati, petalis quinis conſtantes, è calyce hirſuto atrovirente quinquepartito emicant, apicibus in medio croceis: quibus ſuccedunt roſtra acuta & mucronata, uncialia quandoque, quinas capſulas particulares, adhuc virides junctas totidem ſeminibus oneratas habentia. Occurrit non raro floribus albis donatum. Provenit in humidis umbroſis, vetuſtis muris, in cæſis & putridis arboribus, lociſque frigidis & umbroſis. Floret Aprili & tota pene æſtate, quo tempore ſemina perficit. Huc pertinet Geranium Robertianum alterum, C. B. P. Geranium violaceum, Tab. Ger.

12. *Geranium* latifolium annuum cæruleo flore acu longiſſima, nobis. Geranium latifolium longiſſima acu, C. B. P. Geranium Creticum annuum hæmatodes, Lob. Geranium Creticum, Cam. Tab. Ger. Cluſ. Hiſt. Park. Geranium ſpecioſum Creticum annuum longiſſimis roſtris, J. B. Chabr. Hoc Geranium late terram obumbrat, ramulorum hirſutorum, nodoſorumque congerie, foliis præditorum longis, hirſutis, nonnihil rubentibus, ſinuoſis & ſerratis, ſapore acido & aſtringente: flores cærulei, amœni, magni, pentapetali, quos ſuſtentant calycis dehiſcentis quina foliola è ſtriatis filis mediâ membranulâ, pellucidâ, albâ, commiſſis compoſita: acus plus quam aliquando palmari longitudine ad baſin quinis craſſioribus ſeminibus, majoribus, ſemiuncialibus & hirſutis ornata: quibus præ ſiccitate à ſtilo medio nutritivo ſeſe disjungentibus, & ſpiraliter filamentis in ſe convolventibus, apparet ſtilus quondam nutritivus ad pluſquam medium nudus. Provenit ſponte circa Monſpelium, teſte Cluſio, & circa Hiſpalim, etiam ex Creta delatum, unde ei denominatio. Floret Julio & Auguſto, Septembri vero maturat ſemen.

13. *Geranium* Apulum Coriandri folio alterum odorum, Col. Geranium Coriandri folio odorum, C. B. P. Folia hujus aliquam cum Cretico Lobelii ſimilitudinem habere videntur, prima namque folia cum illis quadrant, at reliqua latiora multum, laciniata magis Matricariæ noſtratis diviſuris, niſi parum eſſent retuſiora, ad Coriandri prope caulem folia accedentia, mollia, hirſutie vix apparente obducta, odorata, ut Acus moſchata dicta ex hoc genere Geraniorum, longis petiolis ſubrubicundis fulta, circa radicem parvam, flavam vel ruffeſcentem, brevem, è terra parum elata, auriculas ſeu alas in imo petiolo circa radicis caput, unde oriuntur, habentia rubras: caulem profert Martio aut Maio hirſutum, geniculis diſtinctum, ut Creticum & congenera, in quibus bina folia minora brevioribus petiolis ex geniculo & binis illis etiam barbulis cartilagineis rubentibus donata, ut in congeneribus, ſed majoribus: ex quorum ſinu ſemipedalis cauliculus hirſutus, atque viſcoſus exit, baſin habens quinquepartitam, ex qua petioli quatuor aut quinque prodeunt, flores emittentes colore violaceo, purpureo diluto, quinque petalis donatos, ex hirſutis foliolis quinis, quæ calycis vicem gerebant, prodeuntibus, acutis in ſummo, ſed non pungentibus: his floribus fructus longi, unciales & longiores, veluti figura roſtri avium, præcipue ciconiæ, unde nomen, corniculorum effigie ſuccedunt, in imo craſſiores, in ſummo tenuiores, ex quinque filamentis fibroſis compoſiti, exſiccatis ſeminibus verſus baſin diſrumpuntur, & à ſtilo nutritivo ſeparantur quina ſemina, hirſuta, trientalia, cum filamentis uncialibus, quæ in ſemetipſa contorquentur gyraliter viticularum more, atque

atque tunc oblongæ ſetæ, hirſutæ, ſtilum inferius nudum relinquunt. Maio perficitur Cirinolæ, nec alibi vidimus, inquit Columna: in agrorum ſive hortorum marginibus elatis frequens occurrit ſapore admodum adſtringente. Invenitur etiam aliis in locis montanis, ut in comitatu Valvenſi per ſemitas.

§. 2. *GERANIA PERENNIA.*

14. *Geranium* Batrachiodes folio Aconiti, C. B. P. Geranium 2. vel batrachiodes alterum, Cluſ. Hiſt. & Pan. Geranium batrachiodes cæruleum, Tab. Geranium batrachiodes, Ger. Dod. Gratia Dei, Lob. Icon. Geranium alterum folio Aconiti nitente, J. B. Chabr. Hoc donatur foliis frequentibus, nitentibus, prodeuntibus ex radice tuberoſa, pluribus craſſis fibris donata, foliis Ranunculi platyphylli aut Aconiti lycoctoni pallido flore foliis reſpondentibus fere, rugoſis, ſubhirſutis, in aliquot profundas lacinias diviſis, in ambitu etiam ſerratis, quæ guſtata initio adſtringere & linguam exſiccare, deinde nonnihil calefacere deprehenduntur: caule aſſurgit cubitali utplurimum, firmo, rotundo, geniculato, in multas alas diviſo: ſummi rami in oblongis pediculis flores geſtant, quinque petalis conſtantes, Geranii batrachiodis, quod in hortis Belgii alitur, floribus formâ pares, paulo tamen minores, non ut illi cærulei, verum ex purpura rubentes; decem ſtaminibus cum ſtilo ex umbilico floris prodeuntibus, deinde oblonga erectaque roſtra, non inflexa aut inclinata, quinis utriculis ad eorum baſin turgentibus, & ſingulis ſingula ſemina in ſe continentibus, quæ maturitate beneficio filamentorum fibroſorum recurvantur verſus medium ſtili, aliorum Geraniorum more: radix fere radici prioris Cluſii reſpondet, & ſumma tellure in plura, craſſa, interneque rubentia capita extuberat, quæ fibras etiam agentia, ſingulis annis augentur. Creſcit hoc in Pannonicis Stiriaciſque Alpibus, nuſquam tamen abundantius quam ſupra *Gamingam* in illo aſcenſu ex *Herrenalben* jugo, ad ſublimes ſcopulos *Duramſtain*; in quibus floret Julio & Auguſto, in hortis autem Maio conſpicitur flore ex purpura rubente, albo, & partim albo partim violaceo; menſe poſtea ſemina perficit.

15. *Geranium* Batrachiodes odoratum, C. B. P. Geranium Batrachiodes alterum, Dod. Geranium Batrachiodes longius radicatum, Lob. Lugd. Ger. Geranium macrorhizon, Cam. Eyſt. Geranium Batrachiodes longius radicatum odoratum, J. B. Chabr. Spectabili florum amœnitate nulli Geranio cedit, qui ex calyce globoſo, ſtriato, rubente, hirſutoque, odorati emicant, purpuroviolacei, ex quinis petalis compoſiti, ſurrecto ſtaminum purpuraſcentium altiore cincinno: oriuntur in caulibus geniculatis, dodrantalibus, cubito nonnunquam altioribus & hirſutis folia, diviſura quodammodo Saniculæ, ex virore incana, piloſa, odorem ſpirantia non ingratum: radix oblique acta ſerpit, longa, minimi digiti craſſitudine, fibris & tuberibus geniculatis donata, foris rubens, intus alba cum adſtrictione valida, neſcio quid aromatici guſtui offerens. Provenit in ſilveſtribus, ac locis exit parum cultis, planis potius quam montanis. Et hoc & prius perenne ad hortos transferuntur. Flores plurima parte æſtatis vigent, quo tempore & ſemina perficit.

16. *Geranium* batrachiodes violaceum album & ex albo & cæruleo varium, nobis. J. B. Chabr. Geranium batrachiodes, Gratia Dei Germanorum, C. B. P. Geranium batrachiodes, Dod. Cam. Lugd. Geranium 3. batrachiodes majus, Cluſ. Hiſt. Foliis eſt ſimilibus cum vulgaris, aut certe vix notabili differentia variantibus: caules ſunt bicubitales. Tota planta lanugine quadam albicante obtecta: flores violacei aut albi, aut ex albo & violaceo mixti, quinis petalis conſtantes: calyx etiam quinis conſtat foliis, è quo, flore decidente, roſtrum emergit notabili hirſutie præditum, unciam plus minus longum, deſinens in apicem tenuem, qui in extremitate per ſiccitatem in quina tenuiſſima filamenta capreolorum inſtar contorquentur, & oſtendunt quina ſemina ſuis capſulis involuta, imæ baſi adhærentia, oblonga, colore pullo, ſapore dulci, grato; in foliis autem nullus ſapor effatu dignus reperitur. Sponte provenit in pratis *Corennemberg* non procul à Danubio, binis ſupra Viennam milliaribus, aliiſque Auſtriæ pratis, tum etiam maxima copia in pratis Brunnæ Moraviæ urbi vicinis, atque etiam in Bohemia non procul ab oppido *Werawn* tribus milliaribus ab urbe Praga diſtante, viciniſque Francofurto pratis & agris gramine conſitis. Flores ineunte æſtate producit, & eadem tempeſtate ſemina matureſcunt.

17. *Geranium* ſanguineum maximo flore, C. B. P. Geranium ſanguinarium, Eyſt. Ger. Geranium hæmatodes, Dod. Gal. Lugd. Cluſ. Pan. Geranium hæmatodes ſupinum radice reptrice Lob. Icon. Huic multi ſunt caules admodum ramoſi, frequentibus nodis cincti, villis obſiti, ſuperne qua ſolum ſpectant purpuraſcentes vel rubentes: folia à ſingulis geniculis bina, contrariis

trariis pediculis naſcentia, Geranii columbini alterius foliis haud multum abſimilia, in quinque lacinias ad umbilicum fere diviſa (quæ magna ex parte in tres alias minores lacinias inciſæ ſunt) lanugine pubeſcentia, ſuperne virentia, inferne nonnihil caneſcentia, guſtu linguam exſiccante: ex ſuperioribus alis oblongi naſcuntur pediculi, ſinguli unicum ſuſtinentes florem, inter reliquas Geranii ſpecies maximum, quinis petalis conſtantem, parvæ Roſæ aut Ciſti maris flori parem, colore rubro ſanguineove, unde ei agnomen, decem intus ſtaminulis latentibus: deinde capita mucronata ſeu roſtra pentagona ſubveniunt, ſemen (uti reliqua hujus claſſis) in tumeſcentibus utriculis ſingulis ſingula continentia, quod maturum cum ſonitu exilit, circumvolventibus in ſe filamentis, quemadmodum in cæteris utriculorum filamentis, quinis ſuſpendentibus capſulas totidem habentibus, continentes in ſe ſemina adhuc nondum perfecte exſiccata: radix ſatis craſſa, rubeſcens, aliquot fibris donata, novas ſub terram propagines ſingulis annis ad latera ſpargit, quæ non modo ſimiliter fibras agunt, ſed etiam craſſioribus radicibus interdum ſeſe firmant. Naſcitur in omnibus Pannoniæ & Auſtriæ infra *Aniſum* cæduis montanis ſilvis, editioribuſque gramineis locis. Mons præterea arci *Greben* imminens ultra *Dravum* in Pannonia interamni totus fere eo Geranio conſitus, qua parte occidentem ſpectat: ſilvæ etiam *Francofurto* vicinæ eo abundant. Nos copioſe in ſilva Bononienſi ſecundo ab urbe Lutetia Pariſiorum lapide diſtante offendimus, 30. abhinc annis. Floret Maio & plerumque tota æſtate, & ſemina eodem tempore matura edit.

18. *Geranium* Phæum ſeu fuſcum petalis reflexis, nobis. Geranium montanum fuſcum, Eyſt. Lob. Lugd. Geranium fuſcum & montanum, Dod. Geranium fuſcum ſive maculatum, Ger. Geranium fuſcum, Park. Geranium phæum flore reflexo, J. B. Chabr. Specioſum admodum eſt hoc Geranium, foliis amplioribus quam batrachiodis, in octo plus minus ſegmenta diviſis, anguſta in extremis, ſed latiora verſus pediculum, ſubhirſuta, nigricantibus maculis aſperſa, per ambitum latiuſculis crenis conſpicua, nullo ordine prædita: flores ſummitati inſident pentapetali, purpurei obſcure, & pene fuſci, ſatis magni, accedentes ad flores Geranii folio odorato, qui tamen inverſe ſeu repande contorquentur atque reflectuntur in medio apicum: flores evanidos ſequuntur roſtra uncia longa, ad quorum ſingulorum baſin inferius verſus calycem quinquefoliatum cernuntur capſulæ quinæ, virides adhuc arcte ſibi junctæ; in quarum ſingulis continentur ſingula ſemina fuſca aut ſubnigra. Naſcitur in quibuſdam Germaniæ locis. Floret æſtate cum cæteris, & durante eadem ſemen matureſcit.

19. *Geranium* phæum ſeu fuſcum petalis rectis ſeu planis, nobis. Geranium pullo flore, Cluſ. Hiſt. Ger. Park. Geranium phæum ſive pullo flore, Cluſii, J. B. Chabr. Cubitales frequenteſque ab una radice producit caules, firmos, geniculatos, virides, hirſutos, ſanguineis veluti guttis aſperſos, lanugine pubeſcentes, in aliquot ramos diviſos; in quorum faſtigio ad ſingula genicula longi enaſcuntur pediculi, in quibus bini flores quinque laciniatis (præter reliquorum uſitatam formam) petalis conſtantes, quæ laciniata petala non obſervantur in ſculptura Iconum Cluſii, aut Parkinſoni, aut Johannis Bauhini Chabræive, qui Icones deſumpſere à Cluſio: colore eſt ſaturatius, rubente & quaſi atro, medium florem occupantibus multis ſtaminulis cum ſtilo prominente: petala quina floris hujus fuſca ſive pulla ſunt, plana, recta, non repanda ſeu reflexa, atque eo nomine facile diſtinguitur à Geranio præcedente 18. ſemina deinde ſuccedunt in valvulis ſeu capſulis ad baſin roſtri quinis diſtinctis, ſingula in ſingulis propriis thecis ſeu capſulis incluſa, quæ una cum capſulis maturitate (ut cernere eſt in reliquis Geranii ſpeciebus) convolvuntur in ſe, & poſtea ſemina ex capſulis deſiliunt fuſca: folia illi ex radice multa, ampla, mollia, lanugine obducta, externa parte nervoſa, Geranii batrachiodis foliis ſimilia, quinis, ſenis aut ſeptenis profundioribus inciſuris diviſa, non tamen uſque ad umbilicum, deinde per ambitum ſerrata, qualia etiam ſunt à ſingulis nodis ſub ipſis inſignita: radice nititur magna, tuberoſâ, in multas craſſas & rubentes fibras diviſâ.

20. *Geranium* radice Aſphodeli, nobis. Geranium radice grumoſa, C. B. P. Geranium 4. Bulboſum Pennæi, Cluſ. Hiſt. Tuberoſum ſextum Plateau eidem. Geranium bulboſum Pennæi, Ger. Geranium bulboſum doctoris Pennæi, Park. Geranium magnum folio trifido flore purpuraſcente, J. B. Chabr. Radicem habet ex multis parvis tuberibus oblongis conflatam, Aſphodeli inſtar concurrentibus in apicem ſuperiorem, quæ omnia tubera oblonga ſunt, fuſiformia, atque ex ſingulis tuberibus inferne fibra ſatis craſſa propendet: caulem emittit cubitalem, geniculatum, atque juxta radicem & genicula parum rubentem: è ſingulis geniculis duo folia longiuſculis pediculis inſiſtentia, in ternas utplurimum, quinas aliquando partes diſſecta, quarum ſingulæ in ambitu inæqualiter inciſæ ſunt: è ſingulis juncturis juxta foliorum exortum quinque foliola mucronata exoriuntur: flores in ſummis ramulis binatim proveniunt, brevibus

petiolis inſidentes, roſei, ex quinis petalis conflati, colore ex purpureo rubeſcentes, forma florum Geranii cæruleis floribus præditi, ſed paulo minores; foliolis quinque mucronatis apparentibus in interſtitiis petalorum, quæ ante expanſos flores inſerviebant iiſdem pro calycibus ſeu involucris. In Daniæ agro Halfnienſi provenit, unde doctiſſimus & Cluſio amiciſſimus D. Turnerus Collegii Medicorum Londinenſium ſocius attulit, & dono ipſi Cluſio dedit. Floret æſtate, & ſemina eâdem durante perficit.

21. *Geranium* tuberoſum majus, C. B. P. Geranium tuberoſum, Dod. Lugd. Ger. J. B. Chabr. Geranium bulboſum, Lob. Geranium bulboſum vulgare, Park. Inepte ab authoribus dicitur bulboſum, (tuberoſum dici debet ſecundum doctrinam noſtram,) tuberoſum aptius dicitur, quia ejus radices conſtant tuberibus uniformis ſubſtantiæ ſi ſecentur, non autem ſunt tunicis majoribus, involventibus minores; ergo inadvertenter plurimæ plantæ, quæ revera ſunt tuberoſæ, ab authoribus bulboſæ recitantur. Geranium hoc multis luxuriat cauliculis tenuibus, teretibus, & aliquantulum ramoſis: folia ut Ranunculi phragmitis in multas lacinias diviſa, ad Anemones cujuſdam etiam folia accedentia, majora tamen: flores in ſummis ramulorum alis eleganter ſed dilute rubentes, exiguis roſis perſimiles fert, pentapetalos, qui decidui oblongum, tenuem acuminatumque inſtar gruis roſtri poſt ſe ſtilum relinquunt; ad cujus baſin quinæ capſulæ, virides adhuc ſimul junctæ, inque ſe nutrientes totidem ſemina, quæ cum ſeminibus exſiccatæ, ope filamentorum quibus adhærebant inter nutriendum in ſe convolvuntur aliorum Geraniorum ſeminum more: radix craſſa, rotunda, tuberoſa, triplici tubere compactili conflata, quæ tranſverſim ſecta uniformis apparet ſubſtantiæ; à tuberibus ipſis plurimæ fibræ ſatis craſſæ pendent, beneficio quarum radices nutriuntur. Creſcit in Dalmatia, Illyrico nonnulliſque aliis orientem verſus provinciis, locis incultis, nullo ſerente. Apud Germanos, Gallos, Anglos, Belgaſque & alibi hortenſe eſt: tota fere æſtate floriferum eſt.

22. *Geranium* nodoſum, C. B. P. Ger. Park. Geranium 5. nodoſum Plateau, Cluſ. Hiſt. Geranium 6. tuberoſum Plateau eidem. Aliquot hoc à radice promit folia, longis pediculis, ſatis firmis innitentia, in quinque lacinias alte diviſa, inter quæ bini aut terni caules aſſurgunt pedales, graciles, ex fuſco purpuraſcentes, geniculati & nodoſi, bina ad ſingulos articulos ſeu nodos ferentes folia, longis pediculis innitentia, & ex adverſo orta, in tres aut quatuor lacinias duntaxat ſecta, deinde è mediis alis longiores pediculos protrudit, in quibus ſingulis bini ſemper flores conjugatim naſcuntur quinque petalis cordatis ſeu deliquium in medio patientibus (ut flores malvacei) conſtantes, purpurei coloris, ſed quibuſdam ſaturatioribus venis diſtincti, protuberante in medio rubro umbone, ſummo faſtigio in quinque partes fiſſo, qui deinde in longiuſculum roſtellum tranſit, quod inferna parte in tumentibus quinis utriculis ſemina quina continet, maturitate, ut in reliquis, ſponte exilientia: radix nodoſa eſt & geniculata, aliquot præterea fibris longis, craſſis donata. Floret Maio, & tota deinceps æſtate in Autumnum uſque flores & ſemina ferre non deſinit. Hanc plantam unà cum Icone Francofurtum Mœno flumini impoſitam urbem imperialem ad Cluſium mittebat honeſtiſſimus vir *Jacobus Plateau*, quæ ſemine ſponte decidente ſatis feliciter deinde ſe propagavit. Huc pertinet 6. tuberoſum quidem cum priore, etiamſi tubera adnaſcantur caulibus circa Septembrem & Octobrem quæ anno ſequente non apparuêre.

23. *Geranium* argenteum Alpinum longius radicatum, Pon. Ital. Park. Geranium argenteum Alpinum, Ger. Radicem protrudit tuberoſam, longam, rectà in terram deſcendentem, ſurſum verſus terræ ſuperficiem in bina aut terna capitula brachiatam, ex ſingulis quorum exiliunt quina ſenave folia, longiſſimis pediculis nitentia, in quinas ſenaſve lacinias diviſa, eaſque trifariam verſus mucrones ſectas, mollia & incanâ lanugine obducta, Argentinæ colore: inter folia oriuntur pediculi alii longi, in faſtigio ſuſtinentes flores binos, ternos, ſatis amplos, quinis petalis bifidis conſtantes, pallido rubris lineis notatis: in medio apparent ſtamina cum ſtilo, quibus ſubveniunt roſtra, brevia, aliorum more ſemina ad baſin eorum ferentia. Reperiebatur in monte Baldo à *Johanne Pona*. Floret Junio Julioque, æſtate reliquâ perficiuntur ſemina in rupibus *Surane* ſpectantibus orientem.

24. *Geranium* Romanum verſicolor ſive ſtriatum, Park. Parad. Hoc multa habet folia viridia, paululum macula nigrâ notata verſus foliorum diviſuras, quæ in quinas aut ſenas lacinias diviſa, ſed non profundas: folia tum quoad formam, tum colorem valde accedunt Geranio fuſco ſeu pullo, niſi quod ſint minora: inter folia oriuntur pediculi pedales & altiores, tumidi ad genicula: in faſtigio caulium conſpiciuntur plures flores, albidi, ſinguli quinis petalis conſtantes, quæ venis atropurpureis obducuntur: in medio florum ſingulorum eſt ſtilus circumſeptus ſtaminulis quibuſdam; his ſuccedunt roſtra ad baſin gerentia quinas capſulas, totidem

ſemina in ſe continentes, ſingulas ſingula includentes aliorum Geraniorum more: radix conſtat multis tenuibus luteis fibris.

25. *Geranium* Moſcoviticum purpureum, Park. Folia habet hoc lata, quinquefariam diviſa, in ambitu ſerrata, aliquatenus foliis prioris accedentia, ſed non ſunt tam ampla, ſaturatius virentia, ad fundum diviſionum maculis nigris notantur: caulem habet pedalem, in cujus ſummis ramulis plures flores ampli, cærulei, tendentes ad rubedinem viſuntur; capſulas & ſemina poſt flores deciduos aliorum Geraniorum modo gerit: radix pulchra, ex multis tuberculis conjunctis conflata, ex quibus ſingulis demittuntur plurimæ fibræ, craſſæ, ſeſe multifariam verſus extrema dividentes in alias fibrillas tenellas: folia pereunt hyeme, & ineunte Vere alia regerminant. Hæc planta ex Moſcovia à Johanne Tradeſcantho primò allata in Angliam. Floret æſtate, quo tempore ſemina perficit.

26. *Geranium* triſte, Cornut. Geranium triſte ſeu Indicum noctu olens, Park. Radicem habet ex multis nodulis longis Liliaſphodeli punicei modo conflatam, aliiſque brevioribus extremis annexis, ex quibus in apicem junctis, ſtatim è terra enaſcitur caulis teres, dodrantalis, tener, invalidus, hirſutus, nec tamen enodis, ſed per trium digitorum intervalla articulatus ſeu geniculatus: folia per terram ſtrata quatuor aut quinque gerit, ſubhirſuta, plurimis ſegmentis diviſa, forma Filipendulæ, breviora tamen, pinguiora, molliora & ampliora multo, horum medius nervus ſeu coſta media purpuraſcit, folia autem ipſa atrovireſcunt: caulium faſtigio inſident curti petioli, ex caulis ſummo quatuor foliolis exornato umbellatim diſpoſiti, ſuſtinentes flores quinis petalis conſtantes, totidemq; in medio ſtaminulis cum piſtillo, ut in cæteris Geraniis cernere eſt: color petalorum floris buxeus eſt, quorum ſingula geminâ maculâ inficiuntur: floribus decidentibus ſingulis ſingula ſuccedunt roſtra uncialia, ad quorum baſin quinque conſpiciuntur ſemina oblonga, hirſuta, ruffa, quæ præ maturitate cum filamentis ſuis hirſutis quinquefariam ſeparantur. Flos hujus noctu eſt ſuavitate inenarrabili, interdum nullo; influxum enim ſolis adeo aſpernari videtur, ut integro die odorem aſtantibus neget, Lunæ autem acceſſu aut noctu gratiſſimo odore moſchato quaſi thure libet, qui odor intempeſta quoque nocte ad auroram uſque perſeverat, ſtatimque ſolis acceſſu ſeu præſentia evaneſcit. Sapor hujus plantæ acidus eſt, qui & palatum perbelle afficit, unde inter olera accenſeri poteſt. Vim namque poſſidet alimenti refrigerantis, & humectantis compotem. Apud Barbaros etiam fertur radices ejus, ut apud nos tubera Bulbocaſtani & terræ Glandium aliæque radices, gratiores inter epulas apponi. Floret integra fere æſtate, nec niſi incuria foliis per hyemem omnibus exuitur. Creſcit in India Orientali.

27. *Geranium* fœtidum, Park. Folia plurima protrudit hoc, viridia ſuperne, incana inferne, tenuiſſime inciſa, ex quorum medio exſurgunt pediculi triunciales & palmares, terni, quaterni, ſuſtinentes ſinguli plures flores rubicundos, ex quinis petalis minimis conflatos, cum ſtaminibus & ſtilo in eorum medio, jucunde ſatis olentes in hortis cultis, at in meridionalibus campis planis fœtidos: ſingulis floſculis evanidis ſuccedunt ſingula roſtra propendentia ex longiuſculis petiolis, quinis filamentis fibroſis conſtantia, ambientibus ſtilum nutritivum in ipſorum medio ſitum; ad quorum baſin cernuntur totidem capſulæ ſingulæ ſingula continentes ſemina aliorum Geraniorum more: radix profunde in terram dimittitur, extrà rubra, intus albida, quæ multo magis fœtidum edit odorem quam folia aut flores. Provenit prope Monſpelium, in monte Lupo, qua ſpectat Septentrionem.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

2. Geranium *folio Malvæ rotundo majus, nobis. Geranium columbinum, Tab. Ger. Geranium columbinum præſcribunt authores in enemate ad Hydropem. Experientia conſtare ait Tabernæmontanus eſſe herbam valde vulnerariam potionibus additam, aut etiam in pulvere ſumptam, eidem uſui inſervire & aquam diſtillatam. Herbam vel vino vel aqua decoctam purgare vulnera. Idem præſtare emplaſtris, balſamis & unguentis quovis modo additam. Folia quoſlibet articulorum dolores ſedare.*

10. Geranium *Robertianum flore dilute rubello, nobis. Geranium Robertianum, Ad. & Icon. Lob. Fuchſius vim aſtringendi & ſiccandi ei attribuit: efficaciſſime eryſipelatis imponitur herba tuſa, ſuccus & aqua diſtillata: quibuſvis exulcerationibus oris, mammillarum & pudendorum tam virilium, quam muliebrium medetur. Succus mariſcas mundificat ſanatque, tumore ſdeprimit, durities mammillarum aliorumque membrorum, ſi forte conquaſſata fuerit, diſcutit Geranium Robertianum, alias Sanguinaria dicta, rubenſve. Ferunt paſtores aquæ incoquentes &*

potui dantes pecori armentiſve cruenta mingentibus prodeſſe.

16. Geranium *ſanguineum maximo flore, C. B. P. Geranium hæmatodes, Dod. Sclavonicæ mulieres hujus decoctum ex profluente aqua mirifice commendant in capitis gravedine, ſi ſinciput ubi dolor eſt eo abluatur, deinde herba decocta ſuperimponatur, poſtremo (quod ſuperſtitione non caret) & in profluentem, unde aqua hauſta, abjiciatur: ad ſanguinem comprimendum imprimis commendatur.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 318. col. 1. pl. VI. *Geranium Batrachiodes flore variegato, C. B. P. Geranium variegatum, Eyſt. Hoc Geranium* VI. *idem eſt cum* V. *floris tantum colore differt, ideo pro diverſa ſpecie a Caſparo Bauhino adhiberi non debuit.*

Pag. eadem & col. eadem pl. VII. *Geranium batrachioides, Collum gruis Germanorum, C. B. P. Geranium 4. Fuch. Gruinalis 3. Dod. & Gruinalis Dodonæi, Lugd. Eſt tantum Geranium Robertianum infra a Caſparo Bauhino in Pinace citatum; ergo male hic a Caſparo Bauhino pro Geranio batrachiode hic citatur & collocatur, multiplicat enim entia ſine neceſſitate.*

Pag. eadem col. eadem pl. IX. *Geranium tuberoſum majus, C. B. P. & col. 2. pl.* X. *Geranium tuberoſum minus, C. B. P. & Cam. adeo ſterilis mihi videtur Camerarii deſcriptio minoris ut rejici mereatur, nec ſpecies eſt habenda majoris.*

Pag. eadem col. 2. pl. XIII. *Geranium parvum foliis Ranunculi, C. B. P. Geranium 8. vel Salmanticenſe roſtratum, Cluſ. Hiſt. Nec hujus deſcriptio eſt clara; ideo an ſit ſpecies diſtincta in incerto relinquimus.*

Pag. 319. col. 2. pl. V. *Geranium Robertianum primum, C. B. P. Geranium Robertianum, Dod. Lob. & pl.* VI. *Geranium Robertianum alterum, C. B. P. p.* VI. *Geranium gruinale, Lugd. Geranium violaceum, Tab. Ger. Denotant hæc ſynonyma Geranium Robertianum ſimpliciter ſine diſtinctione duarum ſpecierum, ergo maleadhibet Caſp. Bauhinus duas diſtinctas Geranii Robertiani ſpecies.*

DE MOLLIENTIBUS PENTAPETALIS,
Seminibus multis rotatim cingentibus ſtilum nutritivum.

QUÆ SUNT

MALVA & ALCEA.

CAPUT XIV.

MALVA.

Malva μαλάχη *Dioſcoridi. l. 2. c. 144. & Theophraſto 1. Hiſt. 5.* ἀ μαλάσσω *ab emolliendo ventre nomen habet; etiam Plinio l. 20. c. 21. monente: idque propter naturalem lentorem ſuum, ut Paulus aſſerit, unde à Martiali l. 10. mollis vocatur. Latinis Malva, & Varroni quaſi molva, quod alvum molliat, qua antiqui in acetariis cum Lactuca ad alvum ſubducendam utebantur.*

Duplex eſt Dioſcoridi & Plinio; ſativa & ſilveſtris: ſubjungit Plinius duo eſſe genera, quæ foliorum amplitudine diſcernuntur, majorem Græcos Malopen vocare in ſativis: alteram Malachen: è ſilveſtribus, cui grande folium & radices albæ, Althæa vocatur, &c. Theophraſtus duplicem exprimere videtur, dum 1. Hiſt. 5. & 14. Malvam in arborem tranſire ſcribit, Malvam roſeam intelligens: dum vero 7. Hiſt. 7. ait Malvam coqui & cibo idoneam eſſe, vulgatam Malvam innuit. Antiquitus in Malvarum foliis ſcriptitatum, Cinna antiquus Poeta indicat, cujus verſus ab Iſodoro referuntur; quare ſuſpicare licet huc reſpexiſſe Pythagoram, qui ut Ælianus author eſt, μαλάχης, *id eſt, Malvæ folium ſanctiſſimum eſſe dicebat.*

Malvam Geranio immediate ſubſtituimus propter conformitatem cum florum pentapetalorum, tum ſeminum circulariter ſeu rotatim ambientium ſtilum nutritivum; nam ſicut Geranium certo numero, quinario ſcilicet, producit ſemina in capſulis ſuis peculiaribus, arcte cingentia baſin roſtri, ita Malva incerto numero multa ſemina propriis itidem thecis involuta, ſive glabris ſive aſperis, circulariter gerit ambientia ſtilum fungoſum nutritivum: inſuper folia Malvæ ſunt rotunda aut laciniata ſicut folia Geranii. Nota igitur generica Malvæ ſit hæc. Omnis Malva eſt planta pentapetala, producens poſt florem evanidum multa ſemina ſemicircularia, ſive glabra, ſive aſpera, cingentia ſtilum nutritivum, fungoſum, quæ adhuc viridia arcte ſibi adhærent junguntur que & placentam caſeolumve rotundum referunt. Malva ratione magnitudinis, eſt vel maxima arborea; vel minor; vel minima: ratione loci, vel hortenſis, vel ſilveſtris: ratione colorum florum, vel eſt flore minore rubro, violaceo, vel albo

albo, vel lineis æqualibus ſubpurpureis ſtriato, denique vel flore majore Roſæ inſtar, quæ Malva hortenſis dicitur, cujus flos eſt vel ſimplex, ruber, ruberrimus, fuſcus ſeu ſubniger, luteus ſeu luteopallidus, qui reperitur flore majore cæterarum more, & minore; vel multiplex ſeu flore pleno omnibus prædictis coloribus præditus: ratione foliorum, vel eſt folio rotundo, ſinuato, multifido, vel Hederæ vel Betonicæ foliis: ratione durationis, eſt perennis vel annua, cauleſcens utplurimum, vel acaulos, id eſt, flores adeo propinquos terræ gerit, ut nulli percipi poſſint caules, atque ejuſdem eſt generis cum Malva hortenſi à flore & ſemine.

Pars TABULÆ XVII. & XVIII. Sectionis quintæ.

MALVÆ ſilveſtres annuæ.

Malva — *Silveſtris* — *Annua*

1. *Hirſuta folio cordato, nobis.* ☿
2. *Trimeſtris flore cum unguibus purpureis ſeminibus multis nigris rotundis ſubter membranaceis orbiculis duplicatis latentibus, nobis. Malva trimeſtris, Cluſ. Hiſt. Malva æſtiva Hiſpanica, Ger.* ☿
3. *Foliis criſpis, nobis. Malva foliis criſpis, C. B. P. Malva criſpa, Dod. Cam. Ger. Eyſt. J. B. Chabr.* ☿
4. *Rotundifolia floribus omnium minimis pentapetalis albis verticillatim genicula ambientibus ſeminibuſque arcte eiſdem verticillatim itidem adhærentibus curtis pediculis, nobis.* ☿
5. *Hirſuta foliis Hederæ inſtar anguloſis, nobis.* ☿
6. *Folio vario, nobis. Malva folio vario, C. B. P. Malva ſtellata, J. B. Chabr.* ☿

MALVÆ ſilveſtres perennes.

Perennis

7. *Procumbens flore minore albo folio rotundo, nobis. Malva ſilveſtris flore minore folio rotundo, J. B. Chabr. Malva ſilveſtris pumila, Fuch. Dod. Malva vulgaris flore albo, Park.* ☉
8. *Procerior ſeu elatior rectave flore majore ſubrubente aut purpureo venis ſaturate purpureis picto folio ſinuato, nobis. Malva ſilveſtris recta, Cord. in Hiſt. Malva flore majore folio ſinuato, J. B. Chab.* ☉
9. *Hiſpanica flore carneo amplo, nobis. Malva Hiſpanica flore amplo, Park.* ☉
10. *Sicula foliis moſchatis criſpis, Boccon.* ☉
11. *Betonicæ folio, Boccon. Jacob. Zanoni* ☉
12. *Seu paluſtris, Biſmalva & Ibiſcus, nobis. Althæa Dioſcoridis & Plinii, C. B. P. Althæa, Matth. Fuch. Dod. Tur. Tab. (cui & Ibiſcus) Ger. Althæa vulgaris, Cam. Thal. Cluſ. Hiſt. Eyſt.* ☉
13. *Folio profunde laciniato & ſerrato, nobis. Althæa folio profunde ſerrato ſive dentato, J. B. Chabr.* ☉
14. *Hiſpanica foliis mollioribus undulatis in margine, ſuperius micis ſulphureis ad ſolem lucentibus donatis, nobis.* ☉

MALVÆ maritimæ arboreæ.

Maritima arborea

15. *Veneta dicta parvo flore, nobis. Malva arborea, Matth. Ep. Malva arboreſcens, Dod. Cam. Cæſ. Eyſt. Malva arborea, J. B. Chabr.* ☿
16. *Noſtras Btitannica, nobis. Malva arborea noſtras, Park.* ☿
17. *Folio acuto auriculato Hederæ inſtar, nobis. Althæa fruteſcens folio acuto parvo flore, C. B. P. Althæa arborea Olbiæ, Lob. Icon. Althæa arboreſcens, Cam. Tab. Ger.* ☉

MALVÆ hortenſes ſeu Roſeæ.

- *Malva* — *Hortenſis ſeu Roſea folio*
  - *Subrotundo*
    - *Caulefcens*
      - *Flore*
        - *Simplici*
          - 18. *Majore*
            - *Candido.* ⊙
            - *Luteo.* ⊙
            - *Rubente*
              - *Dilute.* ⊙
              - *Saturate.* ⊙
            - *Fuſco ſeu ſubnigro.* ⊙
          - 19. *Minore luteo pallido Chalepenſis, nobis.* ⊙
        - 20. *Multiplici ſeu pleno*
          - *Candido.* ⊙
          - *Ochroleuco.* ⊙
          - *Luteo.* ⊙
          - *Rubente*
            - *Dilute.* ⊙
            - *Dilutius.* ⊙
            - *Saturate.* ⊙
          - *Fuſco ſeu ſubnigro.* ⊙
    - 21. *Acaulos Chalepenſis flore pallide luteo, nobis.* ⊙
  - 22. *Ficus obſcure viridi peregrina ſimplex*
    - *Flore*
      - *Luteo.* ⊙
      - *Rubente.* ⊙

§. 1. *MALVÆ ſilveſtres annuæ.*
Explicatio partis Tab. 17. & 18. Sectionis quintæ.

1. *Malva* hirſuta folio cordato, nobis. Caules edit multos, hirſutos, bicubitales & altiores, quibus adhærent folia cordata, mucronata, in ambitu leviter ſerrata, pediculis etiam hirtis brevibus innitentia: ex alis prodeunt pediculi alii breves ſuſtinentes flores pentapetalos, floribus primæ majores, ſecundæ vero minores, dilute rubentes: quibus ſuccedunt caſeoli aut placentulæ inſtar, multa ſemina ſemilunaria rotatim cingentia ſtilum nutritivum gerentes. Semina hujus habuimus ex Aſia. Annua eſt planta: floret Julio & Auguſto: ſemina perficit Septembri & Octobri.

2. *Malva* annua trimeſtris flore cum unguibus purpureis ſeminibus multis nigris rotundis ſubter membranaceis duplicatis orbiculis latentibus, nobis. Malva trimeſtris, Cluſ. Hiſt. Malva æſtiva Hiſpanica, Ger. Malva trimeſtris flore cum unguibus purpureis, J. B. Chabr. Bipedali altitudine creſcit hæc Malvæ ſpecies trimeſtris aut quadrimeſtris, caule rotundiuſculo, terete, viridi, lanugine tamen aliquantulum obſito, quem rara, aut nulla certa ſerie diſtributa ambiunt folia, tenella, viridia ſuperne, & inferne latiora; infimo cauli adnata circinatæ ferme rotunditatis, mucronata tamen & in ambitu ſerrata; ſupremum caulem & ramos amplectentia anguloſa ſunt aliarum more, imo ad Althææ pene formam accedentia: flores ſummis ramulis inhærent ſatis magni, quinis petalis extima parte lunatis conſtantes, purpuraſcentis coloris, unguibus ſaturatiore purpura infectis; prodeuntibus ex umbilico ſtaminibus pallidis, villis purpureis tectis: ſub capitulis rotundis, membranaceis, modioli inſtar ſuperiore parte cavis, duplicatis, circulariter ſeu rotatim latent ſemina nigra, plana & æqualia: atque hac ſola nota à cæteris Malvis notu perquam facilis eſt hæc æſtivalis trimeſtris, quia omnium Malvarum ſemina rotatim cingunt ſtilum nutritivum aperte viſibilia, hújus autem ſemina infrà circulum cartilagineum obſervantur: radix eſt parva, candicans, tenuibus fibris prædita. Annua eſt aut potius trimeſtris aut quadrimeſtris planta, quæ poſt ſemina ad maturitatem perducta perit ac corrumpitur, ficut aliæ annuæ plantæ. Provenit in Hiſpania.

3. *Malva* annua foliis criſpis, C. B. P. Malva criſpa, Dod. Cam. Tab. Ger. Eyſt. Malva criſpatis oris, Lob. Malva criſpa, J. B. Chabr. Altitudo eſt huic Malvæ, licet ſit annua & brevis vitæ, quanta homini, caule conſtat craſſiuſculo nonnihil anguloſo, viridante, glabro, rigido, aliquantulum concavo & in ramos fiſſo: folia palmaribus pediculis altera parte hirſutis, alterá glabris appenſa, latitudine memorabili ſatis, brevibus pilis donata; non ſolum laciniata ſunt, ſed etiam crebro flexu, reflexuque per margines criſpa: flores ad pediculorum

qui

qui folia ſuſtinent exortum brevibus petiolis inſident, minores quam Malvæ ſilveſtris pumilæ ſeu provolutæ, colore ex dilutiſſimo rubore albicante, ex quinque petalis compoſiti, calyce hirſuto, vireſcente, quinquepartito, in quo viſuntur in orbem congeſta ſemina Malvæ pumilæ ſeminum æmula: radix ſubeſt dodrantalis aut longior, alba, mediocriter craſſa, ſapore, ut in reliqua planta, glutinoſo.

4. *Malva* annua rotundifolia floribus omnium minimis albis pentapetalis verticillatim genicula ambientibus & ſeminibus arcte iiſdem verticillatim adhærentibus, nobis. Hæc Malvæ ſpecies aſcendit ad altitudinem quatuor aut quinque pedum, atque in ſingulis geniculis plurimos edit floſculos, albos, pentapetalos, omnium minimos, arcte & verticillatim caules ad ſingula genicula amplectentes abſque quaſi pediculis: floribus fatiſcentibus ſingulis ſingula ſuccedunt capitula ex plurimis ſeminibus ſemicircularibus, cortice rugoſo tectis, rotatim ſeu circulariter ambientibus ſtilum nutritivum: folia inferiora ſunt rotunda, laciniata & criſpa, ſuperiora oblonga, ſinuata: flores ſunt parvi, quinis parvis, imo omnium minimis, petalis albis conſtantes: quibus denſe circa geniculationes diſpoſitis ſuccedunt circuli ſeu caſeoli minimi arcte geniculis adhærentes. Planta eſt annua, quæ, poſt multiplicia, imo infinita ſemina ediderit, totaliter perit.

5. *Malva* annua hirſuta foliis Hederæ inſtar anguloſis, nobis. Caules hujus ſunt admodum hirſuti, quin & folia eorumque pediculi quibus innituntur hirſutie pariter ſcatent: flores habet minores, pentapetalos, at ſingula petala deliquium patiuntur, adeo ut bifida in extremitate appareant: hiſce ſingulis ſinguli circuli ſeu orbiculi caſeiformes ſuccedunt, in quibus conſpiciuntur plurima ſemina circulariter ambientia ſtilum nutritivum, aliarum Malvarum more. Planta eſt annua florens æſtate, atque ſemina verſus ejuſdem finem perficiens.

6. *Malva* annua folio vario, C. B. P. Malva ſtellata, J. B. Chabr. Radice eſt alba, fibroſa, caule rotundo, cubitali, in plures ramos brachiato, quem folia cingunt pallide virentia, inferne candicantia, craſſiuſcula & nonnihil lanuginoſa, ſed figuræ in eodem ramulo diverſæ, horum quædam Bryoniæ formæ, quædam acuminata, duabus alis donata, quædam ſubrotunda, ungue minora, omnia tamen in ambitu ſerrata: flores pentapetali, parvi, purpuraſcentes, ſtaminibus in umbilico pallidis, pedicellis oblongis inſident: ſemen latet in capitulis membranaceis & foliaceis, quinque foliolis longis mucronatis cinctis ſtellæ in modum, unde ei Malvæ ſtellatæ nomen inditum à Johanne Bauhino, ſemicirculare, cingens rotatim ſtilum nutritivum. Argentina D. *Saltzmannus* ad Caſparum Bauhinum miſit. Floret æſtate, atque eodem tempore ſemina ſemicircularia perficit.

§. 2 MALVÆ *ſilveſtres perennes.*

7. *Malva* ſilveſtris perennis procumbens flore minore albo folio rotundo, nobis. Malva ſilveſtris folio rotundo, C. B. P. Malva ſilveſtris flore minore folio rotundo, J. B. Chabr. Malva ſilveſtris pumila, Fuch. Dod. ut. Malva ſilveſtris repens pumila, Lob. Lugd. Ger. Malva vulgaris flore albo, Park. Inter ſilveſtres hæc eſt minor, cujus cauliculi procumbunt, ſaltem laterales, qui per terram ſtrati cernuntur, medius attollitur & eſt erectus, non autem omnes ſunt erecti ut vulgaris ſeu procerioris caules: folia ſunt rotundiora & minora multo majoris, in ambitu tenuiter inciſa: floſculi exigui & albidi, pentapetali, longiuſculis pediculis innitentes: ſemina ſunt multa, minora, cingentia ſtilum nutritivum: radix alba, craſſa & longa eſt, in plurimas fibras deſinens ſub terram.

8. *Malva* ſilveſtris procerior ſeu elatior rectave flore majore ſubrubente aut purpureo venis ſaturate purpureis picto folio ſinuato, nobis. Malva ſilveſtris folio ſinuato, C. B. P. Malva ſilveſtris elatior, Fuch. Dod. Gal. Malva ſilveſtris recta, Cord. in Hiſt. Malva flore ſubrubente, Cæſ. Malva flore majore folio ſinuato, J. B. Chabr. Malva ſilveſtris, Ger. Malva vulgaris flore purpureo, Park. Hæc eſt foliis inferioribus rotundis, aliquando ſinuatis & anguloſis, per circumferentiam leviter crenatis, glabris, lævibus ac virentibus: caules emittit plures, rotundos, cubitales, quandoque bicubitales, imo nonnunquam in pingui ſolo altiores: circa quos cernuntur folia ſinuata, crenata, longis pediculis innitentia, atque ex ſinubus inter caules & pediculos exeunt floſculi pediculis non mediocris longitudinis nitentes itidem, ex dilute purpureo rubentes (aliquando dilute violacei, perraro omnino albidi) quinis petalis deliquium in medio patientibus, reliquorum petalorum Malvarum more, donati, venis ſaturate rubentibus picti: adeo ut flores pulcherrimi venis hiſce rubentibus mixti caulem à medio fere ad verticem exornent, qui venuſtate Roſis non cederent, ſi ſuppeteret odor: floribus ſingulis deciduis ſuccedunt ſingula capitula petiolis ſatis longis innixa,

innixa, leviter in mucronem faſtigiata, circulariter ſtilum nutritivum cingentia, & adhuc viridia arcte ſibiinvicem cohærentia, orbiculum parvum efficiunt, Lupini ſemine non majorem, ex pluribus ſeminibus congeſtum, exſiccata vero, à ſeinvicem ſeparantur & decidunt, capſulis ſemilunaribus incluſa, ex quibus in terram deciduis ſeſe quotannis renovant: radix alba, craſſior, ſurſum & deorſum in multas bifurcationes fibraſque tenues diviſa: utraque hæc Malva, & prior, minor & hæc ſecunda major ſilveſtris, exit in incultis locis, uberius tamen ſolo fœcundo, non ſterili; prior minima non raro in ruderibus ac aliis perinde incultis ac neglectis locis. Reperitur à Junio menſe in multam æſtatem utraque florens, interea ſemen earum ad maturitatem pervenit.

9. *Malva* perennis Hiſpanica flore carneo amplo, nobis. Malva Hiſpanica flore amplo, Park. Theat. & Parad. Hæc Malva creſcit ad modum noſtratis majoris: caules ſurrigit rectos, bipedales & tripedales, multum brachiatos, ab imo ad ſummum foliis veſtitos ſubrotundis, paululum tamen ſinuatis & leviter crenatis: flores exeunt ex alis, longis ſatis pediculis innitentes, rubri aut carnei, ampli ſatis, quinis petalis, lineis ſubnigris ſingula petala percurrentibus donati, ſtaminula concoloria plurima in medio habentes: præcipua differentia quâ diſtinguitur à vulgari, eſt hæc; petala florum ſunt majora ſeu àmpliora, rotundiora, in margine paululum ſinuata, incarnati ſeu elegantis rubelli coloris, noctu ſe claudentia, interdiu ſeſe aperientia: floribus ſingulis deciduis ſubvenit orbiculus ſeu caſeolus aliarum more. Planta annua; ſponte provenit in neglectis Hiſpaniæ locis: floret ab ineunte Junio uſque ad Auguſtum, quo tempore ſemina perficit.

10. *Malva* perennis Sicula foliis moſchatis criſpis, Boccon. Caules hujus plantæ non ſemper humi procumbunt: folia undulata ſunt & craſſa, Malvæ vulgaris magnitudine, ſuavi quodam odore moſchi fragrantia ad baſin; quin & eorum pediculi, ſingulis appendicibus ſive unguibus cinguntur: flos pallidus ad citri colorem accedens: ſemen Bamiæ par. Tota planta levi denſaque lanugine caneſcit. Ad Agrigentum & Saccam viget plurima in locis argilloſis.

11. *Malva* ſilveſtris Betonicæ folio, Boccon. Jac. Zanoni. Humilis eſt hæc Malvæ ſpecies cauliculo palmari & bipalmari, infirmo, per terram ſtrato, ſeu verſus terram reclinato: foliis in longioribus pediculis Betonicæ foliorum forma conſtat, minoribus, in ambitu crenatis, circa cauliculos paucis, è quorum ſinu pediculus exit longus, floſculum unicum aut alterum ſuſtinens, Malvæ vulgaris facie, purpuraſcentem: ſubeunte ſemine Malvæ vulgaris. Hetruriæ alumna eſt hæc Malva, quam in pratis illuſtriſſimæ *Gaitanæ* gentis *Terrbichio* dictis, circa Piſas non ſine moleſtia & tœdio multarum circuitionum quaſi latentem invenit Paulus Boccone, atque inter Icones exhibuit, quas mihi communicavit anno 1674. generoſus vir D. *Carolus Hatton*, ſcientiæ botanicæ ſummus cultor, ut publici juris Oxonii facerem, quod à me præſtitum ſub titulo quarundam Iconum & deſcriptionum plantarum Sicilianarum, &c.

12. *Malva* ſilveſtris vel paluſtris aut Ibiſcus, nobis. Malva ſilveſtris 1. Cæl. Malvæ agreſtis genus 1. Geſn. Hort. Althæa, Matth. Fuch. Dod. ut. Tab. (cui & Biſmalva) Ger. Althæa vulgaris, Cam. Thal. Cluſ. Hiſt. Eyſt. Althea ſive Biſmalva, J. B. Chabr. Ex Malvarum non Althæarum familia ſecundum doctrinam noſtram prærogativam tulit hæc malvacea planta (quæ à plurimis authoribus Althæa paluſtris dicitur) quippe quod ſine ultimo conveniat cum Malvis aut Alceis, ſeminibus ſcilicet circulariter cingentibus ſtilum nutritivum, non pluribus capſulis arcte ſimul junctis, in ſingulis plurima ſemina continentibus, ut Althæa omnis ſecundum doctrinam noſtram novam & veram; aliter fiet, ut apud omnes authores cernere eſt, ſumma confuſio congenerum. Hæc Malva paluſtris nobis & aliis paucis ſic dicta, utilitatis multipicis nomine commendatior, radicibus multis innititur bene habitis, albis, mucagine lenta, quam manſu macerationeve deponunt, turgidis: caules bicubitales & proceriores, tenues, teretes, hirſuti, anguſto tubulo pervii: in quibus folia alternata Malvæ vulgaris multo longiora, ſinuoſa, ſerrata, mollicello tomento incana: ex alis flores prodeunt Malvæ vulgaris ſurrectæ formâ, ſed minores, albi tantillum ad carneum declinantes, quinis petalis, aliarum Malvarum modo, conſtantes, in quorum medio ſtilus quatuor apicibus purpurantibus & obſoletis floridus erigitur: ſemen paſtilli compreſſi ritu ut in Malva vulgari relinquitur. Naſcitur locis uliginoſis & pinguibus, humentibus & paluſtribus pratis & foſſis. Floret Julio & Auguſto menſibus: Septembri & Octobri ſemen perficit.

13. *Malva* ſilveſtris perennis folio profunde laciniato & dentato, nobis. Althæa folio profunde ſerrato ſeu dentato, J. B. Chabr. Folio eſt molli hirſuto, vulgaris Althææ æmulo, pulchre tamen laciniato & tenuiter ſerrato: flore majuſculo, rubente, ſtilo apicibus ornato purpureis

pureis vel nigricantibus: folia, inquam, ſunt incana & mollia, in tres lacinias majores diviſa: flores etiam minores quam in Pannonica, Belgicæ floribus reſpondentes, ſed colore differentes, nempe qui toti carnei ſunt ſive incarnati, multis intus ſtaminibus nigricantibus, cætera vulgari ſimilis. Gaudet humidis Pannoniæ locis, & ſecundum rivulos ſitis. Floret Julio, & verſus Autumni initium ſemen maturat.

14. *Malva* Hiſpanica foliis mollibus undulatis in margine ſuperius micis ſulphureis ad ſolem lucentibus donatis, nobis. Hæc Malvæ ſpecies folia producit mollia, undulata in margine, ſuperius micis ſulphureis ad ſolem ſplendentibus donata: caules edit bipedales aut tripedales: flores & ſemina aliarum Malvarum modo. Perennis eſt planta, quin & perpetua fronde viret, ut Althæa Olbiæ. Provenit in Hiſpania, aliiſque meridionalibus locis.

§. 3. M A L V Æ *maritimæ arboreæ.*

15. *Malva* maritima arborea Veneta dicta parvo flore, nobis. Malva arborea, Matth. ep. Malva arboreſcens, Dod. Cam. Cæſ. Eyſt. Malva arborea, J. B. Chabr. Malva arboreſcens δενδρομαλάχη Theophraſti & Malva arborea Plinii. Caudicis altitudo decem cubitos aliquando æquat, aliquando plus minuſve ſecundum ſolum cui committitur, aliquando quaternûm, quinûm cubitorum eſt caudex, alias ſolidus, brachiatus, & ligneæ duritiei, ſuperne alternatim veſtitus foliis roſeæ quidem Malvæ amplitudine ſuperioribus, at crebris diviſuris, ſilveſtri magis reſpondentibus, tactu fere Althææ inſtar, admodum mollibus viridibus & ſubinde ambitu plicatis: his minora alia prope ſinus alarum ſuccedunt: alæ laterales inter folia frequentes oſtendunt pediculos oblongos, firmos, qui obſidentur floribus malvaceis, læte rubentibus, & circa media ſtaminula capillacea ungue tenus maculis ſaturatiore rubro infectis ac radiatim diſperſis notantur: radix valida eſt, & multis craſſis fibrarum proceſſibus firmata: ſemina deciduis floribus ſuccreſcunt aliis malvaceis prædictis ſeminibus ſimilia, orbiculatim placentæ ſpecie coagmentata, ſed duplo majora & craſſiora. Camerarius in horto medico folio 95. & Dodonæus fol. 64. lib. 1. aſſerunt frequenter reperiri in itinere quo itur Piſis ad portum Liburni, tum ad oram Veneticam & ſecus litus Tyrrhenum & Africanum, ubi per multos annos durat. At apud Septentrionales in conſervatorio hyemali recondi debet, ut conſervetur à frigore & pluvia ipſam deſtruentibus. Hæc eſt illa Malva arborea, quam Rauwolfius Halepi ab incolis veteri Arabico nomine *Haur* dici ſcribit, ſub cujus gratioſa umbra deambulare liceat. Galenus hanc ἀναδενδρομαλάχην vocavit. Floret æſtate, atque verſus ejuſdem finem ſemina ad maturitatem perducit.

16. *Malva* maritima arborea noſtras, Park. Hæc priori in omnibus quaſi accedit. Stipite eſt ſecundo anno lignoſo, humani brachii craſſitudinem æquante, ſubinde viridi, ſubinde rubente, atque ex ejuſdem alis protruduntur folia incana, laciniata, ſuperioris foliis haud abſimilia, mollia veluti holoſericus pannus: flores ſunt ampli ſatis, dilute rubelli, forma florum Malvæ vulgaris, ſed paululum majores: radix magna, candida, & quaſi lignoſa, multis fibris longis protenſis prædita. Provenit in Inſula *Dennie* dicta, tribus milliaribus à portu regio, & quinque ab urbe *Briſtola*: inſuper prope tiguria non longe à caſtello *Hurſt*, è regione Inſulæ Vectis. Nos copioſe offendimus in inſulula dicta *Piere percée* ex ingentibus rupibus conſtructa & modice terra tecta, contra Britanniam minorem ſita, miſſi eo, ut totam oram Armoricæ, atque inſulas adjacentes perluſtraremus, atque rariores plantas maritimas obſervaremus juſſu & liberalitate ſereniſſimi principis Gaſtonis Franciæ, Ducis Aurelianenſis, cujus peritiam in cognoſcendis & decernendis plantis uſque in hunc diem non poſſum ſatis mirari: omnes enim Botanicos quotquot fuerunt, in Galliis ab anno 1650. uſque ad annum 1660. durante quo tempore Celſitudini ejus operam in hirciſcundis & examinandis plantis dedi, non ſolum æquavit, ſed multis paraſangis longe ſuperavit.

17. *Malva* fruteſcens folio acuto auriculato Hederæ inſtar, nobis. Althæa fruteſcens folio acuto parvo flore, C. B. P. Althæa arborea Olbiæ, Lob. Icon. Althæa arboreſcens, Cam. Tab. Ger. Hæc, non ſecus atque Malva arboreſcens à vulgari, differt ab Althæa communi: paucioribus enim foliis, fervidiore cœlo (quale in maritimis Galloprovinciæ atque in Inſula Olbia) & proventu tanto fruticat ut ad ſepes conſtituendas ſat ſit: multo enim ſolidiore & robuſtiore ſcapo eſt quam Malva arborea Veneta, aut noſtras maritima, ſalignæ quaſi concretionis, inque arboream ferme texturam verſo: flos item Malvæ vulgaris, ſed major & rubellus, nec ſemen diſpar, quod ſatum plantam parit minus incanam aut hirſutam, Althæa paluſtri ramoſiorem, ſpecioſiorem, quia attollitur in altitudinem arboris, ſubſtantiamque poſſidet firmiorem, & quaſi ligneam, perdurant caules & folia auriculata, imo in Septentrionalibus aliquot

hyemes niſi ſint ſolito ſæviores: ſemina circulariter, aliarum Malvarum more, cingunt ſtilum nutritivum. Provenit in Olbia inſula & Galloprovincia ſponte, floret æſtate, ſemina Autumno perficit.

§. 4. *MALVÆ hortenſes ſeu Roſeæ.*

18. *Malva* Roſea folio ſubrotundo flore ſimplici, nobis. Malva ſativa antiquorum, quæ cultu arboreſcit, Theophraſti. Malope, Plinii. Malva hortenſis, Lugd. Ger. Malva roſea ſimplex, Park. Malva roſea fruticoſa, Lob. Icon. Malva hæc hortenſis ſive roſea dicta, folia promit verſus terram ampla, rotunda, in virore albicantia, aſperiora & majora quam ſilveſtris Malva, primo anno rotunda, ſerrata, ſecundo laciniata & mucronata: ſecundo etiam anno caulem ſive ſcapum rectum, ſimplicem, quatuor aut quinque cubitos altum & non raro altiorem, ſecundum ſolum cui committitur, cui præter inferiora folia, flores è pediculis brevibus adhærent majores multo quam ſilveſtris, alioqui forma non admodum diſſimiles, quandoque ſimplices & qninque petalorum, frequenter vero multiplices, colore aut candidi, pallidi, aut ſulphurei, lutei aut rubentes, iique aut dilute aut ſaturate, imo aliquando ſaturate fuſco ad nigredinem tendente: his ſuccedit orbiculus rotundus, craſſiuſculus inſtar caſeoli ex multis ſeminibus majoribus deliquium in umbilico patientibus, ferrum equinum parvum referentibus, tunica eleganter ſtriata involutis ſingulis, & ſic tunicatis circulariter ambientibus ſtilum nutritivum coagmentatus: radix longa, albida, lenta ac flecti facilis, quæ alte deſcendit in terram. Eſt perennis planta, poſt ſemen ad maturitatem perduxerit folia de novo protrudit, atque planta ipſa in multos annos durat. Seritur in hortis. Temere aut ſponte proveniens in Europa non reperitur. Altero anno à quo ſeritur caulem, uti dictum, profert, ac flores Julio & Auguſto edit: ſemine Septembri & Octobri perfecto caulis marceſcit, radix tamen aliquot annis reſtat, Vere novo folia nova proferens. Μαλάχη Græcis dicitur, & ad differentiam aliarum Malvarum μαλάχη κηπευτική, id eſt, Malva hortenſis, à nonnullis vero Roſa ultramarina & Roſa hyemalis.

19. *Malva* hortenſis ſeu Roſea folio ſubrotundo cauleſcens flore ſimplici minore luteo pallido Chalepenſis, nobis. Hæc à priore neutiquam differt, niſi parvitate partium, præcipue flore pallide luteo duplo minore. Semina hujus cum ſemine Malvæ Chalepenſis acaulis multiſque aliis communicata habuimus ope & induſtria D. *Roberti Huntington* ſæpius nobis ſupra memorati.

20. *Malva* Roſea folio ſubrotundo flore pleno, C. B. P. Malva Romana multiplex, Trag. Geſn. Hort. Malva Roſea multiplex, Lugd. Tab. Ger. Malva hortenſis multiplici flore, Dod. Flos eſt multiplici petalorum ſerie, & hacce ſola ratione à priore ſimplici differt: flos itidem variat colore ſicut & ſimplex prior. Eſt enim colore albo, pallido ſeu ochroleuco, luteo, incarnato, rubro, puniceo, fuſco ſeu ſubnigricante aut pullo, hinc tres figuræ apud Tabernæmontanum & Gerardum, & quatuor in Horto Eyſtettenſi, ſed inutiliter ſculptæ & exhibitæ.

21. *Malva* Roſea folio ſubrotundo Chalepenſis acaulos flore pallide luteo, nobis. Hæc perrara & admiratione digna Malva Chalepenſis, foliis, radice perenni, floribus eorumque magnitudine ſeminibuſque, neutiquam à majore Malva hortenſi lutea procera diſtinguitur, ſed quod notatu & obſervatu dignum, flores plurimos, pentapetalos, pallide luteos juxta terram producit, abſque ullis fere pediculis quibus innitantur; juxta terram etiam ſemina Malvæ hortenſis ſeminibus in omnibus, etiam pene magnitudine paria profert, quæ aliquando exiguis & viſu non perceptibilibus adhærent pediculis, humi procumbentibus aliquando caulibus pedalibus aut ſeſquipedalibus donantur. Planta dicitur ἄκαυλος, non quod deſtituatur omnino caule, ſed quod ſit adeo brevis, ut raro, aut nunquam appareat, ut in Carlina acaule aliiſque quibuſdam perbrevibus admodum caulibus donatis plantis.

22. *Malva* roſea peregrina folio ficus obſcure viridi, nobis. Malva roſea folio ficus, C. B. P. Malva roſea ſimplex peregrina, Tab Ger. Hæc eſt ſpecies primo intuitu diſtinctu facilis à priore hortenſi ſimplici flore, quia folia habet obſcurius virentia, aſpera, hirſuta, in multa foliola ad pediculum uſque ſecta ſeu diviſa, foliorum ficus, potius Cannabis haud parum abſimilia: flores ſunt ampliores, aliquando rubentes, aliquando lutei, in diviſura foliorum conſiſtit præcipua differentia, unde Malva roſea peregrina folio ficus obſcure viridi nobis dicitur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

7, 8. Malva *ſilveſtris procerior & elatior rectaque, & Malva procumbens pumila. Moderatum quendam & tepidum calorem cum humiditate ſilveſtris utraque hæc Malva obtinet: ſuccus ejus lentus*

ac

ac glutinoſus eſt. Sativæ autem utraque præferenda eſt, ut apud Athenæum Diphilus Siphnius recte ſentit, qui aperte agreſtem Malvam meliorem eſſe hortenſi refert, tametſi Dioſcorides hortenſem præferat; in quo nec ei, nec Galeno accedendum, nam ſilveſtris haud dubie eſui aptior, ac ſuaviora inter olera non poſtremo eſt loco. Commendatur ab Heſiodo,

----Νήπιοι ȣ̓δ' ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε ϗ Ασφοδέλῳ μεγ' ὄνειαρ.

Stulti neque ſciunt, quanto plus dimidium ſit toto:
Neque quam magnum in Malva & Aſphodelo bonum.

In hanc ſententiam & Horatius *Epodon Ode* 2. *ſcribit,* —Et gravi
Malvæ ſalubres corpori.

Nutrit autem Malva, ut Galenus ait, mediocriter: ſuccum vero ingenerat craſſiorem, alvum reddit lubricam, ac duram emollit: facile autem deſcendit, non ſolum quod humida, ſed quia glutinoſa. Folia Malvæ adverſus omnes aculeatos ictus ſcorpionum, viperarum, apum & ſimilium venenatarum beſtiarum efficacia ſunt, ſi imponantur; his vero tritis cum oleo prius peruncti, etiam (ut Dioſcordes ait) non feriuntur. Achores, furfures omneſque in cute aſperitates, cum veteri oleo (Dioſcoridis exemplaria quædam perperam μετ' ȣ̓ρȣ *habent) impoſita ſanant. Eryſipelatis quoque & ambuſtis utiliter adhibentur: inteſtinorum dolores ac roſiones, cum foliorum tum ſeminis & radicum decoctum per clyſterem infuſum ſedat: uteri vero durities inſeſſu mollit, quod & ipſa Malva in cibo aſſumpta efficit. Datur & ſuccus parturientibus, ut partum faciliorem reddat, aut ex vino decoctum. In ſumma, veſicam, renes & inteſtina, thoracem & pulmones juvat.*

12. Malva *ſilveſtris vel paluſtris ſeu Ibiſcus, nobis. Multiplices hujus in medendo uſum declarat Dioſcorides his verbis, decocta Malva paluſtris, Althæa dicta, aut in vino aut aqua immerſa, aut per ſe pota efficax eſt contra vulnera: item ad ſtrumas, parotidas, abſceſſus mammarum, inflammationes, contuſiones, ſedis inflationes, nervorum rigores, ſiquidem diſcutit & excoquit, rumpit, & ad cicatricem perducit. Cocta, ut dictum eſt, adjecto adipe ſuillo aut anſerino terebinthinave ut malagmatis lentor fiat, facit ad vulvæ inflammationes præcluſioneſque in peſſo ſubdita. Decoctum eodem fungitur munere: onera vulvæ reliquiaſque à partu extrahit decoctæ ſuccus ex vino; ſuccurit urinæ difficultati, calculoſorum cruditatibus, dyſentericis, iſchiadicis, tremulis, ruptis. Plinius Malvarum uſum medicum, de quo jam diximus, fuſius perſecutus, tandem addit. Althææ in omnibus ſupradictis efficacior radix, præcipue convulſis ruptiſque: cocta in aqua alvum ſiſtit. Eadem arida in lacte decocta pernicioſæ cuilibet tuſſi medetur. Hippocrates vulneratis ſitientibuſque defectu ſanguinis radicis decoctæ ſuccum bibendum dedit, & ipſam vulneribus cum melle & urina: item contuſis, luxatis, tumentibus, & muſculis, nervis, articulis impoſuit: & aſthmaticis ac dyſentericis in vino bibendam dedit. Mirum aquam radice ea addita addenſari ſub dio, atque lenteſcere: efficacior quo recentior. Hæc Plinius. Vide cætera apud Simonem Pauli pag.* 193, 194.

18, & 19. Malvæ *hortenſis ſeu roſeæ flores coquunt in vino veteri, ut legitur apud Camerarium in hortis, quo prurigines ablinunt & ſanant. Utuntur etiam ad eryſipelatis rubores compeſcendos, imprimis rubentes roſas imitantis quoad coloris ſimilitudinem. Ego, inquit Johannes Bauhinus, florum decocto feliciter utor in ſiccitate & ardore linguæ & faucium, & quia in prædictis floribus nullam agnoſco adſtrictionem, nondum intelligo quo ſucceſſu Johannes Libavius ad fluxum menſtruorum nimium Malvæ roſeæ flores præſcribat. Qui plura voluerit, conſulat Simonem Pauli pag.* 385, 386, & 387.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI,
Aliorumque Authorum.

PAg. 315. col. 1. pl. VI. Malva folio vario, C. B. P. & Prod. Malva trimeſtris & pumila, Cluſ. Hiſt. Cum Caſparus Bauhinus deſcribat Malvam folio vario in Prodromo, atque ejuſdem Iconem exhibeat, toto cælo diverſam ab Icone Malvæ ſilveſtris Cluſii in Hiſtoria; idcirco plane conſtat, cum ex Iconibus, tum deſcriptionibus utriuſque diverſis, lapſum eſſe; imo ſui oblitum Caſparum Bauhinum, dum duas omnino diſtinctas Malvæ ſpecies ad unam eandemque reducit, ſub planta VI. *in Pinace.*

DE MOLLIENTIBUS PENTAPETALIS
Seminibus multis rotatim cingentibus ſtilum nutritivum donatis.
CAPUT XV.
ALCEA.

Αλκέα Dioſcoridi l. 3. c. 164. forte ſic dicta ab ἀλκὴ, auxilio ſeu remedio, cum ejus radices dyſentericis & ruptis auxilio ſint. Plinio l. 27. c. 4. Alcea. Generi ſilveſtrium Malvarum Dioſcorides, qui unius meminit, adſcripſit.

Quæ inter ſe affines ſunt plantæ jure merito quaſi catenâ quâdam connectuntur, atque hinc Alcea & Althæa de neceſſitate ordinis Malvam conſequentur. Alcea igitur, authore Dioſcoride, Malvæ eſt tantum ſpecies ſilveſtris, habens folia fiſſa ad Verbenacæ foliorum ſimilitudinem. Ex ſententia autem noſtra Malva eſt planta emolliens, pentapetala, ſeminibus multis circulariter ſeu rotatim cingentibus ſtilum in medio nutritivum donata; hiſce pariter conditionibus prædita eſt Alcea; ergo à fine ultimo Alcea poteſt dici Malva, nec omnes Alceæ ſpecies habent folia fiſſa, ut vult Dioſcorides; excipiuntur enim Alcea montana rotundifolia Columnæ & Alcea villoſa Dalpii. quorum folia ima ſunt Malvæ modo totunda, etiamſi ſuperna earundem folia ſint tenuiter laciniata & fiſſa. Quicunque igitur Malvam Alceam, & Alceam Malvam dixerit, per me non ſtabit. Cum autem veteres, & ipſos ſequentes neoterici Botanici, ad duplex caput Malvam & Alceam reduxerint, quia diverſo nomine gaudent, nos Alceam hoc cap. XV. explicabimus, non obſtante conformitate Malvæ cum Alcea in partibus eſſentialibus, præcipue floribus & ſeminibus: eaſdem jungant qui voluerint, parvo diſcrimine refert.

Pars TABULÆ XVIII. & XIX. Sectionis quintæ.

Alcea
- *Frutex*
  - 1. *Folio rotundiore incano, nobis. Althæa frutex, Lob. Ger. Althæa frutex prima, Cluſ. Hiſt. Althæa fruticans Hiſpanica, Eyſt.* ⊙
  - 2. *Syriaca, nobis. Althæa frutex ſecunda, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- *Herba*
  - *Perennis*
    - 3. *Vulgaris, nobis. Alcea vulgaris, Dod. Ad. Lob. Lugd. Park. Malva Verbenaca, Ger.* ⊙
    - 4. *Folio rotundo laciniato, nobis. Alcea peregrina, Cluſ. Hiſt. Alcea rotundifolia laciniata, ſive Malva montana, Col.* ⊙
    - 5. *Cannabino folio, nobis. Alcea Cannabina, C. B. P. Alcea Cannabina vel Pentaphylli folio, J. B. Chabr.* ⊙
  - *Annua*
    - 6. *Villoſa ſeu hirſuta, nobis. Alcea villoſa Dalpii. Lugd.* ☿
    - 7. *Pharnambucana Carpini folio floſculis minimis luteis ſemine compreſſo ſimplici roſtro donato, nobis. Althæa Carpini foliis floribus luteis, Boccon. Malva annua de Pharnambuca, Jacobi Zanoni.* ☿
    - 8. *Virginiana Carpini foliis floſculis minimis luteis ſemine triangulari duplici roſtro ſeu aculeo prædito, nobis.* ☿

Explicatio Tab. 18. & 19. Sectionis quintæ.

1. *Alcea* frutescens folio rotundiore incano, nobis. Althæa fruteſcens folio rotundiore incano, C. B. P. Althæa frutex, Lob. Ger. Althæa frutex prima, Cluſ. Hiſt. Althæa fruticans Hiſpanica, Eyſt. Hæc Alcea, non Althæa cum cæteris authoribus, nobis dicitut, quia ſemina rotatim ſeu circulariter cingentia ſtilum nutritivum gerit, non autem capſulas plurimis loculamentis diſtinctas ut volumus nos. Hæc, inquam, Alcea in arbuſculæ proceritatem excreſcit, ob id arboreſcens dicta: eſt enim ſtipitibus lignoſis, firmis, cortice tomentoſo veſtitis; folio Malvarum minorum magnitudine, alias leviter ſinuato, alias Althææ modo in nonnihil oblongas lacinias diviſo & cæſo, candicante, lanuginoſo, pediculis ſatis longis, villoſis nixo: ex quorum alis exoriuntur flores Malvæ vulgatioris ſurrectæ pares, purpuraſcentibus unguibus & ad fundum hirſutis, folioſo & hirſuto calyce, in quo poſtea orbiculus circinatorum ſeminum nigricantium pellicula alba contectorum ſuccreſcit.

2. *Alcea* arboreſcens Syriaca, C. B. P. Althæa frutex ſecunda, Cluſ. Hiſt. Non minus tamen ele-

elegans eſt hæc fruticantis Alceæ ſpecies, cujus Iconem ad Cluſium mittebat *Jacobus Plateau.* Fruticis modo aſſurgit, ſtolonibus lignoſis cortice nigricante obductis, quali etiam veſtiti rami in quos ſtolones dividuntur; hiſce nullo ordine diſtributa adnaſcuntur folia, anguloſa, in paucas lacinias diſſecta, in ambitu etiam ſerrata, ſuperne admodum viridia, inferne admodum palleſcentia. Summis ramis innaſcuntur flores Roſæ ſimplicis inſtar, ampli, elegantes, quinque petalis albis conſtantes, quæ multis purpureis venis prædita ſunt, ungues purpura floridiore (quam in *Sabdariffa*, de qua paulo poſt) infecti, aliquando purpurei, ex quorum umbilico prodeunt multa ſtamina flava & ſtilus albus multifidus. An ſemen tulerit apud *Jacobum Plateau* latuit Cluſium: vix ac ne vix quidem apud nos Septentrionales ſemina ad maturitatem perducit. Floret Julio & Auguſto: folia illi, ſicut priori, decidunt Novembri menſe: extremo Aprili nova demum germinare ſolent. Facilius fert aeris frigidioris injuriam quam *Sabdariffa.* Hujus flores è rubro purpuraſcunt, at vetuſtate ad cæruleum colorem vergunt. Habetur etiam flore candido, quæ eſt Alcea Syriaca flore candido, Eyſt. Hujus etiam eſt altera ſpecies minore flore,quæ eſt Alcea frutex tertia Cluſ.Hiſt.Hiſce ſemen planum circulariter cingens ſtilum nutritivum, Althææ paluſtris ſimile; unde Alcea ſecunda Cluſii non poteſt eſſe ſynonyma cum Alcea arboreſcente Rauwolfii Cam. Hort. nec Alcea Syriaca Eyſt. cum poſterior capſulas multas proferat, plurimis loculamentis diſtinctas, quemadmodum pingitur à Camerario, Johanne Bauhino & Eyſtettenſi, ſub Ketmia Syrorum. Eſt enim Althæa prim anoſtra à fine ultimo,non Alcea propter rationes ſupra allatas.Vide Althæam infra

3. *Alcea* vulgaris, Dod. Ad. Lob. Lugd. Cam. Cluſ. Hiſt. Eyſt. Park. Malva Verbenaca, Ger. Alcea, Matth. Fuch. Dod. Gall. Cæſ. Tab. Seſquicubitalem & aliquando majorem aſſequitur altitudinem, & eſt caulibus hirſutis, aſperis, fungoſa medulla farctis: folia ſunt Malvæ vulgaris ſurrectæ majora, ad pediculum uſque plerumque in tria, quinque, aut ſex ſegmenta diviſa, atrovirentia, hirſuta, & ex alis pediculis quadrantalibus, hirſutis appenduntur: flores roſei, ſpecioſi, purpuraſcente carneove colore, quinque petalis ſtriatis conſtantes, quorum medium occupat racemulus Malvæ, apicum albicantium: ſemina ſemilunata compactim adhærentia circulariter ſtilo nutritivo, atque adhuc viridia ſibiinvicem conjuncta, compreſſi caſeoli formam æmulantur,ceu vulgaris Malvæ majoris ſemina, hirſuta tamen: radix digitalis, longa, alba, in multas fibras diviſa. Provenit rure in campeſtribus incultis, & agrorum ſcrobiumque marginibus, juxta vias, ſepes & ſemitas. Floret Julio & Auguſto, & Autumno ſemina perficit.

4. *Alcea* folio rotundo laciniato, C. B. P. Alcea peregrina, Cluſ. Hiſt. Alcea rotundifolia laciniata ſive Malva montana, Col. Hanc neminem adhuc obſervaſſe cenſemus, inquit Fab. Columna, nec pictam vidimus rariorem hanc Alceæ aut Malvæ ſpeciem, quam obſervavit prædictus author in Campoclarenſium Mateſio monte, nec admodum frequentem in excelſis jugorum planis, deinde in Æquicolorum etiam montium planis *Raſcino* appellatis. Hujus folia prima ita Malvam repræſentant, antequam caulem edant, omnino rotunda, inferne parum hirſuta, atque vulgaris Malvæ modo quinquepartita, ut nihil ab illa differre videatur, & prætereuntes vel colligentes plane fallat, ſed ſimulac cauleſcere incipit, apparent folia in caulibus laciniis deſecari, ut longe à Malva vulgari differre videatur, ut qui caulem tantum foliis veſtitum viderit, Napellum potius eſſe concluderit, ita enim Napello cæruleo ſimili diviſura diſſecta fiunt: nec niſi floribus incipientibus in ſummo illius, Corymborum modo, denſis ad Malvæ ſive Alceæ ſpeciem referendam judicaverit: flores magni ſunt, figura & textura Malvæ, ſed colore roſeo vivaci, multoque majores, pentapetali itidem: quibus decidentibus ſingulis circuli ſinguli ſubveniunt in foliaceis calycibus quinquefoliatis, ut in vulgari, ſemina habentes compreſſa, lunata, paulum tamen hirſuta & nigreſcentia. Floret Julio & Auguſto, & ſemen perficitur Octobri, ſupra *Mateſii* montis ſupercilium ſeptentrioni oppoſitum *Civita-vechia* appellatum, & etiam loco *Stazza della Serra*, id eſt, Ovium manſio, dicto.

5. *Alcea* cannabina, C. B. P. Alcea fruticoſior, Ad. Lob. Alcea pentaphylla folio Cannabis ſilveſtris Dioſcoridis, eidem. Alcea fruticoſa cannabino folio, Cluſ. Hiſt. Alcea fruticans, Eyſt. Alcea cannabina vel Pentaphylli folio, J. B. Chabr. Alcea fruticoſa cannabina, Ger. Alcea pentaphyllea, Park. Herba hæc hominis altitudinem excedens coliculis eſt aſperis, lentis, in multos ramulos diviſis: folia cannabinis foliis ſatis ſimilia, ex pediculis brevioribus in tres partes longas ſecta mediam longiſſimam, reliquas utrinque breviores, quæ ſæpe iterum in minores ſubdividuntur, ſic non tantum tripartita, ſed modo quinquepartita & diverſimode crenata, hirſuta, nigricantia ſeu obſcure viridia, minus aſpera cannabinis, ſapore viſcido: flores interdum ſinguli, interdum bini ex longis pediculis, vel ramulorum potius extremitatibus, Alceæ vulgaris ſimiles, minores tamen multo; quibus excidentibus ſuccedunt capitula rotunda,

compreſſa, compoſita ex multis ſeminibus craſſis, lunatis, aſperis, rotatim cingentibus ſtilum nutritivum, foliolis quinis tanquam pro calyce obvoluta: radix perpetua, cujus multæ præter majores & craſſiores aliæ fibroſæ radiculæ apparent, extra & intus albæ, guſtu admodum viſcido. Pluribus Hungariæ & Auſtriæ locis circa ſepes naſcentem obſervavit Cluſius, atque in Haſſia circa Francofurtum ad Mœnum conſpexit idem. Floret ineunte æſtate: ſemina perficit Auguſto & Septembri.

6. *Alcea* hirſuta ſeu villoſa, nobis. Alcea hirſuta, C.B.P. Alcea villoſa Dal[pii]. Lugd. Radice eſt palmum longâ, è ruffo candicante, paucis fibris capillata: caulibus multis denſiſſima lanugine hirſutis (quamobrem Alcea villoſa nominata eſt Dalechampio) pede non multum altioribus, folio per ambitum multum crenato, in tria diviſo, lanugine quoque ſpiſſa tecto: flore phœniceo, parvo, ſpecioſo, Trachelii vulgaris florem magnitudine vix ſuperante: fructu ſeu ſemine nigro, ad modum placentæ perinde ac Malvæ vulgaris, intra folliculum multis foliolis conſtantem clauſo, denſis ac ſubaſperis pilis hirtum, & undique fructum ſeu ſemina occulentem, ut in Halicacabo. Naſcitur ad radices Juræ montis: etiam inter ſegetes Blæſis & oppido *Baugency* interjectas. Floret Maio menſe, & ſemina Junio & Julio matureſcunt. Vide in principio Tab. 19.

7. *Alcea* Pharnambucana Carpini folio floſculis minimis luteis ſemine ſimplici roſtro donato, nobis. Althæa peregrina ſemine roſtrato flore luteo minimo, nobis in Prælud Botan. pag. 229. Althæa Carpini folio floribus luteis, Boccon. Malva annua de Pharnambuca Jacob. Zanoni. Hujus folia ſunt quaſi Carpini Ulmive, aut Melochiæ foliorum æmula, alternatim caulem ambientia rotundum, rectum, ſeſquipedalem: in cujus ſummis ramulis naſcuntur floſculi plurimi, minimi, lutei, pentapetali: atque hiſce deciduis ſuccedunt arcte in circulum diſpoſita ſemina, compreſſa aculeis ſingularibus pungentibus prædita, roſtri inſtar, unde roſtratæ Alceæ ei nomen impoſuimus: radice conſtat fibroſa: tota planta eſt viſcido ſapore. Si ſeratur Aprili, ſemen ſuum perficit ante Septembrem exactum. Provenit in Pharnambuca aliiſque locis Indiæ orientalis.

8. *Alcea* Virginiana Carpini folio floſculis minimis luteis ſemine duplici roſtro ſeu aculeo prædito, nobis. Hæc Alcea Virginiana in omnibus convenit cum Alcea Pharnambucana, niſi quod illius ſemina ſint triangularia, minora, binis roſtris ſeu apiculis in ſummo prædita, quâ notâ eſſentialiter à Pharnambucana differt, quæ ſemine compreſſo majore unico roſtro ſeu apiculo longiore donato cernitur. Semina hujus hoc anno habuimus nobis communicata, à peritiſſimo ac diligentiſſimo Botanico *Johanne Baniſter*, non ita pridem Collegii Divæ Magdalenæ capellano, nunc apud Anglos in Virginia Evangelii prædicatore, eò à reverendiſſimo in Chriſto patre *Henrico Compton* Epiſcopo Londinenſi miſſo, cum pluribus aliis Eccleſiæ Anglicanæ paſtoribus, ut populum illic degentem, paſtoribus deſtitutum, inſtruerent. Vide ultimam Tab. 18.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Ex emplaſticorum medicamentorum numero eſſe Alceam, & folia, quæ glutinoſum quid ac lentum habent, & etiam radix ipſa, quæ glutinoſa, dulcis & modice aſtringens apparet guſtantibus, abunde monſtrant. Hinc ſatis conſtat Alceam citra inſignem tum caliditatem, tum frigiditatem ſiccare, ac plane emplaſticorum conſiſtentiam obtinere. Celebratur ad caliginem oculorum ab empiricis, ut non deſint qui credant radicem Alceæ è collo ſuſpenſam aciem oculorum ſupra modum acuere & tueri poſſe, ſed hæc & ejuſmodi non carent vanitate, ſimul & vix credula ſunt. Silveſtre Malvæ genus quam Alceam vocari Tragus dixit, ſi herbæ & radicis decoctum vino vel aqua bibatur, torminibus inteſtinorum remedio eſt, ruptis & convulſis conducit & opitulatur. Breviter Malva Romana, Alcea, Malva vulgaris & Ibiſcus, omnibus calidis doloribus totius corporis apprime conducunt.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 316. col. 2. pl. VI. *Alcea arboreſcens Syriaca C. B. P. Alcea arboreſcens Rauwolf. Cam. Ketmia Syrorum quibuſdam. Alcea Syriaca, Eyſt. Denotant omnia hæc ſynonyma Althæam veram fruteſcentem primam noſtram multicapſularem, at Althæa frutex ſecunda Cluſii denotat ſecundam Alceam fruteſcentem noſtram, quia ejus ſemina circulariter cingunt ſtilum nutritivum; ergo non fuiſſet Althæa dicenda Caſp. Bauh. cæteriſque Authoribus, ſed Alcea, ex libro naturæ ratiocinando.*

Pag. 317. col. 1. pl. VII. *Alcea veſicaria, C.B.P. Alcea Veneta, Trag. Dod. Gall. Lugd. Eyſt. Cum ejus theca ſeu involucrum ſeminale ſit multis loculamentis diſtinctum, non fuit Authoribus dicenda Alcea ſed Althæa. Ibidem pl.* IX. *Alcea Indica flore magno, C. B. P. Sabdariffa, Lob. Dod. Lugd. &c. Ibidem col. 2. pl.*

2. pl. 10. Alcea Indica parvo flore, C. B. P. Sabdariffa alia, Lugd. Ibidem pl. XII. Alcea Indica altera parvo flore, C. B. P. Ibidem. pl. XIII. Alcea Ægyptiaca villoſa, C. B. P. Abelmoſch Ægyptiorum ſive Abutilum Avicennæ, Pon. Ital. Omnes hæ plantæ dicendæ fuiſſent Althææ, cum ſiliquas ſeu folliculos ſeminales multicapſulares ſeu plurimis loculamentis diſtinctas gerant.

Pag. 315. col. 1. pl. 1. Malva paluſtris ſeu Ibiſcus, nobis. Althæa Dioſcoridis, & Plinii. Althæa vulgaris Cam. Thal. Cluſ. Hiſt. Eyſt. Cum ſemina gerat circulariter cingentia ſtilum nutritivum more Malvæ vulgaris, nil aliud eſt quam Malva paluſtris, neque poteſt aſſociari Althææ ſpeciebus propter rationes ſupra dictas; ergo non obſtante authoritate Dioſcoridis & Plinii cæterorumque authorum noetericorum, Malva, non Althæa eſſet dicenda hæc planta.

Pag. 316. col. 1. pl. 11. Althæa flore majore, C. B. P. Althæa Pannonica tertia, Cluſ. Hiſt. & ibidem pl. 111. Althæa laciniato folio, C. B. P. Althæa 3. Cluſ. Pan. & ibidem pl. IV. Althæa fruteſcens folio rotundiore incano, C. B. P. Althæa frutex 1. Cluſ. Hiſt. Althæa fruticans Hiſpanica, Eyſt. Ibid. p. V. Althæa fruteſcens folio acuto parvo flore, C. B. P. (eſt enim magno flore Malvæ roſæ inſtar, ergo vitio vertendum Caſp. Bauhino) Althæa arboreſcens, Cam. Tab. Ger. Althæa arborea Olbiæ Ad. & Icon. Lob. Hæ omnes plantæ ſunt Alceæ ſpecies; quinta eſt Malvæ fruteſcentis aut arboreſcentis ſpecies.

DE MOLLIENTIBUS PENTAPETALIS

Donatis plurimis ſeminibus contentis in diverſis capſulis conjunctis.

CAPUT XVI.

ALTHÆA.

Ἀλθαία, aliis Ἰβίσκος, quæ in ſilveſtrium Malvarum genere eſt: Dioſcoridi l. 3. c. 163. ſic dicta ab ἄλθος quod remedium, vel ἀλθαίνειν medendo, quod hujus multiplex uſus ſit: hinc Dioſcoridi quod inter primas utilis ſit & πολύχρηστος, pluribus remediis polleat: & Plinio l. 20. c. 21. ab effectus excellentia nominata, quæ à quibuſdam Ariſtalthæa dicatur.

Genera unius ſolum meminere, ut Theophraſtus 9. Hiſt. 5. ubi Gaza Hibiſcum reddidit: at 9. Hiſt. 9. florem melinum tribuit.

Diximus ſuperius ſub initium capitis XV. Malvam & Alceam (quemadmodum nos diſpoſuimus) vix ac ne vix quidem poſſe à ſe invicem diſtingui quoad finem ultimum, quia in eo conveniunt ut ſupra monuimus. Nota autem generica qua Althæa ab Alcea & Malva diſcernitur, eſt hæc. Althæa poſt florem quinis petalis conſtantem evanidum, cujus ſtructura quoad numerum petalorum omnibus eſt communis, producit plurimas capſulas ſimul junctas, ſeu in plurima loculamenta diviſas, in quarum ſingulis plurima continentur ſemina cujuſcunque formæ aut coloris: hoc non reperitur in Malva & Alcea quæ ſemina gerunt rotatim ſeu circulariter arcte juncta & cingentia ſtilum nutritivum: atque hac ratione diſtinguuntur Althææ ſpecies nota ſeu teſſera ſua generica à Malva & Alcea, quæ omnes antea confundebantur ab authoribus. Nos ſequendo ductum authorum in terna capita diſtinximus: poſſunt quidem per peragraphos diſtingui, quandoquidem conveniunt floribus ſuis pentapetalis & ſapore viſcido: ſed differt Althæa, quemadmodum nos eandem diſpoſuimus, ab Alcea & Malva.

Pars

Pars TABULÆ XIX.

- *Althæa*
  - *Arboreſcens*
    - *1. Glabra Ketmia Syrorum dicta, nobis. Alcea arboreſcens, Cam. in Hort. cum duplici figura, Eyſt. Alcea arboreſcens glabra, Ketmia dicta, J. B. Chabr.* ☉
    - *2. Roſa Sinenſis*
      - *Flore*
        - *Simplici, nobis. Malva roſea arborea Indica, Park. Roſa Sinenſis flore ſimplici, Baptiſt. Ferr.* ☉
        - *Pleno, nobis. Roſa Sinenſis flore pleno, Bapt. Ferr.* ☉
  - *Herba*
    - *3. Flore luteo, nobis. Althæa Theophraſti flore luteo, C. B. P. Abutilum Avicennæ, Eyſt.* ☿
    - *4. Althææ Theophraſti ſimilis, nobis. Althææ Theophraſti ſimilis, C. B. P. Abutilum Indicum, Cam. J. B. Chabr. Park.* ☿
    - *5. Paluſtris Cytini flore, nobis. Althæa paluſtris Cytini flore, Ad. Lob. Park. Althæa Sida dicta quibuſdam, J. B. Chabr. Althæa hortenſis ſive peregrina, Dod.* ☉
    - *6. Peregrina roſea globulis oblongis pluribus filulis præditis, nobis. Althæa roſea peregrina forte Roſa moſcheutos Plinii, Cornut.* ☉
    - *Indica*
      - *Flore*
        - *7. Magno petalis latis & obtuſis, nobis. Alcea Indica magno flore, C. B. P. Alcea Americana, Cluſ. Hiſt. Sabdariffa, Lob. Dod. Lugd. Eyſt. J. B. Chabr.* ☿
        - *8. Parvo petalis anguſtis & acutis, nobis. Alcea Indica parvo flore, C.B.P. Alcea Ægyptiaca, Cluſ. Hiſt. Sabdariffa alia, Lugd. Bamia Alpin. Cam. Belli Ep. 1. ad Cluſ.* ☿
    - *Ægyptia*
      - *9. Villoſa, nobis. Alcea Ægyptia villoſa, C. B. P. Abelmoſch ſive Moſch Ægyptiacum ſive Abutilon Avicennæ, Pon. Ital.* ☿
      - *10. Moſchata Abelmoſch dicta, nobis. Alcea Ægyptiaca moſchata Abelmoſch dicta, Park.* ☿
    - *Veſicaria*
      - *11. Veneta ſemine majore, nobis. Alcea veſicaria, C. B. P. Dod. Alcea Veneta, Trag. Dod. Gal. Lugd. Eyſt.* ☿
      - *12. Indica ſeu capitis bonæ ſpei ſemine minore, nobis.* ☿

Explicatio partis Tab. decimæoctavæ & decimænonæ Sectionis quintæ.

1. A*Lthæa* arboreſcens glabra Ketmia Syrorum dicta, nobis. Alcea arboreſcens, Cam. in Hort. cum duplici figura, Eyſt. Alcea arboreſcens glabra Ketmia dicta, J. B. Chabr. Fruticis modo aſſurgit ſtolonibus lignoſis, cortice nigricante obductis, quali etiam veſtiti rami, in quos ſtolones dividuntur: his nullo ordine diſtributa adnaſcuntur folia anguloſa, in paucas lacinias diſſecta, in ambitu ſerrata, ſuperne admodum viridia, inferne quodammodo palleſcentia: ſummis ramis innaſcuntur flores Roſæ ſimplicis florum inſtar, ampli, elegantes, quinis petalis conſtantes albis, quæ multis purpureis venis in fundo prædita ſunt; ungues purpura floridiore quam in Sabdariffa flore infecti: ex umbilico prodeunt multa ſtamina flava & ſtilus albus, multifidus: floribus deciduis ſuccedunt capſulæ pluribus loculamentis ſeu cellulis anguloſis diſtinctæ: in quorum ſingulis plurima continentur ſemina reniformia, villis multis in dorſo ſcatentia.

2. *Althæa* arborea roſea Sinenſis, nobis. Malva roſea arborea Indica, Park. Roſa Sinenſis, Baptiſt. Fer. Hæc biennii aut triennii ſpatio in regionibus calidis aſcendit ad altitudinem minoris arboris; conſtat enim ſtipite lignoſo, cortice lævi, albo tecto, cujus ramis inferioribus abſectis ſuperiores ſeſe extendunt arboris in modum: folia lata, vitiginea & profunde laciniata, ſubtus incana, ſupra viridia, pediculis innituntur longis, craſſis, rubentibus, quæ permanent hyeme: in cymis ramorum exeunt flores inſiſtentes calycibus quinquefoliatis, nunc ſimplices, nunc pleni: conſpiciuntur non minores flore Roſæ provincialis, ſed poſtquam aliquamdiu

quamdiu expanſi ſunt flores, magis rubentes apparent per biduum aut triduum: in medio petalorum eſt capitulum viride, multis ſtaminulis luteis, ut in Roſa cernitur, obductum, quod vergens ad maturitatem multis ſcatet rigis & ſulcis in exteriore parte, decem aut duodecim; in quibus ſingulis protuberantibus loculamentis continetur ſeries ſeminum majorum, oblongorum, nonnihil lividorum & aſperorum, quæ ſunt numeroſiſſima, modice incurva & parte gibboſa villoſa aliquando, nam in uno tantum folliculo ſeu loculamento ad numerum incertum cernuntur, & in omnibus ſuis propriis loculamentis hædinos ferme renes figura repræſentantia 163. numerantur, quibus color ex fulvo gilvus, toto corpore ſunt punctata, aſpera pumicis inſtar, circa umbonem pilis ſubalbidis, raris, dimidiatum digitum prolixis & in ſetas aculeoſve porrectis horride capillantur: optimo microſcopii tubulo ſemina ſingularia inſpecta, faciem referunt qualis in Icone Ferrarii Senenſis obſervatur. Conſule Ferrarium Senenſem l. 4. de Florum cultura à pag. 479. uſque ad pag. 502. ubi partes omnes hujus Althææ ſatis diffuſe deducit.

3. *Althæa* Theophraſti flore luteo, C. B. P. Althæa Theophraſti ſive Abutilum Avicennæ, Matth. Althæa luteis floribus, Ad. Lob. Ger. Abutilum Anguillaræ, Dod. Abutilum Avicennæ, Eyſt. Althæa hæc Abutilon Theophraſto dicta caule aſſurgit rotundo, duriuſculo, ramoſo, duas aut tres cubitos alto, quem cum ſuis alis conveſtiunt folia lata, ſubrotunda, ſed acuminata, albida, mollia, tenuiſſime hirſuta, Cucurbitinis ſimilia, è longiuſculis pediculis pendentia: flores è foliorum ac ramulorum ſinubus exigui, lutei, pentapetali: fructus rotundi, nigri, criſpi, ex multis parvis capſulis ſimul junctis cohærentes, in quarum ſingulis ſemina plura, nigra latitant: radix in radiculas multas, fibroſas tenueſque divaricatur. Peregrina eſt planta, nec alibi quam in hortis conſpicua. Floret media æſtate, eadem exeunte & verſus Autumnum ſemina perficit: aliter & melius deſcribitur à Johanne Bauhino, ſic; Abutilon J. B. Chabræi cum Althæa vulgari de mollitie certare videtur: radice conſtat parva, alba, ſubdulci, fibris aliquot adnatis donata: caulis foris tomento molli totus eſt obſitus, pingue quid attrectantium manibus allinens, incanus; cortici, qui facile delibratur, ſubeſt lignum Saligni inſtar, candidum & durum, medullam ſucculentam viridem continens; ex caule folia nullo ordine naſcuntur, pediculis palmaribus nitentia & minus lata, circinatæ quaſi rotunditatis niſi in mucronem deſinerent, lanugine incana & inſigniter molli obducta: ex horum alis rami producuntur, atque indidem flores itidem prodeunt Caryophyllatæ aquaticæ, intenſe crocei, ſtriati, è quinis petalis compoſiti, medium occupante apiculorum glomere: totum vero florem complectuntur quinque folia incana, lanuginoſa: floribus ſingulis ſuccedunt tomentoſa capitula, juglande nuce paulo minora, ſuprema parte plana fere ex 10. aut 12. folliculis latiuſculis, compreſſis, ſingulis in mucronem acutum deſinentibus, in orbem juxta ſe arcte poſitis conflata: in quibus ſingulis ſemina fere ſemicircularia, compreſſa, fuſca, medulla, dulci & alba plena. Caſparus Bauhinus ſcripſit ſe obſervaſſe hanc plantam vigentem ad duos cubitos altam inter Bononiam & Ferrariam: ſemina ſata Martio & Aprili menſibus ſolent ſub finem æſtatis florere & ineunte Autumno perficere ſemina.

4. *Althæa* Theophraſti ſimilis, C. B. P. Abutilum Indicum, Cam. J. B. Chabr. Abutilum Indicum Camerarii, Park. Hæc Althæa flore eſt pallido, ſubcandido, ſive medio luteo, pediculo nitente hirſuto, ſic & novella folia ac caulis, non tamen ejus ad tactum mollitiei qua vulgo notum Abutilum Italicum. Pediculi in fibras divulſi foliis venulas ſparſas ſubminiſtrant ſpadiceas, folio in adverſa parte exiſtente pallidiore, interna vero ſeu averſa ſaturatius virente; caulis penes internodia eſt ſubruffeſcens: florem excipit folliculus ſubniger ex multis capſellulis compactus, ſemina in ſingulis continens multa nigra, exterius involucrum cellulas conſtituens, ex viridi flaveſcens: radix pallida, fibroſa.

5. *Althæa* paluſtris Cytini flore, Ad. Lob. Park. Althæa paluſtris, C. B. P. Lugd. Tab. Ger. Althæa hortenſis ſive peregrina, Dod. Sida vulgo, Cam. Althæa Sida dicta quibuſdam, J. B. Chabr. Planta hæc Sidæ nomine folium habet circumſcriptione Abutili putati, ex rotundo in acutum mucronem deſinens, delicatum, molle, villoſum & per ambitum ſerratum: flos magnus Malvæ roſeæ florem æquat, oblongus in ſicca planta, ſtaminibus in medio longis, colore præditus, ut volunt Adverſaria, purpureo ſaturatiore quam Pæoniæ aut Malvæ ſativæ, aut Cytini, juxta & in ſummis cauliculis viſuntur tempore vindemiarum utriculi rotundi, globoſi, quinquangulari tamen ſpecie, phæo vel pullo colore Ariſtolochiæ effigie prægnantes, Smyrnii ſeminis aut Milii nigri colore & magnitudine: radix hortenſis Malvæ radici ſimilis: caulis cubitorum duorum. Melior eſt figura Dodonæi illâ Lobelii, Parkinſoni & Johannis Bauhini Chabræive, qui omnes ex Lobelio deſumpſere. Provenit, teſte Camerario, in Italia copioſe circa flumen *Ameſim* non procul ab *Anguillara*, qua datur tranſitus fluminis.

Floret verſus æſtatis finem, raro ſemina perducens ad maturitatem.

6. *Althæa* roſea peregrina forte Roſa moſcheutos Plinii, Corn. Planta hæc quam Africa gignit, quotannis ex radice vivâ, longâ, albâ, lentâ, circa Maium menſem erumpit: caules habet rotundos, virides, medulla plenos, uno verbo malvaceos: folia ſubrotunda, & aliquo modo Cyclamini, propius tamen Mori noſtratis albæ folia referunt, pronâ parte molli & tenui lanugine caneſcunt, Oleæ foliorum inſtar, ſupina aliquanto magis virent: cujuſque caulis faſtigium globulos virides admittit, non paucos, qui ſinguli ſingulis pediculis innituntur teretibus, & quamplurimis filulis oblongis & anguſtis omni ex parte circumdantur: oriuntur hæc filula à baſi uniuſcujuſque globuli & diſtant inter ſe aliquo intervallo egregioque ordine diſponuntur & veluti cancellis eundem globulum obſepiunt, qui dum maturitate dehiſcit in quinque partes finditur, alveoque ſuo condita quinque fundit latiſſima petala quæ roſeum florem ſimplicem exprimunt atque etiam ampliorem Malva roſea Lobelii: in hujus floris umbilico ſtat panicula piſtillo tenui fulta, qualis in floribus Althææ fruticis conſpicitur. Hæc Althæa, quam vocamus roſeam, florem edit verſus finem Auguſti Roſæ ſimplicis flori ſimilem. Hæc è ſilvis Africanis, ob floris gratiam, tranſlata fuit in hortum Regium Pariſienſem anno 1644.

7. *Althæa* Indica magno flore petalis latis & obtuſis, nobis. Alcea Indica magno flore, C. B. P. Alcea Americana, Cluſ. Hiſt. Sabdariffa, Lob. Dod. Lugd. Eyſt. J. B. Chabr. Caulem habet rectum, ſtriatum, purpuraſcentem, binos aut ternos cubitos altum, vel etiam altiorem, ſi in horto, aut pingui ſolo ſeratur (in fictilibus brevior eſt) quem ab imo multa ambiunt viridia folia, nullâ ſervata ſerie hinc inde ſparſa, infima ſerrata quidem in ambitu, ſed non laciniata, quæ medio cauli hærent in tres lacinias dentatas diviſa ſunt, ſuprema autem in quinque Canabinorum foliorum inſtar diſſecta, ſummo faſtigio veluti in gemmularum & anguſtorum foliorum ſpicam deſinente: ſingulares fert in ſingulis alis calyces molliter echinatos, è quibus ſingulis exit flos magnus, quinis petalis præditus, coloris ex albo palleſcentis, quorum ungues ſatura & nigricante purpura, radiatim petala in ſe ſpargente, infecti ſunt, ut in Althææ veſicariæ inferioris flore: floris umbilicum occupant multa ſtamina, apicibus longis prædita, & ſtilus medius ſuperna parte ramoſus, albus: floribus valde fugacibus (nam ἐφήμεροὶ ſunt) ſuccedunt brevia, echinata, acuminata capitula, pentagona, interius villis obſita, ſemen continentia, quale fere fert Stramoniæ capſula: radix quidem multis candicantibus fibris utplurimum conſtat, ſed non eſt vivax, nam hyeme adventante perit, & ſingulis annis ſatione renovanda apud Septentrionales, imo Meridionales, nam ſero admodum, nempe ſub Auguſti finem aut Septembris initium floret, & frigoris ſit impatiens, primæ enim pruinæ eam corrumpunt. Solis orientis radiis delectari videtur & frequenti rigatione. In Italiam primo ejus ſemen delatum, Sabdariffæ appellatione (neſcio an tale nomen apud quos naſcitur obtineat) ex Hiſpania pro ſpecie Malvæ aut Althææ potius elegantis haud dubie ad nos delata; ideo ad Althææ claſſem referendam judicamus propter involucrum ſeminale quintuplici loculamentorum numero præditum. Hæc eſt teſſera à nobis propoſita, qua Althææ omnes in hoc capite donantur, hæc neutiquam Malvarum aut Alcearum ſpeciebus accedit, cum ſemina ſingula, propriis capſulis involuta, & circulariter cingentia ſtilum nutritivum gerant.

8. *Althæa* Indica flore parvo petalis anguſtis & acutis, nobis. Alcea Indica parvo flore, C.B.P. Alcea Ægyptia, Cluſ. Hiſt. Sabdariffa alia, Hiſt. Lugd. Bamia Alexandrina, Cæſ. Bamia, Alpin. Cam. Belli ep. 5. ad Cluſium. Peregrina etiam eſt hæc Althææ ſpecies, ex Ægypti Alexandria primum ſemine Italiæ communicata, unde Galli, Germani & Belgæ habuere appellatione *Bamia del Cayro*. Rotundo autem aſſurgit caule, recto, vireſcente, ſeſquicubitali, cui inhærent etiam nulla ſerie diſpoſita folia, circa infimam quidem caulis partem Malvæ foliis pene ſimilia, anguloſa & in ambitu ſerrata, à medio vero caulis ad ſummum in quinque profundas lacinias inſtar foliorum prioris Sabdariffæ diviſa, dilutius virentia: flores in alis naſcuntur, Sabdariffæ etiam formâ & colore fere ſimiles, pubeſcentes videlicet, minores tamen, ſed non minus fugaces: his ſuccedunt craſſiuſcula, longa, pentagona, villis obſita & mucronata, capitula ſemen Orobi ſeu potius Leontapetali ſeminis inſtar continentia, lanugine tamen leviter tecta: radix in aliquot fibras ſparſa, non vivax tamen, nam primæ pruinæ etiam totam plantam corrumpunt, ut ad frugem pervenire nequeat. Doctiſſimus Proſper Alpinus Bamiam appellat & frequentiſſimam in Ægypto naſci tradit. Præterea Bamia, inquit, eſt planta ad Althææ magnitudinem accedens, foliis, floribus aureis tamen, à quibus fructus quidam fiunt ſimiles parvis Cucumeribus, loculamentis variis partiti, quæ ſemina parva, ſubnigra, rotunda, continent, &c.

9. *Althæa* Ægyptia villoſa, nobis. Alcea Ægyptia villoſa, C. B. P. Abelmoſch Ægyptiorum ſive

ſive Abutilon Aviceunæ, Pon. Ital. Quod planta propoſita à Neotericis pro Abutilo Avicennæ (cum tantum ſit Althæa paluſtris lutea) non ſit Abutilum legitimum facile innoteſcit ex notis; quum Avicenna ſuo attribuit folia cucumerina, quæ non obſervantur in Abutilo modernorum, folia enim hujus ſunt potius Pyri, & fructus rotundus ſicut Meſpili, & non longus ut vult Avicenna. Sit hæc plantula Abutilon Avicennæ, inquit Proſper Alpinus, quia folia habet cucumerina & fructum longum. Caulem emittit quatuor pedum, plurifariam brachiatum, cui appenduntur folia multa, hirſuta, ſtellata, haud abſimilia Cucurbitæ foliis: flores ſunt ſimiles Bamiæ, ſed petalis acutioribus & luteis, fructus itidem; quibus ſuccedunt ſemina, moſchum redolentia, magnitudine baccarum Myrti majoris, colore nigro: radicem habet ſatis craſſam & fibroſam. Tota planta ſucco lento vel viſco ſcatet, ſapore herbaceo eſt in Europa.

10. *Althæa* Ægyptiaca moſchata Abelmoſch dicta, nobis. Alcea Ægyptiaca moſchata Abelmoſch dicta, Park. Hæc Althæa à præcedente, caule, foliis paſſim hirſutis differt; folia inſuper habet ſinuata, adinſtar Hyoſcyami Cretici: florem minorem, magis mucronatis petalis & intentiore luteo colore donatum, moſcum redolentem, ſed ſemina multo magis: radicem magnam fibroſam & viſcoſam habet. Proſper Alpinus meminit plantæ quam Ægyptii Moſch appellant & ejuſdem ſemen Abelmoſch, quaſi dixerit ſtirpem cujus ſemen moſchum orientalem redolet, & ab odore ibidem nomen invenit, quod ipſius ſemina moſchum præſtantiſſimum ſapore atque odore æmulentur. Arabes idcirco moſchum orientalem ipſis ſeminibus familiarius ita adulterare ſolent ut vix à peritis adulteratio cognoſcatur, quam tamen poſtea tempus detegit, cum non diu præſtantem hunc ſervet odorem, etenim in adulterato ſuavis ille odor brevi tempore exhalat & reſolvitur. Hæc planta aſſurgit unico caule, recto, rotundo, canis pilis undique albicante obſito, qui alternatim folia longis pediculis nitentia edit, magnitudine & figura Staphis agriæ folia referentia, neque ab Hyoſcyami Cretici foliis longe recedunt: ex iiſdem alis inter pediculos & caulem oriuntur petioli unciales, ſuſtinentes flores quinis petalis mucronatis donatos: quibus ſuccedunt folliculi ſatis craſſi, rotundi, anguloſi, nigreſcentes ſemina nigra, parva, lunari figura continentes, ſapore ſubamareſcentia, odoris moſchi præſtantiſſimi.

11. *Althæa* veſicaria Veneta, nobis. Alcea veſicaria, C. B. P. Dod. Alcea Veneta, Trag. Dod. Gall. Lugd. Eyſt. Alcea Bononienſis, Geſn. Hort. Alcea peregrina, Tab. Ger. Soliſequa, Ad. Lob. Althæa hæc cauliculis exit rotundis, ramoſis, haud firmis, ſed facile collabentibus: foliis vero altis inciſuris diſſectis, per margines crenatis, lævore, ſplendore ac colore, tum & quodantenus forma ad ſativi Acanthi accedentibus, ſed tamen multo minoribus: flores pulchri, malvaceis ſimiles, quinis petalis conſtantes ſubalbidis ſeu ocroleucis, ſed in medio ac umbilicum verſus eleganti colore nigricantes, è quo auri coloris ſtamen eminet; aperiuntur hi tribus aut quatuor horis poſt ſolis exortum & horâ unâ aut ſeſquihorâ vigent: relinquitur poſt florem folliculus patens, in quo capitulum rotundo-longius, hirſutum, quinis aut pluribus loculamentis diſtinctum & diviſum, in quorum ſingulis continentur plurima ſemina paulo majora ſequentis, nigra: radix mediocris longitudinis fibras emittit. In Atrebatum & Morinorum finibus juxta agrorum margines reperiri ac ſponte progigni fertur. Italiæ, ut ditioni Venetorum, aliiſque provinciis haud incognita. Floret Maio & brevi poſt incipiente æſtate perit.

12. *Alcea* veſicaria Capitis bonæ ſpei, nobis. Hæc à vulgari Alcea Venetorum à multis annis detectâ in paucis differt, niſi quod caulem producat rectum, firmum, pedalem, & aliquando altiorem: folia habet firmiora, rotundiora & glabriora, floremque majorem, cujus fundum nigrioris & elegantioris eſt coloris, ſemen autem præcedentis minus: cætera ei par.

De Althææ ſeu Ibiſci viribus ſupra dictum, inter Malvæ vires, quod ad Althæarum in hoc capite contentarum vires attinet, cum ſint pentapetalæ & viſcoſo ſapore præditæ, ἀντιβεβλημένα eſſe poſſunt, in iis malis ad quæ vel Malva vel Alcea commendatur.

HALLUCINATIONES.

Althæa arboreſcens Roſea Sinenſis flore ſimplici & pleno, nobis. Male dicitur Malva Parkinſono, cum Malva ſemina circulariter ambientia ſtilum nutritivum gerat; at hæc ſemina in plurimis loculamentis anguloſis fert; ergo aptius ad conſimiles Althæas ſcilicet reducitur. Ineptius multo dicitur Roſa Sinenſis a Baptiſta Ferrario Senenſi: ſi novus hic tyro in Botanicis cognoviſſet naturam & eſſentiam Roſæ, non Roſam appellaſſet; ergo cum nec Roſa ulla ratione dici meretur, ſit propter rationes ante dictas Althæa Sinenſis Roſæ flore.

DE PENTAPETALIS
Utplurimum ad medium bifidis unicapſularibus.

CAPUT XVII.
LYCHNIS

Λυχνὶς, id eſt, lucernula Dioſcoridi. l. 3. *c.* 114., *& 115. duæ ſpecies, altera* λυχνὶς στεφανωματική, *Lychnis coronaria: altera* λυχνὶς ἀγρία *Lychnis ſilveſtris dicitur, primam, Lychnidem coronariam à recentioribus nominatam, videtur Theophraſtus 6. Hiſt. 7. Lychnidem vocaſſe: & Plinii l. 21. c. 4. Lychnis & Roſa Græca cenſetur: cujus Lychnis agria eſt Antirrhinum. Recentiores Lychnidis nomen plurimis plantis impoſuere, de quibus ordine.*

Lychnis eſt planta pentapetala, ſeu planta cujus flos quinis petalis conſtat, quorum ſingula ſunt bifida utplurimum, atque ſingulis floribus deciduis ſuccedit involucrum unicum pyramidale utplurimum, aliquando oblongum, cui ſedes ſeu ſtilus nutritivus in medio eſt, circa quem ſemina multa minuta diſtributa ſunt, eadem protegente vaſculo ſeu involucro, ſive pyramidali ſive oblongo, in quo ſeminum ſedes multam partem cavitatis replet, & undique ſejuncta eſt â vaſculo ſeu involucro, quod cum exareſcit, dehiſcit in multas rimulas ſurſum verſus, & plerumque oſculo quodam ſemen effundit, recurvatis in ſummo veluti denticulis. Omnes Lychnides ubi adoleverint, lento quodam & glutinoſo humore, ſuperiore parte caulis illitæ obſervantur, præcipue verſus nodos ſeu genicula, tam ſubtus quam ſupra (quædam plus, quædam minus;) cui plerumque & culices, parvæ muſcæ & formicæ tanquam viſco captæ, inhærent aliæque quiſquiliæ, unde à quibuſdam authoribus Muſcipula, quaſi herba captans muſcas: ab aliis Viſcaria, quaſi viſcida aut viſcoſa herba dicitur. Lychnis à magnitudine, eſt vel major vel minor: à foliorum ſtructura eſt, vel latifolia vel anguſtifolia; eaque vel foliis glabris, vel incanis ſeu tomentoſis, hirſutis aut hirtis: à foliorum numero eſt vel binis ex adverſo ſitis, vel pluribus ſimul junctis: floribus eſt utplurimum quinis petalis ad medium bifidis, ſed raro ſine diliquio conſpicitur: à colore florum eſt, vel flore albo, ocroleuco, luteo, ex albo viridi, rubro, phœniceo, aurantiaco: à duratione eſt vel perennis, vel annua.

TABULA XX. Sectionis quintæ.

Lychnis { *Silveſtris glabra* { *Herba* {

1. *Been album ſeu Papaver ſpumeum authoribus dicta & nobis* { *Glabra.* ⊙ / *Hirſuta.* ⊙
2. *Anguſtifolia marina Anglica procumbens, nobis. Lychnis marina Anglica, Lob. Ger.* ⊙
3. *Pluribus foliis anguſtis ſimul junctis ad ſingula genicula, nobis. Lychnis ſilveſtris plurimis foliis ſimul junctis, C. B. P. Lychnis ſilveſtris octava, Cluſ. Hiſt.* ⊙
4. *Montana latifolia viſcoſa florum petalis ſuprà albis ſubtus vireſcentibus interdiu ſe contrahentibus, nobis. Lychnis ſilveſtris nona, Cluſ. Hiſt.* ⊙
5. *Flore muſcoſo, nobis. Muſcipula muſcoſo flore, J. B. Chabr. Seſamoides magnum Salmanticum, Cluſ. Hiſt.* ⊙
6. *Anguſtifolia viſcoſa præcox rubra foliis Caryophylleis, nobis. Lychnis ſilveſtris viſcoſa rubra anguſtifolia, C. B. P. Lychnis ſilveſtris quarta, Cluſ. Hiſt.* ⊙
7. *Major anguſtifolia viſcoſa alba petalis quinis ſingulis quinquefariam laciniatis, nobis. Lychnis major anguſtifolia viſcoſa alba, C. B. P. Lychnis ſilveſtris decima, Cluſ. Hiſt.* ⊙
8. *Pratenſis flore admodum laciniato, nobis. Flos cuculi pratenſis, Trag. Odontitis, Cluſ. Hiſt. Caryophyllus pratenſis ſive Flos cuculi, C.B.P. flore* { *Simplici* { *Rubro.* ⊙ / *Albo.* ⊙ } / *Pleno Rubro.* ⊙ }
9. *Incana repens, C.B. P. Ocimoides Lychnitis, Col.* ⊙
10. *Foliis glabris calyce duriore, Boccon.* ⊙
11. *Noctiflora minima flore exiguo, Boccon.* ⊙

12. *Nocti-*

Lychnis { *Silveſtris glabra* { *Frutex* { 12. *Noctiflora, nobis. Lychnis noctiflora,* C. B. P. *Ocimoides noctiflorum, Cam. Ocimaſtrum noctiflorum flore albo, Eyſt.* ⊙
13. *Myrtifolia Been albo ſimilis, nobis. Lychnis ſilveſtris ſempervirens Ocimaſtrum arboreum ſempervirens, Cluſ. Hiſt.* ⊙

§. 1. *LYCHNIDES GLABRÆ.*

Explicatio Tab. vigeſimæ Sectionis quintæ.

1. LYchnis ſilveſtris perennis quæ Been album vulgo, nobis. Lychnis ſilveſtris quæ Been vulgo, C. B. P. Lychnis ſilveſtris, Dod. Eyſt. Been album, Geſn. Hort. Ger. Dod. Gall. Lugd. Thal. Polemonium Dod. Gall. Lugd. Thal. Polemonia, Cæſ. Papaver ſpumeum (propter aſperginem ſputo ſimilem) Ad. Lob. Cam. Ad ſilveſtris Lychnidis claſſem ſeu ordinem referri poſſe videtur Lychnis à recentiorum nonnullis Been album vocitatum. Cauliculi huic complures ſunt, tenues, teretes & geniculati, atque è ſingulis articulis folia bina oblonga, latiuſcula, acuminata, Polygoni fere ſimilia, è regione ſibiinvicem oppoſita, lævia ſeu glabra utplurimum, quandoque hirſuta, ex albido virentia: floſculi albidi ex oblongis erumpentes calycibus tenui mollique membrana velatis, plures ſimul cohærentes, deorſum nutant: capſulæ ſubrotundæ quinis denticulis recurvis, aliquando rectis, in faſtigio ornatæ: in quibus ſemen nigrum continetur: radix alba & ſatis prolixa, ſed tenuis. Pluribus per Galliam, Italiam, Germaniam, Angliam, & ubique terrarum reperitur locis; in herboſis & lætis collibus frequenter exit. Æſtate floret, Junio nempe menſe in Auguſtum uſque, quo tempore ſemina perficit. Vulgo Been album nominant ad differentiam alterius, quod rubrum cognominatur, idque Valeriana marina rubra dicitur. Neutrum tamen verum Been Arabum eſt. Appellatur vero à nonnullis Papaver ſpumeum: at cum Papavere ſimilitudinis nihil habet. Diverſi diverſo modo authores nominant, ſed ſecundum regulam à natura datam eamque infallibilem, ſcilicet à floris & capſulæ ſeminalis ipſorumque ſeminum conformitate deſumptam, cum cæteris hujus claſſis eſt vera & genuina Lychnidis ſpecies.

2. *Lychnis* perennis anguſtifolia marina Anglica procumbens, nobis. Lychnis marina Anglica, Lob. Ger. Hæc Lychnis glabra eſt, ut prior, multo tamen minor: à radice craſſa plurimas fibras repentes hinc inde emittente protruduntur cauliculi multi, pedales, denſe humi ſtrati, quorum geniculis à radice ad ſummum adhærent bina, ternave foliola glabra, minora & anguſtiora prioris, Halimi fere colore: in horum cymis viſuntur floſculi plurimi, pentapetali, albi, bifidi, multum quoad formam accedentes floribus prioris, ſed ſunt multo minores, in quorum medio plurima cernuntur ſtamina, quibus deciduis ſuccedunt capſulæ ſingulæ ejuſdem formæ & figuræ cum capſulis prioris, niſi quod ſint minores, calyce minore foliaceo etiam circumveſtitæ: in harum ſingulis plurima cernuntur ſemina nigra, pariter adhærentia ſtilo nutritivo in medio capſulæ ſito. Provenit ad Lancaſtriæ oram maritimam, alibique etiam in Anglia. Floret eodem tempore cum priore.

3. *Lychnis* ſilveſtris plurimis foliis ſimul junctis, C. B. P. Lychnis ſilveſtris 8. Cluſ. Hiſt. Lychnis ſilveſtris 1. Cluſ. Hiſt. Lob. Lugd. Tab. Ger. Geniculatos etiam habet caules hæc 3ia, nobis, tenues, in plures alas diviſos, pedales aut majores: folia in ſingulis geniculis inferius terna, quaterna, aliquando plura, longa, latiuſcula Polygoni inſtar, ſuperius plura, anguſtiora, breviora, Pſyllii fere paria, coloris viridis candido perfuſi & quaſi cæſii: flores in ſummis ramulis naſcentes quinis petalis, anguſtis, bifidis ſeu in extremo biſulcis conſtantes, interna parte candidi, externâ aliquantulum purpuraſcentes, & antequam omnino contabeſcant ſeſe contrahentes & in ſe circumvolventes; hiſce ſingulis capſulæ ſuccedunt admodum duræ, oblongæ, quinis denticulis rectis in ſuperiore parte donatæ, ſemen parvum, ſubrotundum Papaveris Rhœadis ſeminum æmula, colore cinericeo continentes: radicem ſatis craſſam, albam, multifidam habet, altero anno pereuntem.

4. *Lychnis* ſilveſtris ſeu montana latifolia viſcoſa florum petalis ſupra albis ſubtus vireſcentibus interdiu ſe contrahentibus, nobis. Lychnis ſilveſtris flore albo, Eyſt. Lychnis ſilveſtris nona Cluſii, Ger. Lychnis montana latifolia viſcoſa alba, C. B. P. Lychnis ſilveſtris minor alba, Park. Hæc multa ſecundum radicem habet folia digitalis longitudinis ſenſim in latitudinem ſeſe explicantia, ſub extremum mucronata, viridia, nonnihil villoſa ad Lychnidis ſilveſtris flore albo (quæ in omnibus provinciis vulgaris) folia quodammodo accedentia, longe tamen anguſtiora, acidiuſculi guſtus: caules deinde pedales, ſubinde cubitales, no-

doſos & geniculatos: ſingula genicula amplectuntur folia bina, ex adverſo ſita, latiore pediculo, aliis brevioribus & minoribus circa ſummum caulem: ſummis alis innaſcuntur longe ſatis petioli, ternos, quaternos vel etiam plures flores ſuſtinentes, quinque petalis bifidis & ad extremum diviſis conſtantes, binas appendiculas ad baſin uniuſcujuſque calycis ſuſtinentis flores albos ſupra, ſubtus vireſcentes, habentes, quinque ſtaminulis medium umbilicum occupantibus: floribus marceſcentibus & contractis inque ſe convolventibus, ut in præcedente, ſuccedunt oblonga, craſſiuſcula vaſcula, mucronata, quinis crenulis incurvis donata, ſemine exiguo, rotundo, cineraceo plena: radix fibroſa & perennis, ſingulis annis novos ex radice numeroſiores caules profert, qui prope radicem procumbentes fibras agentes facillime pangi poſſunt. Provenit ad Stiriacarum Alpium & *Snealben* ſupra Cœnobium Neubergenſe, abundantius tamen *Etſchero* ſæpius à Cluſio commemorato.

5. *Lychnis* viſcoſo flore muſcoſo, C. B. P. Muſcipula altera flore muſcoſo, Lob. Lugd. Muſcipula ſive Amoraria altera, Lob. Icon. Muſcipula muſcoſo flore, J. B. Chabr. Seſamoides magnum Salmanticum, Cluſ. Hiſt. Tab. Cam. Ger. Ad Lychnidis ſilveſtris etiam ſpecies non inepte referri poſſe putat Cluſius eam plantam, quam nonnulli Salmanticæ Seſamoides magnum nuncupabant. Aliquot cauliculis aſſurgebat pedalibus interdum cubitalibus, ex unâ radice prodeuntibus, rotundis, geniculatis: foliis longis fere Oleæ ſimilibus, ad ſingula genicula confertim naſcentibus, cæſii coloris; floribus in extremo caule & ramulis ſpicatim aut racematim congeſtis exiguis, colore ex herbido palleſcentibus: ſemen in caliculis ſeu capſulis pyramidalibus ſurſum apertis ut in congeneribus, cineracei coloris: radix ſatis craſſa, candida, perennis, ſumma tellure multa folia, longiora & verſus extrema latiora, mucronata tamen ſpargens: ſummus caulis & extremi ramuli, potius ramulorum nodi, lento quodam & viſcido humore quaſi glutine tenui obſiti ſunt, quemadmodum plurimæ Lychnides ſilveſtres. Tota planta amara eſt. Naſcitur in lapidoſo & arido ſolo circa Salmanticam, etiam in Narbonenſis Galliæ agris: magna vero copia in Auſtriæ ſalebroſis collibus aliiſque deſertis locis. Nos copioſe naſcentem offendimus in ſabuloſis collibus per univerſam Galliam, at nuſquam abundantius quam in ſilva Regiâ *Fontainbelleau* & intra ſepta Regiæ *Chambort.* Ali etiam ſolebat in hortis Belgicis, inquit Cluſius. Ex eodem autem ſemine plerumque duæ diverſæ ſpecies (nos potius dicimus varietates ejuſdem ſpeciei) enaſcuntur, non illæ quidem formâ diſſimiles, ſed earum una florem majuſculum duntaxat profert ſteriliſque eſt, altera ſeminifera minorem florem habet. Tota æſtate floret & ſemina interim ad maturitatem perducit.

6. *Lychnis* ſilveſtris anguſtifolia viſcoſa præcox rubra foliis Caryophylleis, nobis. Lychnis ſilveſtris viſcoſa rubra anguſtifolia, C. B. P. Lychnis ſilveſtris 4. Cluſ. Hiſt. Lychnis ſilveſtris viſcoſo flore rubro, Eyſt. Huic unicus initio eſt caulis pedalis, amplus, geniculatus, viſcoſus (interdum plures) ex viridi purpuraſcens, præcipue ubi ſunt nodi ſeu articuli: bina ex ſingulis geniculis ſibi invicem appoſita proferens folia, longa Caryophyllorum formâ, mucronata, firma, craſſiuſcula, viridia, à medio ad ſummum fere multis floribus ex alarum ſinu longis ſatis petiolis prodeuntibus onuſtus; qui quinis petalis conſtant eleganter rubellis ad purpuram rutilantem tendentibus, clariore dilutioreque coronilla medium umbillicum occupante, nullo tamen odore præditis: hiiſce ſubveniunt membranacea (attamen duriuſcula) capitula ſeu capſulæ oblongæ, tumidæ in medio, & apertæ in ſummitate, quinque rectis aliquando recurvis denticulis conſpicuæ: in quarum capacitate continentur plurima ſemina racematim adhuc viridia, cingentia ſtilum nutritivum, arida autem diſcutiuntur per foramen in capſulæ ſuperiore parte ſitum, ſicut in aliis ſuæ ſortis, admodum exigua, ex ruffo nigricantia: radix craſſiuſcula, nigra, quæ multas fibras ſpargit & ſingulis annis novos eoſque numeroſiores caules producit. Provenit in omnibus Pannoniæ & Anſtriæ inferioris ſilvis montanis editiſque & herbidis locis atque etiam ſilvis ad Francofurtum vicinis. Floret ineunte Maio, ſemen Junio maturum eſt. Nos abundanter reperimus in ſilva dicta *la Foreſt de Rouſſy* ſecundo à Blæſenſium capite milliari trans fluvium Ligerem.

7. *Lychnis* major anguſtifolia viſcoſa alba petalis quinis ſingulis quinquefariam laciniatis, nobis. Lychnis major anguſtifolia viſcoſa alba, C. B. P. Lychnis ſilveſtris 10. Cluſ. Hiſt. Septimæ huic noſtræ ſingulis annis ex eadem radice novi prodeunt cauliculi per terram ſparſi & ſubinde circa internodia radices agentes, deinde ſurſum denuo ſeſe erigentes palmari altitudine, graciles, geniculati, bina folia in ſingulis geniculis ex adverſo oppoſita ferentes longiuſcula, anguſta acuto mucrone, viridia, prominulo dorſo: flores in ſummis cauliculis & lateralibus ramulis elegantes, candidi, quinque petalis (ſingulis quinquefariam laciniatis ſeu diviſis,) in ſingulis extremis, conſtantes, inodori: quibus ſuccedunt oblonga vaſcula in medio tumida

quinis

quinis recurvis denticulis in ſummitate partita aliarum Lychnidum capſularum more, exiguo nigricante planoque ſemine (qua nota quandam affinitatem cum Armeriis floribus habere videtur) referta: fibroſam habet radicem, quam facile pangere licet. Eſt & alia hujus ſpecies multo minoribus & anguſtioribus foliis, minore etiam flore, cætera ſuperiori non diſpar. Utraque invenitur in ſcopulo illo præruptoque jugo *Dureſtain* nuncupato ſecundo ſupra *Gamingam* milliari: & hæc eſt Lychnis anguſtifolia minor viſcoſa alba, C. B. P. vel 10. alba alia ſpecies, Cluſ. Hiſt.

8. *Lychnis* pratenſis flore laciniato ſimplici & pleno, nobis. Flos cuculi pratenſis, Trag. Flos cuculi, Lon. Geſn. Col. Tab. Odontitis, Cluſ. Hiſt. Odontitis quorundam, Cam. ἰξόχυλος, Thal. Armerius ſilveſtris, Dod. Vetonica ſilveſtris, Dod. Gal. Caryophyllus pratenſis flore laciniato ſimplici ſive Flos cuculi, C. B. P. col. 1. pag. 210. & Caryophyllus pratenſis flore pleno, C. B. P. Ibidem col. 2. Flos hic cuculi dictus doctorum quorundam judicio Odontitis Plinii eſt: anguloſum habet certe caulem, geniculatum, ex nigro viridique purpuraſcentem; ex geniculis plurima parte folia creſcunt aliquantulum oblonga, quam Caryophylli vulgaris majoris latiora, colore herbaceo virentia: floſculos in ſummo cauliculorum parvulos, pentapetalos, ad extremum laciniatos, exiguis Caryophyllis ſilveſtribus perſimiles, verum minores, plures ſimul in quandam veluti umbellam congeſtos & ſingulos particulatim prodeuntes & ſemper fere Roſæ rubore ſplendentes, punctis interim candidis circa medium diſtinctos, interdum variegatos, rariſſime candidos. Similem priori habemus repertam Lychnidem in pratis, ea parte quæ inter Gandavum & Antverpiam ſita, flore elegantiſſimo, carnei coloris. Ornat hic flos, multiplici petalorum ſerie ſolummodo à priore diſtinctus, hortorum areas. Sponte Geſnerus circa Gryphii lacus ripas in Helvetia à ſe repertum ſcribit, ſed multo quam in hortis minorem. Flos cuculi flore ſimplici provenit in locis humidis, ut in pratis & ad pratorum margines ac ſcrobes, ſed multo quam in hortis minor; mature Aprili ſæpe menſe aut initio Maii floret & prata ornat.

9. *Lychnis* incana repens, C. B. P. Ocimoides Lychnitis reptante radice, Col. Foliis eſt parvis, ab radice ſtatim binis ſingulis geniculis hærentibus, foliorum Lychnidis coronariæ æmulis, ſcilicet incanis, piloſis, quæ non minus quam Lychnidis Coronariæ folia ad elychnia formanda apta videntur: radice tenui admodum firmatur parum ſub terram deſcendente atque circum reptante, plurimas fibrillas ad ſingulos nodos protrudente, ex qua plures fruticant viticuli, rotundi, incani, hirſuti, bina foliola ſingulis geniculis hærentia habentes, quæ in imo minora ſunt, deinde majora in medio viticulo, quod contra evenit in plantis, ab radice ſtatim foliata ante caulis eruptionem, ut in Theophraſto legitur, hirſuta, carnoſa, incana, Lychnidi Coronariæ ſimilia, ſed magnitudine & forma Ocimoidis Polimoniæ Belgis dictæ æmula. Cujus etiam, ſicuti aliarum congenerum ritu flores edit Aprili atque Maio menſe candidos, quinis petalis conſtructos, ſtamina intus quinque habentes, atque ſingula folia in ſummo, quo latiora ſunt, dividuntur binatim ut folliculi Thlaſpios, cujus capſula longitudinaliter dividitur, in ſummo. Junio ſemina in longis pericarpiis, mollibus cartilagineiſque perficit, fulva, anguloſa hirſutaque. Pericarpium ſeu capſula ſeminalis, non ut in reliquis Lychnidum ſpeciebus, omnino obducitur, ſed tantum baſin quinque foliolis conſtructam habet ut in Alſines ſpeciebus obſervare eſt, de quibus cap. ſequente. Hujus radix vivax admodum eſt, ideoque multum fruticat atque perennat, terramque ipſius foliis operit. Sapor plantæ dulcis eſt. Hanc herbarii in territorio Neapolitano herbam lactariam vulgo appellant à lactis eliciendi facultate ipſis nota, quare non inepte herbariorum femellarumque vulgus ad eliciendum lac copioſum utitur, atque plantam ſicuti reliqua olera juſculis admixtis ovis diſruptis coquunt, non ſine Piperis atque Amarici modico, vel ut alii ſolent in placentulam efformant, cujus eſu magnam lactis copiam promere experimento ſe habere aſſerunt atque hodie utuntur. Ex his igitur eam calidam & humidam nec adeo terrenæ ſubſtantiæ participem eſſe concludi poteſt. Sponte ac frequens oritur in monte *Divæ Mariæ* Virginis nomine appellato, locis humentibus petroſis.

10. *Lychnis* foliis glabris calyce duriore, Boccon. Ex Siculo ſemine Lutetiæ ſato nata eſt planta hæc, caulibus pedalibus, gracilibus, geniculatis, ramoſis donata: foliis ad ſingulos articulos binis ſibi appoſitis, anguſtis, duris, per extrema valde acuminatis, prorſus Vetonicæ caryophylleæ æmulis: floribus ornatur in faſtigio cauliculorum ex calyce oblongo, canalato, dilute purpureis quinque petalis præditis, minimis, bifidis: quibus evanidis ſuccedit pericarpium oblongum, gracile, longiore pediculo donatum; ſemine minuto, fuſco prægnans: in proclivis circa Maſſanam locis copioſe naſcitur.

11. *Lychnis*

11. *Lychnis* noctiflora minima flore exiguo, Boccon. E radice parva, leniter fibrata, caliculos plures, tenues, primum per terram ſtratos edit: folia ad genicula ſingula, bina è regione poſita, anguſta, uncialia, Linariæ minimæ aureæ ſeu Spergulæ æmula gerit hæc parva Lychnis, quorum in ſinu foliola alia duo naſcuntur breviſſima & tenuiſſima: eriguntur demum cauliculi ſtipatu numeroſo geniculati, multiplices in ramulos diviſi, nonnihil piloſi ut & folia, quorum quæ ad ſummitatem accedunt ſenſim breviora & latiora fiunt. In ſummitate & foliorum ultimis alis ſubrubri exeunt floſculi, pentapetali, in extremis biſulci, Alſines minoris magnitudine, capſulis minimis, Lychnidum more, longis pediculis inſerti. Tota plantula ad genicula viſcido ſeu glutinoſo quodam liquore manus contrectantium inficit.

12. *Lychnis* fruteſcens noctiflora, nobis. Lychnis noctiflora, C. B. P. Ocimaſterum noctiflorum flore albo, Eyſt. Radix non alte deſcendit, mediocris gracilitatis, caulem ferme pedalem, ex intervallis geniculatum profert; cui folia inhærent pari utrinque ſitu, Saponariæ foliis anguſtiora & parum hirſuta (ut in Lychnide ſilveſtri alba, quam & multifloram in hortis colimus) oblongata & ſtricto mucrone finita, viridia, ſplendentia: flores in ſummis ramorum ſinubus emiſſos ex calyculis ſtriatis, ſubhirſutis, atque glutinoſo humore adeo oblitis, ut muſcas minutas & alia inſidentia animalia inſecta cohibeant, ſubminiſtrant, Saponariæ itidem æmulos, circa ſummas oras bifidis petalis & modice extremitatibus punicantibus conſtantes: noctu tantum & humidioris aeris afflatu odorem ſuaviſſimum emittentes explicati: ſemen ſuccreſcit iiſdem calyculis oblongis, & media parte magis tumentibus, ſuperius etiam aliorum Lychnidum calyculorum inſtar quinquefariam fiſſis; quod quaſi in racemum compactum, conglomeratumque, maturitate cineracei coloris exiguum, aliarum Lychnidum ſeminibus ſimile.

13. *Lychnis* fruteſcens myrtifolia Been albo ſimilis, C. B. P. Ocimoides fruticoſum, Cam. Lychnis ſilveſtris ſempervirens, Ocimoides arboreum ſempervirens, Cluſ. Hiſt. Hujus novæ & elegantis Lychnidis ſpeciei ſemina 80. abhinc annis ex Italia miſſa, Ocimoidis arborei ſempervirentis appellatione habuit Car. Cluſius: cui multi ab eadem radice prodeunt rami, dodrantales, aliquando pedales, lignoſi, craſſiuſculi, nodoſi valde, ſed fragiles; nodis ſingulis bina ſemper adnaſcuntur ex adverſo inter ſe folia, Bellidis foliis non majora, ab imo anguſto in latum expanſa, mucronata tamen, viridia admodum & ſplendentia: è ſummis ramis alii naſcuntur petioli ſemiunciales, quibus inſident flores pentapetali, pinguibus membranaceis calyculis incluſi, quinque bifidis petalis conſtantes, coloris quodammodo carnei; è quorum medio terna, gracilia incurvaque prodeunt ſtamina: quibus evanidis ſingulæ ſuccedunt capſulæ pyramidales, continentes plurima ſemina racematim adhærentia ſtilo nutritivo, ſicut in priore 13ia. Vide Icones utriuſque ſcilicet 12, & 13. in Tab. 20. Radix candicat, pauciſque fibris prædita eſt. Perennis tamen eſt ipſa planta.

TABULA XXI.

Lychnis latifolia viridis floribus in capitulum denſe congeſtis
- *Chalcedonica hirſuta*
  - 14. *Major*
    - *Flore*
      - *Simplici*
        - *Albo.* ⊙
        - *Incarnato.* ⊙
        - *Miniato ſeu aurantiaco.* ⊙
      - *Pleno miniato ſeu aurantiaco.* ⊙
  - 15. *Minor flore coccineo, C. B. P. Flos Conſtantinopolitanus minor, Dod.* ⊙
- 16. *Montana flore globoſo luteo, nobis. Bellis montana flore globoſo luteo, C. B. P. Globularia montana lutea, Col.* ⊙
- 17. *Silveſtris latifolia, Cluſ. Hiſt. ſive Muſcipula maxima Auriculæ urſi facie, Park.* ⊙
- 18. *Viſcaria maxima Cretica Alpini de Exot. Park.* ⊙

§. 2. LYCHNIDES *latifoliæ virides floribus in capitulum denſe congeſtis. Explicatio Tab. vigeſimæprimæ Sectionis quintæ.*

14. *Lychnis* Chalcedonica flore albo incarnato miniato ſimplici & pleno, nobis. Lychnis major hirſuta flore coccineo, C. B. P. Lychnis Chalcedonica ſive Conſtantinopolitana miniata, Ad. Lob Lychnis Chalcedonica, Tab. Ger. Lychnis Bizantina miniato flore, Cluſ. Hiſt. Flos Conſtantinopolitanus, Dod. Lychnis Chalcedonica, Park. Lychnidi huic Chalcedonicæ caules ſunt è radice plures, bicubitales, tenues, geniculati, inanes: folia è geniculis ſingulis

gulis bina, oblonga, aliquantulum verſus appoſitionem cum caule lata, verſus extremum acuminata, obſcure virentia, nonnihil aſpera & hirſuta, ſicuti & caules: flores quaſi in latas umbellas aut potius in capitulum denſe congeſti, aſpectu pulchri, cæterum inodori, colore floris Calendulæ, purpurei Lilii ſive maturi Mali aurantii corticis exterioris, ſubinde dilute rubentes aut candidi. Flores, inquam, donantur ſimplicibus quinis petalis, ad medium diviſis ſeu bifidis, unde crux Hieroſolymitana, nunc Melitenſis, quia equites olim Hieroſolymitani, nunc Melitenſes, inſigne aureum cruceatum ad modum hujus Lychnidis floris gerunt in pectore pro ſigno equeſtris illius ordinis. Eſt & flore pleno ſeu multiplici petalorum ſerie. Semen floribus ſimplicibus cujuſcunque coloris evanidis ſuccedit exiguum, ſubruffum, copioſum, in longis acuminatis vaſculis ſeu capſulis cartilagineis: radices longæ, in plures tenues radiculas diviſæ, guſtu aliquantulum acres. Seritur in hortis ſemine primo Conſtanſtinopoli delato, unde Lychnis Conſtantinopolitana ſeu Chalcedonica dicta à locis in quibus primo detecta fuit. Junio ac Julio altero à ſatione anno floret, deinde per plures annos radicibus in hortis durat, hyemis & frigoris ſatis patiens.

15. Huc pertinet Lychnis minor flore coccineo, C. B. P. Flos Conſtantinopolitanus minor, Dod. Flos minimus, Lugd. Sola parvitate à priore differt.

16. *Lychnis* montana flore luteo globoſo, nobis. Bellis montana flore globoſo luteo, C.B.P. Globularia montana lutea, Col. Radicem habet hæc longam, pedalem, minimi digiti craſſitudine, craſſo cortice è fuſco pallido, medulla intus lignoſa, dura, fibris in terram ſe figentibus multis tenuibus circa foliorum exortus, in reliquo vero radicis rarioribus & craſſis longioribuſque: ſapore ſicco, gravi odore, acuto: folia ex illa denſa (plura namque germina fundit) oblonga, Cochlearis Anglicæ modo, digitali in ſummo latitudine majora, minora vero ſunt reliqua, lævia, elata, carnoſa, rigida, ocultis nervis & intra carnem minimis extuberantibus. Sapore, inquam, amaro, cum acrimonia quadam: inter quæ ex ſingulis propaginibus pedales exeunt juncei, rotundi caules, aut parum majores, æqualiter craſſi, unico circa ſummam tertiam caulis partem geniculo duobus rectis foliolis intercepto, in quo purpuraſcunt. In ſummo vero capita ſunt orbiculata, quatuor apicibus foliorum duorum contecta, quæ caule perforata videntur, Scabioſæ modo compoſita, quibus hiantibus copioſi, utriculi hirſuti, purpuraſcentes, in globum compoſiti, flores emittunt luteos, ſtellatos, odore Geniſtæ non ingrato, quinis petalis conſtructos, deniſque ſtaminibus longis, medium apicem, craſſiuſculum, bicornem, pallentem & latum proferentes, ex fructu in quo inſidet emicantem: capſula quidem intra florem adhuc ovalis, tenera pellicula tegitur, ut ſemina extuberare videantur; defluxis vero per maturitatem floribus, hirſuta fit, atque utriculi modo aperta alium habet intra ſe duriorem ovalem capſulam Lychnidis modo: in quo ſemina nigra, compreſſa, rotunda, ſed parum inciſura diviſa, quæ, aperto in quatuor partes pericarpii ore, vento excutiente decidunt. Floret Junio, Auguſto menſe perficiuntur ſemina. Montium altiſſima juga ſupra villam Flamminianum Æquicolis Marerii comitatus, *lo Serrone*, loco dicto, quod eſt ſupercilium montis, incolit, in quo Globularia cærulea Monſpelienſis copioſa eſt.

17. *Lychnis* ſilveſtris latifolia, Cluſ. Hiſt. Lychnis ſilveſtris latifolia Cluſii, Ger. Lychnis ſilveſtris latifolia Cluſii ſive Muſcipula maxima Cretica Auriculæ urſi facie, Park. Hæc radices habet fibroſas Primulæ Veris inſtar, è quarum capite folia promit ſatis ampla Auriculæ urſi vulgo appellatæ flavo flore non valde diſſimilia, candidiora tamen, & lanugine pubeſcentia, etiam illis craſſiora, denſiora, & ſucco abundantia: altero demum anno à ſatione caulem producit duorum aut trium cubitorum altitudine, firmum, rotundum, ſucco quodam glutinoſo obſitum, quo muſcæ & alia minuta inſecta inſidentia detinentur magno ſatis numero: in ſummis ramis plurimos profert flores veluti in umbellam congeſtos, etiam ad centeſimum interdum numerum, ſatis tamen exiguos pro plantæ magnitudine, quinque petalis bifidis conſtantes, coloris ex viridi flaveſcentis. Hujus ſemen ex Italia ad Cluſium miſſum à Joſepho de Caſabona ſereniſſimi ducis Florentiæ Botanico, cum ex Creta redux eſſet Muſcipulæ Auriculæ urſi facie nomine, cum plurimis aliis ſeminibus ex ea peregrinatione relatis.

18. *Lychnis* viſcaria maxima Cretica, nobis. Viſcaria maxima Cretica, Proſp. Alpin. Viſcaria maxima Cretica Alpini, Park. Planta hæc eſt folioſa emergens ex radice longa, craſſitie pollicari, alba, ſenſim ac ſenſim gracileſcente: dura & carnoſa fert folia, innumera fere, inferius gracilia, ſuperius lata, & in mucronem acutum definentia, denſiſſime ſimul ſtipata, Auriculæ urſi flore luteo admodum ſimilia: inter folia exeunt ramuli, numero plerumque decem & plures etiam aliquando, ſemicubitum longi, graciles, rotundi, rare geniculati, albicantes, humiditate admodum viſcida obſiti, à quorum ſingulis geniculis bina folia utrinque è regione

 poſita

ſita exeunt, parva, oblonga, tenuia, aliarum Lychnidum foliorum figura: in ſummis vero caulibus ramuliſve juxta geniculos ferunt foliola binatim aut ternatim: ex geniculis plures flores ex eodem centro ortos, uncialibus pediculis nixos Muſcipulæ vulgaris ſimiles gerunt: adeo ut ramulorum ſummitates floribus multis ſcateant pentapetalis, parvis, quorum ſingulis ſuccedunt vaſcula parva, rotunda, quinque aut ſex denticulis, rectis ſurſum verſus, una cum foramine in medio donata, ex quo effunditur ſemen nigrum maturum, parvum, copioſum, ut in cæteris ſuæ ſortis Lychnidibus. Non eſt hæc eadem cum priore, ut apparet ex diverſis deſcriptionibus & Iconibus. Vide appendicem ad finem hujus Sectionis. Conſule Proſp. Alpinum de Exoticis pag. 135. qui differentiam plane perceptibilem adfert. Lychnis 9. Cluſii & Lychnis incana repens C. B. P. Ocimoides Lychnitis, Col. in hoc paragrapho deſcriptæ debent amandari ad ſilverſtres hirſutas §. 4.

Pars TABULÆ XXI.

Lychnis coronaria ſive cotonaria
- 19. *Sativa flore*
  - *Simplici*
    - *Albo.* ☉
    - *Rubro.* ☉
    - *Punctato.* ☉
  - *Pleno rubro.* ☉
- 20. *Silveſtris, C. B. P. Lychnis rure nata, Ad. Lob. Lychnis umbellifera montana Helvetica, Jacob. Zanoni.* ☉

§. 3. *LYCHNIDES majores coronariæ ſive cotonariæ.*

Explicatio partis Tab. vigeſimæ primæ Sectionis quintæ.

19. *Lychnis* coronaria ſativa flore albo rubro punctato ſimplici, & rubro pleno, nobis. Lychnis coronaria Dioſcoridis ſativa, C. B. P. Lychnis ſativa vel coronaria, Dod. Gall. Geſn. Hort. Lychnis coronaria, Ad. Lob. Lugd. Dod. Cæſ. Ex radice multum fibroſa caules exeunt recti, cubitales, & ſeſquicubitales, teretes, ramoſi, incanâ lanugine pubeſcentes, in alas aliquot diviſi, ad quorum ſingula genicula folia oriuntur bina, ex adverſo poſita, Salviæ foliis paria aut paulo majora, oblonga, obtuſa, craſſiuſcula, mollia, ſupra infraque denſo villo caneſcentia: flores ex calycibus oblongis, canaliculatis, (id eſt rigis & ſulcis villoſis) emicant, parum odorati, coloris albidi, rubri, ex carneo candidoque mixti, quinis petalis latiuſculis conſtantes, Roſulam exprimentes, ſingulis autem petalis appoſiti apices bini, acuti, rigidi. Præter vulgarem flore ſimplici variis coloribus picto donatam, reperitur vulgo in hortis flore pleno rubro, quæ eſt Lychnis coronaria ſativa multiplex, C. B. P. Lychnis flore pleno du Bry. Lychnis coronaria flore rubro pleno, Eyſt.

20. *Lychnis* coronaria ſilveſtris, C. B. P. Lychnis coronaria rure nata, Ad. Lob. Lychnis umbellifera montana Helvetica, Jacob. Zanoni. Ex radice magnum ceſpitem foliorum per terram ſtratorum emittit hæc Lychnis coronaria ſilveſtris, ejuſdem formæ cum foliis Lychnidis coronariæ ſativæ, craſſiora tamen, duriora, cartilaginea, magna & villoſa, attamen viridia: ex horum medio protruduntur caules plurimi, villoſi itidem, quadrati, albi, in medio cavi, nodis ſeu geniculis exceptis quæ raro diſponuntur & craſſeſcunt, ex quorum ſingulis exeunt bina folia ex oppoſito diſpoſita, nunc à dextris & ſiniſtris, nunc antè & retrò ut cernitur in plantis òmnibus, caule quadrato donatis: in ſummis caulium ramis naſcuntur plurimi flores, umbellatim diſpoſiti, ſinguli quinis petalis rubentibus cordatis ſeu biſulcis conſtantes; in quorum medio exit ſtilus, ejuſdem coloris: flores, inquam, in capitulum congeſti, pulchri aſpectui cernuntur: hiſce evanidis ſuccedunt capſulæ ſimul junctæ, oblongæ, ſulcatæ exterius, & virides, uſquead numerum denarium, capſula interior cartilaginea, ſuperius quinque criſtatis denticulis donatur, una cum foramine, ex quo decidunt ſemina, ſubruffa, paulùlum plana, cum parvulis protuberantiis. Floret Maio, ſemina perficit Julio & Auguſto. Reperitur in Rhœtiæ Alpibus flore hortenſi odoratiore, teſte Geſnero.

Pars TABULÆ XXI. Sectionis quintæ.

Lychnis ſilveſtris hirſuta major	*Perennis*	21. *Alba*	*Simplex.* ⊙
			Multiplex. ⊙
		22. *Foliis Cochleariæ Britannicæ flore amplo Saponariæ, nobis.* ⊙	
		23. *Sed minus hirta flore rubello*	*Simplici.* ⊙
			Pleno. ⊙
	Annua	24. *Flore minore carneo, nobis.* ☿	
		25. *Chalepenſis floſculis carneis pediculis infirmis biuncialibus inſidentibus, capſulis fere rotundis, nobis.* ☿	

§. 4. *LYCHNIDES ſilveſtres majores hirſutæ.*
Explicatio partis Tab. vigeſimæ primæ Sectionis quintæ.

21. *Lychnis* ſilveſtris hirſuta perennis alba ſimplex multiplex, nobis. Lychnis ſilveſtris alba ſimplex & Lychnis ſilveſtris alba multiplex, C.B.P. Lychnis ſilveſtris alba,Dod. Gall. Cam.Ocimoides majus, Cæſ.Lugd. Ocimaſtrum ſeu Ocimoides, Matth. Lac.Tab. Caſt. Lychnis hæc ſilveſtris geniculatis eſt caulibus foliiſque mollibus, Lychnidi coronariæ ſatis ſimilis, minus tamen cana aut lanuginoſa; foliis item anguſtioribus & caulibus tenerioribus,plureſq; alas facientibus; floribus etiam minoribus, colore candidis aut rubentibus; calycibus majoribus planis, in quibus ſemen parvum, rotundum, ſubnigricans; radicibus longis & digitalis ſubinde craſſitudinis. Juxta pratorum arvorumque margines & alibi ſua ſponte exit. Transfertur etiam in hortos, præcipue eæ quarum quandoque florum petala multiplicantur. Plurima æſtatis parte in Autumnum uſque floret. Huc pertinet Lychnis prolifera flore viridi, C. B. P. Lychnis agreſtis abortiva multiplici flore viridi, Lob. Icon. Ocimaſtrum flore pleno viridi, Cam. Ep. in Matth.

22.*Lychnis* ſilveſtris hirſuta perennis foliis Cochleariæ Britanicæ flore amplo Saponariæ, nobis.Caulibus eſt hæc ſeſquipedalibus aut pedalibus,partim humi procumbentibus,partim erectis, geniculis craſſioribus: quibus adnaſcuntur folia oblonga, hirſuta, forma Cochleariæ Britannicæ: in ſummis caulibus conſpiciuntur flores ampli, Saponariæ florum æmuli, quibus ſingulis deciduis ſuccedunt capſulæ pares continentes paria ſemina.

23. *Lychnis* ſilveſtris minus hirſuta flore rubello ſimplici, nobis. Lychnis ſilveſtris ſive aquatica purpurea ſimplex, C.B. P. Lychnis ſilveſtris purpurea, Dod. Lugd. Lychnis ſilveſtris rubello flore, Lob. Ad. Hæc radice eſt non ita magna; gracilioribus cum caulibus, tum foliis, parum hirſutis viridibus, nec mollibus, ſed ex pallido herbaceis: flores illi rubelli, elegantes, quinis petalis ad medium bifidis conſtantes, coloris dilutioris Roſæ inſtar; quibus ſuccedit pericarpium foliaceum, oblongum, involvens capſulam duram, oblongam, etiam cartilagineam, in qua continentur ſemina fuſca. Hujus in hortis conſpicitur varietas, cujus flores rubelli eleganter multiplici petalorum ſerie ornantur, diciturque Caſp. Bauhino Lychnis purpurea multiplex, Lychnis ſilveſtris flore pleno rubro, Eyſt. Eſt enim diſtincta ſpecies à priore Lychnide ſilveſtri hirſuta alba, ut apparet ex deſcriptione utriuſque. Provenit flore rubro ſimplici paſſim circa Londinum, Oxonium & alibi in foſſis & ad margines ſepium ſilvarumque humidiorum paſſim.

24.*Lychnis* ſilveſtris hirſuta annua flore minore carneo, nobis. Hæc in multis convenit cum priore; at differt primo duratione, ſecundo florem gerit minorem carneum & cito evanidum. Vide App.

25. *Lychnis* Chalepenſis annua foliis parum hirtis & anguſtis floſculis carneis pediculis infirmis biuncialibus inſiſtentibus capſulis fere rotundis, nobis. Hæc à longitudine pediculorum, ſcilicet biuncialium, à quibus dependent primo flores & conſequenter capſulæ ſeminales notu facilis eſt à cæteris ſuæ ſortis Lychnidibus. 24^{am}. & 25^{am}. habuimus ſeminibus Chalepo miſſis à D. *Roberto Huntington* inter plurimas alias rariores Aſiaticas plantas,quæ nunc cicuratæ viſui offeruntur in horto publico Univerſitatis.

Pars TABULÆ XXI. Sectionis quintæ.

Lychnis ſegetalis major glabra
- 26. *Viſcoſa latifolia ſilveſtris, nobis. Lychnis prima, Cluſ. Hiſt.* { *Purpurea.* ☿ / *Alba.* ☿ }
- 27. *Vaccaria dicta, Dod. Ger. J. B. Chabr.* ☿
- 28. *Foliis oblongis mucronatis flore amplo rubello capſula oblonga pyramidali, nobis.* ☿
- 29. *Viſcoſa rubra multis foliis anguſtis parvis cingentibus genicula ſuperiora, nobis. Lychnis ſilveſtris tertia, Cluſ. Hiſt.* ☿

§. 5. *LYCHNIDES ſegetales majores glabræ.*
Explicatio Tab. vigeſimæ primæ Sectionis quintæ.

26. *Lychnis* viſcoſa purpurea latifolia levis, C. B. P. Lychnis ſilveſtris prima, Cluſ. Hiſt. Muſcipula ſive Armoraria altera, Lob. Lugd. Viſcaria ſativa, Tab. Craſſiuſculos habet hæc caules, rotundos, geniculatos, in multas alas diviſos, ſupra & infra genicula lento & viſcido quodam liquore obſitos; quibus plerumque inhærent culices & minuta hujuſmodi inſecta: folia ad ſingula genicula bina è regione poſita, è viridi candicantia, & quaſi cæſia, ſatis ampla, amplectentia caulem arcte ad genicula, ut eo quaſi perforari videantur: flores fert multos in umbellam congeſtos, pulchros, rubros utplurimum, nunc albidos, quinque petalis non bifidis conſtantes: ſemen in tenellis vaſculis, oblongis, parvum, rotundum, Papaveris Rhœadis inſtar, cineracei coloris continetur: radix craſſa ſatis & fibroſa, quam ubi planta floruerit & ſemina perfecerit, ſubſequens hyems corrumpere ſolet. Naſcitur in arvis & inter ſegetes ſabuloſas. Floret eodem quo ſata eſt anno à Maio menſe uſque in Autumnum, quo tempore ſemen perficit. Huc pertinent VII, VIII, & IX. Caſp. Bauhini in Pinace.

27. *Lychnis* ſegetum vaccaria dicta, nobis. Lychnis ſegetum rubra foliis Perfoliatæ, C.B.P. Vaccaria, Dod. Geſn. Ger. J. B. Chabr. Aſſurgit hæc Lychnis vaccaria dicta ſupra dodrantem, teretibus, geniculatis, glabris ac rotundis virgulis, in alas diviſis; quarum geniculis ſeu articulis nodiſve bina folia, longa, lævia, acuminata, ſibi appoſita, verſus caulem ita conjuncta ut unita appareant: eminent in ſingulis virgularum ſummis capitula ſatis magna, membranis ſtriatis contecta, haud diſſimilia Lychnidis ſilveſtris capitulis, ſed minora, in quibus ſemen perficitur nigrum, fere uti Melanthii ſegetum, floſculo antecedente tenui, rubente, pentapetalo paululum cordato: radix in fibras aliquot diviſa. Tota herba adeo dilute viret, ut ſubalbida videatur; pleriſque in arvis aliiſque ſegetalibus præſertim reſtibili & læto ſolo provenit, à ſolſtitio æſtivo in Autumnum uſque flores & interea temporis ſemen perficit. Hallucinantur qui Glaſtum aut aliquam ejus ſpeciem judicant. Ad tincturam ſiquidem inutilis, multo minus cæruleo inficit, quod Iſatis præſtat.

28. *Lychnis* glabra annua foliis oblongis mucronatis flore amplo rubello capſula oblonga pyramidali, nobis. Hæc florem gerit amplum, eleganter rubellum, cui ſuccedit capſula verſus fundum craſſa ſatis, in longum acumen definens, pyramidis in modum. Vide App.

29. *Lychnis* viſcoſa rubra multis foliis anguſtis parvis cingentibus genicula ſuperiora, nobis. Lychnis ſilveſtris viſcoſa rubra altera, C. B. P. Lychnis ſilveſtris 3. Cluſ. Hiſt. Viſcago major, Cam. Ex geniculis ramos profert hæc Lychnis in multa brachiola diviſos: folia 2. Cluſii anguſtiora, ſatura viriditate nigricantia: flores quinis etiam petalis conſtantes rubentibus: ſemen in caliculis ſeu capſulis cæterarum Lychnidum ſemini ſimile, ſed parvum ſatis, & fuſcum: radix craſſa quam hyems etiam corrumpit. In arvis & inter ſegetes creſcit & in pingui ſolo, pleriſque Caſtellæ veteris locis. Floret eodem quo ſeritur anno ſeminaque itidem perficit.

Pars TABULÆ XXI. Sectionis quintæ.

Lychnis ſegetalis major hirſuta
- 30. *Lanuginoſa nobis.* *Lychnis ſilveſtris* 5. *Cluſ. Hiſt* *Lychnis ſilveſtris hirta, Lob. Ger.* ☿
- 31. *Nigellaſtrum ſeu Pſeudomelanthium dicta, nobis.* *Nigellaſtrum, Dod.* ☿
- 32. *Nigellaſtrum glabrum minus dicta flore eleganter rubello, nobis.* ☿
- 33. *Latifolia caliculis ſtriatis turgidis, nobis.* *Lychnis caliculis ſtriatis, Ger.* ☿
- 34. *Anguſtifolia caliculis ſtriatis turgidis, nobis.* *Lychnis ſilveſtris altera incana caliculis ſtriatis turgidis, Lob. Lugd.* ☿

§. 6. *LYCHNIDES ſegetales majores hirſutæ.*
Explicatio partis Tab. vigeſimæprimæ Sectionis quintæ.

30. *Lychnis* ſilveſtris lanuginoſa major, C. B. P. Lychnis ſilveſtris 5. Cluſ. Hiſt. Lugd. Tab. Lychnis ſilveſtris hirta, Lob. Ger. Multos cauliculos ex una radice profert hirſutos, rotundos, longiuſculos, cæterarum Lychnidum minorum infirmiores & aliquando in terram procumbentes, geniculatos: folia in ſingulis geniculis bina, longa, mollia & lanugine quadam caneſcentia: inter quæ flores alternatim ſecundum ramulorum longitudinem è geniculis ipſis naſcuntur, ſuperiorum floribus formâ ſimiles, quinis petalis conſtantes, ſingulis in medio diliquium patientibus, majores autem, & dilutiore colore rubentes, vel ut ita dicam, inquit Cluſius, incarnati: ſemen in vaſculis exterioribus hirſutis, interioribus cartilagineis, quinis denticulis parvis donatis continetur, foramine etiam ſuperiore in capſulæ interioris parte præditis, ex quo profluit ſemen cæterarum ſeminibus ſimile aut par, ſubruffum: radix craſſa & fibroſa. Annua eſt planta florens & ſemina perficiens æſtate.

31. *Lychnis* hirſuta ſegetum major, nobis. Lychnis alia inter Triticum, Cæſ. Lychnis arvenſis, Tab. Nigellaſtrum, Dod. Pſeudomelanthium, Matth. Lac. Lon. Ad. Lob. Lugd. Thal. Ger. Foliis eſt oblongis, anguſtis, acuminatis, culmo cubito altiore, rotundo & hirſuto, utribuſque ſeu calycibus hirſutis ſeu piloſis: flore obſcure purpureo ad puniceum inclinante, Lychnidis ſativæ ſimili, ſed majore, ex quinis petalis cordatis conflato: ſemine nigro, cum aſperitate quadam amaro, quod in oblongis capitulis membranaceis ſive cartilagineis, tegumento hirſuto, ſtriato ſeu canaliculato obductis, continetur; atque in ſingulis interſtitiis petalorum aparent foliola anguſta, tenuia, oblonga, hirſuta pariter, ſuperantia longitudinem petalorum: radice eſt tenui pereunte annuatim poſt ſemina ad maturitatem perducta. Paſſim in agris unà cùm frumentis gignitur. Maio ac Junio cum flore viget, ac brevi poſt matureſcit ſemen.

32. *Lychnis* ſegetum Nigellaſtrum minus glabrum dicta flore eleganter rubello, nobis. Hoc Nigellaſtrum priore multo humilius vix pedalem excedit altitudinem: florem habet minorem; quinque foliola conſtituentia calycem non excedunt petala florum, capſulam habet prioris tenuiorem: folia & caulis non tam ſcatent pilis ut prioris. Vide ultimam plantam Tab. 22. & huc refer cum 31. Lychnide hirſuta ſegetum majore.

33. *Lychnis* ſilveſtris latifolia cauliculis ſtriatis turgidis, C. B. P Lychnis ſilveſtris tertia, Cluſ. Hiſt. Lychnis ſilveſtris tertia caliculis ſtriatis, Lob. Lugd. Tab. Lychnis caliculis ſtriatis, Ger. Muſcipula major calice turgido ventrioſo, J. B. Chabr. Cubitalem emittit caulem, rectum, ſtatim à radice ramoſum, craſſiuſculum, hirſutum, ſtriatum, fragilem: folia Ocimoidis ſpecioſi, hirſuta, mollia, ex ramorum divaricationibus foliorumq; ſinubus extremis exeunt, quibus flores ex pediculo ſatis longo appenſi quinq; petalis bifidis purpuraſcentibus orto Sole flacceſcentibus conſtant, apicibus in medio albis: ſub calice oblongo, involucro hirſuto, pulchre ſtriato tecto latet ſemen pulchrum, nonnihil ad papaverinum accedens, ſed majus, compreſſum, ſtriatum, cinereum: radix robuſta eſt, recta, ex lateribus fibras producens. Tota planta ad tactum viſcida: foliorum ſapor glutinoſus. Provenit in arvis & inter ſegetes ſabuloſas: at in pingui ſolo collegit Cluſius in pleriſque Caſtellæ veteris locis. In hortis etiam eodem quo ſata eſt anno floret à menſe Maio uſque in Auguſtum aliquando, quo tempore ſemina perficit. Huc pertinet Lychnis tertia ſilveſtris anguſtifolia caliculis turgidis ſtriatis, C. B. P. Lychnis ſilveſtris anguſtifolia caliculis turgidis ſtriatis, Lob. Lugd. & quarta etiam Lychnis autumnalis flore obſoleto caliculis turgidis ſtriatis, C. B. P.

34. *Lychnis* anguſtifolia caliculis turgidis ſtriatis, nobis. Differt à priore parvitate tantum.

Pars TABULÆ XXI. Sectionis quintæ.

Lychnis minor hirſuta
- 35. *Seu lanuginoſa minor, nobis. Lychnis ſilveſtris hirta minima Lob. Ger.* — *Flore* { *Albo.* ☿ / *Rubro.* ☿ / *Mixto.* ☿ / *Variegato.* ☿ }
- 36. *Floribus albis* { *Uno verſu diſpoſitis calice rotundo, nobis.* ☿ / *Indiſcriminatim diſpoſitis capſulis longioribus cylindraceis, nobis.* ☿ }
- 37. *Segetum minima, nobis. Alſine corniculata, Cluſ. Hiſt. Lob. Lugd. Tab. Ger.* ☿
- 38. *Montana procumbens, nobis. Lychnis vel Ocimoides montanum repens, C. B. P. Ocimoides Polygoni folio, Lugd. Ad. Lob.* ⊙
- 39. *Minima rigida Cherleri, J. B. Chabr.* ⊙

§. 7. *LYCHNIDES minores hirſutæ.*
Explicatio partis Tab. vigeſimæprimæ Sectionis quintæ.

35. *Lychnis* ſilveſtris lanuginoſa minor, C. B. P. Lychnis ſilveſtris 6. Cluſ. Hiſt. Lugd. Lychnis ſilveſtris hirta minima, Lob. Ger. Lychnis ſilveſtris minima, Tab. Lychnis hæc omnium minima cauliculo aſſurgit circiter palmari in macro ſolo, aliquando dodrantali in pingui, geniculato, tenui, lanuginoſo: ad ſingula genicula ſeu internodia bina, tenuia, longiuſcula folia, lanuginoſa pariter, naſcuntur: flores inordinati, alternatim ex ſingulis geniculis prodeunt parvi, purpurei coloris, aliquando albi & pulcherrimo rubro mixti, aliquando eleganter maculis rubellis ad nigredinem vergentibus notati, ſinguli ex quinque petalis trifidis donati & longiuſculo pericarpio exteriore lanuginoſo præditi, interiori membranaceo ſeu cartilagineo incluſa ſunt ſemina minuta, cineracea: radix tenuis & fibroſa. Semeſtris eſt hæc planta, ejuſque varietates quoad colorem. Reperitur in collibus Salmanticenſibus circa Salmanticam ipſam jacentibus inter ſaxa. Floret Maio & Junio: verſus finem æſtatis ſemen perficit ſuum.

36. *Lychnis* ſegetum meridionalium annua hirta floribus albis uno verſo diſpoſitis, nobis. Caulem emittit pedalem, erectum, cujus ſingulis geniculis bina è regione adnaſcuntur folia anguſta, hirſuta; verſus cymas plurimos fert flores albos, quinis anguſtis petalis ad medium bifidis donatos ſtellulaſque quaſi æmulantes, atque uno verſu diſpoſitos: quibus ſuccedunt capſulæ oblongæ, pericarpio exteriore hirſuto, capſula interiore cartilaginea continente in ſe ſemina minuta, ſubnigra. Datur etiam hujus varietas, quæ in plurimis cum ſuperiore convenit & flores non uno verſu diſpoſitos, ſed indiſcriminatim circa caulium ſummitates gerit, capſulas vero prioris longiores quaſi cylindriacas. Vide App.

37. *Lychnis* ſegetum minima, nobis. Lychnis ſegetum minor, C. B. P. Alſine corniculata, Cluſ. Hiſt. Lob. Caſt. Lugd. Tab. Ger. Alſine corniculata Cluſii, J. B. Chabr. Palmaris hæc eſt herbula, unico caule conſtans, qui in aliquot ramulos ſurſum verſus dividitur, eoque geniculato, tenero, ſubhirſuto, ut Alſine vulgaris Auricula muris dicta Dodonæo, Gall. Folia Alſines foliorum æmula ſunt, multo tamen longiora, ſubhirſuta, bina etiam ex adverſo appoſita ex intervallis; alarum cavis inſident puſilli flores, candicantes: quibus ſuccedunt membranacea & tranſparentia cornicula gallinaceorum calcarium formâ, quæ lento quodam conſperſa humore deprehenduntur: ſemen in illis exiguum, maturitate nigrum: radix inutilis & annua. Tota plantula inſipida eſt. Inter ſegetes frequens in agro Salmanticenſi, Authore Cluſio, ubi Maio menſe flores producit, & eodem exeunte ſemina perficit.

38. *Lychnis* vel Ocimoides montanum hirſutum procumbens, nobis. Lychnis vel Ocimoides montanum repens, C. B. P. Ocimoides repens, Cam. Ocimoides Polygoni folio, Ad. Lob. Lugd. Ocimoidis alterum genus parvum, Cæſ. E cauliculis gracilibus, geniculatis procumbentibus, teneris, flexuoſis, hirſutis, Alſines auricula muris dictæ obtuſis foliis ſimilibus, folia profert bina juxta genicula, Oleæ ſilveſtris, Myrti aut Polygoni ſimilia, ſed hirſuta admodum, ſicut & calyces ſuſtinentes flores; qui flores pentapetali, minime bifidi, in calyculis exterioribus, oblongis, hirſutis, Saponariæ concolores: radicem habet exilem, perennem. In Tauronenſium, ad Padum, collibus umbroſis & ſilvoſis & juxta ſepes frequenter oritur, atque etiam in Euganeis montibus herbidis & umbroſis, etiam ſecus rivulos è ſaxorum commiſſuris.

39. *Lychnis* minima rigida Cherleri, J. B. Chabr. Rigidula eſt hæc planta, duum triumve unciarum, altitudine raro palmum attingit, & eſt colliculis duris ramoſis: folia ad ſingulos nodos bina, ex adverſo poſita, ſemiuncia breviora, peranguſta, piloſa: ex quorum alis naſcuntur

tur calyces ſemiunciales, ſulcati, perquam graciles, æquabiles, hirſuti, aſperi, è quorum ſingulorum apice floſculus proſilit, quem præ exiguitate vix viſus capit, purpureus: radix dura, lignoſa. Collecta fuit per Cherlerum generum Johannis Bauhini prope Nemauſum juxta molendinum.

Pars poſterior TABULÆ XXII. Sectionis quintæ.

Lychnis minima
- 40. *Maritima procumbens ſtrictiſſimis longis foliis, nobis.* ☿
- 41. *Longioribus foliis incanis florum petalis quinis non bifidis, nobis.* ☉
- 42. *Tauricus calyce amplo longo hirſuto flore itidem amplo, nobis. Caryophyllus amplus* 8. *Cluſ. Hiſt.* ☉
- 43. *Arvenſis minor vulgaris hirſuta, nobis. Caryophyllus arvenſis hirſutus flore majore, C. B. P. Caryophyllus holoſtius, Lob. Icon. Ger.* ☉
- 44. *Maritima incana & tomentoſa, nobis. Caryophyllus tomentoſus, C. B. P. & Prod.* ☉
- 45. *Caulibus ad genicula folioſis, nobis. Auricula muris flore pulchro albo, J. B. Chabr.* ☉
- *Graminea*
  - 46. *Hirſuta umbellifera, nobis. Caryophyllus arvenſis umbellifer, J. B. Chabr.* ☉
  - *Glabra* – *Flore*
    - 47. *Majore, nobis. Gramen leucanthemum, Dod. Lugd. Gramen floridum majus, Tab.* ☉
    - 48. *Minore, nobis. Gramen floridum minus, Tab.* ☉
- 49. *Arvenſis folio glabro plumbei coloris, nobis. Alſine verna Dal[pii]. Lugd.* ☿
- 50. *Muralis, nobis. Caryophyllus minimus muralis, C. B. P. Tunica minima Dal[pii]. Lugd.* ☿
- 51. *Foliis Laricis ſeu tenuiſſime diviſis, nobis. Auricula muris pulchro flore folio tenuiſſime diviſo, J. B. Chabr.* ☉

§ 8. *LYCHNIDES maritimæ arvenſes, minimæ, variæ.*
Explicatio partis Tab. vigeſimæſecundæ Sectionis quintæ.

40. *Lychnis* maritima procumbens ſtrictiſſimis longis foliis, nobis. Hujus cauliculi per terram ſunt ſtrati, quibus ſtrictiſſima innaſcuntur folia longa; atque in geniculis raro diſpoſitos flores fert, albos, minores, pentapetalos, ad medium bifidos: quibus pereuntibus ſuccedunt capſulæ oblongæ, plurimis ſeminibus ſubruffis circa ſtilum nutritivum provenientibus onoratæ. Provenit in ſabuloſis maritimis Armoricæ & circa Rupellam hæc planta annua. Floret verſus Autumnum & eodem tempore ſemina in capſulis cartilagineis aliarum Lychnidum more perficit.

41. *Lychnis* longioribus foliis incanis florum petalis quinis non bifidis, nobis. Hæc Lychnidis parvæ ſpecies à foliis longis incanis & florum petalis non bifidis (quod in perpaucis contingit Lychnidum ſpeciebus) notu facillima. Reperimus nos hanc perpulchram minorem Lychnidem in ericetis ſabuloſis, ſex milliaria à Borbonum capite diſtantibus, ſatis frequentem, nec alibi à nobis conſpecta.

42. *Lychnis* minima calyce amplo longo hirſuto flore itidem amplo, nobis. Caryophyllus ſilveſtris 8. Cluſ. Hiſt. Caryophyllus montanus Cluſii, Ger. Park. Vetonica coronaria quæ Caryophyllus pumilio Tauricus Cluſii, J. B. Chabr. Longiuſcula radice fibroſa terræ figitur hæc Lychnis, ex qua exeunt pediculi unciales & ſeſquiunciales, uno aut altero nodo articulati, binis gramineis foliis ad ſingula genicula veſtiti, ſinguli ſingulos flores ſuſtinentes, magnos pro proportione plantæ è quinque petalis conflatos, ex calyce hirſuto, unciali, ſtriato, in quinque lacinias diviſo: florem non inepte cum Gentianellæ Helveticæ flore comparari potes. Provenit in Tauro Carinthiæ monte, ſolo tenui & arenâ ſplendente referto. Floret ſub ſinem Julii & Auguſti.

43. *Lychnis* arvenſis minor vulgaris hirſuta, nobis. Caryophyllus arvenſis hirſutus flore majore, C.B.P. Caryophyllus holoſtius, Lob. Icon. Ger. Holoſtium caryphylleum, Tab. Plurimos protrudit hæc Lychnis cauliculos humi ſtratos, ad quorum ſingula genicula cernuntur bina folia anguſta, hirſuta: in ſummis caulibus proveniunt floſculi quinis petalis albis conſtantes, ſingulis diliquium patientibus, aliarum Lychnidum more: quibus fatiſcentibus ſuccedunt capſulæ oblongæ, quinis in ſummo denticulis diſſectæ, atque in uniuſcujuſque capſulæ parte ſuperiore eſt foramen fundens ſemina Lychnidum reliquarum more.

44. *Lychnis*

44. *Lychnis* maritima incana & tomentoſa, nobis. Caryophyllus tomentoſus, C.B.P. & Prod. Caryophyllus holoſtius tomentoſus, J.B. Chabr. Ex radice fibroſa, tenui, late ſerpente oriuntur plurimi cauliculi, nodoſi, humi procumbentes, ſeſe in multos ramulos pedales dividentes: ſingulis nodis bina adhærent folia, latiuſcula, biunciam longa, incana & tomentoſa, inſtar Gnaphalii Americani: in ſummis ramuſculorum faſtigiis naſcuntur ſingulatim, aliquando binatim, flores ſatis ampli, albi, quinis petalis profunde & ultra medium diviſis conſtantes: hiſce ſingulis ſuccedunt capſulæ oblongæ quinis denticulis crenatis in ſummitate apertæ, & ſemina minuta fuſca fundentes quando matura. Raro ſemina ad maturitatem perducuntur propter nimiam rependi aviditatem, ut in aliis repentibus plantis cernitur paſſim. Huc refer Lychnidem tomentoſam anguſtifoliam ſeu holoſtium anguſtifolium, C. B. P.

45. *Lychnis* caulibus ad genicula foliofis, nobis. Auricula muris flore pulchro albo, J. B. Chabr. Radice conſtat tenui, vario reptatu vagante, fibrarumque è geniculis demiſſarum ope rurſus terram apprehendente: caules autem teretes, geniculati, in ramulorum faſtigiis flores habent amœnos, lacteos, quinis petalis in medio aliquo uſque unica diviſura inciſis & ſtriatis compoſitos, quos totidem ad baſim viridantia foliola ſuſtinent, in medio vero petalorum ſtamina & ſtilus colore luteo cernuntur: folia ad genicula ſuperiora bina fere ſemper ſibiinvicem oppoſita, interdum plura, hirſuta, ſemiuncia longiora, ex latiore baſi ſine pediculo, ſenſim in acumen deſinentia. Non eſt vulgaris hæc planta, Genevæ tamen abundat, itemque ad Rhenum in cautibus & colliculis.

46. *Lychnis* graminea hirſuta umbellifera, nobis. Caryophyllus arvenſis umbellifer, J. B. Chabr. Holoſtium caryophylleum, Tab. Radice eſt hæc Lychnis durâ, fibroſâ: folia vero ſunt craſſiora, latiora, hirſuta: cauliculi tenues, parvi, itidem hirſuti, rotundi, ſpithamæi, tribus aut quatuor geniculis diſtincti, è quibus naſcuntur bina folia inferioribus, quæ à radice proveniunt, æqualia: ſummitatibus caulium ſex aut ſeptem inſident floſculi, aliquando plures, aliquando pauciores, ex eorum centro in ſummitate longis pediculis ſurrecti, albi, pentapetali, ſingulis petalis profunde ſectis & diviſis: flores ſingulos evaneſcentes ſequuntur capitula parva, longa, cartilaginea, ſemina ruffa in ſe continentia, priorum more.

47. *Lychnis* arvenſis glabra flore majore, nobis. Caryophyllus arvenſis glaber flore majore, C.B.P. Gramen Leucanthemum, Lugd. Dod. Ger. Holoſtium Dioſcoridis vel ὁλοστόν Æginetæ, Ad. Lob. Holoſtium, Ruellii. Gramen floridum majus, Tab. Ad Lychnidum genus pertinet hæc parva planta, à fine ultimo, neglectis foliis gramineis: cauliculos gerit à radicibus repentibus multos, tenues, teretes, crebro geniculatos, facile in terram, niſi prope naſcentibus fruticibus fulciantur, procumbentes: folia ex ſingulis geniculis bina, contra ſe poſita, anguſta, mucronata, oblonga, duriuſcula, Graminis tamen breviora: floſculi è ſummis caulibus erumpunt plurimi, albi, pentapetali, ad medium ſingulis petalis bifidis, & ſuis propriis pediculis inſidentes, Leucoii floribus minores, qui ſunt tantum tetrapetali, floribus ſingulis pereuntibus ſuccedunt folliculi oblongi, in quibus ſemen parvum, Milii ſemini ſimile: radices ſunt tenues & geniculatæ, plurimas fibras in terram demittentes. Secus ſcrobes, agrorum margines & aggeres, locis fruticoſis & opacis crebro reperitur. Floret Maio & Junio menſibus & non raro ſerius quoque.

48. *Lychnis* arvenſis glabra flore minore, nobis. Caryophyllus arvenſis glaber flore minore, C.B.P. Holoſtii Ruellii diverſitas, Lob. Icon. Gramen floridum minus, Tab. Gramen Leucanthemum alterum, Ger. Serius hoc floret priore, tenuioribus, quadratis viticulis: floſculis ex longis pediculis lacteis, pentapetalis, prioris aut antecedentis floribus multo minoribus & ad medium bifidis, apiculis rutilantibus: capitula ſuccedunt, floribus minoribus minora etiam: folia pariter minora, repanda, bina è regione ſingulis caulium geniculis adnaſcentia: radix ficut prioris fibroſa, repens itidem. Multa habet hæc planta cum Alſine noſtra longifolia communia, quæ quamvis humilior, latiora tamen habet folia. Ibidem provenit paſſim ſecus agrorum margines & ſcrobes cum priore vulgariter cernitur, abundat etiam in ſepibus. Floret etiam tardius priore.

49. *Lychnis* arvenſis minima folio glabro plumbei coloris, nobis. Alſine verna Dal[ii]. Lugd. Hæc provenit radicula brevi, exili & candida: foliis Alſinarum cæterarum ſimilibus, lævibus, plumbei ſeu è livido palleſcentis coloris, circa radicem multis terræ innixis cauliculis, tres digitos altis, nodoſis: foliis binis ex ſingulis geniculis prodeuntibus, & caulem amplectentibus, interdum pluribus; floſculis parvis, albis, pentapetalis, ad medium fere bifidis Alſinarum reliquarum floribus ſimilibus. Saporis aquoſi & fatui. Nondum prorſus exacta hyeme, Februario ſcilicet menſe floret & appetente Vere, cum aliæ media æſtate florere obſervantur.

50. *Lychnis*

50. *Lychnis* minima muralis, nobis. Caryophyllus minimus muralis, C. B. P. Tunica minima Dal^pii. Lugd. Hæc in ſabuletis, aridis locis & murorum ſubgrundiis naſcitur radice candida, in multas partes fiſſa, valde fibrata: cauliculis quamplurimis, dodrante non altioribus, geniculatis, ſucculoſis, flexibilibus: flore parvo quinis petalis non bifidis conſtante, ex albo puniceis: quibus ſubveninnt capſulæ pyriformes, ſeſe in ſummitate quinque denticulis crenatis aperientes, minuta ſemina, ſubruffa fundentes per foramen in ſuperiore capſulæ parte ſitum.

51. *Lychnis* minima foliis Laricis ſeu tenuiſſime diviſis, nobis. Auricula muris pulchro flore folio tenuiſſime diviſo, J. B. Chabr. Folia habet per genicula tenuia, laricea ſeu Laricis foliorum inſtar: ramulos multos, dodrantales, rigidos, ligneos quaſi, à radice craſſa, durâ & perenni emittit, in quibus raro diſponuntur flores, ſatis magni pro proportione plantæ, albi, pentapetali inſiſtentes calycibus ſatis craſſis. Provenit in montibus circa Genevam ut Thuiri. Floret verſus finem æſtatis, quo tempore ſemina etiam ſunt matura.

§. 9. *LYCHNIDES Saponariæ dictæ.*

Saponaria dicta, quod ſaponis vicem præbeat ad pannos purgandos: quibuſdam Struthium Dioſcoridis l.2.c. 193. qui vulgo notum ſcribit, fullones in purgandis lanis utuntur. Plin.l.19.c.3. Radicula lavandis lanis ſuccum habet, mirum quantum conferens candore mollitieque: addit Struthium Græcos vocare, florere æſtate, gratum aſpectu verum ſine odore, ſpinoſum & caule lanuginoſo: ſemen ei nullum eſſe (cui Columellæ verſus repugnat, à Syrioque venit quæ ſemine radix:*) radicem magnam, quæ concidatur ad dictum uſum. Et l. 24.c.11. tingentibus radibulam & ramos præparat, quam Struthium vocari diximus à Græcis. Hæc Saponariæ 4. convenirent, niſi ſpinoſam diceret. Nonnullis Urciolaris Plinii l.22.c.16. Sunt qui Aliſma Dioſcoridis l.3.c.169. cenſeant, cum multas Aliſmatis notas habeat.*

Pars prior TABULÆ XXI. Sectionis quintæ.

Lychnis Saponaria dicta
- *Major*
  - *Vulgaris*
    - 52 *Simplex, nobis.* ⊙
    - 53. *Multiplex, nobis.* ⊙
  - *Anglica concava, nobis Saponaria Anglica convoluto folio, Park.* ⊙
- *Minor*
  - 54. *Dal^pii. Lugd. Ocimoides minus Creticum flore rubro, J. B. Chabr.* ⊙
  - 55. *Ramoſa admodum bene radicata Neapolitanis dicta Saponaria lanaria, nobis. Struthium radicatum Dioſcoridis Lanaria Imperati.* ⊙

§. 9. *LYCHNIDES Saponariæ dictæ.*

Explicatio prioris partis Tab. vigeſimæ ſecundæ Sectionis quintæ.

52. *Saponaria* vulgaris ſimplex multiplex, nobis. Saponaria major lævis, C. B. P. Saponaria, Trag. Dod. Ad. Lob. Cæſ. Tab. Cam. Ger. Eyſt. Saponaria major, Lugd. Saponaria vulgaris, Park. Struthium, Fuch. Saponariæ vulgo dictæ caules ſunt glabri, tenues, rotundi, geniculati, cubitales aut altiores: folia lata, venoſa Plantaginis latifoliæ, Gentianæ cruciatæ potius ſimillima, ſed tamen minora, è ſingulis geniculis bina utplurimum, & præſertim radicibus viciniora, deorſum reflexa: flores in ſummo cauliculorum & circa ſuperiora genicula multi, odorati, calore alias pulchro roſeo rubentes, alias dilute purpuraſcentes aut candidi, qui ex teretibus & oblongis calycibus exeunt, ex quinque petalis commiſſi, in quorum medio exigua quædam ſtamina: radices craſſæ, longæ, oblique ſerpentes, quibus fibræ quædam adhærent, Veratri nigri radicibus ſimiles. Juxta fluvios & torrentes, in locis apricis paſſim in Gallia, Cambria & Angliæ occidentalibus ſponte naſcitur. In hortos tranſlata diu durat & vitæ eſt perennis prout repentes radicibus aliæ omnes plantæ. Junio & Julio floret, raro ſemina fiunt matura propter nimiam rependi aviditatem, quod contingit, uti dictum paſſim, in aliis repentibus cujuſcunque generis herbis. Saponariam appellant ab abſtergendi potentia, qua tum folia, tum radix pollent, ſuccum enim quendam ex ſe remittunt, dum confricantur ſaponis fere modo extergentem.

53. *Saponaria* concava Anglica, C. B. P. & Prod. Gentiana concava, Ger. Saponaria Anglica convoluto folio, Park. Saponariæ hæc ſpecies Angliæ ſolummodo eſt peculiaris, quoad radices repentes, priori omnino eſt ſimilis, niſi quod eas habeat tenuiores atque caules etiam exiliores, rotundos itidem, rarioribuſque articulis donatos, atque ex horum ſingulis protruditur unicum folium, rarius bina, quod ſub exortum ambit geniculum caulis ipſumque caulem aut Vaginæ in modum eundem amplectitur circulariter, ad aliquod ſpatium antequam ſeſe expandat, ſi omnino ſeſe explicat quod raro etiam contingit: folia ſunt canalata, Gentianæ inſtar, obtuſiorem in mucronem deſinentia: caules non ramificantur, in ſummis tantum caulium cimis cernuntur terni quaternive flores, curtis petiolis innitentes calycibus immerſi, pentapetali, quorum ſingula petala obtuſiora apparent prioris petalis: flores iidem ſunt coloris pallide albicantis ad rubedinem tendentis, nullius odoris. Nunquam ſemen perfectum ferre in Anglia obſervata fuit: aſt Blæſis collegimus, in horto ibidem, ſemina perfecte matura, quemadmodum in vulgari. Provenit in ſilvula dicta *Spinny* non procul à *Leichborrow* in comitatu Northamptoniæ.

54. *Saponaria* minor Dalpii. Lugd. Ocimoides minus Creticum flore rubro, J. B. Chabr. Ex ſemine Cretico nomine Ocimoidis minoris flore rubro à Caſabona miſſo nata eſt planta hæc, caulibus conſtans pedalibus, hirſutis, tenuibus, plurimis ex radice tenui pullulantibus, ad quorum articulos conſpiciuntur bina folia, oblonga, hirſuta, mucrone obtuſo, è quorum alis ramuli duo adverſi germinant, in faſtigio flores rubros ſuſtinentes.

55. *Lychnis* ramoſa admodum bene radicata Neapolitanis dicta Saponaria lanaria, nobis. Struthium radicatum Dioſcoridis indigenis Neapolitanis dictum Lanaria Imperato. Struthium antiquorum, Munting. Lanaria hæc creſcit in Calabria, nomen habet Lanariæ quia radice & foliis tritis utuntur ad lanas purgandas. Folia producit anguſta Lychnidis aut Polygoni inſtar: caules edit pedales, ramoſos admodum, ad quorum genicula prodeunt folia minora, breviora, atque in ramis valde numeroſos profert flores, pentapetalos, albos, quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ rotundæ; in quibus continentur ſemina minuta, nigra, magnitudine Milii. Saporis eſt amari.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Lychnis *caulibus ad genicula folioſis, nobis. Auricula muris pulchro flore albo, J. B. Chabr. Siccæ eſt naturæ in caliditate temperata, affectibus cordis medentur flores, maximeque caduco morbo ſuccurrunt. Nonnulli conſervam parant, alii è floribus aquam diſtillant, quam infantibus epilepſia correptis propinant. Extrinſecus ad paralyſin, & reſolutionem nervorum extollitur. Lychnis arvenſis glabra flore majore & minore nobis. Gramen Leucanthemum, Dod. Lugd. Ger. Gramen floridum majus, Tab. Refrigerandi & ſiccandi vi pollet, quare inflammationibus oculorum adhibetur contuſum & emplaſtri loco impoſitum. Idem ſuccus præſtat, ſi lintea in eo madefiant & applicentur. Alii ad dictas oculorum inflammationes aquam è floribus diſtillant.*

Saponaria *quidem calidam & ſiccam eſſe temperie teſtatur Dodonæus, facultate autem abſtergendi non exigua præditam. Præſſu, inquit Schwenckfeldius, nitroſum extergentemque emittit ſuccum unde vi pollet abſterſoria adeo ut etiam pituitam è capite eliciat, ac ſternutamenta moveat, tanta violentia ut partum mortuum excutiat. Ruſtica gens pulvere aſcarides puerorum expellit. Abſtergit ſcabiem & omnes cutis fœditates. Maculas unctuoſas veſtimentorum tollit, ſi cum Saponaria herba laventur.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI,
Aliorumque Authorum.

Lychnis montana viſcoſa alba latifolia, C. B. P. pag. 205. col. 1. pl. 1. Lychnis ſilveſtris nona, Cluſ. Hiſt. Lychnis Alpina pumila folio gramineo ſive Muſcus Alpinus Lychnidis flore, C. B. P. pag. 206. col. 2. pl. IV. *Lychnis ſilveſtris nona, Cluſ. Hiſt. Nona Cluſii non poteſt eſſe ſynonyma plantæ primæ col. primæ Bauhini, cum pl.* IV. *col. 2. nempe Lychnide Alpina pumila folio gramineo ſive Muſco Alpino Lychnidis flore; ergo ſui oblitus eſt Caſparus Bauhinus.*

Lychnis ſilveſtris Campanulæ flore, C. B. P. pag. 206. col. 1. pl. I. *Lychnidis ſilveſtris ſpecies Myconi, Lugd. Non eſt Lychnis a fine ultimo, ſed Campanula; ergo primo lapſus eſt Myconus & Dalechampius ipſeque etiam Bauhinus.*

Bellis montana globoſo luteo flore, C. B. P. pag. 262. col. 2. pl. V. *Globularia lutea montana, Col. A fine ultimo, floribus ſcil. & capſulis ſeminalibus ſeminibuſq; eſt Lychnis floribus luteis in capitulum congeſtis; ergo falluntur & Columna & Caſparus Bauhinus ut apparet ex deſcriptione allata a Fabio Columna ipſiuſque Icone. Conſule deſcriptionem ſupra & Iconem infra in Appendice.*

Caryophyllus pratenſis flore laciniato ſimplici ſive flos Cuculi & idem flore pleno, C. B. P. pag. 210. col. 1. pl. VII, *&* VIII. *ſunt Lychnidis ſpecies a capſula*

&

& ſeminibus; ergo male ab authoribus nominantur Caryophylli ſpecies. De hac Hallucinatione diffuſius in capite de Caryophyllis. Pag. 110. exhibentur Caryophylli holoſtii arvenſes a Caſparo Bauhino pro Caryophyllis, cum revera a fine ultimo ſint Lychnidum ſpecies; de his prolixius agemus in capite Caryophyllorum infra.

Caſparus Bauhinus immediate Violæ matronali & Violæ lunariæ ſub tetrapetalis bicapſularibus ſubjungit Lychnides pentapetalas unicapſulares; ergo fuit ἀμέθοδος non ſequendo librum naturæ.

DE PENTAPETALIS
Ad medium bifidis unicapſularibus.
CAPUT XVIII.
ALSINE.

Αλσίνη *Dioſcoridi l. 4. c. 87. quod lucos, quos* ἄλση *nominant, & umbroſa loca amet:* & μυὸς οὖς *id eſt muris auricula, quod muſculorum auribus folia ſimilia habeat. Sic Plinio l. 27. c. 4. Alſine quam quidam Myoſoten appellant, naſcitur in lucis, unde & Alſine dicta. Unius uterque meminit.*

Alſine planta eſt quinis petalis ad medium bifidis & capſula ſingulari pyramidali conſtans, in cujus medio circa ſtilum nutritivum plurima adhærent ſemina, minuta ſive fuſca, rubra aut ſubruffa. Diſtinguitur generice à Lychnide tenuitate partium & præcipue foliorum.

TABULÆ XXIV. Sectionis quintæ.

Alſine
- *Maxima latifolia*
  - 1. *Altiſſima nemorum, nobis. Alſine altiſſima nemorum, C. B. P. Alſine maxima, Lob. Icon. Park.* ⊙
  - 2. *Montana folio Smilacis inſtar, flore laciniato, nobis. Alſine montana maxima hederacea, Col. Park.* ☿
- 3. *Major, C. B. P. Alſine marina, Dod. Tab. Ger. Alſine ſive Hippia major, Lob. Icon.* ⊙
- 4. *Media, C. B. P. Alſine media & minor, Dod. Lob. Icon. Lugd.* ☿
- *Minor*
  - 5. *Multicaulis, C. B. P. Alſine minor, Fuch. Dod. Gall. Lugd. Tab. Alſine minima Dod. Ad. Lob. Cam. Ger.* ☿
  - 6. *Lini capitulis, C. B. P. Alſine petræa, Ger. Park.* ☿
- *Aquatica*
  - 7. *Major, C. B. P. Alſine paluſtris, Tab. Ger.* ⊙
  - 8. *Media, C. B. P. Alſine fontana, Tab. Ger.* ⊙
  - 9. *Plantaginis folio, Ger. J. B. Chabr.* ⊙
- *Hirſuta*
  - 10. *Major foliis ſubrotundis dilute virentibus, nobis. Alſine ſpuria 3. Dod. deſc.* ☿
  - 11. *Altera viſcoſa foliis longis ſaturatius virentibus, nobis. Auricula muris 3. Dod. Gall. Alſine ſpuria 4. Dod. fol.* ☿
- 12. *Tenuifolia muſcoſa, C. B. P. Alſine muſcoſa Dal*^{pii}*. Lugd.* ☿
- *Spergula dicta*
  - *Semine*
    - *Rotundo*
      - 13. *Major flore albo, nobis. Alſine ſpergula, Ad. Lob. Spergula, Dod. Lugd.* ☿
      - 14. *Minor floſculo ſubcæruleo, nobis. Alſine Spergulæ facie ſeu Spergula minor ſubcæruleo floſculo, C. B. P. & Prod.* ☿
      - 15. *Maritima major perennis flore violaceo, nobis. Spergula marina Dal*^{pii}*. Lugd.* ⊙
    - *Foliaceo, in medio*
      - 16. *Nigro, circulo membranaceo albo cincto, nobis.* ☿
      - 17. *Fuſco, circulo membranaceo albido cincto, nobis.* ⊙
- 18. *Omnium minima recta unicaulis, interdiu flore clauſo, noctu aperto, nobis.* ☿
- 19. *Lotoides Sicula, Boccon.* ☿
- 20. *Facie Paronychiæ 2. Matthioli, Boccon.* ☿
- 21. *Maritima Siciliana longius radicata Herniariæ foliis, Boccon.* ⊙

Explicatio Tab. vigeſimæ tertiæ Sectionis quintæ.

1. A *Lſine* altiſſima nemorum, C. B. P. Alſine major, Dod. Cam. Tab. Ger. Alſine major & genuina Dioſcoridis, Lugd. Alſine maxima, Lob. Icon. Park. Centunculus viticulis cubitalibus, Cæſ. Alſines ſpecies hæc eſt major & procerior quæ cubitalibus, ſubinde etiam altioribus aſſurgit cauliculis, à radice compluribus, teretibus, tenuibus, geniculatis: foliis è ſingulis articulis binis, digito latioribus, longioribus quam ſunt Parietariæ folia, quibus ſatis forma reſpondent, ſed lævia ſunt pilis lanugineve carentia, dilutiuſque virentia: cauliculi aliquo modo tranſparentes apparent, at circa genicula dilute admodum quandoque ſubrubent, velut caules: floſculi in alarum ſummo candiduli, quinis petalis conſtantes, profunde binatim diviſis, veluti graminis Leucanthemi Dodonæi, ſed tamen minores, oblongis ſuccedentibus haud magnis capitulis, in quibus continetur ſemen ſubruffum: radix ex tenuibus capilamentis fibrata eſt. Provenit inter vepres in dumetis & rubis, locis opacis & alſioſis, prope fontes vel profluentes aquas exit.

2. *Alſine* montana folio Smilacis inſtar flore laciniato, nobis. Alſine montana latifolia flore laciniato, C. B. P. Alſine montana maxima hederacea, Col. Park. In umbroſis excelſorum montium Campoclarenſium atque Æquicolorum denſis ſilvis collegit multis abhinc annis Fabius Columna, à vulgari majore ſupra deſcripta foliorum magnitudine atque toto habitu majore differentem: folia magna, per ambitum hirſuta, Smilacis foliis proxima, non Hederæ ut vult Fab. Columna, duas uncias lata, tres longa, undulatis oris Malvæ ritu, ut ſinuata videantur, cauli hærentia longo, tenuique petiolo, bina ex oppoſito, geniculis viticulorum, qui recti ſunt vel ſupini, hirſuti, rotundi, medulla tenui, dura, ut vulgaris, ſed alæ ex imis pediculis prodeuntes repunt, antequam floreſcant: flores vero in ſummo candicantes, quinis petalis laciniatis & profunde diviſis conſtantes, petiolis longis inſidentes, bini ternive numero; ſingulis ſuccedunt capſulæ longæ, tumentes in medio, in quibus minutum, fulvum, copioſumque continetur ſemen. Auguſto floret & Septembri perficitur. Petioli ſuſtinentes capſulas ſunt recti atque elati, non ut in vulgari deorſum ſpectantes.

3. *Alſine* major, C. B. P. Alſine marina, Dod. Tab. Ger. Alſine ſive Hippia major, Lob. Icon. Centunculus, Cæſ. Alſine major quæ & media quibuſdam, Lugd. pag. 1682. Hæc 3ia. Alſines ſpecies veluti humi procumbit: cauliculi ejus teretes, tenues ac geniculati, à quibus ramuli exeunt: folia veluti prioris ſed multo minora, veluti tota itidem planta, quæ magnitudine primæ multum cedit, eſt enim omnibus partibus minor: floſculi ſimiliter albidi: capitula veluti primæ oblonga: radix perinde fibroſa.

4. *Alſine* media, C. B. P. Alſine media & minor, Dod. Lob. Icon. Lugd. Caſt. Hippia minor, Cord. Hiſt. Hæc quarta ſimilis tertiæ, ſed longe minor: coliculi tenerrimi ſunt: foliola admodum minuta: floſculi exigui priorum formâ: radiculæ tenuiſſimæ.

5. *Alſine* minor multicaulis, C. B. P. Alſine minor, Fuch. Dod. Gall. Lugd. Tab. Alſine minima, Dod. fol. Ad. Lob. Cam. Ger. Quinta hæc ſimilis ſecundæ, ſed longe minor: coliculi tenerrimi ſunt & minuti, coacervatim exeuntes ex una radice: foliola admodum minuta: floſculi exigui, pentapetali, albi, radiculæ tenuiſſimæ & fibroſæ. Floret æſtate & verſus ejuſdem finem ſemina parva, ruffa producit in capſulis exiguis pyriformibus.

6. *Alſine* minor Lini capitulis, C. B. P. Alſine minor ſuffruticis inſtar, Thal. Alſine petræa, Ger. Park. Hæc cauliculis abundat teretibus, tenuibus, denſe & coacervatim ex una radicula prodeuntibus, vix ſemipedalibus, in ſeinvicem ita implicatis ut ceſpitem referant fruticoſum, ad quorum genicula foliola multa, longiuſcula, glabra, è regione naſcuntur: flores ſunt albi, pentapetali: quibus ſingulis ſubveniunt capitula, oblonga, aliarum Alſinarum formâ, longis pediculis innitentia: radix tenuis & fibroſa. Provenit inter ſaxa & in murorum ſummis.

7. *Alſine* aquatica major, C. B. P. Alſine paluſtris, Tab. Ger. Hæc Alſines ſpecies provenit in paludoſis, non multum abſimilis cæteris ſuæ claſſis Alſines ſpeciebus: radicem habet longam, culmi craſſitudine, geniculatam, ex cujus ſingulis geniculis oriuntur plurimæ, breviuſculæ fibræ; non multum recedit formâ à radice Graminis canini: in ſummis caulium faſtigiis cernuntur floſculi albi, pentapetali, ad medium ſingulis petalis bifidis cum pluribus in medio ſtaminulis: quibus ſuccedunt plurima capitula minora continentia plurima ſemina minuta, ſubruffa.

8. *Alſine* aquatica media, C. B. P. Alſine fontana, Tab. Ger. Hæc provenit in ripis & marginibus fontium. Multas habet radices fibroſas, ex quibus protruduntur plurimi cauliculi, ad quorum ſingula genicula emittuntur plurima foliola, longa, acuta, mucronata, è regione di-

ſpoſita,

ſpoſita, viridis dilute coloris: flores proveniunt in ſummis caulibus albidi, pentapetali, bifidi, quos ſequuntur capitula parva, ſemina minuta in ſe continentia cæterarum Alſinarum more.

9. *Alſine* Plantaginis folio, Ger. J. B. Chabr. Alſine vulgari perſimilis eſt hæc: radix fibris ſtamineis capillata: ramuli quemadmodum & folia piloſa, longiuſculis pediculis appenſa, ſubrotunda, ovata, nigriora cum differentia notabili, quod per longum nervi plantaginei decurrant: floſculi parvi, albi, non diviſi ad medium cæterarum more. Provenit in humidis ad ſepes & in dumetis Galliæ, Angliæ, &c.

10. *Alſine* hirſuta major foliis ſubrotundis dilute virentibus, nobis. Alſine ſpuria 3. Dod. deſc. Hæc Alſinem ſecundam omnino refert, niſi quod folia ſint tota hirſuta, & dilutius multo vireſcant & obtuſiora dilutioraque ſint foliis ſequentis: caules & folia etiam ſunt minoris Alſines: floſculi quoque albidi, pentapetali: capitula & ſemina capitulis & ſeminibus ſequentis reſpondent.

11. *Alſine* hirſuta altera viſcoſa foliis longis ſaturatius virentibus, nobis. Auricula muris 3. Dod. Gall. Alſine ſpuria 4. Dod. fol. Hujus caules per terram ſtrati cernuntur ad genicula purpuraſcentes, ex quibus bina exeunt folia, oblonga, hirſuta, ſaturatius virentia foliis prioris, in quorum cymis obſervantur floſculi albi, quinis petalis ad medium fere bifidis conſtantes: quibus ſingulis deciduis ſubveniunt capſulæ cartilagineæ, oblongæ, continentes in ſe ſemina minuta, ſubruffa. Provenit in muris & ſubgrundiis ſæpius unà cùm priore. Floret exeunte Aprili uſque ad Maium, quo tempore ſemina etiam perficit.

12. *Alſine* tenuifolia muſcoſa, C. B. P. Alſine muſcoſa Dalpii. Lugd. Alſine hæc muſcoſa, inquit Dalechampius, in truncis putrium arborum, in udis aſpergine parietibus, & aliis opacis humidiſque locis profilit, radice tenui, brevi, capillata, ramulis multis humi ſtratis & ſparſis, à terra tamen modice ſeſe attollentibus: foliis parvulis, exilibus, capillari tenuitate denſis: flore donatur albo, non bifido, cui ſuccedit ſemen exile in loculis parvis, quinquefidis aliarum Alſinarum more.

13. *Alſine* Spergula dicta major, C. B. P Alſine Spergula, Ad. Lob. Spergula, Dod. Lugd. Sagina Spergula, Ger. Alſine tenuifolia altera, vel terreſtris altera τριχόφυλλον, Col. Cauliculis exit hæc tenuibus, rotundis, geniculatis, dodrantem aut pedem altis: foliola circa genicula radiantis ſtellæ modo, in orbem diſponuntur, parva, tenuia & anguſta, multa ſimul congeſta: flores in ſummo cauliculorum candiduli, Alſines floribus perſimiles: quibus ſuccedunt parvula, deinde rotunda ac orbiculata vaſcula Lini parvi capitulis ſimilia, quoad magnitudinem non diviſionem: in quibus ſemen conditur parvum, rotundum, nigrum ſeu fuſcum: radix tenuis eſt. Seritur in arvis & potiſſimum Autumno, ut hyeme, & primo Vere, cum alia pabula defecerint, bobus præbeatur. Vulgo apud Brabantos Spurie appellatur atque inde Latine Spergula. Nonnulli Polygalum nominant, quod lactis abundantiam bobus promoveat. Eſtur à galinis & columbis, quæ non ſolum citra noxam ſublegunt, verum etiam hac paſtæ & ova plura & frequentius excludere creduntur.

14. *Alſine* Spergulæ facie ſeu Spergula minor ſubcæruleo floſculo, C. B. P. & Prod. Radice nititur oblonga ſimplici, parum capillata & albicante: cauliculis eſt multis ſemipedalibus in terram reflexis geniculatis: geniculis ſingulis bina foliola, interdum plura, brevia, ſub exortum albâ membranâ, & tenui tectâ, cætera anguſta, viridia, incerto numero prodeunt, ut & pedicelli, quibus ſingulis ſinguli flores, ſubcærulei, vel purpurocærulei violaceive, aliquando ſtriati inſident: quibus ut in Spergula vulgari vaſcula orbiculata, minutum ſemen continentia ſuccedunt. Paſſim apud nos ad ſemitas viarum, in arenoſis & gareoſis locis reperitur.

15. *Alſine* Spergula major maritima perennis flore violaceo, nobis. Spergula marina Dalpii. Lugd. Similitudo quæ huic herbæ eſt cum Spergula vulgari in locis umbroſis, incultis, atque etiam aliquando cultis naſcente, fecit ut Spergula marina diceretur quod in maritimis proveniat, in hoc illi diſſimilis quod ad caulium articulos pauciora, breviora & candidiora folia ferat, flores majores violaceos, quandoqudem guſtu ſalſa ſit, ut cæteræ plantæ maritimæ, quæ marinam aquam proliciunt.

16. *Alſine* Spergula annua ſemine foliaceo nigro circulo membranaceo albo cincto, nobis. Hæc vulgari Spergulæ quoad reliquas omnes partes adeo ſimilis eſt, ut paſſim in agris arenoſis ſegetalibus conſpecta, difficulter diſtingui poſſit à vulgari, niſi ſemine, quod eſt compreſſum, foliaceum ſeu membranaceum, album exterius quaſi circulo albo cingente in medio ſemen nigrum.

17. Hujus reperitur & alia varietas cujus ſemen eſt compreſſum, foliaceum, minus, in medio fuſcum, circulo pariter albo cinctum, atque hac ratione à priore differt: vulgaris autem

Spergulæ ſemen eſt rotundum, Alſines vulgaris modo. Utraque hæc ſpecies detecta fuit à nobis in arvis ſegetalibus circa Rupellam & in arvis arenoſis intra ſepta *Chambort* ſitis. Floret æſtate cum priore, neque poteſt diſcerni niſi ſeminibus; in reliquis partibus vulgari omnino accedit.

18. *Alſine* omnium minima recta interdiu flore clauſo, noctu aperto, nobis. Cauliculos producit hæc vix triunciales ad ſummum palmares, quorum nodis ſeu geniculis apponuntur bina foliola è regione diſpoſita, acuta, Linguæ paſſerinæ ſimilia: in cauliculorum ſummis naſcuntur floſculi raro diſpoſiti, ſinguli quinis petalis albis, ad medium bifidis, aliarum Alſinarum vel Lychnidum more, conſtantes, qui vix interdiu lucente ſole conſpiciuntur aperti propter tenuitatem partium. Hoc valde familiare eſt pluribus Lychnidum & quibuſdam Alſinarum ſpeciebus. Creſcit in arenoſis, humidis, ſilvoſis locis paſſim circa Blæſas. Nos eandem exhibuimus in catalogo Blæſenſi ſub Alſine minima noctiflora unicauli flore inaperto.

19. *Alſine* lotoides Sicula, Boccon. Hujus plantulæ cauliculi ſunt ſubrubentes; geniculati, & invalidi ſeu humi ſparſi: folia quoad ſubſtantiam ſeu contextum non numerum, quadantenus ad Loti Lybici Dal[ꝑii]. ſive Trifolii veſicarii ſeu Halecacabi Camerarii figuram accedunt: floſculi & capſulæ Alſines vulgaris modo verticillatim cauliculos ambiunt. Prope Catanam in Paluſtribus & humentibus locis invenit Paulus Boccone.

20. *Alſine* facie Paroynchiæ ſecundæ Matthioli, Boccon. Tribus aut quatuor ramulis humi jacentibus, Alſines foliis numeroſis: copioſis etiam floſculis in ſummitate cohærentibus donatur hæc Alſines ſpecies, accedens ad formam Paronychiæ ſecundæ Matthioli. Annua eſt plantula. Exit paſſim in maritimo litore modicæ cavitatis ad Pachinum promontorium.

21. *Alſine* maritima Siciliana longius radicata Herniariæ foliis, Boccon. Non deſpicienda eſt hæc Alſines ſpecies herbarum ſtudioſis, neque enim ſe habet ut vulgares Alſines ſpecies. Radice enim nititur, pro plantæ modulo, longa, craſſa, dura Caryophyllorum ſeu Lychnidum more, adnatis etiam appendicibus quaſi ramoſa, aut potius multis modis furcata: ab hujus capite ſuperiore cauliculi innumeri denſo ceſpite gignuntur: circa quorum genicula folia ſunt varia; uni quidem plantæ, in Sicilia Herniariæ forma & magnitudine; alteri vero Alſines maritimæ Neapolitanæ Columnæ; flores, capſulæ ſeminales ſeminaque ipſa ſunt prorſus Alſines vulgaris. Secundum foliorum varietatem duas Icones appingendas curavit Paulus Boccone, videlicet ſub Alſine longius radicata Herniariæ foliis, & Alſine anguſtis foliis, Vide Icones hujus Alſines pag. 18. & Tab. 10. Pauli Boccone. Harum omnium trium Alſinarum Icones exhibuit Paulus Boccone in Hiſtoria rariorum ſuarum plantarum Siciliæ, Melitæ, Galliæ & Italiæ, quem conſule.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Alſine *Morſus galinæ dicta, ut inquit Tragus, refrigerantem & humectantem, quemadmodum Portulaca, obtinet facultatem. Aqua diſtillata eaſdem habet vires, ſed & hoc illi experientia tribuit, quod iis qui diuturnis morbis & magnitudine ægritudinum conſumpti ſunt, viribuſque deficiunt & macreſcunt, utiliſſima ſit, vel per ſe, vel in vino pota. Eadem infantibus in ſummis caloribus & ægritudinibus exhiberi debet, nam non ſolum internas inflammationes reſtinguit, ſed & impedit qui accedere poſſunt morbos, ut ſpaſmum. Herba ipſa, ſuccus & aqua diſtillata non ſecus atque Portulacæ ac Sedi vulneribus calidis, ac ulceribus utiliſſima ſunt impoſita, illita, & ſi ex illis colluantur. Ex ſucco unguenta refrigerantia confici poſſunt, inflammationibus jecoris aliorumque vulnerum commodiſſima, non minus quam Populeon. Alſines majoris aut mediæ folia decocta una cum foliis Althææ, addito pulvere Fænugræci aut Lini ſi contundantur & fiat cataplaſma, aufert inflammationes in quacunque corporis parte, ſi calide applicetur. Apoſtemata ad ſuppurationem perducit, atque inflammationes diſcutit antequam ad ſuppurationem pervenerint. Folia Alſines majoris decocta in aceto & ſale valent contra pruritum membrorum, ſi iiſdem abluantur. Eſt enim frigida & humida aqueæ eſſentiæ quare citra reſtrictionem refrigerans, ut Galenus ait, oculorum inflammationibus cum pollenta, authore Dioſcoride imponitur: ſuccus aurium doloribus (ex cauſa videlicet calida) infunditur. Aviculæ caveis incluſæ, cum eſcam faſtidiunt, hac herba recreantur, unde Paſſerina à quibuſdam dicitur.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 205. col. 1. pl. 1. Alſine Hederulæ folio, C. B. P. Alſine ſpuria prior, Dod. Ibidem pl. 11. Alſine Veronicæ foliis floſculis, cauliculis adhærentibus, C. B. P. Alſine folio Veronicæ, Tab. Ger. Ibidem pl. 111. Alſine chamædryfolia floſculis pediculis longis inſidentibus, C. B. P. Alſine Triſſaginis*

nis folio, Lob. Icon. Tab. Ger. Ibidem pl. IV. *Alſine Triphyllos cœrulea, C. B. P. Alſine recta, Tab. Ger. Hæ quatuor plantulæ notam Veronicæ eſſentialem habent, nempe flores tetrapetalos & ſiliculas bicapſulares ſepto medio diſtinguente duplicem ſeriem ſeminum; ergo ſunt veræ & genuinæ Veronicæ ſpecies: idcirco nos eaſdem ad Veronicas remiſimus. Vide cap. de Veronica Sectionis 3. pag. 325. hujus hiſtoriæ: non poſſunt Alſines ſpecies dici cum Alſine proprie loquendo ſit planta pentapetala ſeu quinis petalis ad medium bifidis conſtans, quibus deciduis ſuccedit capſula pyramidalis ſeu pyriformis; ergo male ab authoribus primo, & a Caſparo Bauhino ſecundo, ad Alſines genus referuntur, quum ejus notam neutiquam poſſideant.*

Pag. 250. col. 2. pl. VI. *Alſine ſcandens baccifera, C. B. P. Cacubalus Plinii, Lugd. Ibidem pl.* VII. *Alſine bacciferæ ſimilis ſuis acinis, C. B. P. Sunt plantæ ſcandentes bacciferæ; ergo alio debent referri. Vide pag. 5. hujus Hiſtoriæ de Bacciferis ſcandentibus; ergo male propter florem quinis petalis conſtantem ab authoribus, & denuo a Caſp. Bauhino ad Alſines genus referuntur.*

Pag. 151. col. 1. pl. XV. *Alſine verna Androſaces capitulis ſub 6. in Prodromo Caſp. Bauhini deſcripta. Ibidem pl.* XVI. *Alſine affinis Androſace dicta major, C. B. P. Androſace altera, Matth. Lugd. Cluſ. Hiſt. Cam. Tab. Androſace annua ſpuria, Ger. Ibidem pl.* XVII. *Alſine affinis Androſace dicta minor, C. B. in Prodromo deſcripta. Hæ tres non habent teſſeram Alſines, ergo male ab authoribus & Caſparo Bauhino inter Alſines ſpecies collocantur. Ibidem pl.* XVIII. *Alſine nodoſa Gallica, C. B. P. Alſine nodoſa Dalechampii, Lugd. Primo omnes Alſines ſpecies habent flores quinis petalis conſtantes ad medium, ut plurimum bifidis; ſecundo capſulas proferunt pyriformes, minimas, minuta plurima in ſe continentes ſemina; hæ conditiones neutiquam conveniunt huic plantæ quæ flores habet tetrapetalos, quibus ſingulis ſuccedunt ſiliquæ oblongæ, unciales, fungoſæ, articulatæ, conformes Raphaniſtris; ergo aptius eo remittitur a nobis pag. 268. hujus Hiſtoriæ, vide Hallucinationes illic.*

DE PENTAPETALIS UNICAPSULARIBUS

CAPUT XIX.

VERBASCULUM ſive PRIMULA VERIS.

PRimulæ veris, quod primo Vere floreant, Dioſcoridis l. 4. c. 104. φλομιδὲς *& Plinii l. 25. c. 10. Phlomides cenſentur. Aliis vero Plinii l. 25. c. 4. & l. 26. c. 11. Dodecatheon, cui ſunt folia ſeptem Lactucis ſimillima à lutea radice exeuntia. Verum apud Plinium l. 25. c. 10. Alterum genus Aliſmatis in ſilvis nigrius majoribus foliis videtur.*

Verbaſculum dicitur quod folia aſpera hirſuta Verbaſci inſtar habeat. Primula veris, quod exeunte hyeme & primo ineunte Vere floreat, ſic dicitur.

Primula veris eſt planta pentapetala ſeu quinis conſtans petalis cordatis ſeu diliquium in medio ſingulis patientibus cujuſcunque coloris aut magnitudinis: quibus ſingulis decidentibus floribus ſuccedit calyx foliaceus, quinquefariam laciniatus, in cujus gremio eſt capſula membranacea, oblonga, continens plurima ſemina circa ſtilum etiam oblongum nutritivum: folia habet aſpera, hirſuta; unde capſulis oblongis & pericarpio oblongo, foliis aſperis, hirſutis, quam facillime ab Auricula urſi capſulis ſubrotundioribus & foliis glabris, incanis aut pulverulentis prædita diſtinguitur. Primula veris eſt primo vel pratenſis, vel ſilveſtris, vel montana, vel Turcica, à locis in quibus provenit. Secundo eſt vel odora, vel inodora: eſt vel rotundifolia, vel longifolia: à colore florum: eſt vel flore albo, pallido, luteo, aureo vel rubro, purpureo, variegato ex albo & rubro: eſtque demum vel flore ſimplice, vel altero alteri innato, vel pleno: vel ſingulis pediculis ſinguli innaſcuntur flores, vel unico cauli in faſtigio plures flores inhærent umbellatim.

pars

Pars TABULÆ XXIV.

- *Verbaſculum ſeu Primula Veris*
  - *Polyanthos ſeu umbellifera*
    - *Pratenſis floribus*
      - 1. *Luteis odoratis, nobis. Primula veris pratenſis odora lutea, Ad. Lob.* ⊙
      - 2. *Geminis ſeu flore altero alteri innato, nobis. Primula veris prolifera, Tab.* ⊙
    - 3. *Silveſtris floribus pallidis majoribus inodoris, nobis. Primula veris elatior pallido flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙
    - 4. *Montana rotundifolia incana Æquicolorum, nobis. Paralytica montana rotundifolia, Col.* ⊙
    - *Alpina*
      - 5. *Major flore*
        - *Subcæruleo.* ⊙
        - *Rubro.* ⊙
        - *Ruberrimo.* ⊙
        - *Candido ſeu exalbido.* ⊙
      - 6. *Minor flore*
        - *Subcæruleo.* ⊙
        - *Rubro.* ⊙
        - *Subrubente.* ⊙
        - *Candido.* ⊙
        - *Ex candido & rubro mixto.* ⊙
    - 7. *Anglica Eboracenſis rubella minor foliis parvis glabris Auriculæ urſi inſtar, nobis. Primula veris minor flore rubro, Swert. de Bry.* ⊙
  - *Monanthos ſeu floribus ſingularibus*
    - 8. *Silveſtris noſtras flore pallido majore*
      - *Simplici* ⊙
      - *Pleno.* ⊙
    - 9. *Turcica ſeu Carchichec Turcarum flore*
      - *Rubro*
        - *Dilute.* ⊙
        - *Saturate.* ⊙
      - *Purpureo.* ⊙
      - *Flavo & ſubflavo.* ⊙
      - *Albo.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæ quartæ Sectionis quintæ.

1. V*Erbaſculum* pratenſe odoratum, C. B. P. Primula veris major, Dod. vel floribus luteis odoratis, Eidem. Primula pratenſis odora lutea, Ad. Lob. Ger. Herba Paralyſis vulgaris, Trag. Primula veris odorata flore luteo ſimplici, J. B. Chabr. Folia promit lata, rotundis tamen longiora, rugoſa, aſpera Betonicæ foliorum inſtar, quibus tamen majora: ſunt & dilutius multo virentia, per margines nonnihil aut exiguum ſerrata: aſſurgit è medio cauliculus tenuis, nudus, ſemipede aut aliquando dodrante non altior, in cujus cacumine plurimi pediculi oriuntur ſuſtinentes ſinguli ſingulos floſculos ſaturate luteſcentes, odoratos, frequenter deorſum nutantes, quibus ſingulis deciduis ſingulæ ſuccedunt capſulæ, oblongæ, involucro ſeu calyce foliaceo cinctæ: in medio capſularum plurima apparent ſemina, ſubruffa matura, cingentia ſtilum nutritivum: radix fibroſa in diverſa ſpargitur. In floribus hujus non exigua differentia, quandoq; eleganter lutei reperiuntur, ſæpius pallidi, ac dilutius colorati, quaſique albidi; odorati admodum frequentius: multiplici petalorum ſerie nonnunquam etiam reperiuntur. Primula hæc Veris pratenſis amat loca humidiora non tamen omnino rigua: reperitur quandoque in campis apertis & patentibus Martio & Aprili florens, ſi hyems clemens fuerit etiam prius antequam Ver inceperit.

2. *Verbaſculum* proliferum, C. B. P. Primula veris flore gemino altero alteri innato, Lob. Lugd. Primula veris prolifera, Tab. Primula veris flore geminato, Eyſt. Ger. Hæc facile cognoſcitur ex flore altero alteri innato ſine ampliore aut longiore deſcriptione.

3. *Verbaſculum* pratenſe potius ſilvaticum inodorum, C. B. P. Primula pratenſis pallida, Ad. Lob. Primula pratenſis inodora luteo-pallida, Lob. Icon. Primula veris elatior pallido flore, Cluſ. Hiſt. Verbaſcum non odoratum, Fuch. Primula hæc veris pallido fiore convenit cum priore caule, ut & pediculis plurimis ex caulis faſtigio ortis ſuſtinentibus plurimos floſculos:

at

at folia habet aliquando majora: flores majores, pallidos, quorum petala majus diliquium patiuntur nullo odore commendabiles, ſimiles floribus Primulæ veris odoratæ, niſi quod ejus flores magnitudine & colore luteo magis pallido diſtinguantur à prima: involucrum, capſula ſeminalis & ſemen ibidem contenta paulo majora. Locis gaudet ſilveſtribus, dumetis & ſilvis cæduis, aliquando ad prata dumetis & vepribus vicina deſcendit.

4. *Verbaſculum* incanum rotundifolium luteum montanum Æquicolorum, nobis. Primula veris incana lutea, C.B.P. Paralytica montana rotundifolia, Col. Variat hæc à congeneribus ſupra dictis rotundioribus ſuis admodum foliis, tenui, longo, trigono & trientali petiolo inſidentibus, erectis, carnoſis, venoſis, inferne incanis, lanoſis ſinuoſis oris, ut crenata videantur: è radice carnoſa, obliqua, multis fibris albis Ellebori modo carnoſis dependentibus, atque humum amplexantibus, odoratis, ſapore acri amaro, atque palato parum odorato: caulem dodrantalem emittit vel majorem, loci & alimenti uberioris cauſa, rotundum, tenuem, nudum, Junci aut Cyperi modo Thyrſum repræſentantem, ut Dioſcorides de Aliſmate tradit. Hujus caulis faſtigio ſummo innaſcuntur decem flores nunc pauciores, nunc plures, luteo colore hilari, ex calycibus hirſutis, incanis, quinque ſegmentis in ore diviſis, diliquium in ſingulis petalis patientes aliarum hujus claſſis more; in capſula interiori pericarpio exteriori incluſa continentur ſemina multa ſeu numeroſa, nigra. Provenit in Æquicolorum montibus ſupra Flaminianum loco *lo Serorne* dicto, in cacumine Septentrionali oppoſito lateri humenti. Maio floret, & Junio perficitur ſemen.

5. *Verbaſculum* Alpinum umbellatum majus & minus, C. B. P. Primula veris flore rubro, Cluſ. Hiſt. Cam. Primula veris flore albo, Cluſ. Hiſt. Hæ neutiquam ab umbelliferis prioribus diſtinguuntur, niſi 1mo quod in celſis Alpium jugis naſcantur, & 2do quoad varios colores quibus diverſimodi flores afficiantur. Sunt enim earum flores ſubcærulei aut carnei coloris, rubri, ruberrimi raro etiam candidi aut exalbidi. Omnes tamen cujuſcunque coloris circâ umbilicum luteoli ſunt.

6. *Primula veris* Alpina minor variat etiam colore, eſt enim albo, rubro, rubente, ſubcæruleo & c andore confuſo.

7. *Primula veris* minor rubra Eboracenſis foliis parvis glabris Auriculæ urſi inſtar, nobis. Primula veris flore rubro, Swert. du Bry. Hæc planta in monte *Englborrow* in comitatu Eboracenſi proveniens à reliquis montanis diſtinguitur, primo foliis glabris, ſplendentibus, Auriculæ urſi ſimilibus; ſecundo flores producit umbellatim diſpoſitos, eleganter rubellos, minores, atque ſingulis ſuccedit capſula oblonga, Primulæ veris formâ atque figurâ, ſed calyx brevis eſt ut ſunt calyces Auricularum urſi; ergo mihi videtur ambigere inter Primulam veris & Auriculam urſi, quia folia & flores habet calycemque Auriculæ urſi inſtar, at capſulas oblongas Primulæ veris inſtar. Plantam ipſam ad nos tranſmiſſam habuimus opera & induſtria *Thomæ Lawſon* peritiſſimi & diligentiſſimi tractatuum Septentrionalium plantarum rariorum ſcrutatoris

8. *Verbaſculum* ſilveſtre majus ſingularibus floribus ſingularibus cauliculis inſiſtentibus, nobis. Verbaſculum majus ſingulari flore, C. B. P. Primula ſilvarum, Ad. Lob. Lugd. Primula veris humilis flore pallido, Cluſ. Hiſt. Primula veris ſilveſtris flore pallido, Eyſt. Primula veris minor, Dod. Hæc Primula ſilveſtris minor foliis primam & tertiam refert, ſed tamen ſunt multo minora: pediculi tenues, plurimi, ſingulares in mediis foliis attolluntur, breves, vix palmi altitudine; in quorum ſingulorum faſtigiis floſculi ſinguli apparent quinis petalis ad medium cordatis ſeu diliquium patientibus donati, pallide lutei, priorum quoad formam floribus ſimiles: pericarpium & capſulæ ipſaque ſemina itidem ſimilia: radix etiam ſimiles in fibras dividitur. Reperitur aliquando floribus herbacei coloris ſeu obſcure virentibus, & in hortis multiplici petalorum ſerie conſpicitur culta.

9. *Verbaſculum* Turcicum ſeu Carchichec Turcarum, nobis. Carchichec ſeu Primula veris Turcica Tradeſcanthi, Park. Carchichec Turcarum ſive Primula veris Conſtantinopolitana, Cornut. Hæc multos protrudit cauliculos ſingulares, vix palmares, quibus ſingulis flores ſinguli, ampli inſiſtunt, quinis petalis conſtantes, ſingulis diliquium in medio patientibus, variorum colorum, rubri, purpurei ſaturati diluti, ſubflavi, albi, quorum medium cujuſque luteolo colore donatur, quod non minimum eis addit gratiæ.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Recentiores Verbaſculis pratenſibus & ſilveſtribus hos effectus aſſignant. Trita folia imponuntur efficaciter doloribus articulorum. Radicum decocto veſicæ renumque obſtructiones ſolvuntur. Jus herbæ propinatur & illinitur adverſus rupta, luxata & liventia. Quod vero hæc eadem poſſint,

temperamentum eorundem palam docet: parum enim adſtringunt ſi guſtaveris: amara & modice acria ſunt, ut hoc nomine deſiccandi & detergendi facultatem quam illis Galenus adſcribit, habere nemo dubitare debeat. Noſtri etiam temporis herbarii calida & ſicca eſſe ſtatuunt. Et mulieres formæ & pulchritudini coloris faciei ſtudentes, ſucco illorum è floribus expreſſo faciem illinunt, quod maculas rugaſque, & alia ejuſdem vitia mirifice detergeant. Folia guſtu non ingrato, in olere placentulis & acetariis: ſuntque admodum utilia capiti, nervis & humorum ex decubitu putredini aut inflammationibus, eoque vulneraria habetur. Eſſe Primulas veris facultate reſiccantes, ſed exiguum aut nihil calidas prodidit Dodonæus. Adhibentur & in Apoplexia, paralyſi & articulorum doloribus. Aqua florum & conſerva anodyna & hypnotica ſunt medicamenta. Decoctum radicum Primulæ vulgaris in ſero lactis aut zythogala aliove idoneo vehiculo ſumptum ſingulare eſt & præſtantiſſimum, ut perhibent, remedium ad vertiginem. Flores ergo Primulæ veris odoratæ conſervæ forma paralyticis conveniunt. Matthiolus ſtilatitiam aquam totius plantæ fronti illitam capitis dolores mulcere aſſerit.

DE PENTAPETALIS UNICAPSULARIBUS.

CAPUT XX.

SANICULA ALPINA vel AURICULA URSI.

SAnicula à ſanandis vulneribus: Auricula urſi à forma foliorum dicitur: an ἄλισμα *ſive* δαμασώνιον *foliis Plantaginis, ſed anguſtioribus, & in terram convexis, &c. Dioſcoridis l. 3. c. 169. Et Plinii l. 25. c. 10. Aliſma ſive Damaſonion foliis Plantaginis, ſed anguſtioribus, magiſque laciniofis convexiſque in terram, &c.*

Non dubium eſt quin ad Primularum veris claſſem referendæ ſint hæ venuſtæ plantæ Saniculæ ſeu Auriculæ urſi dictæ, quia ſimiles ſunt & formâ & temperamento. Sanicula Alpina ſive Auricula urſi eſt planta pentapetala ſeu planta quinis petalis conſtans, ſingulis diliquium in medio patientibus, cum ſtaminulis muſcoſis in medio: floribus ſingulis deciduis ſuccedunt capſulæ ſingulæ, ſubrotundæ, cartilagineæ, calycibus immerſæ, ad medium uſque quinquepartitis; foliis glabris, incanis, aliquando pulverulentis, atque hiſce notis, capſulis ſcilicet rotundis, calycibus brevibus & foliis minoribus glabris facile diſtinguitur Sanicula Alpina ſeu Auricula urſi à Primula veris capſula oblonga, pericarpio itidem oblongo, & foliis aſperis, rugoſis, hirſutis, prædita. Auricula urſi variat foliis & floribus; foliis lævibus & viridibus, interdum incanis vel caneſcentibus, denſioribus, tenuioribus, majoribus & minoribus: floribus pallidis, luteis, aureis, rariſſime candidis, vel cæruleis, rubris, ruberrimis, ex rubro & albo mixtis, & ex luteo & rubro mixtis, iiſque modo majoribus, modo minoribus, modo denis, modo vicenis atque tricenis.

Pars TABULÆ XXIV. Sectionis quintæ.

Sanicula montana ſeu Auricula urſi
- 1. *Saniculæ ſeu Auriculæ urſi affinis planta Androſace dicta major, nobis. Androſace altera, Matth. Lugd. Cluſ. Hiſt.* ☿
- *Alpina*
  - 2. *Major lutea, C. B. P. Auricula urſi, Dod. Auricula urſi ſeu flore luteo 1. Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 3. *Minima cæruleis floribus, nobis. Auricula cæruleis floribus, Geſn. Hort. Auricula minima, Ger.* ⊙
  - 4. *Rubeſcens folio non ſerrato, nobis. Auricula urſi 4. Cluſ. Hiſt. Auricula urſi rubeſcens, Ger.* ⊙
- *Montana*
  - 5. *Villoſa foliis Borraginis, nobis. Auricula urſi Myconi, Hiſt. Lugd.* ⊙
  - 6. *Latifolia laciniata, nobis. Cortuſa, Matth. Cluſ. Hiſt. J. B. Chabr.* ⊙

§. 1. SANICULA *Androſace dicta.*

Explicatio partis Tab. vigeſimæ quartæ Sectionis quintæ.

1. SAniculæ affinis planta Androſace dicta major, nobis. Androſace altera, Matth. Lugd. Cluſ. Hiſt. Cam. Tab. Androſace annua ſpuria, Ger. Multa ſunt huic folia humi expanſa,

panſa, foliorum Plantaginis æmula, ſed minora, trinervia, colore ex viridi palleſcente, in ambitu dentata Ilicis fere foliorum inſtar, mollia tamen, ſucculenta, guſtu aliquantulum acri, inter quæ ex illorum medio circa imum interdum quini, ſeni aſſurgunt cauliculi palmares & ſeſquipalmares in hortis bene ſtercoratis, herbacei coloris, aliquando purpuraſcentes, nudi aliquantulum, nonnunquam villoſi, qui ſummis ſingulis faſtigiis corollam ſuſtinent quinque orbiculatorum foliorum, nonnihil etiam dentatorum & lanuginoſorum, unde quini, ſeni, nunc plures emergunt pediculi, calyculum ferentes herbaceum, lanuginoſum ab initio, quinque foliolis donatum, ſive in quinque lacinias deſinentem; in hujus meditullio floſculum fert album, quinis petalis non bifidis donatum: hiſce ſingulis vaſcula ſuccedunt tumeſcentia, ſemina multa continentia, inæqualia, ruffa, Primulæ veris ſeminibus non diſparia, ſed majora: capitella cum foliis præmanſa, aſtringentis initio guſtus, paulo poſt amari & acris deprehenduntur: radix illi unica, tenuis, paucis fibris tenuibus capillata. Annua eſt planta, nam prolato ſemine tota planta exareſcit & perit. Copioſe naſcitur inter ſegetes circa Badenſes Thermas ſupra à Cluſio ſæpius memoratas, atque adeo in locis Viennenſi urbi vicinis. Matthiolus ex Syria ab amico ejus ſemen miſſum ait, verum non neceſſe erat tam procul arceſſere quandoquidem propius à Cluſio in prædicto loco reperta. Floret Aprili, ſemen vero Maio & Junio maturum eſt.

§ 2. *SANICULA Alpina ſeu Auricula urſi foliis ſerratis.*

2. *Sanicula* Alpina lutea, C. B. P. Sanicula ſive Auricula urſi, Matth. Dod. Caſt. Auricula urſi 1. flore luteo, Cluſ. Hiſt. Ger. Auricula urſi floribus luteis, Cam. Tab. Eyſt. Auricula urſi propter connexionem & affinitatem in fine ultimo ad Primulam veris pertinet, folia lata, è virore albicantia, ejus foliis reſponderent niſi lævia eſſent abſque rugis, & carnoſa, glabra, atque omnino craſſiora. Huic pediculus eſt tenuis, teres, qui è mediis foliis effertur & floſculos in faſtigio caulis profert plures ſimul junctos ex eodem centro, caulis ſcilicet ſummo orientes, Primulæ veris pratenſis ſimiles, quinis petalis conſtantes, in medio diliquium patientibus, luteos utplurimum, albos, aliquando purpureos aut dilute rubentes: floribus ſingulis ſingulæ ſuccedunt capſulæ ſubrotundæ, calycibus quinquefoliatis brevibus inſidentes; in quibus ſingulis plurima nutriuntur ſemina circa ſtilum nutritivum: radix pluribus, craſſis, oblongis fibris firmatur. In petroſis & præruptis Alpium jugis, iiſque multo tempore nivoſis, ſubinde apud Helvetios locis Oenoponti finitimis, etiam in agro Goritienſi Salvatino monte & in Pannoniæ montibus, præſertim quæ purpurei eſt coloris reperitur. Vere unà cum aliis Primulis veris floret. Hujus majoris & minimæ Icones ſculpendas curavimus inter Auriculas foliis ſerratis præditas; cæteræ huc poſſunt referri magnitudine & parvitate foliorum, florum colore variantes, eſt enim flore purpureo, quæ eſt Sanicula purpurea, C.B.P. Auricula urſi 2. Cluſ. Hiſt. Huic adde 3. Cluſ. Hiſt. 4, 5, & 7. &c.

3. *Auricula urſi* VIII. figura, Cluſ. Hiſt. at X. Cur. poſt. Auricula cæruleis floſculis, Geſn. Hort. Auricula Alpina minima, Lob. Lugd. Tab. Auricula minima, Ger. Hujus folia unguem magnitudine vix æquant, inferne circa ſedem anguſtiora, ſuperne & extremo latiora, crenata, viridia, nervoſa, ſuperius minus denſa, guſtus amari: pedicellus inter folia exilit vix digitum tranſverſum altus, unicum, interdum alterum, florem ferens dilutius rubentis ſive carnei coloris, è fimbriato calyculo obtuſiore prodeuntem, inodorum, intus etiam circa umbilicum candida lanugine pubeſcentem, nullo prominente ſtilo. Neque hujus ſemen obſervare licuit Cluſio, quum non quovis tempore jugum in quo naſcitur, propter difficultates conſcendere potuerit idem Cluſius, nec in hortum cum ſuo ceſpite tranſlata ad frugem unquam pervenerit: reliquarum tamen Auricularum ſemini reſpondere arbitrabatur idem Cluſius: adnatis mirum in modum ſe propagat, & interdum magnos ceſpites occupat, candicantes fibras è ſingulis propaginibus demittens. In ſummo *Sneberg* jugo primo obſervabat Cluſius, neque ullo alio vicino jugo poſtea eidem ſe obtulit. In *Tauro* tamen & *Judenberg* etiam invenitur, & cum illa rara alia ſpecies per omnia quidem ſimilis. Sed folia magis palleſcunt & flores ſunt lactei, dicitur minima nivea Caſp. Bauhino in Pinace, quæ eſt Auricula urſi flore albo Eyſt.

§. 3. *SANICULA foliis non ſerratis.*

4. *Auricula urſi* Alpina rubeſcens folio non ſerrato, nobis. Auricula urſi 4. Cluſ. Hiſt. Auricula urſi rubeſcens, Ger. Quarta hæc Auricula Cluſii minoribus eſt quam ſecunda, foliis carnoſis, mucronatis, in ambitu non ſerratis, ſuperne lævibus & ſplendentibus, inferne ex viridi pallentibus & vinoſis, minoreque acrimonia & amaritudine præditis quam aliarum folia:

flores illius ſecundæ ſpeciei ſimiles, profundioribus laciniis ſecti, colore dilutius rubente, intus circa umbilicum incana lanugine villoſi, ſtilo prominente, bini, terni, aut ad ſummum quaterni ſummo uncialis cauliculi faſtigio innaſcentes, duplici petalorum numero in flore provenientes, id eſt decem: ſemen in parvis vaſculis reliquis majus & fuſcum: radix minor & nigricans, atque adeo numeroſa ſobole interdum ſeſe propagans, ut latiſſimos ceſpites occupet. Invenitur in *Sneberg* reliquiſque vicinis montibus, & Stiriæ Alpibus frequentiſſima eſt. Paulo ante meum deceſſum, inquit Cluſius, Rizotomæ mulierculæ ſingulis annis in forum Viennenſe venalem hanc Saniculam Alpinam ſeu Auriculam urſi inferre cœperunt. Huc pertinet Sanicula Alpina alba foliis non crenatis 11. C. B. P. Auricula urſi 6. Cluſ. Hiſt. & Auricula flore pallido, C. B. P. quæ eſt Auricula urſi pallido flore, Cluſ. Hiſt. Cur. poſt. & 3. Sanicula Alpina minima piloſa, C. B. P. & Prod.

§ 4. SANICULA ROTUNDIFOLIA.

5. *Sanicula* Alpina villoſa foliis Borraginis, C. B. P. Auricula urſi Myconi, Lugd. Hæc à foliorum figura pilis multis obſitorum facile à prædictis diſcernitur, eamque pinxit & delineavit Myconus à quo Dalechampius mutuatus & nobis ſic exhibuit. Radices multas emittit tenues, fere capillatas, fuſcas, petris inhærentes, guſtu aſtringentes, circa quas folia per humum repunt Borraginis quadantenus foliis ſimilia, in ambitu nonnihil ſinuata, in ſuperficie ſuperiore aſpera, rugoſa, craſſa, nervoſa, piloſa, maxime prope radices, ex iis enim ad foliorum exortum magna pilorum congeries tomento cuidam & veluti jubæ aſſimilis enaſcitur. Eadem folia tam ſuperne, quam inferne villoſa ſunt, atque in ambitu pili ubique ruffeſcunt: ex foliorum medio duo aut tres cauliculi emergunt rotundi, dodrantales, hirſuti, ſolidi, ſuccoſi, purpuraſcentes, cum dulcedine adſtringentes, in quorum faſtigiis flores apparent cærulei, ex quinque petalis ſubrotundis compoſiti: in horum medio ſtaminula lutea veluti ex vaſculo grani hordei figura, ſed majore, in imo floris poſito, exeuntia. Naſcitur in umbroſis montoſiſque locis, nonnunquam etiam humidis.

6. *Sanicula* montana latifolia laciniata, C. B. P. Cortuſa, Matth. Cluſ. Hiſt. J. B. Chabr. Cortuſæ hujus folia pediculis â radice mox natis hærent, ſextantali quoquoverſus latitudine, aut majore, circumſcriptioneque rotunda, æquabilitatem intercipientibus profundiuſculis cæſuris: caules nudi & enodes foliaceum in cacumine gerunt calycem, ex quo ſeni aut plures prodeunt pedicelli, ſemiunciales, ſinguli florem unum gerentes, Auriculæ urſi floribus reſpondentem, quinque purpureis conſtantem petalis; umbilicum obſidentibus luteis apicibus, è quo etiam ſtilus longiuſculus extra florem prominet: radix ſubeſt è fibris numeroſis contexta. Eſt hæc Sanicula montana rotundifolia laciniata C. B. P. duplici figura exhibita apud Cluſium, quem ſecuti ſunt Tabernæmontanus & Gerardus ſub Sanicula montana Cluſ. Hiſt. & Sanicula montana Cluſii Tab. Ger. & Cortuſa Matthioli Cluſ. Hiſt. Saniculæ Alpinæ veriore Icone Tab. Contuſæ rariore Icone Ger.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Sanicula *montana ſeu Auricula urſi præfertur ad enterocelas & thoracis vulnera, tam intus ſumpta, quam exterius illita. Frigida & ſicca eſt & aſtringit, teſte Matthiolo & Dodonæo, ſi quotidie in potu folia infuſa bibantur ad vulnera conglutinanda aliquot diebus continuis pota conducunt, potionibus addita aut per ſe decocta. Columna Auriculæ urſi vires Primulæ veris viribus, cui valde eſt affinis fine ultimo, & Aliſmatis adſcribit.*

Aqua ex Sanicula montana ſeu Auricula urſi Myconi per vitreum organum diſtillata ad frangendum calculum ſive in veſica ſive in renibus valde efficax eſt, id quod Myconus vir bonus & doctus ſe experientia reperiſſe aſſerit. Eâdem aquâ Hiſpani adverſus tuſſim utuntur: quam ob cauſam plantam hanc Yerva tuſſera *nuncupant; alii à foliorum copia* Peluda *vocant.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 243. col. 2. pl. 11. Sanicula montana rotundifolia major, C. B. P. Sanicula montana 2. Cluſ. Hiſt. Eyſt. Ibidem pl. 111. *Sanicula montana rotundifolia minor, C. B. P. Saniculæ montanæ alterius ſpecies altera, Cluſ. Hiſt. Ibidem pl.* IV. *Sanicula montana longifolia ſerrata, C. B. P. Hæ tres plantæ cum teſſeram ſeu notam genericam a fine ultimo petitam poſſideant Sedi, debent ad Sedi claſſem referri, non autem cum Auricula urſi hic collocari; ergo non obſtante nomine Saniculæ male hic collocantur a Caſparo Bauhino, qui ſolo nomine Saniculæ deceptus huc inſeruit. Ibidem pl.* V. *Sanicula montana flore*

flore calcari donato, C. B. P. Pinguicula, Geſn. Hort. Cluſ. Pan. & Hiſt. Hæc nullam habet affinitatem cum Sanicula montana ſeu Auricula urſi; ergo male hic collocatur. Eſt Viola paluſtris ut notavimus p. 477. hujus Hiſtoriæ.

Pag. 241, 242, & 243. Caſparus Bauhinus collocat Primulam veris & Auriculam urſi inter Æthiopem ſeu Horminum Æthiopicum, quod eſt planta galeata, verticillata, & Digitalem, quæ eſt planta monopetala bicapſularis, at Primula veris & Auricula urſi ſunt pentapetalæ unicapſulares; ergo nullam rationem habuit Caſparus Bauhinus finis ultimi, qui eſt vera regula a natura data & invariabilis ſecundum quam debent plantæ diſponi.

DE PENTAPETALIS UNICAPSULARIBUS

Cylindraceis ſemine nigro compreſſo plano prædititis.

CAPUT XXI.

CARYOPHYLLUS.

CAryophyllum ſeu Caryophylleum florem ab odore Caryophyllorum, recentiores nominarunt: hunc alii Cantabricam Plinii l. 25. c. 8. quæ in Hiſpania à Cantabris Divi Auguſti tempore reperta fuit, eſſe volunt. Aliis eſt Vetonica ſive Betonica altera, inter notha Dioſcoridis, nec forte inepte. Aliis Herba Tunica; quibuſdam Iphium Theoph. 6. Hiſt. 2. & 7. ejuſdem 12. ſed male. Quidam inter ſaxifragias numerant, præſertim ſilveſtre genus, quod Galenus 5. de tuenda ſanit. Sarxiphagon appellaſſe videtur: nam & ſilveſtris noſtra calculum frangit, & educit, quod Galenus de Ceſtro ſeu Betonica in Gallia proveniente teſtatur, Hermolao notante. Forte & Theophr. 6. Hiſt. 1. & 6. per Jovis florem, inter Coronarios frutices minutis foliis conditum, cujus flos ſine odore tantum in coronarum uſu, ſilveſtrem Caryophylleam intellexit. Armerii flores dicuntur à Gallico nomine Armoires & Armoiries.

Genera ſumma duo ſunt; altilis & ſilveſtris. Altilis ſpecies multæ, magnitudine, colore & foliorum numero differentes: flores namque ſunt vel minores, vel medii, vel majores, vel maximi: vel multiplici, vel ſimplici florum textura, majoribus vel minoribus petalis conſtantes; ſunt colore nivei, diluta purpura candicantes, croceo rutilantes, miniati aut verſicolores, ut candidi & purpurei croceive, candidi & rubri, candidi rubris punctulis aſperſi: rubentes aut violaceo admixto purpurei, rubei lacteis notis aſperſi: ſicque guttati, aut Roſæ ſilveſtris colore. Sic ex uno caule duo florum genera partim candidi, rubriſque maculis aſperſi, partim crocei: ſæpe etiam uno pediculo flores diverſicolores videas: aliquando unus ex alio medius excreſcere conſpicitur: aliquando in una planta flores trium colorum: in ſumma mangonio & arte in his floribus magna varietas fit. Silveſtrium quoque magna diverſitas exiſtit, & in magnitudine, & colore & floris & calycis figura, plerique tamen ſimplici flore ſunt.

Caryophylleus flos ſeu Caryophyllus eſt planta pentapetala cujus ſingula petala utplurimum ſunt multifida ſeu laciniata, atque ſingulis floribus deciduis ſuccedit capſula oblonga, cylindracea, plurima ſemina nigra compreſſa habens circa ſtilum nutritivum contenta. Eſt Caryophyllus vel hortenſis ſeu altilis, vel ſilveſtris, utraque vel flore ſimplici, vel pleno, qui multis modis variat quoad colorem, eſtque vel perennis, vel annuus: vel latifolius, vel anguſtifolius. A mangonio & arte plurimæ cernuntur Caryophyllorum ſpecies & multæ varietates differentes magnitudine & florum colore, ut requirerent tractatum peculiarem, nam ſingulis annis ſecundum diverſum clima diverſaſque regiones multiplices varietates producuntur, quibus fere in univerſum omiſſis, quoſdam adferemus in medium vulgatiores tantum.

TABULÆ XXV. Sectionis quintæ.

- *Caryophyllus*
  - *Hortenſis*
    - *Multiplex*
      - *Maximus*
        - 1. *Ruber*, C. B. P. *Caryophyllus maximus flore rubro*, *Eyſt.* ⊙
        - 2. *Variegatus*, C. B. P. *Caryophyllus maximus variegatus*, *Eyſt.* *Caryophyllus multiplex maximus*, *Tab. Ger.* ⊙
      - 3. *Major altilis*, C. B. P. *Caryophyllus domeſticus*, *Matth. Cam. Caſt.* *Caryophyllus flore majore*, *Eyſt.* ⊙
      - 4. *Medius altilis*, *C.B.P. Variorum colorum*, *Eyſt.* & *Bry.* ⊙
      - 5. *Minor flore pleno*, C. B. P. *Caryophyllus multiplex minor hortorum*, *Lob. Icon.* ⊙
      - 6. *Mali aurantii colore*, C. B. P. *Caryophyllis Sileſiacus miniatus flore pleno*, *Cluſ. Hiſt.* *Caryophyllus plenus miniato colore*, *Eyſt.* ⊙
      - 7. *Supinus flore rubro pleno argenteis micis aſperſo*, C.B.P. *Caryophyllus flore minore pleno rubeſcens punctatus*, *Eyſt.* ⊙
      - 8. *Laciniatus*, C. B. P. *Caryophyllus purpureus flore multiplici profunde laciniato*, *Lob. Icon.* ⊙
    - 9. *Simplex flore majore*, C. B. P. *Caryophyllus flos ſimplex*, *Dod.* *Caryophyllus ſimplici flore*, *Swert.* ⊙
  - *Silveſtris*
    - 10. *Arboreſcens Creticus*, C. B. P. & *Prod. deſc.* *Caryophyllus ſilveſtris arboreſcens*, *Park.* *Betonica coronaria arborea Cretica*, *J. B. Chabr.* ⊙
    - 11. *Puſillus omnium minimus unico flore*, *nobis.* *Caryophyllus* 1us. *Cluſ. Hiſt.* *Caryophyllus ſilveſtris humilis flore unico*, C. B. P. ⊙
    - 12. *Juncifolius cæruleus Monſpelienſium*, *nobis.* *Caryophyllus cæruleus*, *Tab. Ger.* *Aphyllanthes Monſpelienſium*, *Lob.* & *Ad. Lob. J. B. Chabr.* ⊙
  - *Plumarius ſeu profunde laciniatus*
    - *Floribus*
      - 13. *Inodoris ſeu tenuiſſime diſſectis*, *nobis.* *Caryophyllus plumarius*, *Tab.* *Flos Caryophylleus minor*, *Dod.* ⊙
      - *Odoratis*
        - 14. *Staminulis corniculatis*, *nobis.* *Caryophyllus ſilveſtris* 5. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 15. *Sine corniculis*, *nobis.* *Caryophyllus ſilveſtris* 3. *Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 16. *Lanuginoſis hirſutis*, *nobis.* *Caryophyllus plumarius purpurocæruleus*, *Tab. Ger.* ⊙
  - *Barbatus*
    - *Hortenſis*
      - 14. *Multiplex ſeu flore pleno*
        - *Rubro*, *nobis.* ⊙
        - *Albo*, *nobis.* ⊙
      - *Simplex*
        - 18. *Latifolius*, *nobis.* *Caryophyllus barbatus hortenſis latifolius*, C. B. P. *Armeria altera multis floribus in latum orbiculum congeſtis*, *Lob. Icon.* ⊙
        - 19. *Anguſtifolius*, *nobis.* *Caryophyllus barbatus hortenſis anguſtifolius*, *nobis.* *Armeria rubra flore ſuaverubente*, *Lob. Icon.* ⊙
    - *Silveſtris annuus*
      - 20. *Anguſtifolius perpaucis capſulis donatus*, *nobis.* *Armeria ſilveſtris ſecunda*, *Lob. Icon.* *Viola barbata anguſtifolia*, *Lugd.* ☿
      - 21. *Latifolius multis capſulis ſimul junctis donatus ſeu prolifer*, *nobis.* *Armeria prolifera*, *Lob. Icon.* ☿

§. 1. *Ca-*

§. 1. *CARYOPHYLLUS hortenſis multiplex.*
Explicatio Tab. vigeſimæ quintæ Sectionis quintæ.

1. *CAryophyllus* maximus ruber, C. B. P. Caryophyllus maximus flore pleno rubro, Eyſt. Speciosa tam florum quam foliorum & calycis magnitudine cæteros omnes congeneres antecellere ſatagit hic Caryophyllus ruber, cæteroquin illorum ſocietatem nullatenus recuſat.

2. *Caryophyllus* maximus variegatus, C. B. P. Caryophyllus maximus multiplex variegatus, Eyſt. Caryophyllus multiplex maximus, Tab. Ger. Magnitudine florum Caryophyllo maximo purpureo flore multiplici reſpondet quidem, coloris vero variegata & eleganti diſtinctione illi quaſi palmam præripit, cum albore conſtet nonnullis punctulis ac maculis ſaturate rubicundis, tota etiam petala imo totos flores inficiat, calycis craſſitudine aliquam cum Anthophyllis ſimilitudinem habeat, cum quibus etiam à Lobelio comparatur, foliorum herbaceorum luxuria & amplitudine omnium reliquorum familiam ducere videtur. Huc pertinent Caryophyllus maximus & pleniſſimus colore mixto carneo quibuſdam corniculis lacteis du Bry. 2. Caryophyllus maximus & pleniſſimus colore vario in diverſis petalis, ſcarlatino, dilutius rubente albo du Bry. 3. Caryophyllus maximus & pleniſſimus colore rubro ſaturatiore, ſtaminulis tribus niveis in medio, du Bry.

3. *Caryophyllus* altilis major, C. B. P. Caryophyllus domeſticus, Matth. Cam. Caſt. Caryophyllus flore majore, Eyſt. Caryophyllus multiplex, Lob. Icon. Tab. Ger. Hujus datur varietas multiplex 1. Caryophyllus multiplex flore albo, rubro & carneo, Eyſt. Swert. 2. Caryophyllus pleno flore coloris albi miſta & ſparſa rubedine, du Bry. 3. Caryophyllus albus flammulis ruberrimis, Swert. 4. Caryophyllus albus lineis rubris ſubtiliſſime diſtinctus, Swert. 5. Caryophyllus multiplex flore ex purpura rubeſcente, Eyſt. 6. Caryophyllus flore majore partim carneus, partim albus, rubris ſtriis ac punctulis variegatus, Eyſt. 7. Caryophyllus multiplex ſingulis florum petalis è rubro & albo colore dimidiatim diviſis, Eyſt. qui eſt Caryophyllus multiplex major, Lob. Icon. 8. Caryophyllus plenus colore umbilico tenus rubeſcens inſtar florum Perſicæ mali, foliis latioribus, Eyſt. 9. Caryophyllus plenus purpuraſcens punctatis petalis, Eyſt. 10. Caryophyllus purpureus punctulis intenſe purpurei coloris, Swert. 11. Caryophyllus ſubviridi colore, Swert. & 12. Caryophyllus luteus ex Polonia, Ger.

4. *Caryophyllus* altilis medius, C. B. P. Huc pertinent 1. Caryophyllus albus cremeſini coloris & Caryophylus minor albus lineis purpuroviolaceis diſtinctus, Swert. 2. Caryophyllus miniatus medio albeſcens, Eyſt. 3. Caryophyllus pleno flore violaceo de Bry.

5. *Caryophyllus* minor flore pleno, C. B. P. Caryophyllus multiplex minor hortorum, Lob. Icon. Caryophylli ſpecies exigua pleno flore coloris carnei, du Bry.

6. *Caryophyllus* multiplex mali aurantii colore, C. B. P. Caryophyllus Sileſiacus miniatus pleno flore, Cluſ. Hiſt. Caryophyllus plenus miniato colore, Eyſt. Hujus dantur varietates 1. Caryophyllus dimidia parte mali aurantii colore, altera candida & permiſta, du Bry. 2. Ex ſemine libenter provenit, ſed alii flores nativum eumque ſaturatiorem aut dilutiorem retinent, alii albi, alii rubri fiunt: nonnulli ſimplici quoque petalorum ſerie conſtant, Cluſ. Hiſt.

7. *Caryophyllus* ſupinus flore pleno rubro, argenteis micis aſperſo, C. B. P. Caryophyllus 7. pleno flore, Cluſ. Hiſt. Caryophyllus flore minore pleno rubeſcens punctatus, Eyſt.

8. *Caryophyllus* multiplex laciniatus, C. B. P. Caryophyllus purpureus flore multiplici profunde laciniato, Lob. Icon. Varietates hujus tres 1. Caryophyllus multiplex laciniatus flore carnato, Eyſt. 2. Caryophyllus purpureo flore multiplici profunde laciniato, Eyſt. 3. Caryophyllus purpureo flore multiplici laciniato, Eyſt. Caryophyllus purpureus flore multiplici Bry & Swert.

§. 2. *CARYOPHYLLUS hortenſis ſimplex.*

9. *Caryophyllus* hortenſis ſimplex flore majore, C. B. P. Caryophyllus flos ſimplex, Dod. Caryophyllus ſimplici flore, Swert. Mira & varia rubrarum macularum & guttarum aſpergine potiſſimum à prædictorum genere diſcrepat, à cæterarum tamen turba neutiquam excludendus hic Caryophyllus ſimplex, ejuſque varietates; nam magna eſt varietas in colore florum, eſt enim flos ſimplex miniatus, eſt pallide purpuraſcens, vel incarnatus: eſt verſicolor ob guttarum & macularum rubrarum aſperginem: eſt variegatus, cujus folia albeſcentia ſtigmatibus rubris aſperſi ſunt: duo poſteriores in Horto Eyſtettenſi proponuntur, nomine Caryophylli ſimplicis hortenſis verſicoloris, & Caryophylli majoris ſilveſtris variegati.

§. 3. Ca-

§. 3. CARYOPHYLLUS *ſilveſtris ſimplex.*

10. *Caryophyllus* ſilveſtris arboreſcens Creticus 1. C. B. P & Prod. Caryophyllus ſiveſtris arboreſcens, Proſp. Alpin. Exot. Betonica coronaria arborea Cretica, J. B. Chabr. Caryophyllus hic ſilveſtris arboreus Creticus quinque foliis naſcitur in montibus Cretæ Inſulæ bicubitalis & amplioris aliquando altitudinis; caudice duro, longo, digiti craſſitie, colore albicante, denſe geniculato, à quo rami multi procedunt, oblique ſurſum acti, denſe itidem brachiati in alios binos, vel ternos cauliculos, in quibus multa germina innumeris foliis longis, tenuibus, ſilveſtris Caryophylli foliis ſimilibus, ex eodem ortu naſcentibus referta, apparent: inter quæ exeunt pediculi tenues, flores caryophylleos, parvos, pentapetalos, odoratos, purpuraſcentes in album ſuſtinentes. Floret menſibus Junio & Auguſto. Hyeme in Hypogæum repoſitus multis annis durat.

11. *Caryophyllus* ſilveſtris puſillus omnium minimus unico flore, nobis. Caryophyllus ſilveſtris 1. Cluſ. Hiſt. Caryophyllus ſilveſtris humilis flore unico, C. B. P. Huic dodrantales ſunt cauliculi, teretes, geniculati: folia in ſingulis geniculis bina inter ſe oppoſita, oblonga, anguſta, dura, mucronata, colore quaſi cæſio: flos è calyculo rubente emergens, ſingulis cauliculis unicus (interdum bini) quinque petalis conſtans, lente fimbriatis, coloris in purpura rubentis, circa umbilicum hirſutus, & ſaturatiore purpura nitens atque odoratus: ex cujus medio umbilico duo brevia ſtaminula prominent: ſemen in calyculis oblongis paleaceum, compreſſum, fuſcum: radix longa, tenues fibras ſpargens, è cujus capite plures cauliculi late in ambitu & confertim ſeſe diffundunt fibraſque ſubinde agunt. Invenitur in Haimburgenſi monte, duobus ſupra Poſonium, infra Viennam autem octo, milliaribus. Floret iſtic Maio, in hortos etiam tranſlata radice Aprili.

12. *Caryophyllus* ſilveſtris juncifolius cæruleus Monſpelienſium, nobis. Caryophyllus cæruleus Monſpelienſium, C. B. P. Aphyllanthes Monſpelienſium, Lob. Icon. & Ad. J. B. Chabr. Caryophyllus cæruleus, Tab. Ger. Multos junceos enodes caules bipalmares in glareoſis campis circa Monſpelium, at in hortis pedales & altiores emittit hic elegans Caryophyllus cæruleus, quorum ſingulis flos ſatis magnus pro proportione plantæ, cæruleus, pentapetalus, unicus inſidet in ſummo, ex calyce oblongo, cylindraceo erumpens, aliarum ſilveſtrium more, guſtu dulci: radix fibris multis, longis, contextis, lignoſis, duris albiſque conſtat, circa folia multa graminea, celeriter marceſcentia, protruduntur. Provenit Monſpelii prope *Caſtelneuf* in monte, & qua itur *Frontignianum* Monſpelio: in locis ſaxoſis floret illic Aprili in cacumine montis, ſæpe verſus finem Maii & initium Junii.

§. 4. CARYOPHYLLUS *plumarius ſeu profunde laciniatus*

13. *Caryophyllus* plumarius flore inodoro tenuiſſime diſſecto, nobis, Caryophyllus flore tenuiſſime diſſecto, C. B. P. Caryophyllus plumarius, Tab. Flos caryophylleus minor, Dod. Superba recentiorum, Ad. Lob. Betonica coronaria ſive caryophyllea flore tenuiter laciniato majore albo & dilutius rubente, J. B. Chabr. Firmioribus & longioribus eſt cauliculis Betonica hæc coronaria minus ramoſa &c. Majore etiam flore non minus profunde per oras laciniato nec odorato; aut lactei candoris omnino, aut dilutius rubentis & quodammodo carnei coloris, brevibus villis purpureis umbilici circumferentiam in utraque varietate occupantibus, nullis ſimiliter corniculis, ſed decem ſtaminibus ut in Betonica coronaria minus ramoſa: prominentibus alioqui foliis, radice & florendi tempore conveniunt. Betonicam hanc coronariam Cluſius invenit ad radices montis oppido *Medeling* imminentis tertio fere à Vienna milliari. Flos nunc albus, nunc dilutius rubens & carneus, qui floret ineunte æſtate, quo tempore ſemina perficit. Geſnerus autem apud Germanos in pratis humidis etiam reperiri refert. Huc referri poſſunt Caryophyllus ſilveſtris alter flore laciniato rubro odoratiſſimo, C. B. P. Caryophyllus 6. Cluſ. Hiſt. qui eſt Caryophyllus ſilveſtris flore purpuraſcente & alter flore incarnato, Eyſt. Flos hujus aut candidus aut purpuraſcens ſuavis odoris. Vide deſcriptionem Cluſ. Hiſt. pag. 285. pl. VI.

14. *Caryophyllus* plumarius floribus odoratis ſtaminulis corniculatis, C. B. P. Caryophyllus ſilveſtris 5. Cluſ. Hiſt. & Pan. Vide deſcriptionem Cluſ. Hiſt. pl. V.

15. *Caryophyllus* plumarius floribus odoratis ſine corniculis, C. B. P. Caryophyllus ſilveſtris tertius, Cluſ. Hiſt. & Pan.

16. *Caryophyllus* floribus odoratis lanuginoſis hirſutis, C. B. P. Caryophyllus plumarius pur-

purpurocæruleus, Tab. Ger. Caryophylus ſilveſtris flore albo, Eyſt. Flos hujus candidus eſt: alterius flores purpuraſcente lanugine hirſuti. Sic mille modis ludit natura in productione Caryophyllorum tam majorum, minorum, mediorum & maximorum, tam hortenſium, quam ſilveſtrium, etiamſi Johannes Ruellius caryophylleum florem incognitum veteribus exiſtimaverit atque ejus judicium optimum videtur, nam certe Vetonicæ alterius aut Cantabricæ flos parum hujus flori ſimilis eſt. Mirum creditur, ait, ut tam celebris flos, tamque jucundus fuerit à veteribus ſilentio prætermiſſus, qui amplitudine, pulchritudine varietateque colorum florum Roſa non inferior videri poteſt.

§. 5. *CARYOPHYLLUS BARBATUS.*

17. *Caryophyllus* Barbatus hortenſis flore multiplici, C. B. P. Armerius flore pleno rubro, Eyſt. Armerius pleno flore, Cluſ. Hiſt. & Pan. Armeria alba & rubra multiplex, du Bry & Swert. Caryophylleis floribus congener eſt Armerius flos è Gallica appellatione nomen apud recentiores Botanicos mutuatus, qui ſummo caulis & ramulorum faſtigio multos flores confertim naſcentes, & veluti in umbellam ſeu caput congeſtos habet: folio caryophylleis foliis latiore. Hujus, inquam, flos duplice, triplice aut multiplice petalorum ſerie conſtat, eſtque vulgatior rubro flore, rarior albo unde, Armeria alba multiflora dicitur Swert. Huc pertinet Caryophyllus barbatus flore roſeo, C. B. P. Armeria multis & ſeparatim poſitis floribus duplicibus & magnis, coloreque ruberrimis, Swert.

18 *Caryophyllus* barbatus hortenſis ſimplex latifolius, nobis. Caryophyllus barbatus hortenſis latifolius, C. B. P. Caryophyllus Carthuſianorum 1. Tab. Armeria altera multis in latum orbiculum congeſtis floribus Lob. Icon. Hujus folia binatim proveniunt ſingulis geniculis adhærentia, caryophylleis foliis multo latiora, & minus rigida ſeu dura, plurimos flores in faſtigio caulis ſeu ramulorum confertim naſcentes & veluti in caput ſeu umbellam congeſtos fert, ſimplices, pentapetalos, qui multis modis ludunt quoad colorem, nam vel eſt flore rubro communiter, vel albo; habetur & albo maculis rubris notato: vel eſt diverſicolor ex albo & rubro & medio; hinc 1. Armeria ſimplex flore rubro, Bry & Swert. Flos armerius ruber, Eyſt. 2. Armeria flore albo, Bry, Swert. Flos armerius albus, Eyſt. Flos armerius variegatus, Eyſt.

19. *Caryophyllus* barbatus hortenſis ſimplex anguſtifolius, nobis. Caryophyllus barbatus hortenſis anguſtifolius, C.B.P. Caryophyllus Carthuſianorum 2. Tab. Armeria rubra flore ſuaverubente, Lob. Icon. Armerius flos alter, Dod. Armerius Pannonicus flore ſimplici, Cluſ. Hiſt. Hic à priore differt tantum parvitate & anguſtia foliorum à præcedente. Hujus quinque ſunt differentiæ, 1. Eleganti eſt flore, eoque aut plane rubro aut lactei candoris maculis aſperſo, aut niveo oris carnei coloris, 2. Omnino niveo, 3. Flores pauciores dilutius rubentis & carnei coloris, 4. Flore eſt purpuraſcente oris albis. 5. Flores die primo & ſecundo quo aperti ſunt lactei prorſus candoris, ſequentibus paulatim albedine evaneſcente, tandem omnino purpuraſcunt, ſic ut in eadem umbella flores lacteos, alios exalbidos, & media ex parte purpuraſcentes, alios omnino purpureos, conſpicere liceat; imo holoſericeo colore eleganter ſaturate tinctos.

20. *Caryophyllus* barbatus ſilveſtris annuus anguſtifolius perpaucis capitulis donatus, nobis. Armeria ſilveſtris 2. Lob. Icon. Viola barbata anguſtifolia, Lugd. Radice eſt hæc Armeria brevi, candida, modice fibrata: foliis gramineis ſed longioribus, nigrioribus, aliquantulum hirſutis, prope radicem nullis, in caule paucis, binis per intervalla ad caulium nodos alarum modo junctis: caule nunc ſingulari, nunc multiplici, pedali, geniculato, ſurculis ex alarum ſinu non binis ex adverſo, ſed ſingulis, ex altera tantum parte prodeuntibus: in quorum faſtigio cauliculi multi, longi & graciles, in multos veluti barbulæ pilos extremo diviſi, unde Armeriam Barbatam appellarunt. Flos eſt puniceus elegantiſſimus, ſed minimus, coloris tamen nitidi & imprimis vividi. Locis ſabuloſis, macris, lapidoſis, ſed apricis gaudet. Maio & Junio floret, paulo poſt ſemina foliacea, nigra ſuffundit.

21. *Caryophyllus* barbatus ſilveſtris annuus latifolius multis capſulis ſimul junctis donatus, nobis. Armeria prolifera, Lob. Icon. Caryophyllus ſilveſtris minimus, Tab. Park. Caryophyllus hic folia habet viridia, graminea, obtuſa ab initio, humi jacentia: è quorum medio erigitur caulis brachiatus, cujus geniculis adhærent tantum foliola: in ſummis fert capſulas plures, breves, ſimul junctas; ex quibus ſingulis gradatim exeunt ſinguli floſculi, dilute rubentes, omnium minimi, qui uix excedunt calicem ipſos ſuſtinentem, unus tantum apparet flos expanſus, aliquando bini conjunctim, unde ſucceſſive ſeu gradatim diu floret: floribus evanidis apparent ſingulæ capſulæ perbreves, ſimul junctæ & arcte ſibiinvicem adhærentes, quarum ſingulæ in ſe continent plurima ſemina, nigra, foliacea: radix tenuis, dura, alba, ſingulis annis periens & ſeſe ſingulis annis propagans. Provenit in ſegetalibus & neglectis arenoſis paſſim. Floret Junio & ſemina perficit Auguſto.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Temperatura media præditos caryophylleos flores voluit Tragus; ſunt qui ex rubris conſervas, ut vocant, conficiunt, quemadmodum ex Roſæ, Buglosſæ, Violæ, floribus conſervæ ſaccharo condiri conſueverunt. Ejuſmodi confectio imbicilitati cordis, præſertim in ardentibus febribus apprime conducit: alii aceto imponunt flores rubros Caryophyllorum, quod jucundo odore commendant: hoc acetum doloribus capitis olfactu, & illitu temporibus, opitulatur. Flores Caryophylli campeſtris, qui natura cæteris calidiores exiſtunt, diſtillantur, ea aqua ſingulari experimento ad pellendum calculum, menſura duum aut trium cochlearium bibitur, calida ſiccaque facultate pollere hos flores perhibet etiam Matthiolus & ſane indicio poteſt eſſe odoris fragrantia & ſaporis amarulentia quædam. Qui purpureo colore nitent, præſtant ad omnes cordis affectus, vertiginem, apoplexiam, paralyſin & convulſionem, ex Betonicæ aut Amaraci decocto poti. Adſervantur ſaccharo non ſolum ad prædicta omnia utiles, ſed etiam adverſus venena venenoſorumque animalium ictus. Dantur contra peſtilentiæ contagia. Succus valentius operatur ex univerſa planta expreſſus, hauſtus enim quatuor unciarum pondere, ubi morbus invaſerit, liberat. Præſtant ſilveſtres quoque ad ea omnia ad quæ ſativas præſtare diximus, verum longe remiſſius operantur. Fuchſius ſilveſtris ſuccum calculo atterendo ac educendo, nec non comitiali morbo laborantibus à recentioribus utilem credi ſcriptum reliquit. Præſtant, inquit Schwenckfeldius, purpureo nitentes colore Caryophyllos aramaticos redolentes: corroborant ventriculum, cerebrum, cor & jecur, unde commendantur ad omnes prædictorum viſcerum affectus antidotiſque inſeruntur. Succus haud inferior eo, qui è granis tinctoriis Kermes *dictis colligitur, in cordis affectibus, palpitatione, lypothimia, in capitis malis, vertigine apaplexia, paralyſi & convulſione, cephalalgia, &c. atque ventriculi imbicilitate, cardialgia, &c. præſtantiſſimum remedium. Commodiſſime etiam in febribus malignis propinatur. Acetum florum caryophyllorum oxyrrhodanis utiliter permiſcetur. Qui plura deſiderat de Caryophylleorum florum viribus & uſu legat Tabernæmontanum, qui ex iis & vinum & ſyrupum atque oleum fieri commemorat. Conſule etiam Simonem Pauli quadripartiti ſui operis pag.* 241, & 242.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI,
Aliorumque Authorum.

Pag. 210. *col.* 1. *pl.* VII. *Caryophyllus pratenſis ſtore laciniato, C. B. P. Odontitis ſimplici flore Cluſ. Hiſt. Non eſt Caryophyllus a nota ſua generica, ſed Lychnis. Ibidem col.* 2. *pl.* VIII. *Caryophyllus pratenſis flore pleno Lychnis eſt planta pentapetala bifida utplurimum capſula cartilaginea pyramidali aut longa prædita, in qua continentur ſemina plurima, minuta, rotunda; atqui ſiliqua ſeu capſula hujus eſt talis; ergo eſt Lychnis quemadmodum monuimus capite de Lychnide ſupra. Cum Caryophyllorum capſulæ ſunt oblongæ, cylindraceæ, continentes ſemina foliacea, nigra, uti ab initio hujus capitis dictum, Odontitis Plinii neutiquam dicenda fuiſſet Caryophyllus nec Armerius; ergo lapſi ſunt authores omnes quibus mordicus adhæſerat Caſparus Bauhinus.*

Pag. 209. *col.* 2. *pl.* X. *Caryophyllus Carinthiacus ruber, C. B. P. Caryophyllus ſilveſtris* 4. *vel Tauricus Cluſ. Hiſt. & Pan. Ibidem pl.* XI. *Caryophyllus Alpinus calyce oblongo, hirſuto, C. B. P. Caryophyllus pumilio Tauricus ſive* 8. *Cluſ. Hiſt. cum pericarpium & calycem foliaceum reliquarum Lychnidum more habeat eſt Lychnis, ut monuimus capite de Lychnide* XVII. *ſupra; ergo male diſponitur primo a Cluſio, deinde a Tabernæmontano & Gerardo, denique a Caſparo Bauhino inter Caryophyllos.*

Pag. 210. *col.* 2. *pl.* I. *Caryophyllus arvenſis hirſutus flore majore, C. B. P. Caryophyllus holoſtius, Lob. Icon. Ger. Ibidem pl.* II. *Caryophyllus holoſtius tomentoſus latifolius, C. B. P. Ibidem pl.* III. *Caryophyllus holoſtius tomentoſus anguſtifolius, C. B. P. Ibidem pl.* IV. *Caryophyllus arvenſis umbellatus folio glabro, C. B. P. Alſine verna Dalechampii, Lugd. Ibidem pl.* V. *Caryophyllus arvenſis glabro flore majore, C. B. P. Gramen Leucanthemum, Dod. Ibidem pl.* VI. *Caryophyllus arvenſis glaber flore minore, C. B. P. Holoſtii Ruellii diverſitas, Lob. Icon. Ibidem pl.* VII. *Caryophyllus arvenſis glaber minimus, C. B. P. Cum nulla harum plantarum ſymbolum poſſideat Caryophylli; neutiquam authoribus ſic fuiſſent denominandæ; ſunt Lychnidis ſpecies ut monuimus cap.* XVII. *ergo male primo nominantur, deinde diſponuntur inter Caryophyllos, item pag. eadem col. eadem pl.* I, *pl.* II, *pl.* III, & *pl.* IV. *male etiam recitantur pro Caryophylli ſpeciebus a Caſparo Bauhino.*

Pag. 211. *col.* I. *pl.* I. *Caryophyllus major flore globoſo, C. B. P. Gramen marinum majus, Tab. Cluſ. Pan. Ibidem pl.* II. *Caryophyllus montanus minor, C. B. P. Gramen marinum minus, Tab. Cluſ. Pan. Non habent notam genericam Caryphyllorum ſupra dictorum, ergo male nominantur ab authoribus & pejus hic diſponuntur a Caſparo Bauhino.*

Pag. 211. *col.* I. *pl.* I. *Caryophyllus ſaxatilis foliis gramineis umbellatis corymbis, C. B. P. Symphytum petræum ſive Gypſophyton majus, Tal. Ibidem col.* 2. *pl.* II. *Caryophyllus ſaxatilis minor foliis gramineis, C. B. P. Symphytum petræum ſive Gypſophyton minus, Thal. Ibidem pl.* IV. *Caryophyllus ſaxifragus, C. B. P. Saxifraga magna, Matth. Lob. Lugd. Cam. An ſaxifraga Bavarica, Cam. Ponæ. Ibidem pl.* V. *Caryophyllus ſaxifragus ſtrigoſior, vel Caryophyllus ſilveſtris flore minimo, C. B. P. Saxifraga ſive ſaxifragia antiquorum, Ad. Lob. Icon. Ibidem pl.* VI. *Caryophyllus ſaxatilis Ericæ foliis umbellatis corymbis, C. B. P. & Prod. Ibidem pl.* VII. *Caryophyllus ſaxatilis Ericæ foliis ramoſus repens, C. B. P. & Prod. Ibidem pl.* VIII. *Caryophyllus ſaxatilis floribus rubris, C. B. P. & Prod. Caryophyllus minimus muralis, C. B. P. Tunica minima, Lugd. Omnes hæ plantæ notam poſſident Lychnidis non Caryophylli; ergo male a Caſparo Bauhino nominantur Caryophylli & per conſiquens pro Caryophyllis accenſentur.*

Pag. 211. *col.* 2. *pl.* III. *Caryophyllus ſaxatilis ſiliquoſus qui Caryophyllus ſiliquoſus, C. B. P. & Prod. pl.* XIV. *cum ſit planta tetrapetala & bicapſularis ex deſcriptione allata a Caſp. Bauhino, male hic collocatur pro vera & genuina Caryophylli ſpecie.*

DE PENTAPETALIS

capſulis oblongis bifidis, ſemina minuta in ſe continentibus.

CAPUT XXII.

CETAURIUM MINUS.

Centaurium duplex eſt: majus de quo infra Sectione ſexta inter capitatas pappeſcentes: Minus aliud, quod κενταύρειον τὸ μικρὸν καὶ λιμνάιον*, quoniam loca rigua amet Dioſcoridi l. 3. c. 9. At Theophraſto 9. Hiſt. 4.* πάναξ λεπτόφυλλον. *Panax tenuifolium dicitur. Plinio lib. 25. c. 6. Centaurium alterum cognomine Lepton, quod aliqui Libadion vocant, quoniam ſecundum fontes naſcatur: Fel terræ propter amaritudinem ſummam dictum. Gallis Exacon (* ἀπὸ τοῦ ἀκέεσθαι *à medendo) quoniam omnia mala medicamenta potum è corpore exigat per alvum. Tertia eſt Centauris cognomine Triorchis, &c. Hæc Plinius*

Centaurium minus hunc locum ſibi vindicabit cum ſit planta pentapetala, capſula longa, bifida, tenui donata, continente plurima, minuta, puſilla ſemina. Centaurium autem majus cum ſit planta capitata pappeſcens remittetur ad ſuas conſortes capitatas pappeſcentes Sectione 7[ma]. contentas & adjungetur Cyano, Jaceæ & Stæbe, cum quibus convenit in partibus eſſentialibus à fine ultimo petitis.

Pars TABULÆ XXVI.

Centaurium minus
- *Luteum*
  - 1. *Perfoliatum, C. B. P. Cam. Ep. Park. Centaurium prius & alterum, Hiſt. Lugd. Centaurium prius, Eyſt. Centaurium minus perfoliatum flore luteo, Tab.* ☿
  - 2. *Foliis non cingentibus caulem ſed verſus caulem lunatis, nobis. Centaurium luteum parvum Lobelii, Ger. Centaurium parvum luteum flavo flore, Cluſ. Hiſt. Centaurium luteum minus vulgare, Park.* ☿
  - 3. *Perpuſillum, C. B. P. Centaurium luteum novum, Col.* ☿
  - 4. *Paluſtre minimum, nobis.* ☿
- 5. *Rubrum, nobis. Centaurium minus, Trag. Matth. Fuch. Dod. ut. Iur. Lugd. Tab. Centaurium minus vulgare, Park. Centaurium minus flore* { *Purpureo.* ☿ / *Albo.* ☿ }
- 6. *Purpureum puſillum ſeu minimum, nobis.* ☿
- 7. *Album minus ſpicatum, C. B. P. & Prod. Matthioli ed. Bauh.* ☿

Explicatio partis Tab. vigeſimæ ſextæ Sectionis quintæ.

1. *Centaurium* luteum perfoliatum, C. B. P. Cam. ep. Park. Centaurium prius & alterum, Hiſt. Lugd. Centaurium prius, Eyſt. Centaurium minus perfoliatum flore luteo, Tab. Radice nititur exigua, fibris criſpis, tenuibus, candidis capillata: caulis ei eſt pedalis, aliquando altior, rotundus, viridis, ſed albo quodam pulviſculo pubeſcens, qui digitorum affrictu facile deraditur: folia ex intervallis bina, aut potius unicum, utrinque mucronatum, craſſa, carnoſa, Centaurii minoris ſimillima, latiora multo, rotundiora, non ita venoſa, concavo alarum ſinu lacunoſa, & Dipſaci modo veluti pelvim aut alveum efficientia, quo ros imberve contineri poſſit: ex alveolorum medio ſurculi exurgunt nunc plures, nunc pauciores, qui flores ſuſtinent aureos, petalis conſtantes quinis, ſenis, aliquando octonis. In aſperis & ſaxoſis gignitur. Tota planta guſtu eſt amaro. Huic ſimile eſt caulibus foliiſque Centaurium aliud luteum minus, in hoc diſcrepans à ſuperiore quod nullos ſurculos edat, ut ſuperius, quibus flores inſideant, ſed in ſummo caulis faſtigio florem ſingularem emittit luteum. Iiſdem in locis reperitur, ejuſdemque eſt guſtus. Vide Hiſtoriam Lugdunenſem pag. 1291.

2. *Centaurium* luteum foliis non cingentibus caulem, ſed verſus caulem lunatis, nobis. Centaurium luteum parvum Lobelii, Ger. Centaurium parvum luteum flavo flore, Cluſ. Hiſt. Centaurium luteum minus vulgare, Park. Multis conſtat foliis, Saponariæ vulgaris non diſſimilibus, minoribus tamen & candicantibus, perque terram ab initio ſparſis; inter quæ caulis exit rotundus, pedalis altitudinis, geniculatus, & ex ſingulis nodis folia Centaurii minoris aut Hyperici

 perici

perici æmula, bina ſemper inter ſe oppoſita, atque verſus appoſitionem cum caule deliquium patientia ſeu lunata: ſummi ramuli aliquot flores Hyperici floribus fere ſimiles, ſaturatioris lutei coloris & plane aureos ſuſtinent: ſemen deinde in vaſculis tenuiſſimum, ſcobis inſtar, nigrum: radix candida tenuiſque. Provenit læto ſolo, in collibus juxta Tagum, ubi ab incolis *ſemper Nova* dicitur, quod toto fere anno floreat, quaſique renaſcens conſpiciatur: etiam in aliis Hiſpaniæ locis, atque agro Monſpelienſi; etiam in Gallia & Anglia in montoſis & ſiccioribus pratis & paſcuis Eſſexienſium & in comitatu Cantii inter Graveſendiam & Cobham floribus onuſtam obſervavit Cluſius.

3. *Centaurium* luteum perpuſillum, C. B. P. Centaurium luteum novum, Col. Dodrantalis eſt planta hæc: radice perquam exigua, lignoſa, pallente: foliis in imo ſtratis ab initio, ut in congeneribus vulgatis flore purpureo, ſed minoribus, cauli anguloſo binis oblongis foliolis è regione per intervalla hærentibus ut in vulgari, ſed duplo minoribus, Rutæ proximis: in ſummo vero flores binos fert aut unicum, longis calycibus pro baſi inſidentes, pentapetalos, colore luteo, Maio menſe hiantes, ſemine exili & minuto ut in prædictis. Sapor plantæ admodum amarus, ſed non tam intenſus ut vulgaris minoris purpurei. Hanc à nemine obſervatam hucuſque aut depictam, inquit Fabius Columna, in maritimis oppidi dicti vulgo *Torre della nunciata*, non longe à Stabii ruinis in *Veſuvii* montis radice primum invenit prædictus Fab. Columna.

4. *Centaurium* paluſtre luteum minimum, nobis. Huic radix alba ſimplex fibris multis donata: folia ad radicem parva, anguſta, oblonga: caules trium aut quatuor digitorum altitudine aſſurgunt ramoſi, ad quorum ſingula genicula duo ex adverſo foliola, anguſta, acuta naſcuntur: flores in ſummitatibus ramulorum prodeunt longis pediculis innitentes, lutei, exigui, pentapetali, fere ſemper clauſi, ex quinque petalis conflati: vaſculum ſeminale oblongum per maturitatem in duas carinas dehiſcit & ſemen effundit minutiſſimum, ſubrotundum, ex ruffo nigricans. Totius herbulæ ſapor amarus. Plantula eſt annua, quæ perfecto ſemine totaliter radicitus exareſcit. Vegetat in humidis & paluſtribus locis æſtate exſiccatis.

5. *Centaurium* minus rubrum vel album, nobis. Centaurium minus, Trag. Matth. Fuch. Dod. ut. Tur. Lugd. Tab. Centaurium parvum, Ad. Lob. Ger. Centaurium minus vulgare, Park. Centaurium minus flore purpureo & albo, J. B. Chabr. Exigua herba eſt hoc Centaurium minus, cauliculo aſſurgit anguloſo, dodrantem aut pedem alto: folio Hyperici Perforata dicti formâ & magnitudine: flores in ſummis virgulis è puniceo colore in purpuram rubent, Lychnidis ſativæ floribus minores, qui interdiu & exorto ſole patent, ſub veſperam vero recluduntur: hos capſulæ ſequuntur exiguæ, oblongæ, grano Tritici ſimiles, in quibus ſingulis ſemina minutiſſima continentur: radix ſubeſt dura, parva, nullius uſus, poſt ſemina maturata. Loca amat herboſa, aratro non proſciſſa, aliquantulum, ſed non omnino, rigua. In Italia, Gallia, Germania, Anglia Belgioque ſatis frequens. Julio ac Auguſto unà cum floribus & capſulis ſeminalibus legitur. Flos communiter puniceo colore in purpura rubet, aliquando albus eſt, rarius ferruginei coloris. Variat etiam ratione ſoli Theophraſto hiſt. 5. monente, in humidis enim altius excreſcit, in aridis vix duas aut tres uncias æquat.

6. *Centaurium* purpureum minimum, nobis. Caules biunciales vel triunciales ramatim fert hoc Centaurium minimum: flores purpureos, minimos, pentapetalos: capſulas ſeminales, minores & ſemina multa exilia, Centaurii vulgaris minoris rubri modo. In humidis circa ſtagna æſtate exſiccata locis itidem provenit. Florentem obſervavimus vix uncialem aut biuncialem verſus finem Auguſti, atque itidem capſulis ſeminalibus onuſtum.

7. *Centaurium* minus ſpicatum, C. B. P. Prod. & Matth[li]. ed. Bauh. Ex radice parva, alba, fibroſa, caulis exſurgit in plurimos ramulos palmares & ſeſquipalmares, ſtriatos diviſus: folia ſunt parva, pediculis carentia, quorum prima ſeu inferiora ſunt lata, ſubrotunda, ſuperiora anguſta, acuminata, quandoque bina, adverſo ſitu caulem amplexantia; flores albi, oblongis calycibus innixi, ab imo ſurſum verſus per caulem ſparſi, ſinguli, utplurimum, ex una caulis parte ſibiinvicem ſuccedentes ex calyculis folioſis prodeunt, eâ formâ quâ non patentes in figura exprimuntur, patentes enim ſculptor non recte expreſſit: floribus evaneſcentibus ſingulis ſuccedunt ſingulæ capſulæ, oblongæ, ſemen minutum, ut in vulgari, continentes. In montibus Euganeis Patavinorum & hinc inde circa Monſpelium reperitur monente Caſp. Bauhino in Matthiolo ſuæ editionis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Magni multique uſus eſt Centaurium minus rubrum. Herba ipſa contuſa & impoſita vulnera glutinat, vetera ulcera purgat & ad cicatricem perducit. Decocta eadem & pota bilem humoreſque craſſos

craſſos per alvum ducit. Decoctum ipſius iſchiadicis convenientiſſime affunditur, trahit enim ſanguinem doloremque levat. Succus ejus ad oculorum medicamenta perquam utilis eſt, quippe qui pupillis caliginem offundat & una cum melle diſcutiat. Vulvæ ſubditus menſes & partus extrahit: peculiariter vero nervorum vitiis epotus prodeſt. Galenus ob ingentes miraſque ejus facultates de ipſius viribus librum integrum conſcripſit ejuſque lib. 7. quoque ſimplicium meminit, ſic inquiens, Centaurii minoris radix plane inefficax eſt, ſed caulis ejus extremus & folia, quæ illi inhærent, & flores utiliſſima ſunt. Vincit in iis qualitas amara, paululum habens aſtrictionis, atque ob ejuſmodi temperamentum admodum exſiccatorium eſt medicamen, expers mordacitatis, &c. Habent autem hujus Centaurii minoris, inquit Dodonæus, cauliculi ſuperiores, folia, flores, vincentem qualitatem amaram & temperaturam calidam & ſiccam ordine ſecundo. Hepatis & fellis nec non lienis obſtructiones decocta in aqua & epota aperiunt: regio morbo medentur, diuturnis ac prorogatis febribus auxiliantur, ventris tæneas & lumbricos interemunt: in ſumma abſtergunt, expurgant, craſſitiem humorum attenuant, & quicquid amara poſſunt, inſigniter præſtant; per alvum tamen expurgationem ullam facere obſervare non potuit Dodonæus, quamobrem nullam Centaurio minori commovendæ aut expurgandæ alvi vim aut potentiam addeſſe exiſtimat experientia doctus prædictus author, non obſtante authoritate Dioſcoridis & Galeni, qui ut ſupra dictum, aſſerunt bilem & craſſa per alvum ducere. De Centaurio minore rubro ſic canit Johannes Poſthius,

Flos mihi ſuave rubet ſed ineſt quoque ſuccus amarus,
Qui juvat obſeſſum bile, aperitque jecur.

Vide cæteras facultates apud Joh. Bauhinum pag. 354, & 355. Conſule etiam Simonem Pauli qui diffuſe ſatis de Centaurii minoris viribus differit à pag. 242. uſque ad pag. 250. Medici Itali exhibent pulveris Centaurii lutei tertio quoque die drach. 1. addito ſemine Carui, Aniſi, in vino albo, contra Hydropem, icterum, lienis obſtructiones.

DE PENTAPETALIS

Capſulis minuta ſemina continentibus donatis.

CAPUT XXIII.

NUMULARIA.

NUmularia à foliis numi ſpeciem referentibus ſic dicta; aliis Centummorbia à mirifica in vulneribus medendis facultate. Aliis Hirudinaria, quod Hirudinis inſtar paſſim terræ affixa hæreat. Sunt qui Numulum Plinii l. 18. c. 28. cenſeant ubi falſo Mimmulus legatur: an forte apud Theophraſtum l. 9. c. 14. ἐρευθέδανον, *Rubiam Gaza vertit.*

Numularia eſt planta pentapetala, capſulis plurima ſemina minuta continentibus donata, per terram folia ſtrata gerens, binatim ſibiinvicem ex adverſo poſita.

Pars TABULÆ XXVI. Sectionis quintæ.

Numularia
- 1. *Major* — *Flore* *Luteo, nobis. Numularia vulgaris, Park. Numularia centummorbia, J. B. Chabr.* ⊙
- 2. *Minor* — *Flore* *Purpuraſcente, C. B. P. & Prod.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæ ſextæ Sectionis quintæ.

1. *NUmularia* major flore luteo, nobis. Numularia major lutea, C. B. P. Numularia vulgaris, Park. Numularia, Trag. Matth. Fuch. Dod. ut. Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Eyſt. Numularia centummorbia, J. B. Chabr. Longis, tenuibus viticulis, anguloſis proſerpit hæc Numularia major, quorum geniculis ex brevioribus intervallis folia bina, è regione appoſita naſcuntur, Anagallidis rotundiora & nonnihil criſpa, guſtu vehementer citra modum ſiccante adſtringenteque; ex quorum alis flores plerumque bini, rarius terni, Anagallidis luteæ florum inſtar, ſed rotundiores, eodemque colore prædití, ſapore autem aſtringente, quinis petalis conſtantes, quos vice calycis totidem viridantia foliola ſuſtinent: capitulum & ſemen Anagallidis luteæ habet. Juxta ſcrobes & fluenta aliaque rigua loca provenit, ſubinde & in humidis reperitur ſilvis, pratis & foſſis. A Maio menſe uſque in multam æſtatem floret.

2. *Numularia* minor flore purpuraſcente, C. B. P. & Prod. Hæc Numularia minor eo modo quo Numularia vulgaris ſerpit, radicem habens tenuem, capillaceam, à qua coliculi multi, tenues,

nues, palmo minores, aut aliquando æquales emergunt, quos utrinque ambiunt folia vulgaris forma, propemodum rotunda, ſed parva & plus quam decuplo minora, quorum nonnulla leviter ſinuata: ex horum ſinu pediculi tenues, oblongi prodeunt, quorum ſinguli florem purpuraſcentem, parvum, oblongum, quinis petalis conſtantem, ſtaminulis in medio brevibus, ſuſtinent: hiſce ſuccedit capitulum parvum, apice donatum, minutiſſimum ſemen continens. Hæc in humidis plurimis locis, prope *Caſtelnovum*, non longe Monſpelio diſſitis creſcit, & paſſim in paluſtribus Galliæ & Angliæ. Floret eodem tempore cum priore, aliquando tardius.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Secundi aut tertii ordinis exſiccantium eſſe herbam ſapor ejus guſtu admodum aſtringens oſtendit: eſt vero & ſimul modice refrigerans: & hinc flores & folia trita & impoſita, vulnera & quævis ulcera glutinare valent: eadem cum vino ſumpta dyſenterias, ventris imbicilitates fluxuſque ac humiditates ſanant. Conducunt & ad ſanguinis rejectiones, profluvia muliebria, & ad omnia interaneorum vulnera & ulcera, potiſſimum pulmonum. Vinum in quo herbæ hujus folia decocta, ulceribus ſumme confert, ſi hoc laventur & abſtergantur: folia cataplaſmatis ritu illita ulcera putredinoſa juvant, authore Fuchſio. Sed & ſuccus quoque foliorum & herba ipſa illita recentia vulnera glutinat. Præcipuam ejus vim eſſe dixit Matthiolus, adverſus puerorum enterocelas, cum illita, tum pulvere hauſta.

DE PENTAPETALIS

Capſulis in medio tranſverſim horizontaliter ſectis.

CAPUT XXIV.

ANAGALLIS.

Ἀναγαλλὶς *Dioſcoridi l. 2. c. 209. Anagallida aliqui Corchorum vocant, Plinio l. 25. c. 13. Genera duo Dioſcoridi & Plinio, flore tamen diſtantia: quæ cæruleo eſt flore, femina: quæ phœniceo, mas iiſdem dicitur.*

Anagallis eſt planta pentapetala capſulis rotundis in medio tranſverſim horizonaliter ſectis adinſtar duarum bullarum margine tenus junctarum, in quarum medio eſt ſtilus nutritivus, rotundus, à quo circulariter nutriuntur plurima ſemina, minuta, ſubruffa, matura. Anagallis eſt vel annua eaque duplex, mas flore phœniceo, femina flore cæruleo (major quæ eſt latifolia vel anguſtifolia & minima ſeu puſilla cærulea:) vel eſt perennis flore luteo, nemoroſa dicta.

Pars TABULÆ XXVI. Sectionis quintæ.

Anagallis { *Flore* {
- 1. *Phœniceo, C. B. P. Cam. Anagallis phœnicea mas, Ad. Icon. obſ. Lob. J. B. Chabr. Anagallis mas, Dod. Ger.* ☿
- *Cæruleo* {
  - 2. *C. B P. Anagallis femina, Trag. Matth. Fuch. Dod. Tur. Lugd. Ger.* { *Flore* { *Albo.* ☿ / *Purpureo.* ☿
  - 3. *Foliis binis terniſve geniculis ex adverſo naſcentibus, C. B. P. Anagallis tenuifolia Monelli, Cluſ. Hiſt. App. Altera Anagallis tenuifolia, Ger.* ☿
  - 4. *Puſilla ſeu omnium minima, nobis.* ☿
- 1. *Luteo nemorum, C. B. P. Anagallis lutea, Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Anagallis lutea flavo flore, Cluſ. Hiſt.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæ ſextæ Sectionis quintæ.

1. ANagallis flore phœniceo, C. B. P. Cam. Anagallis phœnicea mas, Ad. Icon. Lob. J. B. Chabr. Anagallis phœnicea, Tab. Anagallis mas, Dod. Ger. Anagallis floribus phœniceis obſolete purpureis & carneis, Park. Anagallis Alſinen ſimilitudine refert. Cauliculi

liculi ejus triangulares aliquando ſed frequentius quadrangulares, qui non attolluntur ſed per terram ſparſi jacent: quibus pauca parvulaque folia acuminata, non toto ambitu rotunda, ſuperna parte virent, averſa vero exiguis nigricantibus punctulis notantur: flores in tenuibus pediculis, oblongis, è ſinubus inter folia & caules exeuntibus, aut puniceo colore rubentes, aut obſolete purpurei, aut albi cæruleive, pentapetali: quibus ſingulis ſuccedunt capſulæ ſingulæ, rotundæ inſtar ſeminis Coriandri, quæ bifariam maturæ & exſiccatæ tranſverſim horizontaliter ſecantur; atque in ſingulis plurima ſemina, minuta, ſubruffa, continentur cingentia ſtilum nutritivum, rotundum: radix tenuibus fibris conſtat. In arvis juxta ſemitas & in hortis ac vineis non raro utraque cum mas, tum femina prodit, frequentius tamen flore rubente. Tota æſtate potiſſimum tamen Auguſto menſe florem fert.

2. *Anagallis* flore cæruleo, C. B. P. Anagallis femina, Trag. Matth. Fuch. Dod. Tur. Lugd. Ger. Ab Anagallide phœniceo flore neutiquam effigie diverſa eſt, ſed duntaxat colore.

3. *Anagallis* cærulea foliis binis terniſve geniculis ex adverſo naſcentibus, C. B. P. Anagallis tenuifolia Monelli, Cluſ. Hiſt. App. altera. Anagallis tenuifolia, Ger. Anagallis tenuifolia flore carneo, Park. Hæc plures ramulos ab eadem radice ſpargit, pedalis longitudinis, quadrangulos, ut prædictæ Anagallides, qui deinceps alios minores à latere procreant, cinctos per intervalla longiuſculis & anguſtioribus foliis quam prædictæ Anagallidis folia & ad Gratiolæ foliorum formam plurimum accedentibus, atque ex adverſo eidem geniculo ſemper adhærentibus, utplurimum binis numero interdum etiam ternis, raro pluribus, iiſque aliquando in eodem ramulo; è quorum alis magna ex parte totidem petioli, quot folia, cauliculos per intervalla ſimul ambiunt, ſummo faſtigo ſuſtinentes flores quinis petalis conſtantes, coloris cærulei, umbilico tamen purpuraſcente & phœniceis floribus majores, è quibus exiliunt exigua ſtaminula, ut in prædictis. Abunde flores profert, & plerumque toto trimeſtri ſpatio: floribus ſuccedunt orbiculata vaſcula ut in aliis ſupradictis Anagallidum ſpeciebus, ſimilia etiam ſemina continentia, quibus deciduis ſequente anno novæ plantæ generantur. Annua ſeu æſtivalis duntaxat eſt planta. Semen Gadibus accepit Johannes Monellus Tornacenſis, atque idem Carolo Cluſio communicavit anno 1602.

4. *Anagallis* puſilla ſeu omnium minima, nobis. Planta eſt hæc minima, vix biuncialis, in humidis ſecundo lapide ab urbe Blæſis proveniens: floſculos gerit cæruleos, vulgaris Anagallidis triplo minores: capſulas ſeminales & pariter ſemina multo minora.

5. *Anagallis* lutea nemorum, C. B. P. Anagallis lutea, Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Anagallis lutea flavo flore, Cluſ. Hiſt. Anagallis lutea Numulariæ ſimilis, J. B. Chabr. Dodrantales, ſunt huic ramuli, rubentes, teneri, ſucci pleni, humi ſparſi, in quibus multa folia, Anagallidis phœniceo flore foliis majora, bina ſemper inter ſe oppoſita, acidiuſculi ſaporis: ex alis prodeunt flores Anagallidis vulgaris floribus formâ ſimiles, ſed majores, quinis petalis conſtantes, flavo colore præditi: capitula rotunda deinde turgentia, Anagallidis vulgaris capitulorum æmula, minora tamen, ſemen etiam non diſſimile: tenui & late ſerpente eſt radice, quinetiam ipſi ramuli humi ſparſi fibras agunt: ideo difficulter ſemina ad maturitatem perducunt. Naſcitur in *Hogebergin* ſummo fere jugo inter arbores & in aliis montium *Etſcher Dureſtain* viciniſque jugis: nos ſatis frequenter in locis opacis & umbroſis per Galliam florentem offendimus menſe Julio & Auguſto, raro ſemen matureſcit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Habet Anagallis deſiccandi vim citra mordacitatem, nonnihil quoque coloris & quandam trahendi facultatem, adeo ut infixa corpori extrahat, author Galenus. Dioſcorides ait, utramque Anagallidem marem ſcilicet & feminam mitigandi vim habere, inflammationes arcere, adactos corpori aculeos extrahere & nomas cohibere, ſuccum item caput gargariſatum purgare, naribus infuſum dentium dolores lenire, ſi in adverſam narem injiciatur: retuſæ oculorum aciei auxiliari & argema cum melle purgare: contra viperarum morſus inſervire; jecinoris ac renum vitia reprimere, ſi ex vino bibatur. Quædam mulier Lutetiæ aqua è phœnicea Anagallide diſtillata multos ſuffuſione laborantes curavit. Poteſt autem diſtillari, teſte Holerio, cum melle. Verum ſuccus cum melle permiſtus & inſtillatus id efficacius præſtaret; nam aquæ diſtillatæ nihil fere aliud ſunt quam ininſipidum phylegma, parumque aut nihil de viribus plantarum unde extrahuntur, in ſe continent.

HAL-

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 252. col. 1. pl. 1. Anagallis aquatica major folio ſubrotundo, C. B. P. Anagallis ſeu Becabunga, Ger. Ibidem col. 2. pl. 11. Anagallis aquatica minor folio ſubrotundo, C. B. P. Anagallis aquatica minor flore pallido, Ger. Ibidem pl. 111. Anagallis aquatica major folio oblongo, C. B. P. Anagallis aquatica, Ger. Berula major, Tab. Ibidem pl. IV. *Anagallis aquatica minor folio oblongo, C. B. P. Anagallis aquatica minor, Ger. Ibidem pl.* V. *Anagallis aquatica foliis Pulegii Serpillive, C. B. P. Sium alterum & Anagallis aquatica, Trag. Ibidem pl.* VI. *Anagallis aquatica folio non crenato, C. B. P. Anagallis aquatica tertia, Lob. & aquatica altera, Lobii. Lugd. Ibidem pl.* VII. *Anagallis aquatica anguſtifolia, C. B. P. Anagallis aquatica 4. Lob. Icon. Ibidem Anagallis aquatica anguſtifolia ſcutellata, C. B. P. & Prod. Omnes; hæ plantæ cum flores gerant tetrapetalos ſiliculaſque bicapſulares longitudinaliter in bina loculamenta ſectas Veronicarum more, proculdubio ſunt recenſendæ pro Veronicis aquaticis, non enim ſunt Anagallides ratiocinando ex libro naturæ; cum Anagallis proprie loquendo ſit planta pentapetala cujus capſula eſt rotunda in medio ſponte ſeſe aperiens tranſverſim horizontaliter ſine ſepto medio diſterminante duplicem ſeriem ſeminum; ergo omnes prædictæ plantæ neutiquam Anagallides aquaticæ dicendæ fuiſſent CaſparoBauhino aliiſque Authoribus. Vide pag. 325. hujus Hiſtoriæ, ubi diffuſius de hac Hallucinatione egimus.*

DE PENTAPETALIS
Capſulis per medium tranſverſim horizontaliter ſectis donatis.
CAPUT XXV.
PORTULACA.

ΑΝδράχνη *dicitur ipſa Portulaca Dioſcoridi l. 2. c. 150. cui genera duo, Andrachne, & Andrachne ſilveſtris, quæ foliis eſt craſſioribus atque denſis, in petroſis naſcitur: aliquando in hortis foliis Oleæ, ſed minoribus multo, verum pluribus & teneris: cauliculis rubicundis, frequentibus, in terram inclinatis, &c. At Theophraſtus* Ανδράχνην *herbam 1. Cauſ. Plantarum 10. & 4. ejuſdem 3. exhibet: dein* Ανδράχνην *arborem 1. Hiſt. 8. & 15. 4. Hiſt. 4. Portulacam Gaza reddit. Verum Plinius l. & c. 20. ſcribit Portulacam quam Pepleon vocat, non multum ſativa efficaciorem eſſe: ubi Portulacam cum Peplio herba diverſiſſima confundit: cauſa erroris, quod aliqui Peplion Portulacam agreſtem vocarint: confundit etiam vires ſilveſtris cum ſativæ Portulacæ viribus.*

Portulaca eſt planta pentapetala capſulas producens oblongas, grani hordii majores, per medium tranſverſim horizontaliter ſectas: folia craſſa, ſucculenta atque pinguia. Propter analogiam Portulacæ in fine ultimo, id eſt in numero petalorum & capſulis conformibus cum capſulis Anagallidis, eandem Anagallidi ſubjunximus, & quicunque Anagallidem foliis ſpiſſis, craſſis, ſucculentis donatam pronunciaverit, eidem dabimus manus: utcunque melius hic diſponitur à fine ultimo quam à foliorum ſpiſſitudine aut ſucculentia cum Sedo Telephioque, ut fecere Caſp. Bauhinus aliique authores qui Hiſtorias generales nobis exhibuere. Vide ejuſdem Icones in Appendice hujus Sectionis.

TABULA Portulacæ in Appendice Sectionis quintæ.

Portulaca
- 1. *Latifolia ſeu ſativa* — *Foliis*
  - *Viridibus, nobis. Portulaca ſativa, Dod. Park.* ☿
  - *Flavis, nobis.* ☿
- 2. *Anguſtifolia ſeu ſilveſtris C. B. P. Portulaca ſilveſtris, Trag. Matth. Fuch. Dod. ut. Ad. Lob. Lugd. Ger. Park.* ☿
- 3. *Minima flore albo, nobis.* ☿

Explicatio Portulacæ in Appendice Sectionis quintæ.

1. P*ortulaca* latifolia ſeu ſativa, C. B. P. Portulaca ſativa, Dod. Park. Portulaca hortenſis, Trag. Fuch. Dod. Gall. Geſn. Hort. Portulaca domeſtica, Matth. Ad. Lob. Ger. Portulaca latioribus foliis, Cæſ. Sativæ hujus ſeu Portulacæ domeſticæ caules non raro dodrantales, pedales nonnunquam & in ſolo fertili longiores, teretes, craſſi, ſubrubentes, ſucculenti, læves, reſplendentes, per terram ſtrati, in alas quaſdam diſtribuuntur: folia uncialis & ſeſquiuncialis longitudinis, latiuſcula, craſſa, pinguia, ſucculenta, glabra, virentia, interdum in hortis flava, à tergo albidiora: floſculi minuti, pallide lutei, pentapetali ad annexum foliorum

liorum cum caulibus gignuntur, exiguis aut parvis pediculis innitentes: ſuccedente capitulo exiguo, oblongo, grano Hordei paulo majore, per medium tranſverſim horizontaliter ſecto, herbacei ac virentis coloris; in cujus gremio circa ſtilum nutritivum, capſulæ ſuperiore parte deciduâ, conſpiciuntur plurima ſemina, puſilla, nigra: radix fibras habet ſatis craſſas.

2. *Portulaca* anguſtifolia ſive ſilveſtris, C. B. P. Portulaca ſilveſtris, Trag. Matth. Fuch. Dod. ut. Ad. Lob. Lugd. Ger. Park. Portulaca arvenſis, Tab. Portulaca ſponte naſcens, Cord. Hiſt. Portulaca minor, Geſn. Hort. Cam. Portulaca ſilveſtris minor ſeu ſpontanea, J.B. Chabr. Paſſim in hortis & vineis per Galliam naſcitur ſpontanea & ſilveſtris Portulaca, multis numeris minor quam ſativa prior, tota caulibus ſuis terræ appreſſa, nec humo ſurgens: radice eſt craſſiuſcula ſicut & ramis ſucculentis, multifidis: folia ungui digiti minimi fere paria, ſucculenta, craſſa, pariter atrovirentia: flores puſilli, lutei, pentapetali, in medio muſcoſi: quibus ſingulis ſingulæ capſulæ ſuccedunt, oblongæ, per medium tranſverſim horizontaliter ſectæ: quibus ablatis aut ſponte cadentibus conſpiciuntur plurima, puſilla ſemina, nigra, circa ſtilum nutritivum. Huc pertinet Portulaca arvenſis, C. B. P. Portulaca exigua, Cam. quæ mihi videtur varietas prioris in ſteriliore ſolo naſcens.

3. *Portulaca* minima flore albo, nobis. Hæc plantula eſt uncialis aut biuncialis: in humidis arvis ineunte Vere foliola ſpiſſa ſatis pro exiguitate plantæ per terram ſtrata producit, exigua, anguſta: floſculos ad nodos producit albos, pentapetalos, menſe Martio & Aprili; quibus deciduis ſuccedunt minutila ſemina Portulacæ ſeminibus omnino conformia & nigra itidem. Vide Icones harum in Appendice hujus Sectionis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Portulaca *vim habet, ut author eſt Dioſcorides, aſtrictoriam* στυπτικὴν, ψυχτικὴν *refrigeratoriam, Lob. Impoſita cum polenta cum capitis, tum oculorum doloribus, ac cæteris quoque inflammationibus, itemque ſtomachi ardoribus & eryſipelatis ac veſicæ denique cruciatibus auxilio eſt. Succus condenſatus cum gummi Tragachanthæ & Arabico pulveriſatis & in pilulas redactus plurimum confert in urina cruenta. Pro cibo porro ſumpta dentium ſtuporem & ſtomachi ac inteſtinorum æſtuationem fluxionemque demulcet. Eroſione tentatos renes & veſicam adjuvat, ac veneris impetus exſolvit; ſimili effectu prodeſt ejus ſuccus epotus, etiam in febribus efficax: valet & diu multumque cocta contra teretes lumbricos, cruentam etiam excreationem ac dyſenteriam: itemque ad hæmorrhoidas & ſanguinis eruptiones nec non adverſus ſepis morſus, oculorum medicamentis utiliter admiſcetur, ac inteſtinorum fluxione laborantibus, eroſiſve vulvis infunditur; quin & ad capitis dolores ab æſtu ortos cum roſaceo aut ſimplici oleo irrigatur, eminentes quoque in capite papulas cum vino exterit. Vulneribus denique, quæ ad ſyderationem ſpectant, cum polenta imponitur. Vide cæteras vires apud Johannem Bauhinum pag. 679. & Dodonæum pag. 661.*

DE PENTAPETALIS
Capſulis pluribus loculamentis donatis.

CAPUT XXVI.

LINUM.

Λίνον *Dioſcoridi lib. 2. c. 125. Theophr. 8. Hiſt. 7. qui 3. cauſ. 21. in Lolium mutari ſcribit,* [quod eſt falſum] *Linum Plinio l. 19. c. 1. cujus genera ratione loci natalitii recenſet.*

Linum eſt planta pentapetala capſulis pluribus arcte ſibi adhuc viridibus junctis donata. Eſt habita ratione foliorum, vel latifolium, vel anguſtifolium: ratione durationis, eſt vel annuum, vel perenne: ratione colorum florum, eſt vel flore cæruleo violaceove, rubro, albo & luteo: eſtque vel foliis glabris, vel hirſutis; denique vel ſativum vel ſilveſtre.

Pars TABULÆ XXVI.

- *Linum*
  - *Latifolium*
    - *Annuum cæruleum*
      - 1. *Sativum, nobis. Linum ſativum, C. B. P. Trag. Dod. Linum vulgare cæruleum, Ad. Lob.* ☿
      - 2. *Arvenſe ſeu inter Avenam, nobis. Linum ſilveſtre, Trag. Tur.* ☿
    - *Perenne*
      - 3. *Majus cæruleum capitulo majore, nobis.* ☉
      - 4. *Minus cæruleum capitulo minore, nobis.* ☉
      - *Hirſutum*
        - 5. *Cæruleum, nobis. Linum ſilveſtre latifolium hirſutum cæruleum, C.B.P. Linum ſilveſtre* 1. *Cluſ. Hiſt.* ☉
        - 6. *Candidum purpureis venis diſtinctum, nobis. Linum ſilveſtre latifolium, Cluſ. Hiſt.* ☉
        - 7. *Niveum fruticoſum, nobis. Linum fruticoſum niveum, C.B.P. Linum fruticoſum* 7. *Cluſ. Hiſt* ☉
      - *Glabrum luteum*
        - 8. *Creticum arboreum, nobis. Linum arboreum, Proſp. Alpin. de Exot.* ☉
        - 9. *Narbonenſe ſive maritimum, nobis. Linum ſilveſtre, Matth. Dod.* ☉
        - 10. *Pannonicum, nobis. Linum ſilveſtre Pannonicum, Tab.* ☉
        - 11. *Ad ſingula genicula floridum, nobis. Linum luteum ſilveſtre latifolium, Col.* ☉
    - *Annuum luteum folio*
      - 12. *Latiore, nobis.* ☿
      - 13. *Anguſtiore, nobis.* ☿
  - *Anguſtifolium*
    - *Silveſtre*
      - 14. *Flore magno, C. B. P. Linum ſilveſtre* 5. *anguſtifolium* 2. *Cluſ. Hiſt. Linum ſilveſtre* 3. *Dod. Tab.*
        - *Cæruleum, nobis.* ☉
        - *Album quinque petalis purpureis lineis diſtinctis, nobis.* ☉
      - 15. *Floribus dilute purpuraſcentibus vel carneis, nobis.* ☉
      - *Foliis*
        - 16. *Rarioribus, C. B. P. Linum ſilveſtre tenuifolium, Ger.* ☉
        - 17. *Anguſtis & denſioribus, C. B. P. Linum ſilveſtre flore cæruleo, Cam. Ep. Eyſt.* ☉
    - *Album minus*
      - 18. *Chamælinum, Cluſ. Hiſt. Chamælinum, Lob. Lugd.* ☿
      - 19. *Catharticum, Ger. Linum pratenſe floſculis exiguis candicantibus, C. B. P.* ☿

§. 1. *LINUM LATIFOLIUM.*

Explicatio partis Tab. vigeſimæ ſextæ Sectionis quintæ.

1. L*Inum* ſativum, C. B. P. Trag. Dod. Linum vulgare cæruleum, Ad. Lob. Linum, Matth. Fuch. Cord. in Dioſc. Tur. Cæſ. Lugd. Tenuibus ac rotundis caulibus ſeu virgis aſſurgit Linum hoc ſativum: folia ei oblonga, anguſta, acuminata: flores in ſummis ramis ſpecioſi, colore cærulei, pentapetali, quorum ſingula petala ſunt ſubrotunda cum ſtaminulis prominentibus in eorum medio: hiſce evanidis ſuccedunt parva, rotunda, orbiculata capitula ſive vaſcula, in plura loculamenta diſtincta, in quorum ſingulis plurima cernuntur ſemina oblonga, compreſſa, lucida, in medio tumida, ex fulvo colore punicantia: radicibus nititur exilibus, fibroſis. Pingui lætoque ſolo, locis humilioribus & non ſitientibus fælicius provenit. Pinguiſſimum, ut Columella ait, ſolum & modice humidum poſcit. Aliqui, inquit Palladius, macro ſolo ſpiſſum ſerunt, ita aſſequitur ut Linum ſubtile naſcatur. Plinius ſcribit ſeri in locis ſabuloſis, maxime uno ſulco, nec magis feſtinare aliud, urereque agrum & deteriorem ipſum facere, quod & Virgilius in Georgicis teſtatur,

Urit Lini campum ſeges, urit Avenæ,
Urunt lethæo perfuſa papavera ſomno.

Seritur

Seritur Linum Vere, Maio & Junio menſibus floret poſt meſſem Plinius lib. XIX. cap. I. virgæ ipſæ merguntur in aquam putridam, ſole tepefactam, per octiduum pondere aliquo depreſſæ, maceratas eſſe indicio eſt membrana laxior, iterumque inverſæ ut prius ſole ſiccantur, mox arefactæ in ſaxo tunduntur malleo ſtupario, quod proximum cortici fuit ſtupa appellatur deterioris Lini, lucernarum fere luminibus aptior.

2. Huc pertinet Linum arvenſe, C. B. P. Linum ſilveſtre, Trag. Tur. Caulibus & capſulis ſeminalibus craſſioribus & ſe cito ad ſolem poſt maturitatem aperientibus à priore ſativo ſolummodo differt, & inter Avenam vulgo reperitur.

3. *Linum* perenne majus cæruleum capitulo majore, nobis. Hoc à prædictis facile diſtinguitur, primo floribus & capſulis majoribus; ſecundo duratione, eſt enim perenne.

4. *Linum* perenne minus cæruleum capitulo minore, nobis. Hoc caules ſurrigit non rectos ut ſuperius, ſed reclinantes: folia ſunt anguſtiora: flores & capitula quadruplo minora capitulis præcedentis: in hoc convenit utrumque quod ſit perenne, & hiſce notis 3um. & 4um. facile à 1mo. & 2do. diſtinguuntur, atque inter ſe magnitudine & parvitate.

5. *Linum* ſilveſtre latifolium hirſutum cæruleum, C. B. P. Linum ſilveſtre latifolium, Lob. Icon. Linum ſilveſtre 1. Cluſ. Hiſt. Ex radice craſſiuſcula & candicante unicum, interdum plures fert caules, modo pedali, interdum majore altitudine aſſurgentes, craſſos, firmos, hirſutos, ſuperiore parte in plures ramulos diviſos: folia quæ eos ambiunt reliquis ſuæ ſortis majora, venoſa, hirſuta, minimum digitum lata, gummoſo guſtu, deinde amaricante: ramuli ab infimo ad ſummum floribus quinis petalis conſtantibus onuſti, omnium maximis, Malvæ vulgaris fere æmulis, cærulei coloris, aut vegetioris aut dilutioris, cum quinque internis ſtaminulis apicem habentibus: quibus ſuccedunt capitula dura, mucronata, quinque foliolis ſive apophyſibus comprehenſa, & quaſi calyce involuta; prædicta capitula in varia loculamenta ſeparantur, quæ maturitate hiant, ſeminaque in ſingulis continent ſativi Lini ſeminibus ſimilia, lata, nigricantia, ſplendentia: radix perennis eſt ſeu vivax, ſingulis annis repullulans, cauliculoſque etiam ante hyemem proferens tenellos, foliis multa lanugine hirſutis onuſtos. Floret Junio ac Julio, ſemen maturum eſt Auguſto. Frequens eſt multis Pannoniæ ſuperioris & Auſtriæ inferioris locis editioribus & ſiccioribus, gramineis tamen, ut apud Poſonium, & Petronellam quæ veterum Carnuntum creditur.

6. *Linum* ſilveſtre latifolium hirſutum candidum purpureis venis diſtinctum, C. B. P. Linum ſilveſtre latifolium, Cluſ. Hiſt. Linum ſilveſtre latifolium foliis hirſutis Tithymali helioſcopii, Lugd. Hoc pedales, graciles, lanuginoſos, quaternos, quinos ab una radice promit caules, in quibus Lini latiuſcula folia trinervia ad Aſcyri formam fere accedentia, nec multum à prioris foliis diſcrepantia, lanuginoſa: extremi cauliculi in binos aut ternos ramuſculos diviſi & Heliotropii majoris quodammodo inſtar circumflexi, pleni ſunt floribus qui ab imo aperiri incipiunt, Lini florum diviſura, ſed majoribus, ſuperiori fere æqualibus, candidis, quos multæ purpureæ venæ interſcindunt: ſemen & capitula in quibus continetur, prioris Lini ſimilia: radix perennis eſt, craſſiuſcula, longa, candicans, raris fibris circumſepta. Apud Colibriam Luſitaniæ urbem, Conymbra dictam, celebri Academia claram. Hanc Lini ſpeciem duntaxat meminit Car. Cluſius ad deſertum quoddam & ſolitarium templum menſe Novembri repullulantem reperiiſſe, & in illius anni cauliculis ſemen collectum in Belgium attulit, quo terræ commiſſo unica planta nata eſt cubitalem excedens altitudinem, latioribus quam natali ſolo foliis, quæ ſingulis annis ſub æſtatis finem quidem floruit, ſed nullum ſemen præbuit.

7. *Linum* fruticoſum niveum, C. B. P. Linum fruticoſum 7. Cluſ. Hiſt. Linum ſilveſtre 2. flore albo, Lugd. Dodrantalibus pedalibuſque fere exit cauliculis, ſemper virentibus, quos numeroſa folia exornant mediæ inter Thymi & Pſyllii folia magnitudinis, ſubalbida: flores deinde ſuperioris paulo majores, quinis petalis ut illi conſtantes, omnino nivei, ſummis ramulis inſident: quibus ſuccedunt capitula multis loculamentis diviſa, in quibus ſingulis continentur ſemina aliorum Linorum more: radix dura & lignoſa eſt. Exit quibuſdam deſertis Hiſpaniæ locis ſole illuſtratis. Floret Junio & Julio, atque ſubinde ſemen profert, in Belgio ſatum tertio duntaxat à ſatu anno ſerius floruit, nec ſemen tulit.

8. *Linum* ſilveſtre Creticum arboreum luteum, nobis. Linum arboreum Proſperi Alpin. de Exot. Ramum plantæ Creticæ pro Lino arboreo accepit Proſper Alpinus, eo nomine ita vocatum à floribus, fructibus & omnium maxime ſeminibus, quæ magnitudine, figura & colore ſunt adeo Lini ſeminibus ſimilia ut vix diſcerni poſſint ab ipſis. Planta eſt arboreſcens quaſi, conſtans ramis oblique actis, gracilibus, rotundis, cortice nigris: foliis Lini ſativi ſed latioribus, ut ad Myrti folia magis accedant, denſis & undique ramos contegentibus: in cacumine pro-

producuntur flores flavi, pentapetali, & folliculi multicapſulares ſuis pediculis ſinguli adhærentes, ſapore valde amaro: capſulæ magnitudine Cicerum viſuntur, atque figura pyramidali conſtantes cæterorum Linorum modo, ſemina in diverſis loculamentis continentes Lini ſativi ſeminibus omnino ſimilia. Provenit in Creta Inſula. Floret æſtate atque eadem durante ſemina ſua perficit.

9. *Linum* maritimum luteum, C. B. P. Linum ſilveſtre, Matth. Dod. Lugd. Cam. Linum maritimum luteum, Ad. Lob. Linum Narbonenſe, Lob. Icon. Ab una radice caules aſſurgunt plures cubitales, qui ſuperius in ramulos dividuntur, per quos folia mollicella, latiuſcula, breviora quam Lini ſativi, inſipida: flores extremis hærent ramulis Lini, ſed coloris lutei, amaricantes; quibus evanidis ſuccedunt capitula minora multo quam Lini ſativi capita, ſatis amara, ſemen aliorum ſuæ ſortis more continentia. Haud procul à mari in pratis ac herboſis locis in Gallia Narbonenſi juxta prata & litora herbida maris Narbonenſis, ac inrer ſtagnum *de Perau* & mare fruticat pedalibus & ſeſquipalibus ramis, rectis, numeroſis, gracilioribus paucioribuſque Lini vulgaris foliis & Lentis. Junio ac Julio ſemine & pericarpiis minutioribus multo ſativi cernitur.

10. *Linum* ſilveſtre latifolium luteum, C. B. P. Linum ſilveſtre 3. Cluſ. Hiſt. Linum ſilveſtre Pannonicum, Tab. Multos etiam ex una radice Linum hoc luteum fert caules vulgaris ſimiles, plerumque tamen breviores, Hyperici non valde diſſimiles, aliquantulum rubentes, firmos, majuſculis foliis latiuſculiſque & craſſiuſculis, 3^io^. Cluſii fere paribus, non hirſutis tamen ſed durioribus ſeptos, perquam amari ſaporis: flores in ſummis caulibus copioſos, magnos quinque etiam petalis conſtantes, perelegantis flavi coloris, quinque etiam ſtaminibus e medio prorumpentibus, & totidem gracilioribus brevioribuſque villis: ſemen in compreſſioribus capitulis, paulo minoribus reliquorum capitulis, nigricans, ſed non ſplendens ut reliquorum ſemen: radix ſuccreſcit craſſa ſed contorta, albicans, aliquot fibris donata, ſingulis annis repullulans novoſque caules producens. Exit abunde in monte Badenſibus Auſtriæ thermis imminente, in locis item ad ſilvulam *Lachn* pago vicinam cum aliquot aliis ſpeciebus. Floret & ſemen profert cum 2do. latifolio hirſuto cæruleo.

11. *Linum* luteum ad ſingula genicula floridum, nobis. Linum luteum ſilveſtre latifolium Col. Hyemali gaudet tempore Linum hoc in pratenſibus, ex argilloſa humentique tellure erutum eſt Decembri menſe: radice nititur lignoſa, parva, intorta, ramis pluribus ex caudice in ſummo trifidis, & duorum digitorum interſtitio, ex geniculis prodeuntibus foliis; ac in ſingulis geniculis florem habet luteum, cui ſuccedit capſula in plurimas cellulas diviſa, ut in cæteris ſuæ ſortis, cui etiam ſemen compreſſum, lucidum ſeu nitidum, fuſcum, amaro parum ſapore: flos & fructus quinquefoliatæ inſident baſi exiguis & anguſtis foliolis conſtructæ. Semine ex Aſprenſibus lecto Romæ ſata planta exiit, quæ flores & ſemina æſtate perfecit. Folia in imo exigua, & per caulem ſemper majora & Lino duplo latiora in ramis poſtea, ſemper ad cacumen uſque decreſcentia & minora anguſtioraque.

12, & 13. *Linum* ſilveſtre minus luteum annuum folio latiore & aliud folio anguſtiore, nobis. Utraque hæc ſpecies vix palmarem aut ad ſummum dodrantalem excedit altitudinem, floſculos fert utraque luteos, pentapetalos, capſulas ſeminales cæterorum capſulis conformes, ſeminaque ibidem contenta paria ſed minora, ſolo hoc diſcrimine intercedente quod unius folia ſint latiora, alterius anguſtiora. Utraque ſpecies ſponte creſcit in ſilvis humidis circa Blæſas.

§. 2. *LINUM SILVESTRE.*

14. *Linum* ſilveſtre anguſtifolium flore magno, C. B. P. Linum ſilveſtre 5. anguſtifolium 2. Cluſ. Hiſt. Linum anguſtifolium ſilveſtre 3. Dod. Tab. Cam. ep. Dodrantales, nonnunquam pedales, habet hæc ſpecies Lini ſilveſtris cauliculos, graciles, firmos, rectos: folia ſativi Lini anguſtiora, dura, mucronata, virentia, amaricantia: flores in ſummis cauliculis multos, magnos, quinque petalis præditos, nunc cæruleos, nunc albos, quinque purpureis lineis diſtinctos, totidem ſtaminulis & quinque ſeparatis apicibus ex medio umbilico prodeuntibus, odoratos: ſemen in rotundis vaſculis plurimis loculamentis diſtinctis planum, nigricans, ſplendens, ſativi Lini ſeminibus ſimile: radicem candicantem, duram, aliquot fibris donatam, perennem, & ſingulis annis novos cauliculos proferentem. Magna copia naſcitur in toto Viennenſi agro & pleriſque aliis Auſtriæ & Pannoniæ editioribus locis, atque ſecundum publicas vias etiam apud *Lachn* cum aliquot ſuperiorum Linorum ſpeciebus. Floret Junio, ſemen perficit Julio & Auguſto. Datur & hujus varietas in Auſtriacis Alpibus, præſertim vero *Sneberg* reperta, huic omnino

mnino ſimilis cauliculorum & foliorum gracilitate,tenuitate,florumq; forma & deniq; radice: in florum duntaxat colore eſt differentia, qui nivei ut ſuperioris non ſunt,ſed cærulei, in candidum langueſcentes & quaſi cineracei: capitula etiam floribus ſuccedentia longe ampliora ſunt, nec minora quam in ſativo. Florebat iſtic ſub finem Junii, ſemen extremo Julio & ineunte Auguſto maturum.

15. *Linum* ſilveſtre anguſtifolium floribus dilute purpuraſcentibus vel carneis, C. B. P. Linum ſilveſtre anguſtifolium 6. Cluſ. Hiſt. Huic binæ ſunt vel ternæ virgulæ, dodrantales, firmæ licet, valde graciles, quas foliola Lino ſativo multo anguſtiora & minora ambiunt: ſummis virgulis terni aut quaterni, nonnunquam plures,inſident flores ſuperioris floribus forma æquales & colore ferme ſimiles, ſed dilute purpureo aut candido minores, ſativi Lini florem non multum excedentes: quibus ſuccedunt capitula in varias cellulas diſtincta atque in ſingulis ſemina multo minora continentia: radix exilis, candicans, perennis tamen. Hæc ſpecies ſeu potius varietas obſervata primum Cluſio multis abhinc annis in anteriore Madritianæ ſilvæ parte, quæ ſecundo ab urbe Lutetia lapide diſtat, inter gramina loco aperto, & nullis arboribus conſito: ibidem à nobis conſpecta & poſtea paſſim in collibus herbidis per totam Galliam fere, florens Julio & ſemen ſub finem æſtatis perficiens obſervata fuit 30. abhinc annis.

16. *Linum* ſilveſtre anguſtifolium foliis rarioribus, C. B. P. Linum ſilveſtre 2. Tab. Linum ſilveſtre tenuifolium, Ger. Qui duplicem habet ejuſdem plantæ figuram eodem nomine inſignitam. Hoc folia habet tenuia, rarius ſecundum caulem diſpoſita, & hoc nomine diſtinguitur à cæteris prædictis: florem fert cæruleum aliquando album.

17. *Linum* ſilveſtre anguſtis & denſioribus foliis, C. B. P. Linum ſilveſtre flore cæruleo, Cam. ep. Eyſt. Linum ſilveſtre 4. anguſtifolium 2. Cluſ. Hiſt. Linum ſilveſtre tenuifolium, Lob. Icon. Tab. Complures ſunt huic cauliculi, teretes, firmi, pedalis longitudinis, virides, frequentibus foliolis Lini ſilveſtris ſimilibus, ex viridi ſubcæruleis onuſti, ſummo faſtigio in aliquot ramulos diviſi: quibus inſident flores intenſe cærulei, quinque petalis conſtantes ſativi Lini floribus ſimillimi, quinque etiam in medio ſtaminula totidemque apicibus ſeparata continentes: ſemen in capitulis craſſioribus, rotundis, Lini ſativi non minoribus, nigrum, oblongum, planum, ſativi ſemini fere par: radix candicans eſt, perennis, aliquantulum fibroſa (deſideratur in Icone major pictoris diligentia) amariuſculi guſtus, deinde ſuavis, acrimoniæ particeps in variis circa Viennam Auſtriæ locis ſponte naſcitur, præſertim in gramineis acclivitatibus & juxta vias. Floret Maio & Junio, interdum etiam tota æſtate, ſemen vero matureſcit verſus ejuſdem finem.

18. *Linum* anguſtifolium ſilveſtre minus, C. B. P. Linum ſilveſtre 8. ſeu Chamælinum, Cluſ. Hiſt. Chamælinum, Lob. Lugd. Chamælinum perpuſillum, Ger. Linum perpuſillum candicantibus floribus, Cam. Exili, rotundo, dodrantalique aut paulo majore aſſurgit cauliculo 8um. hoc parvum Linum Cluſii,quem adverſo ſitu ut in Hyperico bina aliquando quaterna amplectuntur foliola, anguſta, brevia, mucronata: ſupernus cauliculus in aliquot ramulos ſemper dividitur, qui in oblongis pediculis exiguos floſculos, quinis petalis albis conſtantes proferunt luteis intus ſtaminulis præditos: quibus ſuccedunt parva capita Lini vaſculis quoad figuram omnino ſimillima, minora tamen; loculamentis ſuis variis diſtincta: in quorum ſingulis latent ſemina minuta, pellucida, ſubruffa: radix tenuis, aliquot exilibus fibris donata. Annua eſt planta. Provenit in herboſis collibus & montanis Auſtriæ atque Pannoniæ locis. Floret Junio & Julio atque menſe Auguſto ſemen ſuum perficit.

19. *Linum* pratenſe floſculis exiguis, C. B. P. Linum ſilveſtre perpuſillum candicantibus floribus,Cam. Linum ſilveſtre catharticum,Ger. Linocarpos, Thal. Hoc Linum perpuſillum catharticum oritur à radicibus tenuibus, albis, fibroſis, intortis, quinis aliquando caulibus dodrantalibus, ad ſummum pedalibus, ſubrubris aliquando, aliquando viridibus, ſeſe verſus ſummum in quaternos varios ramuſculos dividentibus, infimis caulibus viridibus: cauliculos ambiunt folia bina, ſibi è regione appoſita, tenuia, lævia, viridia, Lentis foliorum magnitudine, nervo medium eorum percurrente: ſummis caulium ramuſculis innaſcuntur floſculi albi, pentapetali, ſubrotundi, è quorum medio ſtamina apparent lutea, quibus deciduis ſuccedunt capitella in quina aut plura loculamenta diviſa, in quibus ſingulis continentur bina ternave ſemina, minuta, lævia, nitida, & ſubflava. Semine maturo perit totaliter planta, ſingulis annis ſemine ſeſe renovans. Provenit copioſe in incultis & pratis paſſim in Gallia, Anglia Belgioque. Semine ineunte Vere germinante ex terra pullulat & floret tota fere æſtate, quo tempore ſemina itidem perficit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Linum *ſativum*, *C. B. P. Trag. Dod. Hujus ſemine Gal. lib.* 1. *de Aliment. Facult. ait, nonnullos quidem frixo, uti obſonio, cum garo non ſecus ac factitio ſale utuntur. Utuntur & cum melle permiſcentes quidam vel panibus ipſum aſpergunt. Stomacho autem noxium & concoctu difficile, eximiumque corpori alimentum exhibet. Quod vero ad ventris dejectionem pertinet ipſum nec probaveris nec vituperaveris. Exiguam tamen urinæ movendæ habet facultatem, quæ magis apparet, cum frixum ſumitur: tunc autem alvum quoque magis ſiſtit. Ruſtici autem homines eo ſæpenumero utuntur, frixo tuſoque mel admiſcentes. In lib. vero de Simpl. medicam. Facult. Lini ſemen eſum flatuoſum eſt, inquit, etiamſi frigatur; adeo ſane recrementitia humiditate plenum eſt. Eſt vero primo ordine quodammodo calidum, ac humiditatis ac ſiccitatis in medio eſt ſitum. Quantopere autem flatuoſum ac recrementitia humiditate plenum ſemen Lini ſit, paucis abhinc annis Meddelburgi in Zelandia animadverti potuit, cum frumenti aliarumve frugum inopiam, plerique ex civibus pane & libis ex hoc coctis veſcerentur: diſtenta enim his valde cito hypochondria fuerunt, & facies aliæque partes tumidæ factæ, quorum non pauci ſic affecti etiam mortui ſunt. Neque enim aliunde hæc ſymtomata quam ex recrementitia ſeminis humiditate, quæ flatulentiam parit. Lini ſemen, ut Dioſcorides memoriæ prodidit, eaſdem quas Fænugræcum vires obtinet: diſcutit & emollit omnem intus foriſq; inflammationem cum melle & oleo exiguaque aqua decoctum aut melle coctum exceptum; cutis in facie vitia, quas* ἐφήλεις *vocant, crudum & varos cum nitro & ficubus impoſitum tollit, cum lixivio vero parotydes duritiaſque diſcutit: herpetes favoſque cum vino decoctum expurgat, ungues ſcabros eximit, cum pari modico Naſturtii & mellis, quæ in pectore vitioſa, educit; cum melle eclygmatis modo acceptum tuſſim lenit. Venerem extimulat, ſi pipere & melle acceptum pro placenta largius aſſumatur. Hujus decoctum ad interaneorum vulvæque eroſiones immittitur & alvi excrementa educenda: inſeſſu ad uteri inflammationes veluti Fænugræcum perquam utile eſt. Oleum quod ex ſemine ejus exprimitur multiplicem uſum habet, nec enim à pictoribus atque ſtatuariis aliiſve artificibus expetitur ſolum, vel ad lucernas tantum utile eſt, ſed etiam medico uſui maxime inſervit: nam & duritias omnes mollit, nervorum tentiones contractioneſque laxat, dolores illitum ſopit. Sunt etiam qui bibendum exhibeant lateris aut coli dolore laborantibus, verum recens ſit oportet. rancidum enim factum & nauſeam excitat, & plus quam par eſt calefacit. Vide cæteras facultates Lini apud Simonem Pauli pag.* 77, & 78. *claſſis ſecundæ operis quadripartiti.*

19. Linum *pratenſe floſculis exiguis, C. B. P. Linum Catharticum, Ger. Park. Hoc purgativa facultate præditum eſt. Recipe Lini cathartici manip. j. dum floret & ſementeſcere incipit unà cum foliis & radice, infundantur in vini albi ſerive lactis Unc. vj. ſuper cineres calidas per noctem, facta colatura adde ſyrupi Roſ. pallidar. Unc. j. bibatur & purgabit jucunde ſatis. Hoc medicamentum familiare eſt Hybernis, nonnullis etiam Anglis in occidentali plaga degentibus.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

P*Ag.* 214. *col.* 1. *pl.* IX. *Linum ſilveſtre luteum foliis ſubrotundis, C.B.P. Campanula lutea Linifolia, Ad. Lob. Lugd. Eſt a fine ultimo, id eſt flore & capſula ſeminali, Campanula; ergo male hic locatur inter Lini ſpecies a Caſparo Bauhino. Deinde Campanula lutea linifolia Lobelii bis repetitur a Caſparo Bauhino, hic pro Lino pag.* 214. *col.* 1. *pl.* IX. *& ſupra pag.* 93. *col.* 1. *pl.* XIII. *pro Rapunculo; non poteſt Campanula lutea linifolia eſſe & ſynonyma Rapunculo & Lino; ergo Caſp. Bauhinus oblitus eſt ſui, aut finem ultimum Lini non potuit diſcernere a fine ultimo Rapunculi. Hoc vitio vertendum omnibus Authoribus hucuſque ſcribentibus, qui neglectui finem ultimum in denominandis plantis habuere.*

Pag. 214. *col.* 2. *pl.* III. *Linum ſilveſtre anguſtis & denſioribus foliis flore minore, C. B. P. Linum ſilveſtre tenuifolium, Ger. Ibidem pl.* IV. *Linum ſilveſtre anguſtis foliis rarioribus, C.B.P. Linum ſilveſtre tenuifolium, Ger. Idem Linum ſilveſtre tenuifolium Ger. non poteſt eſſe ſynonymum & Lino foliis anguſtis denſioribus & Lino foliis rarioribus: ergo lapſus eſt Caſparus Bauhinus. Eadem præterea Icon bis adhibetur in Gerardo non emaculato. Gerardus pro Chamælino perpuſillo adhibet Iconem Thlaſpios minoris quod Alyſſum minimum dicitur Dalechampio in Hiſtoria Lugdunenſi.*

Pag. 214. *col.* 2. *pl.* VI. *Linum minimum ſtellatum quod* 3. *in Prodromo & quibuſdam dicitur Paſſerina ſaxatilis minor. Cum nec florem nec capſulam ſeminalem habeat Lini, non eſſet Linum dicendum Caſparo Bauhino. Sit planta ſui generis aut Paſſerina ſaxatilis minor, aut Lingua avis dicenda, non poteſt eſſe Linum. Inſuper Linum cum ſit planta multicapſularis male collocatur a Caſparo Bauhino inter Linariam bicapſularem & Onobrychidem arvenſem ſeu Campanulam arvenſem tricapſularem.*

DE MOLLIENTIBUS

Flore herbaceo ſemine triangulari donatis.

CAPUT XXVII.

LAPATHUM.

Cum Hippolapathi utriuſque radix pro Rhabarbaro, ſed in dupla triplave doſi uſurpetur, nunc primo loco de Rhabarbaro ſive Rhapontico, quod quibuſdam eſt ex Lapathi generibus agemus. Rhabarbarum Dioſcoridi l.3.c. 2. ῥᾶ ἢ ῥῆον Rha & Rheum, cujus tantum radicem deſcribit, dictum volunt. Romanis Rhaponticum appellatum. Arabibus Raved & Rhabarbarum: cujus genera Meſuo 2. Medicam. purg. 5. Indicum, quod optimum & Rhavedſeni vocant: alterum Barbarum: tertium Turcicum, quod deterius, in quo genere Rhaponticum fuerit, quale eſt Rhabarbarum acerbum officinarum, colore minus vario, minus croceo, minus odorato, minus denſum, ac facultate minus ſolvente. Verum videtur Dioſcorides ſuum Rha non Rhabarbarum noſtrum, cujus Meſues meminit, ſed Rhaponticum, cujus Iconem Lobelius propoſuit, intelligere.

TABULA XXVII. Sectionis quintæ.

Lapathum
- *Rotundifolium*
  - 1. *Montanum Rhabarbarum officinarum, nobis. Rha verum antiquorum, Ger. Rhabarbarum Proſp. Alpin. de Exot. Rha & Rheum Dioſcoridis.* ⊙
  - 2. *Alpinum ſeu Hippolapathum ſive Rhabarbarum monachorum, Dod.* ⊙
- *Folio acuto ſeminum involucris lævibus*
  - *Majus*
    - 3. *Silveſtre Oxylapathum dictum, nobis. Oxylapathum, Fuch. Matth.* ⊙
    - 4. *Hortenſe ſeu ſecundum Dioſcoridis, nobis. Lapathum hortenſe, Geſn. Hort. Lugd. Lapathum ſativum, Dod.* ⊙
    - 5. *Aquaticum folio cubitali, nobis.* ⊙
    - 6. *Sanguineum ſeu rubens, nobis. Lapathum ſanguineum, Ad. Lob. Cam. Hort.* ⊙
  - *Minus aquaticum*
    - 7. *Folio acuto criſpo, nobis. Hydrolapathum minus, Hiſt. Lugd. Ger. Park. Lapathum aquaticum minus, J. B. Chabr.* ⊙
    - 8. *Flore aureo nobis. Lapathum Anthoxanthon, J. B. Chabr.* ⊙
  - 9. *Minimum aquaticum*
    - *Nobis. Lapathum minimum aquaticum, Lob. Ger. Park. Aquaticum minus, J. B. Chabr.* ⊙
- 10. *Seminum involucris*
  - *Planis & lævibus folio ſubrotundo, nobis.* ⊙
  - *Dentatis*
    - *Folio*
      - 11. *Subrotundo.* ⊙
      - 12. *Acuto Chalepenſe, nobis.* ⊙
      - 13. *Fidium inſtar, nobis. Lapathum pulchrum Bononienſe, J. B. Chabr.* ⊙
- 14. *Maritimum fœtidum, C.B.P. & Park.* ⊙

§. 1. *LAPATHUM montanum rotundifolium.*

Explicatio Tab. vigeſimæ ſeptimæ Sectionis quintæ.

1. *Lapathum* præſtantiſſimum Rhabarbarum officinarum dictum, nobis. Rha verum antiquorum, Ger. Rhabarbarum, Proſp. Alpin. de Exot. Hyppolapathum maximum ſeu Rha Ponticum Thracicum vel Rha barbarum verum, Park. Rha & Rheum Dioſcoridis. Statim ineunte Vere protrudit hoc Lapathum, dictum Rhabarbarum, caput rotundum fuſcum, ex radice craſſa, fungoſa, luteâ, quod expanſum ſeſe dilatat in plurima folia, paulatim

ſeſe

ſeſe explicantia, primo multum criſpa & in ſe complicata, ſubrubra, quæ omnino delatata lævia evadunt, ampla, fere rotunda, ſingula ſingulis bipedalibus pediculis innitentia, policem craſſis, quæ magnitudinem adepta in ſolo pingui & humenti bipedalem etiam acquirunt longitudinem & latitudinem fere parem; coloris ſunt ſaturate virentis, guſtus acuti: in medio hujus foliorum 2do. aut 3^io^. anno protruditur caulis, craſſus, non tam altus quam Lapathi hortenſis Patientia dicti caulis, quem amplectuntur folia minora, rotunda etiam: in ſummis caulibus ſpicatim proveniunt flores herbacei, exalbidi, quinis petalis conſtantes, in limbo exteriore muſcoſi, herbacei in medio: ſingulis floribus deciduis ſuccedunt ſingula ſemina triangularia, ſubflava ruſlave, tribus foliolis vice capſulæ, aliorum Lapathorum more, incluſa; unde clare conſtat eſſe Lapathi ſpeciem à fine ultimo, imo & uſu præſtantiſſimam, procedente tempore radix grandeſcit, multis propaginibus inde propendentibus ornata, colore eſt ſubrubente extra, intra vero flaveſcente: ablato cortice exteriore radix apparet ſublutea, multis venis ſubrubicundis ipſam percurrentibus. Radix hæc diligenter exſiccata, flavum retinet colorem, atque maſticata ſalivam flavo itidem colore tingit. Naſcitur in agro Sinenſi quæ inde uſque *Usbeken* in Turciam, hinc Venetias defertur. Vel ab Arabibus Turciciſve mercatoribus cum aliis aromatis mercibuſque pretioſis Alexandriam uſque, & Cairo, Damaſcum & Tripolin in Syria ſitam, delatum, itinere terreſtri, quod durabilius & carius. Nunc autem mari navibus advehitur ex China & Moſchovia idque facilius, ſed citius corrumpitur. Floret apud nos æſtate atque verſus ejuſdem finem ſemina matureſcunt.

2. *Lapathum* Alpinum folio ſubrotundo, nobis. J. B. Chabr. Hyppolapathum rotundifolium, Ger. Hyppolapathum rotundifolium montanum, C. B. P. Hyppolapathum rotundifolium & Pſeudo-Rha recentiorum, Ad. Lob. Lugd. Hippolapathum ſive Rhabarbarum monachorum, Dod. Hyppolapathum rotundo folio, Lugd. Lapathum hoc montanum ſeu Alpinum radice nititur craſſa, longa, furcata, cujus ſingulæ furcæ plus quam pollicarem craſſitiem aſſequuntur, rugoſæ & intenſe flaveſcentes. Sapore amaro: caulis bicubitalis & altior aliquando, profunde ſulcis exaratus, rubeſcens & alis multis donatur: folia ſunt Bardanæ, notabilis latitudinis, rotunda, glabra, ſed quodammodo rugis ſcatentia & dilute viridia, quæ pediculo rubente & ſtriato appenduntur: flores in ſummis caulibus ſpicatim & denſe digeruntur, muſcoſi, herbacei, & alas fere totas obſident: floribus ſingulis ſuccedunt ſingula ſemina triangularia, nonnihil rubentia, contenta inter terna foliola quæ ſunt loco capſularum. Naſcitur, authore Cluſio, in omnibus jugis Alpium Stiriacarum & Auſtriacarum, præſertim circa humidiora loca, ad quæ armenta ſtationem illic habentia æſtivis menſibus, aquationis gratia, convenire ſolent; frequentiſſime etiam & in Rhœtiæ Alpibus. Floret æſtate & circa ejuſdem finem ſemen eſt maturum.

§. 2. LAPATHUM *acutum ſeu mucronatum majus.*

Lapathum à Theophraſto 1. *Hiſt.* 9. *inter olera numeratur*: *&* 7. *Hiſt.* 2. *tota forma cum perfectum eſt Betæ proximum cernitur.* λάπαθον *Dioſc. l.* 2. *c.* 140. *ab effectu nominatur,* ἀ λαπάτειν *exinaniendo, quod foliorum decoctum alvum emolliat, & exinaniat. Latinis Rumex, ut Plinio l.* 19. *c.* 21. *qui Lapatho ſativo, & l.* 20. *c.* 21. *Oxalidi tribuit.*

Genera quinque Dioſcoridi, ὀξυλάπαθον, κηπευτὸν, ἄγριον, ὀξαλίδα καὶ ἱππολάπαθον, *Theophraſt.* 7. *Hiſt.* 4. *genera plura ſunt, & c.* 6. *in ſilveſtre & urbanum partitur Plinius l.* 20. *c.* 21 *meminit ſativi, ſilveſtris, Oxylapathi, Hydrolapathi & Hyppolapathi.*

Lapathum eſt planta emolliens inter holeracea habita, cujus flores ſunt herbacei ſeu muſcoſi; atque ſingulis floribus deciduis ſuccedunt capſulæ ex tribus foliolis mucronatis compoſitæ; in quibus ſingulis unicum duntaxat continetur ſemen triangulare, aut nigrum, aut fuſcum. Diſtinguitur generice ab Acetoſa, quod illius radix ſit amara & purgans, Acetoſa autem omnino acida. Lapathum à loco, eſt vel montanum, hortenſe, ſilveſtre aut aquaticum: à foliis, eſt vel rotundifolium, vel acutum ſeu acuto folio: à capſulis, eſt vel capſulis planis, vel dentatis. De montano κατ᾽ ἐξοχὴν optimo Rheo ſive Rhabarbaro egimus ſupra, jam de Lapatho ejuſque variis ſpeciebus agendum decrevimus.

3. *Lapathum* acutum, Ger. Oxylapathum, Fuch. Matth. Lapathum ſilveſtre acutum, Lob. Trag. Dod. Lapathum folio acuto plano, C. B. P. Lapathum acutum ſive Oxylapathum, J. B. Chabr. Ad cubiti & ſeſquicubiti altitudinem excreſcit caulis hujus Lapathi acuti multis alis concavus, ſtriatus, ſubrotundus: folia Betæ longiora, venoſa & in acutum mucronem deficientia,

nentia, parum aut nonnihil in ambitu ſerrata, modo etiam ſubrotunda, ſapore ſubacido: flores muſcoſi, herbacei, copioſi ſecundum caulium ſuperiorem partem: quibus ſingulis evanidis ſingula ſemina triquetra ſive triangularia ſuccedunt, ternis foliolis mucronatis, ex virore rubeſcentibus, incluſa: radix dodrantalis circiter, craſſitudine digitali, crocea, ſapore amaro. Appetente Martio folia emergunt, Junio floret, verſus finem Auguſti ſemina perficiuntur. Sponte ſua gignitur in humectis hortis, paluſtribus locis & pratis circa foſſas.

4. *Lapathum* hortenſe folio oblongo ſeu 2. Dioſcoridis, C. B. P. Lapathum hortenſe, Geſn. Hort. Lugd. Lapathum ſativum, Dod. Hippolapathum ſilveſtre, Matth. Lugd. Hippolapathum magnum, Ger. Lapathum ſativum ſive Patientia, Park. Hoc eſt priori Lapatho acuto ſimile caule, ſemine, radice longa luteaque, niſi quod folia habeat majora mollioraque, paulo criſpa & intorta; caulem multo altiorem, ut qui hominis altitudinem non raro aſſequatur.

5. *Lapathum* aquaticum folio cubitali, C. B. P. Lapathum maximum aquaticum ſive Hydrolapathum, J. B. Chabr. Lapathum paluſtre, Tab. Hydrolapathum magnum ſive aquaticum, Ad. Lob. Hippolapathum ſilveſtre, Matth. Huic majori Lapatho aquatico radix magis in fibras deducta eſt quam vel Oxylapatho vel Hippolapatho radice foris nigra, intus buxea, cum notabili aſtrictione amaricante. Caules hujus ſurgunt ad cubitos duos, aliquando altius multo, floribus, involucris ſeminum, & ſeminibus, imo & foliis Lapatho acuto ſimile eſt, niſi quod hujus folia magis ſint acuta, illius autem non tam acuta, longitudine cubitali & ſeſquicubitali in aquoſis, item læviora minuſque rugoſa, leviter criſpatis oris aliquando prædita, ſubacida & ſtrenue aſtringentia. Provenit Lapathum hoc maximum aquaticum in foſſis urbium, & paluſtribus ſeu aquoſis, & ſtagnantibus locis, rivuliſque ad margines fluviorum. Hoc exiſtimo, inquit Joh. Bauhinus, variare à vulgari Oxylapatho propter ſitum natalemve locum, qui facit ut videatur diverſa planta ob inſignem foliorum amplitudinem.

6. *Lapathum* folio acuto rubente, C. B. P. Lapathum rubens, Dod. Lapathum ſanguineum, Ad. Lob. Cam. Hort. Lapathum rubrum, Cam. in Matth. Dicitur Lapathum nigrum aut rubrum & Rumex niger aut ruber & Sanguis Draconis, ſed perperam, nam ſuccus aridus, qui Sanguinis Draconis nomine in officinis venum datur, non ex herba hac, ſed omnino ex alia ſtirpe colligitur. Facillime inter cætera ſui generis Lapatha cognoſcitur hoc ſanguineum Lapathum, quia folia profert longa, anguſta, valde mucronata, rubra aut potius venis rubris ſanguinei coloris obſcuri affecta: è quorum medio oriuntur caules brachiati ſeu ramificati ejuſdem coloris, atque in horum ſummis proveniunt ſpicatim flores muſcoſi, herbacei, ſemina triangularia, minora, in capſulis ſive involucris tribus parvis foliolis triangulis conſtantibus: radix etiam eſt rubra aut rubicundi coloris, atque hiſce notis ſanguineis ſeu rubris à cæteris omnibus nullo negotio primo intuitu diſcernitur. Floret Junio & Julio, Auguſto demum ſemina perficit.

§. 3. *LAPATHUM aquaticum ſeu acutum minus.*

7. *Lapathum* folio acuto criſpo, C. B. P. Hydrolapathum minus, Hiſt. Lugd. Ger. Park. Lapathum aquaticum minus, J. B. Chabr. Huic etiam natales ſunt aquæ, ſed non niſi limpidæ & fontanæ, trans quas è fundo exerit cauliculos teneriuſculos, flaccidos, graciles, non abſque hinc inde filamentis, ut cæteræ aquaticæ plantæ, ſtipantibus & pendulis: folia ſunt admodum tenuia & mollicella, nec tamen aquæ innatantia ritu Potamogetonis, ſed erecta, viridantia ex atro, lanceolæ formâ, criſpa tamen, anguſtiora quam Potamogetonis Lobelii & Penæ in Adverſariis Puſullum Fontilapathum & Lapathum tenellum vocati.

8. *Lapathum* aquaticum ramoſum folio anguſto acuto flore aureo, nobis. Lapathum folio acuto flore aureo, C. B. P. Lapathi ſilveſtris genus 4um. Dalpii. Lugd. Lapathum anthoxanthon, J. B. Chabr. Hæc Lapathi ſpecies putatur planta quam nonnulli Panaces Chironium folio Lapathi flore aureo à Plinio dictum eſſe arbitrantur. Radice eſt brevi, furcata & fibroſa, dura, lignoſa, caulibus duobus aut tribus anguloſis, palmi altitudine: foliis oblongis, anguſtis, & denſe diſpoſitis: floribus conſtat in ſummis ramulis aureis, unde anthoxanthon, id eſt lutei coloris Lapathum nuncuparunt.

9. *Lapathum* minimum, C. B. P. Aquaticum minus, J. B. Chabr. Lapathum minimum aquaticum, Lob. Ger. Park. Omnibus partibus minus eſt Oxylapatho vulgato, cætera ei ſimillimum: interim hoc peculiare habere videtur, quod ſtatim à radice fere caulis in alas incipit dividi, in quarum ſummis alis flores ex certis intervallis, & conſequenter ſemina verticillatim proveniunt: flores, inquam, muſcoſi, lutei, ſingulis geniculis oppoſito foliolo ligulæ inſtar. Locis provenit humidis. Floret Julio & Auguſto, quo tempore & paulo poſt ſemina perficit.

§. 4. LAPATHUM *folio ſubrotundo.*

10. *Lapathum* ſilveſtre folio ſubrotundo ſeminis involucro lævi ſeu plano, nobis. Hoc parum aut nihil differt ab undecimo infra deſcripto, niſi quod ejus ſeminum involucra ex tribus foliolis conflata ſint plana, lævia, undecimi autem aſpera ſive dentata.

11. *Lapathum* ſilveſtre folio ſubrotundo ſeminis involucris dentatis, nobis. Hujus folia ſunt latiora quam ſequentium, pallidius virentia, plana, & non ad margines criſpa aut dentata, valde accedentia ad decimum ſupra deſcriptum, maculis ſubrubris etiam notantur: caules emittit bipedales, ramoſos ſeu in multos ramuſculos brachiatos, qui plurimis floribus herbaceis denſe per intervalla diſpoſitis onerantur: quibus ſingulis ſingula ſuccedunt ſemina triangularia, incluſa ternis foliolis valde hiſpidis & in margine denticulatis: ſemen inſuper pallidius eſt quam Oxylapathi criſpi. Provenit in foſſis & neglectis indifferenter cum decimo Lapatho ſilveſtri folio ſubrotundo ſeminis involucro lævi ſeu plano, atque vix & ne vix quidem ab eodem diſcernitur quoad perfectionem involucrorum hiſpidorum ſeminum. Floret itidem Auguſto, Septembri & Octobri; involucris hiſpidis, dentatis, à decimo Lapatho ſilveſtri folio itidem ſubrotundo, ſeminis involucro lævi ſeu plano, primo intuitu facile diſtinguitur.

12. *Lapathum* Chalepenſe folio acuto ſeminum involucris profunde dentatis, nobis. Hujus caulis valde ramoſus aſcendit ad altitudinem ſeſquipedalem, ad cujus ſingula genicula naſcitur unicum folium acutum; flores ibidem producuntur confertim naſcentes, herbacei, atque ſingulos deciduos ſequuntur involucra valde dentata, quaſi ſpinoſa, in quorum ſingulis ſingula continentur ſemina triangularia, ut in cæteris hujus claſſis.

13. *Lapathum* ramis procumbentibus ſeminis involucro dentato foliis inferioribus fidium inſtar, nobis. Lapathum pulchrum Bononienſe, J. B. Chabr. Pulchrum ſane eſt hoc Lapathum Bononiæ primo naſci obſervatum, ſed nunc paſſim in cœmiteriis, & neglectis ſæpe à nobis obſervatum etiam. Ex craſſa radice multa folia, pleraque duarum unciarum longitudine, pediculos ejuſdem fere longitudinis profert, unciam plus minus lata, in medio profunde utrinque ſinu reſpondente fidium inſtar, unde ei denominatio, verſus extrema ſubrotunda: ex medio foliorum caulis pedalis, nonnunquam ſeſquipedalis, exit in plurimos ramos incurvos brachiatus: ad ſingula genicula flores herbaceos, muſcoſos, cæterorum Lapathorum more profert: quibus ſingulis ſuccedunt terna foliola, anguloſa, exterius hiſpida, continentia ſemina triangularia, ſubruffa, cæterorum Lapathorum ſeminibus paria.

14. *Lapathum* maritimum fœtidum, C. B. P. Prod. & Park. Lapathum hoc maritimum fœtidum radice eſt & caule atrorubente, pedali, incurvo, quem folia atrorubentia, ſubrotunda, longis pediculis donata, & uncialia, interdum ſinuata, communiter alata, ambiunt: ex quorum ſinu ramuli exſurgunt, ſimilibus foliis cincti, quorum ſuperiora leviter per ambitum dentata ſunt: in caulis ſummo floſculi muſcoſi, quaſi in ſpica diſpoſiti: quibus utriculi ternis foliolis conſtantes, ſubrotundi, ſatis magni, ſemen continentes ſuccedunt. Hæc planta dum viret gravis eſt odoris, & in maritimis non longe Monſpeſſulo provenit.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Lapathum *præſtantiſſimum rotundifolium Rhabarbarum officinarum dictum, nobis. Rhabarbarum, Proſp. Alpin. de Exot. Expurgat enim Rheum ſeu Rhabarbarum, per inferna, bilem flavam & quandoque pituitam in proximis viis hærentem. Utilis ac commoda ex eo purgatio omnibus quos bilis flava infeſtat, ut laborantibus acutis & tertianis febribus; ictericis, hepaticis; confert in pleuritide, peripneumonia, angina, inſania, furore, renum, veſicæ & omnium internarum partium inflammationibus, & præſertim eryſipelaceis affectionibus, tam externis quam internis. Utiliſſimum certe Rheum jecinori & felli, præter enim quod bilioſos pravoſque expurget humores, & ab obſtructionibus meatus expediat, robur quoque maximum ipſis viſceribus confert. Ita ut haud temere Rheon vita hepatis à nonnullis dictum videatur. Commodiſſima enim ac utiliſſima talia jecinori eſſe medicamenta Galen. XI. Methodi aſſerit: quæ videlicet mixtam habent & expurgandi & aperiendi, aſtringendique poſtea potentiam. Modus exhibitionis à drach. j. ad ij. macerati vero una cum dimidia ad iij. Datur in calidioribus quidem morbis cum Cicchorei, Intybi aut alterius naturæ ſimilis diluto, aut ſtillatitio liquore vel etiam ſero lactis: ſi vero calor abeſt ex vino albo aut Rhenano dari poteſt. Exhibetur quandoque toſtum, ſed ita ut nulla ejus pars vel minimam ſentiat aduſtionem; tale dyſentericis & cœliacis auxiliatur; expurgatis ſiquidem vitioſis humoribus alvum deinde reprimit & cohibet. Siſtit eodem modo toſtum*

&

& ſuperfluentes menſes, ſanguineoſque undiquaque fluores præſertim per veſicam, ſed in exiguâ quantitate, & cum aſtringente aliquo permixtum. Innoxium, inquit Meſues, Rha medicamentum, omni tempori & omni ætati ſalubre & pueris & gravidis.

Lapathum *Alpinum folio ſubrotundo, nobis. J. B. Chabr. Hyppolapathum ſeu Rhabarbarum monachorum, Dod. Lapathi genus hujus quod Rhabarbarum monachorum vocatur purgandi vim obtinet, authore Fuchſio, ſi in pulverem redactum drach. pondere ſumatur. Neque id mirum admodum cum Dioſcorides ipſe omnium Rumicum olus decoctum alvum mollire, atque decoctas eorundem radices cum vino regio morbo correptos emendare, ob bilis nimirum per inferna eductionem, teſtetur. Quomodo eo uti deceat, docet Tragus, Magnarum virium, inquit, hæc radix cum puſillo Zinziberis ſumpta phlegma & bilem per inferiora evacuat hoc modo. Recipe Radicis aridæ drac. j. Zinziberis ſcrup. j. in pulverem redige, ſume jejunus in jure calido. Pro Rhabarbaro qui hoc ſubſtituunt duplici doſi utuntur. Radix digerit, abſtergit, provocat, mundat, aperit, nonnihil aſtringit. Bilem flavam & ſeroſos humores educit. Folia tenera in oleribus eduntur ad emolliendam alvum. Radicis ſuccus, ait Matthiolus, cum ſulphure illitus ſcabiem ſanat, cum Lupinorum vero farina lentigines, alphos & alias cutis infectiones exterit. Radicis dilutum ex vino paratum præſtat ad pellendos renum calculos. Idem facit radicis ſiccæ pulvis drachmæ pondere ex meraco potus quinetiam ex Marubii decocto hauſtus æruginem curat. Loco Rhei hoc utebatur Lazarus à Schewende, qui aiebat purgare ſi ad duplum Rhabarbari exhibeatur.*

Lapathum *omne temperiem habet nonnihil frigidam & quoddam quidem exiguam ac moderatam, aliud vero intentiorem; reſiccant vero omnia, ſed non omnia æqualiter. Sativi Lapathi folia, quæ eſculenta ſunt frigiditatem quidem exiguam, humiditatem vero majorem obtinent, ac unà lentorem, unde facile ac cito quando eduntur per alvum deſcendunt. Dioſcorides etiam omnium decocto olere alvum emollire tradit, quod & Horatius annotavit ſermon. l. 2. Satyra quarta ſic ſcribens,*

---Si dura morabitur alvus,
Mugilus & viles pellent obſtantia conchæ,
Et Lapathi brevis herba.

Brevem autem appellat Lapathi herbam, priuſquam caulis enatus fuerit, præcipue quo tempore eſui hæc herba idonea eſt. Editur autem hæc cocta ſed minus quam Beta vel etiam Spinachia ſuavis: ſuccum ingenerat humidum, mediocriter craſſum, & parum alimenti conferentem.

Oxylapathi *autem folia cum frigiditate reſiccant, ſemina vero hujus tum & ſativæ ac etiam Oxalidis cum tenuitate quadam ſubſtantiæ refrigerant, valde reſiccant & adſtringunt; contra dyſenterias ac cœliacos affectus, ventriculi ex bile ſubverſiones & faſtidia, tum & adverſus ſcorpionum ictus, ut Dioſcordes refert, bibuntur, proſunt & ſanguinem ſpuentibus addita Acacia, Authore Plinio. Lapathi acuti radix cerviſiæ infuſa lauditiſſimum antiſcorbuticum habetur D.* Willis *de ſcorbuto.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI,
Aliorumque Authorum.

Pag. 114. col. 2. pl. 11. Lapathum hortenſe ſeu Spinachia ſemine ſpinoſo, C. B. P. Spinachia, Fuch. Dod. Tab. &c. Pag. 115. col. 1. pl. 111. Lapathum hortenſe ſeu Spinachia ſemine non ſpinoſo, C. B. P. Spinachia ſilveſtris racemoſo ſemine, Lugd. deſc. Spinachia nobilis & 1. Trag. Ibidem pl. v. Lapathum hortenſe ſeu Spinachia ſterilis, C. B. P. Spinachia femina, Lugd. Cam. Spinachia 3. Trag. Hæ tres Spinachiæ male a Caſparo Bauhino pro Lapathi ſpeciebus recenſentur cum ſemina Lapathi ſint triangularia, harum autem nullatenus Lapathi ſeminibus accedunt; ergo a fine ultimo non debent Lapatha dici.

Pag. eadem col. 2. pl. 1. Lapathum unctuoſum, C. B. P. Lapathi ſilveſtris ſecundum genus, Lugd. Bonus Henricus, Brunſf. Trag. Matth. ed. Bauh. Tab. Ger. Tota bona, Lob. Dod. Thal. Nec hæc planta a fine ultimo accedit Lapathis, ergo non debuit a Caſp. Bauhino inter Lapatha diſponi.

Pag. 116. col. 1. pl. v. Lapathum Ægyptiacum lacteſcens ſiliquis Aſclepiadis, C. B. P. Beidel-ſar, Proſp. Alpin. Oſſar vulgo in Ægypto; fructus vero Beid el Oſſar, *hoc eſt ovum ex Oſſar. Graviter hallucinatum fuiſſe Caſp. Bauhinum hic in Pinace ſuo conjicio, dum inter Lapatha collocat hanc plantam pro Lapatho, eſt enim Apocynum Syriacum ſeu Palæſtinum ſive Ægyptiacum Cluſii in ſua Hiſtoria. Eſt, inquam, Apocynum primo a lacte dum quælibet ejus pars rumpitur manante; ſecundo a ſiliquis ſericea lanugine refertis, ſeminibuſque compreſſis ſubrubris ſive aureis ibidem conditis; hiſce notis Aſclepiadi aut Apocyno convenientibus, Apocynum ſe prodit vel mediocriter in arte Botanica verſatis, neutiquam Lapathum a ſimilitudine foliorum cum foliis Lapathi.*

Pag. 215. col. 1. pl. 11. Lapathum folio acuto criſpo, C. B. P. Lapathum acutum criſpum, Tab. & Lapathum aquaticum minus, C.B.P. Lapathum minus, Lob. Lugd. Tab. Item Lapathum minus, Ger. Hydrolapathum aquaticum minus, J. B. Chabr. Et Hydrolapathum ſativum ejuſdem Gerardi non emacul. conficiunt unam & eandem Lapathi ſpeciem; inde ſequitur lapſum primo Tabernæmontanum hic, quemadmodum in multis aliis, atque illum ſequutum eſſe Gerardum tanquam ejus ſimium, & hac ratione nobis multiplicat entia ſine ratione Caſp. Bauhinus.

DE MOLLIENTIBUS

Et refrigerantibus flore herbaceo ſemine triangulari donatis.

CAPUT XXVIII.

OXALIS ſive ACETOSA.

OXalis dicitur Græcis: Acetoſa Latinis ab acore quo prædita eſt: foliis, floribus, atque ſemine triangulari valde accedit Lapatho, ſed cum Lapathi radix ſit utplurimum lutea, ſeu crocea & amara & purgans, Oxalides autem omnes acidæ & aſtringentes, refrigeranteſque, hoc ſolo nomine inter ſe diſtinguuntur in genere. Acetoſa eſt ratione foliorum, vel latifolia, vel anguſtifolia; eaque vel plana vel criſpa: ratione radicum, vel eſt radice fibroſa, pinnata vel ſinuata, eaque ſeu repente, ſeu non repente; vel tuberoſa: à loco eſt vel pratenſis, Brockenbergenſis, Romana, Cretica, Moſchovitica, vel Neapolitana: eſtque tandem à duratione vel perennis, vel annua. Initium faciemus à pratenſi vulgari.

Pars TABULÆ XXVIII. Sectionis quintæ.

Acetoſa
- *Pratenſis*
  - 1. *Vulgaris ſeu plana, nobis. Acetoſa vulgaris, Park. Oxalis vulgaris folio acuminato, J. B. Chabr.* ☉
  - 2. *Criſpa, nobis. Oxalis criſpa, Tab. Ger. J. B. Chabr.* ☉
- 3. *Moſchovitica ſterilis, nobis.* ☉
- *Montana*
  - 4. *Maxima, C. B. P. Oxalis major Brockenbergenſis, Thal.* ☉
  - 5. *Radice recta pedali aut ſeſquipedali Lapathi inſtar abſque fibris, nobis.* ☉
- *Veſicaria*
  - 6. *Raguſiana radice tuberoſa, nobis. Oxalis tuberoſa, Lob. Lugd. Dod. Tab. Ger. Acetoſa Raguſiana Jacob. Zanoni.* ☉
  - 7. *Americana foliis longiſſimis pediculis donatis, nobis. Acetoſa veſicaria peregrina, Eyſt.* ☿
  - 8. *Tingitana major perennis repens foliis longis ſinuatis, nobis. Acetoſa perennis Tingitana dentata, Jacob. Zanoni.* ☉
- *Rotundifolia*
  - 9. *Franca ſive Romana, nobis. Oxalis rotundifolia, Dod Lugd. Tab.* ☉
  - 10. *Eboracenſis folio in medio deliquium patiente, nobis.* ☉
- *Lanceolata*
  - 11. *Anguſtifolia elatior, nobis. Acetoſa anguſtifolia elatior, Park.* ☉
  - 12. *Minor, nobis. Oxalis minima, Dod. Trag. Oxalis minima ſinuata vervicina, Ger.* ☉
- 13. *Cretica ſemine aculeato, C. B. P. & Prod.* ☿
- 14. *Neapolitana Ocimi folio, C. B. P. Acetoſa Neapolitana Ocimi folio* βουκηφαληφόρα, *Col.* ☿

§. 1. *ACETOSÆ latifoliæ majores folio acuto.*

Explicatio partis Tab. vigeſimæ octavæ Sectionis quintæ.

1. ACetoſa pratenſis, C. B. P. Acetoſa, Brunſf. Lon. Acetoſa major, Caſt. Col. Acetoſa vulgaris, Park. Oxalis, Trag. Matth. Fuch. Dod. Ad. Lob. Tab. Ger. emacul. Oxalis major, Thal. Lugd. Oxalis ſive Acetoſa, Ger. Oxalis vulgaris folio acuminato, J. B. Chabr. Caules promit hæc Acetoſa cubito altiores, ſtriatos, concavos, in multas alas diviſos: folia Biſtortæ foliis minora, acuminata, quà pediculi adhærent, mucronata pinnatave, ſucculenta, atrovirentia, ſapore acido: flores fert herbaceos, involucra & ſemina Lapathi acuti: radix fibroſa, lutea, ſtrenue ſiccante & aſtringente ſapore. Ubique in pratis & ſilvis humidis quolibet æſtatis tempore vigere obſervamus. Floret æſtate, & verſus ejuſdem finem ſemina perficit.

2. *Acetoſa* criſpa, nobis. Oxalis criſpa, Tab. Ger. J. B. Chabr. Hæc natali loco, tempore florendi, & modo creſcendi, à priore plane nihil variat, niſi quod natura foliis criſpis in hac mire ludat. Eam autem Icone expreſſam exhibere ſtatuimus, ne generali noſtræ Hiſtoriæ Oxonienſi quid temere deſit.

3. *Acetoſa*

3. *Acetoſa* ſterilis Moſchovitica, nobis. Hæc parum differt ab Acetoſa vulgari, niſi quod ſit folioſior, rotundior, &omnino minor: raro caules protrudit, rarius flores, nunquam ſemina apud nos ad maturitatem perducit; unde apte ſatis ſterilis denominatur. Ineunte Vere, ejus folia cum ſint teneriora, acetariis ſunt aptiora.

4. *Acetoſa* montana maxima, C. B. P. Oxalis major Brockenbergenſis, Thal. an Oxalis altera, Cæſ. Hæc omnium ſuæ ſortis folia producit majora, ſpiſſiora, Betæ modo rotunda, pallide virentia: caulem craſſiorem edit & breviorem cæteris: floribus, ſeminum involucris ſeminibuſque, cum cæteris convenit.

5. *Acetoſa* montana radice recta pedali aut ſeſquipedali Lapathi inſtar abſque fibris, nobis. Hæc provenit radice recta, pedali, aut ſeſquipedali, abſque fibris adhærentibus, prout cernitur in vulgari, quoad cæteras partes convenit cum aliis hujus claſſis.

6. *Acetoſa* Raguſiana radice tuberoſa, nobis. Acetoſa altera minor radice bulboſa, Col. Acetoſa Raguſiana, Jacob. Zanoni. Oxalis tuberoſa, Lob.Dod.Lugd. Tab. Ger. Oxalis hæc tuberoſa Oxalidem pratenſem ſupra terram refert: foliis paris magnitudinis & formæ, caulis alas amplexantibus, inferioribus autem & verſus terram longis pediculis nixis: flores herbacei, ſtaminulis luteis referti, ſpicatim ſuperiori caulis parti adhærent: at præcipue radicibus tuberoſis, Filippendulæ vel Oenanthes radicibus ſimilibus, ſpectabilis eſt hæc Acetoſæ ſpecies.

7. *Acetoſa* Americana foliis longiſſimis pediculis donatis, C. B. P & Prod. Acetoſa veſicaria peregrina, Eyſt. Ex radice caules plures, rotundi, ſtriati, læves, cubitales, in terram reclinati prodeunt, qui mox in plures ramos oblongos brachiantur: folia habet pallida & veluti nitroſo pulvere obſita, anguloſa, non tamen ut in vulgari bifurcata aut alata, ſed potius Atriplicis forma, biuncialia, & pediculis triuncialibus donata, mollia, carnoſa, ſapore acido, ex quorum ſinubus alæ ſurgunt foliis minoribus, ſed eâdem forma onuſtæ; in quarum ut & caulis ſummo flores exigui, muſcoſi, veluti in ſpica diſpoſiti, emicant: quibus fructus foliacei (ex tenuibus, ruffeſcentibus membranis elegantiſſimis venulis, veluti Fritillariæv ulgaris floribus, per eas diſcurrentibus, compoſiti) ut in aliis, ſed quadruplo quam in vulgari majores, ex parvis pedicellis dependentes, ſuccedunt; quibus ſemina triangularia, oblonga, ruffeſcentia & ſplendentia incluſa continentur.

8. *Acetoſa* veſicaria Tingitana perennis repens foliis longis ſinuatis, nobis. Acetoſa perennis Tingitana major dentata, Jacob. Zanoni. Non minoris eſt notæ hæc Acetoſa à foliis laciniatis ſeu ſinuoſis, quam ſexta à radicibus ſuis tuberoſis. Folia protrudit è terra plurima, longa, mucronata, profunde laciniata ſeu ſinuata, imo undulata: è meditullio horum exit caulis per terram ſtratus, ad cujus genicula naſcitur folium triangulare itidem ſinuatum: in ſummis caulibus naſcuntur flores muſcoſi; quibus ſingulis ſuccedunt veſicæ triangulares in gremio continentes ſemina triangularia: radicem profert craſſam, repentem multis fibris ſcatentem. Copioſe provenit in Mauritania Tingitana, unde ad nos miſit *Alexander Balam* huc in Angliam.

§. 2. ACETOSÆ *majores folio rotundo.*

9. *Acetoſa* rotundifolia hortenſis, C. B. P. Oxalis rotundifolia, Dod. Lugd. Tab. Oxalis Franca ſive Romana, Ger. Oxalis repens rotundiori folio, J. B. Chabr. Ludit hæc Acetoſa Franca ſive Romana foliis modo rotundis, fere Cochleariæ Batavicæ vel Chelidonii minoris proximis, modo alarum appendicibus donatis, alias ſagittæ inſtar mucronatis pinnatiſve Spinachiæ foliorum modo, colore glauco, pinguiuſculis, delicatoque acore præditis: caules inanes, cubito longiores: floſculi è ſtaminulis ſeu fibris componuntur, ut in prædictis, luteo tamen rubentibus: ſemen ſingulis floribus unicum ſuccedit triangulare, quando ſementeſcit, nam radix tenuis repit ſub terram, ſicut & caules ſupra terram procumbunt, ut cernere eſt in priore: radix ſapore eſt minus acido, ſed magis ſicco quam folia.

10. *Acetoſa* rotundifolia repens Eboracenſis folio in medio deliquium patiente, nobis. Hujus caules humi procumbunt ut ſuperioris: folia ſunt rotunda, ſpiſſa, virentia, cum deliquio in medio, quoad cætera convenit cum priore. Provenit in comitatu *Weſtmerlandiæ*, illic reperta à *Johanne Watts* Apothecario Londinenſi, & diligente ſcrutatore rariorum plantarum in Anglia provenientium, prope fontem dictum **Buckbarrow Well in long Sledale**, agro ſpectante ad illuſtriſſimum Dominum *Johannem Lowther*, Equitem Baronettum Grandis Conſilii Anglicani Parliamenti pro comitatu *Weſtmerlandiæ* delegatum.

§. 3. ACETOSÆ *minores longifoliæ.*

11. *Acetoſa* lanceolata anguſtifolia elatior, nobis. Acetoſa anguſtifolia elatior, Park. Hæc à ſequente differt quod hujus caules ſint tenuiores, altiores: folia itidem anguſtiora & longiora, cætera ei convenit.

12. *Acetoſa* arvenſis lanceolata, C. B. P. Acetoſa minor lanceolata, Park. Oxalis minima, Dod. Trag. Oxalis minor, Matth. Lugd. Oxalis minima ſinuata vervicina, Ger. non emacul. Oxalis tenuifolia, Ger. Hæc Acetoſa prolixas lignoſaſque habet radices, valde fibroſas, rubentes, huc illuc reptantes, in plura capita diviſas, quæ folia emittunt unciam longa, & aliquando ampliora, ad imum juxta appoſitionem pediculi auriculata, guſtu reliquarum inſtar acido: floſculi longos efficiunt racemos, ſtaminulis luteis onuſtos, quibus ſingulis ſuccedunt ſingula ſemina triangularia, minima. Hæc ratione loci major minorve reperitur. Hinc Tabernæmontanus duas pingit Icones quem ſequuti ſunt Gerardus & Joh. Bauhinus ejuſque ſimius Joh. Chabræus, etiam Caſp. Bauhinus in Pinace. Hæ omnes, XIII, XIV, & XV. Caſp. Bauhini differunt tantum ſecundum fertilitatem & ſterilitatem ſoli.

13. *Acetoſa* Cretica ſemine aculeato, C. B. P. & Prod. Hæc radice eſt parva, ruffeſcente, fibroſa, inſumma tellure hærente: cauliculis quandoque pluribus, palmum ſuperantibus, humi reclinatis, quandoque uno, ſed in ramulos brachiato; foliis parvis, oblongis pediculis donatis, auriculis carentibus: floſculis multis, exiguis, muſcoſis, circa ramulos ſemipalmares, in modum ſpicæ alternatim diſpoſitis: quibus ſemen ſuccedit tenuibus membranis aculeatis incluſum, cui pediculus oblongus, incurvus, in medio tumidus, ut in Caltha, additur. Junio floret, & ſemen paulo poſt maturat.

14. *Acetoſa* Neapolitana Ocimi folio, C. B. P. Acetoſa Ocimi folio Neapolitana βȣκεφαληφόρα, Col. Præter foliorum differentiam, quæ huic Ocimi modo ſunt ſeſquiunciam lata, carnoſa, ovali figura, petiolo longo hærentia, veluti nitroſo pulvere obſita, acido ſapore, ut in congeneribus, cauli hærentia alternatim, ex quorum ſinubus alæ ſurgunt minoribus eodem modo foliis veſtitæ, in quarum & caulis ſummo in ſpicam, ut in aliis flores emicant, congeſti, parvi, herbidi, luteſcentes, muſcoſi, ac etiam circa ſumma folia hærentes foliolis quibuſdam parvis, quinis pro calyce: quibus fructus ſuccedunt foliacei, ut in aliis, ſed huic miro naturæ artificio bubulinum caput exprimentes, nam collo cauli hærent, & inde ad capitis extrema veluti cornua parum iner ſe curva, paulo inferius vero ac veluti è regione oculorum, aures veluti apparent utrinque & ſupercilia & ab his reliquum dependens capitis totius Iconem exprimens: caules plures ab radice exeunt, aliquando pedales aut majores, parum anguloſi ac veluti ſtriati: radix tenuis reſpectu plantæ in ſumma tellure hærens. Totius plantæ ſapor acidus nomen indicat, ut in congeneribus. Frequentiſſima eſt hæc Neapoli in ſepibus, ac tenuibus locis præſertim Panſilippi & Mergelinæ. Autumni fine exit ſponte locis ſupradictis, Vere caulem edit, æſtate perficitur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Recentiores Acetoſam ſtatuunt eſſe frigidam & ſiccam in ſecundo gradu, inquit Fuchſius. Digerit, aperit, incidit, inquit Swenckfeldius, nonnihil humores lentos. Ventriculum æſtuantem refrigerat, appetitum ciborum excitat, jecinoris calorem contemperat. Bilioſis ac peſtilentibus febribus adverſatur. Radix Acetoſæ hepatis & venarum meſeriacarum obſtructiones ſolvit, in febribus utilis. Semen additur medicamentis cordialibus. Aqua diſtillata & ſuccus in frequenti ſunt uſu. Febrientibus contra æſtum, ſitim & dejectam appetentiam porrigitur. Æſtivis menſibus Acetoſa ciborum multorum utile eſt condimentum & palato gratum.

DE PENTAPETALIS
Semine triangulari donatis.
CAPUT XXIX.
BISTORTA.

Biſtorta dicitur, quod radice in ſe contorta & convoluta conſtet: quam alii Limonii, alii Britannicæ, alii Behen rubri ſpeciem faciunt. Hujus Plinius l. 24. c. 16. & l. 25. cap. 11. inter Dracontia meminiſſe videtur. Forte ejuſdem l. 25. c. 13. Molybdæna, id eſt Plumbago, quod plumbum, oculi vitium tollat. Folio eſt rugoſo latiore, & minus rugoſo anguſtiore.

Pars

Pars TABULÆ XXVIII. Sectionis quintæ.

Biſtorta
- *Major radice*
  - 1. *Magis intorta foliis rotundioribus rugoſis, nobis. Biſtorta, Dod. Biſtorta major, Cluſ. Hiſt.* ⊙
  - 2. *Minus intorta foliis anguſtioribus minus rugoſis, nobis. Biſtorta folio minus rugoſo, J. B. Chabr.* ⊙
- *Minor*
  - 3. *Seu Alpina, Cam. in Matth.* ⊙
  - 4. *Pumila foliis variis rotundis & longis, nobis. Biſtorta pumila varia, Park.* ⊙
- 5. *Alpina minima ſobolifera, nobis. Biſtorta minor, Ger. Cluſ. Hiſt. Biſtorta minima, J. B. Chabr.* ⊙

Explicatio partis Tab. vigeſimæ octavæ Sectionis quintæ.

1. B*Iſtorta* major radice magis intorta, C. B. P. Biſtorta, Dod. Biſtorta major, Cluſ. Hiſt. Folia hæc Biſtorta major in longiuſculis pediculis promit oblonga, lata & acuminata, Lapathi foliis ſimilia, verum venoſa & ſuperne quidem virentia, inferius vero ex cæſio colore candicantia: inter quæ ex medio exeunt caules, pede altiores, rotundi, minoribus aliquot foliis circumveſtiti: ſpica in faſtigio exiguis floſculis è dilutiore rubore purpuraſcente ornatur: floribus ſingulis fatiſcentibus ſuccedunt ſingula ſemina triangularia, ſplendentia veluti Oxalidis: radix tuberoſa, craſſa, oblongior, geniculata, nonnunquam retorta, multis fibris capillata, foris nigricans, interiore vero pulpa non intenſe rubeſcens, guſtu aſtringens. Fuchſius duas hujus ſpecies facit, unam foliis rugoſioribus, aliam lævioribus, hanc radice magis in ſe contorta & majore, illam vero radice majore ſed minus complicata multumque fibroſa.

2. *Biſtorta* major radice minus intorta, C. B. P. Biſtorta folio minus rugoſo, J. B. Chabr. A priore differt foliis anguſtioribus & lævibus ſeu minus rugoſis, radiceque minus intorta rependo ſeſe multiplicat in monte Iura. Biſtorta major prior & altera reperitur in locis humentibus, opacis ſilvis, pingui ac lutoſo ſolo. Maio ac Junio flores ſpicati vigent: ſemen triangulare ad maturitatem poſtea perducitur.

3. *Biſtorta* minor ſeu Alpina, Cam. in Matth. Hæc ſimilis eſt priori, ſed multo minor: folia in marginulis pulchre punctulis quibuſdam diſtincta & veluti ſerrata apparent.

4. *Biſtorta* pumila foliis variis rotundis & longis, nobis. Varia, Park. Hæc non ſolum terna folia lata, brevia, ſubrotunda, ſed etiam bina, terna folia longa, anguſta habet, exeuntia omnia ex eadem radice: caulem vix palmarem, cui ſpicatim adnaſcuntur floſculi pentapetali, minores, quibus ſingulis ſingula ſuccedunt ſemina triangula ut in præcedentibus.

5. *Biſtorta* Alpina minima ſobolifera, nobis. Biſtorta minor, Ger. Cluſ. Hiſt. Biſtorta minima, J. B. Chabr. Minima Alpina alia, Cam. Hæc radicem pollicari craſſitie minorem habet, contortam, brevem, exterius albam & capillatam: caulis et ſurgit dodrantalis, vel aliquando in macro ſolo palmo paulo major, foliis veſtitus paucis, anguſtis, oblongis, acutis, nullo pediculo hærentibus, alia vero ex radice orta folia uncialia aut ſextantalia, unciam plus lata, inferne glauca, ſuperne viridantia; ſpica unciam longitudine ſuperat, floribus comata albicantibus, ſequente dein ſemine non triangulo, ut in cæteris antedictis, ſed rotundo, oblongo ſeu ovato, ruffo, quod mihi videtur ſoboles tuberoſa potius quam ſemen ſuccedens floribus deciduis, & ut ait Cluſius non raro ſeminis loco multa foliola, brevia & viridia, in capitula oblonga congeſta profert; quibus ſponte decidentibus, plantulas ejuſdem ſpeciei in eadem qua alebatur areola & vicinioribus ſæpe natas vidi: radix vulgaris longe minor, contorta tamen & geniculata, foris nigricans & intus alba, multis tenuibus fibris capillata, guſtu uti tota planta aſtringente. Naſcitur in ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium jugis tenui gramine veſtitis. Floret Julio, in hortos vero tranſlata (ubi formam & magnitudinem non immutat) maturius. Monſpelii reperit Jo. Bauhinus circa montem *Gangen*. Genevæ in monte *Tuiri*. Provenit etiam in comitatu Veſtmerlandiæ prope *Crosby Ravenwaith* inter ſepta D. *Pickring* ut refertur à Botanicis Anglicis qui eam ibidem reperere.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Facultate Biſtorta frigida eſt, & cum reſiccatione valde aſtringens: radix menſes & undiquaque ſanguinem profluentem ſupprimit, alvumque ſiſtit, vomitum compeſcit: dyſenteriis medetur, quovis modo aſſumpta tonſillarum, faucium & oris inflammationibus ſuccurrit: gingivas firmat decocto aut ſucco ejus ore colluto. Idem poſſunt folia & ſemina, ſed minus efficaciter. Pulvis radicis

dicis Biſtortæ cum conſerva Roſarum uſurpatus egregie compeſcit ſanguinis ſputum, dyſenteriam aliaſque defluxiones, menſes, urinas ſiſtit. Poteſt idem ex ſucco cydoniorum bibi. Abortum prohibet pulveris drach. ſemis cum pari pulveris ſuccini portione ex ovo ſorbili diebus aliquot continuis uſurpata.

HALLUCINATIO CASP. BAUHINI.

Pag. 192. pin. Collocat Caſparus Bauhinus Biſtortam inter Pyrolam & Limonium, cum quibus nihil habet affine: deinde adjungit Nymphæam, Tribulum aquaticum, Sagittam, aquaticas plantas, & Arum, Ariſarum, Bacciferas cum Tuſſilagine Petaſite & Cacalia pappeſcentibus. Inter hæc ſubalterna genera magna eſt diſcordantia quoad finem ultimum uti poſtea patebit ex doctrina noſtra univerſali a fine ultimo petita.

DE PENTAPETALIS

Spicatis ſemine tumido triangulo donatis.

CAPUT XXX.

POTAMOGETON.

Ποταμογεῖτον, quaſi fluminibus vicina, quod paluſtribus & aquoſis innaſcatur, Dioſc. l. 4. c. 101. & Æliano l. 6. Anim. c. 46. quo herinaceum interfici ſcribit. Σταχύτης, quaſi ſpicata ob caulis ſummitatem, quam floribus & ſeminibus ſpicatim cingit. Plin. l. 26. c. 8. Potamogeton foliis Betæ &c. ſubjungit: Caſtorem hanc aliter noviſſe tenui folio veluti equinis ſetis, thyrſo longo & lævi in aquoſis naſcentem: hoc Myriophyllon aquaticum videtur.

Potamogeton eſt planta paluſtribus & aquoſis innaſcens, flores pentapetalos, in ſpicam digeſtos gerens: quibus ſingulis ſingula ſuccedunt ſemina tumida, triangula, atque cum floribus tum ſeminibus propius accedit Biſtortæ & Perſicariæ huc revocavimus inter ſuas conſortes, potius quam inter aquatieas plantas, quæ inter ſe neutiquam, nec cum Potamogetone fine ultimo conveniunt. Potamogeton diſtinguitur à foliis, eſt enim rotundifolium, quod breviori pediculo nititur & lineis in longum ductis afficitur; vel anguſtifolium ſeu Salicis folio, quod longiore pediculo conſtat & folia tranſverſis lineis virgata habet; vel eſt foliis ſplendentibus, iiſque vel latis vel anguſtis, vel foliis ſerratis, criſpis & non criſpis, vel folio Quercus vel denique puſillum fluitans. De hiſce ordine dicemus.

Pars TABULÆ XXIX. Sectionis quintæ.

- *Potamogeton*
  - *Majus*
    - 1. *Rotundifolium, nobis. Potamogeton latifolium, Ger. Potamogeton, Trag. Matth. Fuch. Lugd. Tab.* ⊙
    - 2. *Anguſtifolium ſeu folio Salicis, nobis. Potamogeton Salicis folio, C.B.P. Potamogeton anguſtifolium, Tab. Ger.* ⊙
    - *Foliis ſplendentibus*
      - 3. *Latis, C. B. P. Potamogecon 3. Dod. Ger.* ⊙
      - 4. *Anguſtis, C. B. P. Potamogeton 2. Dod.* ⊙
    - *Foliis*
      - 5. *Serratis, C. B. P. Oxylapathum aquaticum, Lugd.* ⊙
      - 6. *Criſpis ſive lactuca ranarum, C.B.P. Fontilapathum puſillum, Ad. & Icon. Lob.*
      - 7. *Minime criſpis, nobis.*
      - 8. *Quercus, nobis. Potamogeton minor folio Quercus, Ger.*
  - 9. *Minimum ſeu puſillum fluitans, Boccon.*

Explicatio partis Tab. vigeſimæ nonæ Sectionis quintæ.

1. *Potamogeton* majus rotundifolium, nobis. Potamogeiton latifolium, Ger. Potamogeton, Trag. Matth. Fuch. Lugd. Tab. ποταμογεῖτον ἢ σταχύτης Græce, Fontalis & Potamogeton Latinis dicitur. Officinis ignota eſt herba. Potamogeton autem quaſi fluminibus vicina dicta eſt, ſiquidem in aquoſis & paluſtribus naſci amat: σταχύτης vero quaſi ſpicata, ob caulis ſummitatem floribus & ſeminibus ſpicatim onuſtam. Hujus folia Betæ ſunt ſimilia, denſa & paulo extra aquam eminentia, ex qua quidem brevi delineatione ſatis intelligi poteſt herbam, cujus picturam damus, eſſe Potamogetonis ſpeciem: caulem namque rotundum habet, geniculis inter-

terceptum, è quibus pediculi exeunt foliis Betæ aut Plantaginis veſtiti, paululum ſupra aquam eminentibus: flores in ſummo caulium faſtigio ſpicatos Biſtortæ aut Perſicariæ inſtar profert; ac ſubinde ſemen lucidum, tumidum, ex nigro ſplendens. Naſcitur in lacuſtribus, ſtagnantibus, aquoſiſque locis. Floret Julio menſe.

2. *Potamogeton* anguſtifolium ſeu Salicis folio, nobis. Potamogeton Salicis folio, C. B. P. Potamogeton 2. Dal[ii]. Lugd. Potamogeton anguſtifolium, Tab. Ger. Potamogeton, Dod. Provenit caulibus per aquam ſparſis, anguloſis, geniculatis, radiculas exiles & albas ex geniculis caulium mittentibus, quibus obvium in ripis cœnum ſolumve apprehendit: ex ſingulis articulis ſingula folia prodeunt, longo pediculo nixa, longiora quam in priore Potamogetone, craſſiora, & (quæ certiſſima nota eſt hanc ab illa diſtinguendi) tranſverſis lineis virgata, cum prioris folia lineis in longum ductis diſcriminentur: flores ſpicatim in ſummo caulium proveniunt, rubri, longo hærentes petiolo: ſemen itidem ſecundum caulis ſummum copioſum, durum, tumidum, nigrum. Provenit in lacubus & ſtagnis Sequanorum. Æſtate floret.

3. *Potamogeton* foliis latis ſplendentibus, C. B. P. Potamogeton 3. Dod. Ger. Hæc tenuibus ac teretibus cauliculis luxuriat, in alas ſubinde diſtributis: folia huic ſunt lata, oblonga, acuminata, multo quam prioris minora: è ſinu ramulorum ac foliorum pediculi ſubinde prodeunt, in quorum ſingulis cernitur ſpica brevis, floſculos proferens candicantes, pentapetalos, intus muſcoſos, ut in cæteris hujus farinæ: ac deinde ſemina tumida, rotunda, veluti Aphaces: radix fibroſa fundo adhæret. Tota hæc ſub undis naſcitur eminente tantummodo cacumine, ſed in aquis haud profundis ac dulcibus, quæ tamen maritimo æſtu attolluntur, veluti in ſinu illo qui Dordraco Hollandiæ civitate ad *Bredam* Brabantiæ civitatem patet. Junio ac Julio ſpicæ florentes conſpiciuntur.

4. *Potamogeton* foliis anguſtis ſplendentibus, C. B. P. Potamogeiton altera, Dod. Hæc eſt major ſpecies, albicantibus & articulatis radicibus ſecundum aquæ fundum repit, à quibus (exiguis fibris deorſum emiſſis) cauliculi aſſurgunt tenues, oblongi, geniculis intercepti; inferius parvis, ſuperius autem majoribus & longioribus, anguſtis foliis adnatis, quorum medius nervus eſt durus, ſubinde ſtili alicujus inſtar folii faſtigium ſuperans eminet: flores in craſſa ſpica ſubrubent. Sub aquis vero herba hæc una cum foliis ſuis conditur, ſolæ ſpicæ ſupereminent. In ſtagnantibus aquis apud Holandos ſatis frequens.

5. *Potamogeton* folio ſerrato, C. B. B. Oxylapathum aquaticum, Lugd. Hujus radix eſt geniculata, ex ſingulis geniculis fibras emittens quibus vado inhæret, primis internodiis rubeſcens: caules edit multos, rotundos, quinque aut ſex cubitos longos, in aqua fluitantes: folia palmum atque eo amplius longa, anguſta, in ambitu crenata, alternatim longo ſatis intervallo per caules naſcentia, guſtu fatuo & ſicco: in caulium vertice thyrſus eminet, eâ prorſus ſpecie qua in Potamogetone viſitur. Naſcitur in vadis amnium pigrorum, ut Araris.

6. *Potamogeton* foliis criſpis ſive Lactuca ranarum, C. B. P. Fontilapathum puſillum, Ad. & Icon. Lob. Tribulus aquaticus minor, Cluſ. Hiſt. Tribulus aquaticus Moſchatellæ floribus, Ger. Bicubitales tricubitaleſque aut longiores pro aquæ profunditate ex radice profert hæc planta caules ſive ſcapos nodoſos (qui reſiccati lenti ſunt ac flexibiles) circa ſummum diviſos in plures ramuſculos, alternatim ferentes in ſingulis nodis ſingularia folia, duarum unciarum interdum longitudine & ſemiunciali latitudine, tenuiora & quaſi tranſparentia, in ambitu adeo criſpa & ſinuoſa ut laciniata videantur, colore ex viridi puniceo: pediculi exiguos, candicantes floſculos, racemi in modum congeſtos ſuſtinentes, oblongi, craſſiuſculi inter folia exoriuntur, quæ bina ſemper ex adverſo naſcuntur contrario quam inferiora modo: ſingulis floſculis plerumque quaterna aculeata grana, ſimul cohærentia, paucam candidam medullam continentia ſuccedunt: radices infima parte ad ſingula genicula oblongas, tenues, candicantes fibras agunt, quibus firmantur & alimentum neceſſarium attrahunt. Tota planta aquis immergitur. In ſtagnis & fluviolis magnâ copiâ inter Tribulum aquaticum majorem fructu eduli, & Nymphæam flore albo naſcentem, atque Junii initio florentem & ſemine prægnantem obſervavit Cluſius. In foſſis viva aqua ſcatentibus etiam provenit.

7. *Potamogeton* ſarmentis rotundis foliis minime criſpis, nobis. Hæc eſt tantum varietas ſuperioris cauliculis ſeu ſcapis non planis, ut ſuperioris, ſed rotundis, eodem tamen modo geniculatis, bina ſemper inter ſe oppoſita foliola ad ſingulos nodos ferentibus, ſuperioris breviora, mucronata, in ambitu minime criſpa vel ſinuoſa: hiſce nominibus à priore omnino differt. In lacunis ſecundum puriſſimæ aquæ rivos decurrentibus naſcitur.

8. *Potamogeton* minor folio Quercus, Ger. Hæc caules ex radice tenui, plana, nodoſa, bicubitales & tricubitales profert aut longiores ſecundum altitudinem aut profunditatem aquæ, ver-

ſus ſummum in multas alas diviſos, at in ſingulis geniculis unicum folium, quandoq; binas uncias longum & ſemiunciam latum, tenue, ſplendens, criſpum & undulatum in margine inſtar Quercus foliorum, coloris ex viridi rubentis: in ſummis caulis ramis proveniunt rotundæ quaſi uvæ, ex quibus ſingulis exiliunt floſculi rubicundi adinſtar florum Quercus; ſingulis floribus deciduis ſuccedunt quatuor tenuia grana, mucronata, ſimul juncta, atque hiſce notis à prioribus diſcernitur. Provenit in paludoſis ſtagnantibus & piſcinis prope Abatiam dictam Durford inter comitatus *Hamtoniam* & *Suſſexiam*.

9. *Potamogeiton* puſillum fluitans, Boccon. Pro radicibus ſunt huic fibræ longiſſimæ; cauliculus dodranralis, tenuis, ramoſus: folia longa, tenuia, inordinatim diſpoſita, pene capillacea, quandoque Fæniculi ſeu Peucedani foliis ſimilia: floſculi in biunciali pediculo ſunt muſcoſi, ſpicati, ſubſequentibus granis minutis & aſperis compluribus ſimul junctis. *Catanæ* è fontibus eduximus, inquit Paulus Boccone, ſpecies hujus longe amplior prope Lutetiam in Sequana fluvio viſitur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Potamogeton, *inquit Galenus, aſtringit & refrigerat ſimiliter Polygono, ſed eſſentia ejus craſſior quam Polygoni. Dioſcorides refrigerare & aſtringere ſimiliter ait & utile pruriginibus & malis depaſcentibus vetuſtiſque ulceribus eſſe. Plinius* ex vino *dyſentericis & cœliacis mederi ſcribit, uſumque eſſe in foliis.*

DE PENTAPETALIS
Spicatis ſemine triangulari donatis.
CAPUT XXXI.

PERSICARIA ſive HYDROPIPER.

P*Erſicaria dicitur Latinis, à foliorum forma, hæc vel mitis acidave ſapore, vel acris eſt, illa foliis maculoſis, vel iis carentibus.* ὑδροπέπερι *Dioſcoridi l. 2. c. 191. id eſt, aquaticum Piper, à loco & ſapore nomen habet.*

Perſicaria à numero petalorum florum ſpicatim digeſtorum ſeminibuſque ipſis, foliis, natalitiiſque valde accedit Fontali ſeu Potamogetoni, ideo eandem huic ſubſtituimus in hoc cap. 31.

Pars TABULÆ XXIX.

- *Perſicaria*
  - *Mitis*
    - *Major*
      - *Noſtras*
        - 1. *Non maculoſa, C. B. P.* ☿
        - 2. *Maculoſa, C. B. P.* ☿
      - *Virginiana fruteſcens*
        - 3. *Rotundifolia, nobis.* ☿
        - 4. *Longifolia, nobis.* ☿
    - 5. *Minor ſeu puſilla procumbens, nobis. Perſicaria puſilla repens, Lob. Icon.* ☿
  - 6. *Acris ſive Hydropiper, nobis Hydropiper, Fuch. Dod. Matth. Ger.* ☿

Explicatio partis Tab. vigeſimæ nonæ Sectionis quintæ.

1, & 2. P*Erſicaria* mitis non maculoſa, C. B. P. & Perſicaria mitis maculoſa, eidem. Perſicaria mitis, Ad. Lob. Perſicaria mitis maculoſa, Lob. Icon. Perſicaria, Fuch. Dod. Lugd. cui & Plumbago Plinii quibuſdam. Foliorum quæ habet illa cum Perſicæ arboris foliis ſimilitudo nomen ei apud Latinos fecit: ſunt enim illis ſimilia, oblonga, acuminata, ſimilique venarum decurſu prædita, ſubhirſuta & interdum lividâ macula notata, unde maculoſæ cognomen, ſapore aſtringente acerbo: caules teretes, rubentes, ramoſi, geniculati: flores in ſpicis ſeu racemulis Biſtortæ ſimiles, colore purpuraſcente vel albo: foliis aliquando maculas nigras in medio habentibus, aliquando iis carentibus: ſemen fuſcum, latum, rubrum & ſplendens: radix tenuis, obliqua, lignoſa, & fractu contumax. In humidis & ſimilibus locis, in

in quibus Hydropiper reperitur, floretque eodem tempore. Sapore acris non eſt, ſed ſubacidum quippiam reſipit, quare frigido ſiccoque eſt temperamento.

3. *Perſicaria* fruteſcens maculoſa Virginiana flore albo & carneo, Park. Hæc caules edit duros, rotundos, virides, geniculis craſſioribus, quemadmodum noſtra maculata, donatos: ad ſingula genicula ſingula protruduntur folia, longis pediculis innitentia, ſubrotunda, mucronata, maculis ſemilunaribus nigris notata, aliquando ſine maculis, ſex uncias longa, tres lata cum dimidia, multis venis rectis à coſta media exeuntibus aliiſque etiam tranſverſis: in ſummis caulium & ex geniculis ipſis exiliunt petioli ſuſtinentes flores ſpicatim diſpoſitos, ut in cæteris, ſed majores: quibus ſingulis ſingula ſuccedunt ſemina tumida, nigra, ſplendentia.

4. *Perſicaria* altera fruteſcens longifolia maculata Virginiana flore carneo, Park. Hæc caules emittit rectos, nudos, longiores multo prioris: quorum geniculis adhærent folia longiora, & anguſtiora magiſque mucronata, ſæpe maculata, aliquando ſine maculis: hujus ramuli ſuperiores magis ſcatent floribus ſpicatis, denſe diſpoſitis, amplioribus & brevioribus, omnino carneis. Tota planta amplior eſt cæteris: radix major, lignoſior præcedentis, ſingulis annis tamen periens apud nos hic in Anglia, teſte Parkinſono.

5. *Perſicaria* minor ſeu puſilla procumbens, nobis. Perſicaria puſilla repens, Lob. Icon. Lugd. Hæc parva Perſicaria caules habet procumbentes, non erectos, ut reliquæ ſuæ ſortis. Tota planta minor, ejuſque folia Polygoni aut Lini foliis non ſunt majora: in ſummis ramuſculis flores fert ſpicatim, quandoque albos, quandoque rubros. Provenit in humidis ad margines ſtagnorum intra ſepta Regiæ *Chambort* in agro Solonienſi ſitorum, etiam in Angliæ pratis humidis & aquoſis.

6. *Perſicaria* acris ſive Hydropiper, nobis. Perſicaria vulgaris urens, Park. Hydropiper, Fuch. Dod. Matth. Lugd. Ger. Qui Perſicariam mitem ſupra deſcriptam noverit idem Hydropiper noſſe poterit. Radix perſimilis: folia Perſicariæ non maculoſæ ſimilia: flores in rarioribus ſpicis albi & rubri diſpoſiti: ſemen latiuſculum, tumidum, nigricans: ſapor vero non ut ſuperiorum acerbus & aſtringens, ſed acris & fervidi guſtus, piperis inſtar, cum folia, tum ſemina ſi guſtentur. In aquoſis & humidis provenit, ὑδροπίπερι, Dioſcorides inquit, caulem edit geniculatum ac ſolidum, circa quem alarum ſunt concavitates ac folia Menthæ ſimilia, ſed majora, delicatiora candidioraque, guſtu acria Piperis modo, citra tamen ullam odoris gratiam: fructum vero gerit in ſurculis parvis prope folia erumpentem & racematim cohærentem, qui & ipſe acris eſt. Hanc autem plantam, inquit Tragus, jure Peperitin vocari poſſe, ab inſignem ſuam acrimoniam plus linguam vellicantem quam vel Piper vel Aron.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1, & 2. Perſicaria *mitis non maculata & maculata temperiem frigidam habet, & nonnihil ſiccam, inflammationibus incipientibus & recentibus vulneribus fertur prodeſſe impoſita.*

6. Perſicaria *urens ſive Hydropiper facultatem habet evidenter calidam & ſiccam, non tamen, Dodonæo teſte, uti Galenus affirmat tam calidam quam Piper. Vim autem habent folia, authore Dioſcoride, cum ſemine impoſita œdemata vetereſque duritias diſcutiendi, & ſub oculis ſugillata emendandi: ſiccata vero & tuſa ſali & obſoniis pro Pipere admiſcentur. Appellatur & muſcarum herba quod expellendis muſcis vix quicquam efficacius reperias, ſiquidem quæcunque in pecoribus vulnera vel ulcera hujus ſucco oblita fuerint, ea ab injuria muſcarum tuta maneant, etiam ferventiſſima æſtate. Aqua hujus ſtillatitia efficax eſt ad comminuendum calculum etiam veſicæ.*

DE PENTAPETALIS
Semine triquetro ſeu - triangulari donatis.
CAPUT XXXII.

ERYSIMUM CEREALE ſeu FEGOPYRON, POLYGONUM HEDERACEUM ſive FRUMENTUM SARACENICUM.

E*Ryſimum folio hederaceo Theophraſti, cum hoc inter fruges repoſuerit, & 6. cauſ. plant.* 19. *Seſama & Eryſimum ſicca cibo idonea, non vero viridia ſcripſerit, de Eryſimo hoc in loco quod* τραγόπυρον *&* φηγόπυρον *Hirco-triticum & Fagi-triticum, quod fagineam glandem formâ triquetrâ &*

colore ſordido quodammodo referat, licet multo minus ſit. Frumentum Saracenicum dicitur, quia ex Africa primum delatum creditur: nam veteribus non cognitum, vel non uſitatum, vel neglectum Dodonæus aſſerit.

Pars TABULÆ XXIX. Sectionis quintæ.

Polygonum hederaceum ſive Frumentum Saracenicum
- 1. *Rectum, nobis. Frumentum Saracenicum, Matth. Lugd. Fegopyron, Dod.* ☿
- 2. *Scandens, nobis. Frumenti alterum genus, Cæſ. Convolvulus minor ſemine triangulo, C. B. P. Volubilis nigra, Tab. Ger.* ☿

Explicatio partis Tab. vigeſimæ nonæ Sectionis quintæ.

1. FAgopyron, Dod. &c. In frumentaceorum numero Fagopyron vel Fegopyron eſſe videtur, ſubinde etiam cogente neceſſitate panis ex eo aut cum eo conficitur: habet id culmos læves, rotundos, ſtriatos, rubicundos, in plures alas diviſos: folia Hederæ molliora minoraque ſenydæ proxima: flores parvos, candidos, pentapetalos, racemoſos: ſemina ſordido colore nigricantia, triangularia Smilacis nigræ (quam Malocociſſum veteres nominant) ſimilia, ſed paululum majora: radicibus nititur parvis & fibroſis. Naſcitur qualicunque ſolo, neque ullum quantumvis aridum macrumve reſpuit: gaudet imbribus, citoque provenit, celeriter matureſcit. Seritur Martio ac Aprili, ac non raro autumno pabuli cauſa, pleriſque Germaniæ locis, Brabantiæ & Campaniæ, multiſque aliis locis Galliæ, præcipue in agro Solonienſi non longe Blæſis diſſito. Italiæ etiam non incognitum. Tridentina rura, frumentaque Forojulienſia *Saracenico*, ut teſtis eſt Matthiolus, nominant. Germani ſuperiores Heydenkorn, inferiores Bueckenweydt aut Bueckweydt quæ Hirci aut Fagi triticum ſonant, unde Anglice Buckwheat dicitur. Clare conſtat non eſſe Ocimum nec Dioſcoridis, quod eſt herba odorata Baſilicum dicta, nec Varronis quod eſt pabuli genus. Evidentiſſimum eſt ergo eſſe Frugem novam quæ veteribus nec cognita, nec uſitata vel ſaltem neglecta fuit.

2. *Frumentum* Saracenicum alterum Convolvuli modo ſcandens ſemine triangulo minore nigro, nobis. Frumenti alterum genus, Cæſ. Polygonum hederaceum, Col. Convolvulus minor ſemine triangulo, C. B. P. Volubilis nigra, Tab. Ger. Aliis Malocociſſos Conſtantini Imperatoris: aliis Orabanche: aliis Helxine Ciſſampelos: aliis Elatine: aliis Centunculus Plinii l. 24. c. 15. qui Græcis Clematis dicitur. Huic prætenues multi ſunt cirrorum inſtar ſubrubentes viticuli, quibus fruticibus omnibus quæcunque contingat vicinis ſeſe crebris circumvolutionibus implicat, ac quæcunque proxima arripuerit more tortili conſcendit, nullis utens capreolis, ſed viticulis ſuis quos ex radice mediocriter craſſa, multifida emittit: ab imis ad ſumma proſerpens: folia lata ſunt, longa & acuminata, Hederæ foliis molliora tenerioraque: flores exigui, candidi, pentapetali verticillatim verſus genicula cohærent: ſemen triangulare veluti Fegopyri, ſed minus & nigro reſplendens colore, tenuibus ſubrubentibus membranis veluti glumis integitur. Creſcere juxta ſepimenta & in vinetis obſervatur. Vindemiæ tempore ſemen perficitur, ex quo nec aliunde primo Vere oritur.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Frumentum Saracenicum *ſeu Fagopyrum Tritico quidem, Secali ac Hordeo, minus nutrit, plus tamen quam Milium aut Panicum. Pulmentaria ac placentæ, quæ ex ejus farina conficiuntur, facile concoquuntur, cito deſcendunt, alimentumque corpori adferunt exiguum quidem, non tamen malum aut vitioſum. Panis qui ex eo aliquando, cogente annonæ penuria, coquitur, aut farinam ejus admixtam habet, humidus eſt citiuſque deſcendit, ac flatulenti plus obtinet quam ex Secali coctis. Herbam viridem priuſquam maturuerit boves jumentaque paſcuntur. Semine gallinaceum genus paſtum citiſſime pingueſcit.*

2. Frumenti Saracenici *genus alterum, Cæſ. facultatem compertam aut probatam hucuſque nullam habet.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 27. Eryſimum & Seſamum collocantur inter Panicum & Phalaridem, quæ ſunt Cerealia ſeu frumenta, cum quibus nil habent affine habita ratione finis ultimi: quatenus ſunt oleraceæ ſeu culinariæ plantæ non debent hunc locum obtinere, ſecundum doctrinam noſtræ Univerſalis Hiſtoriæ. De Seſamo conſule pag. 283. hujus Hiſtoriæ in Hallucinatione Seſami.

Pag. 295. Frumenti alterum genus, Cæſ. Polyganum hederaceum, Col. Male disjungitur a Frumento Saracenico cujus, a fine ultimo, eſt vera & genuina ſpecies ſcandens, non autem Convolvuli proprie dicti, ut fuſius deduximus pag. 21. hujus Hiſtoriæ inter Hallucinationes Convolvulorum quas conſule.

DE PENTAPETALIS
Semine triangulari & multiplici donatis.
CAPUT XXXIII.
POLYGONUM.

Πολύγονον *Dioſcoridi l. 4. c. 4. à copioſis geniculis quibus caules cinguntur dictum Plinio l. 27. c. 12. Polygonon Græci vocant, quam nos Sanguinariam.*

Genera duo Dioſcoridi, mas & femina, de femina inter Equiſeti ſpecies: mas à ſeminibus triangularibus *ſub ſingulis foliis turgentibus, cui flos eſt aut candidus aut puniceus, Plinius l. c. qui plura genera faciunt per hoc marem intelligi volunt, appellarique à multitudine ſeminis aut denſitate fruticis Calligonon; alii Polygonaton, à frequentia geniculorum &c. ubi quatuor genera recenſentur. Primum eſt Polygonum vulgare: alterum Herniaria: tertium Polygonum femina Dioſcoridis: quartum quibuſdam Caſia lignea Monſpelienſium videtur: ſed rectius tribuitur ei plantæ, quam Polygoni nomine propoſuit Cluſius.* De Polygono femina ſeu Equiſeto, & Caſia lignea Monſpelienſium alibi agemus. De Polygono & Polygono Herniaria & Anthyllis dicto nunc.

Polygonum eſt planta multis geniculis ſcatens, cujus flos quinis conſtat petalis, aut albis aut ex purpura albicantibus, atque ſingulos flores deciduos ſequuntur ſingula ſemina triangularia, nigra aut fuſca. Polygonum vulgare mas eſt ratione foliorum vel latifolium vel anguſtifolium, ratione loci eſt, vel agreſte, vel maritimum.

Pars poſterior TABULÆ XXIX. Sectionis quintæ.

Polygonum
- 1. *Vulgare*
  - *Latifolium, nobis. Polygonum mas, Matth. Fuch. Dod. ut. Lugd. Polygonum mas vulgare Sanguinaria & Centumnodia, Ad. Lob. Ger.* ☿
  - *Anguſtifolium folio*
    - *Oblongo.* ☿
    - *Brevi.* ☿
- 2. *Maximum longiſſimis cauliculis & foliis, nobis. Polygonum maximis foliis, Park.* ☿
- 3. *Maritimum*
  - *Latifolium, C. B. P. Polygonum maritimum majus Park.* ☿
  - *Anguſtifolium, C. B. P. Polygonum marinum alterum Dalechampii, Lugd.* ☿
- 4. *Procumbens folio non deciduo brevi umbelliferum ſeu floribus in capitulum congeſtis, nobis. Telephium repens folio non deciduo, C. B. P. Telephium 7. ſive legitimum Imperati, Cluſ. Hiſt.* ⊙
- 5. *Montanum minimum niveum & ſericeum, Ad. Lob. Lugd. Polyganum montanum niveum minimum, Icon. Lob.* ☿
- 6. *Cocciferum, Cam. ep.* Koſmaczek *Polonis.* ☿

§. 1. *POLYGONUM ſemine triangulari donatum.*
Explicatio partis poſterioris Tab. vigeſimæ nonæ Sectionis quintæ.

1. *Polygonum* latifolium, C. B. P. Polygonum mas, Matth. Fuch. Dod. ut. Lugd. Polygonum mas vulgare Sanguinaria & Centumnodia, Ad. Lob. Ger. Polygonum hoc mas multis tenuibus, viticuloſis, oblongis procumbit cauliculis: circa quos folia virentia, longiora & anguſtiora quam Hyperici aut Rutæ Hypericoidis cernuntur: floſculi perexigui, pentapetali, albidi, aut ex purpura candicantes aut rubentes è geniculis exeunt: quos collapſos ſequuntur ſemina triangularia: radix tenuis, longa, non abſque fibris, ſubinde candida, nonnullis locis ſubrubet. Provenit locis incultis, vias ac ſemitas longe lateque & radices murorum ſubinde occupat, etiam non raro juxta rivulos, item inter ſegetes frequenter. Huc pertinent Polygonum oblongo anguſtoque folio, C. B. P. Polygonum 3. Tab. & Polygonum brevi anguſtoq; folio C.B.P. Polygonum 2. Tab. quæ ſunt varietates prioris variantes ſecundum cœlum & ſolum.

2. *Polygonum* maximum longiſſimis cauliculis & foliis, nobis. Polygonum maximis foliis, Park. fig. Hoc caules protrudit ſeſquipedales, & nonnunquam bipedales cortice rubente tectos, in multo plures ramos & cæteris teneriores diviſos: genicula in caulibus longiore intercapedine diſpo-

diſponuntur quam in prædictis: folia ſunt duplo triplove Polygoni vulgaris longiora & tenuiora, anguſtiora, magiſque mucronata: flores itidem rarius multo in geniculis diſponuntur, ex purpura albeſcentes, pentapetali, quibus pariter triangularia ſemina, parva, fuſca, ſuccedunt. Hujus ſemina cum pluribus ſeminibus aliarum rariorum plantarum Chalepo tranſmiſſa habuimus biennio aut triennio abhinc opera & induſtriâ D. *Roberti Huntington.*

3. *Polygonum* maritimum latifolium, C. B. P. Polygonum marinum majus, Park. Hoc multis cauliculis, etiam humi ſtratis, ſcatet geniculis refertis, ut vulgare, quibus folia ſpiſſiora, breviora & latiora prioris; coloris ſuperne & inferne candicantis ſeu cinerei: flores ſingulis geniculis prioris vulgaris more adhærent, quæ membranis albis integuntur; floribus ſingulis evaneſcentibus ſuccedunt ſemina triangularia, nigra, majora fere duplo ſeminibus prioris vulgaris, membranis albis incluſa. Non nuſquam in Adriatico, Veneto & Anconenſi litore ſabuloſo, ſæpiſſime autem in mediterranea Narbonenſi ora, ab uſque Marianis aquis ad Cetum montem ſeu promontorium Polygonum hoc occnrrit. Paſſim ad litus maritimum Armoricæ; etiam in a enoſis maris litoribus in Cornubia & alibi. Huc pertinet Polygonum maritimum anguſtifolium, C. B. P Polygonum marinum alterum Dal[pii]. Lugd. ſolummodo foliis anguſtioribus differt à priore latifolio.

4. *Polygonum* perenne procumbens folio breviore floribus in capitulum congeſtis, nobis. Telephium Imperati in ſua Hiſtoria, Cam. Telephium legitimum Imperati ſeu 7. Cluſ. Hiſt. Multas à radicis ſummo capite producit tenues virgas, ſumma tellure diffuſas, pedales, interdum breviores, aliquando longiores, non enim ſunt æqualis longitudinis, quas incondito ordine ſepiunt multa folia, præſertim novellas, quæ interdum florem non ferunt, nam quæ flores dant rariora habent folia, majora & breviora quam reliquorum, craſſiora, non tamen ſucculenta ut Telephii folia, coloris quidem viridis, cui ærugineum quippiam admixtum ſit: extremæ virgæ multis floſculis, quinis petalis albis conſtantibus & confertim ſeu in capitulum congeſtis onuſtæ, quibus marceſcentibus ſuccedunt anguloſa vaſcula, triangularia in ſe ſemina continentia: radix minimi digiti craſſitudinem interdum acquirit, lenta, candicans, in aliquot radiculas derivſa & fibris donata. Vivax eſt planta & ſingulis annis plures novas virgas producens veteribus corruptis. Semen hujus Florentia miſſum à Ferrante Imperato ad Cluſium & à Joſepho de Caſabona; deinde ejuſdem ſemen Neapoli miſſum ab eodem Ferrante Imperato Telephii legitimi nomine, ſed perperam nominatur, ut videre licebit infra, inter Hallucinationes hujus capitis.

5. *Polygonum* montanum minimum niveum & ſericeum, Ad. Lob. Lugd. Polygonum montanum niveum minimum, Lob. Polygonum montanum, Tab. Ger. Paronychia Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. Longe elegantiſſima eſt hæc plantula, multos viticulos humi ſpargens, dodrantales magna ex parte, interdum tamen pedales & longiores in hortis cultis, nodoſos: quibus adnaſcuntur folia Polygoni maris minora, & viridia quidem in novellis plantis, ſucceſſu autem temporis numeroſa & confertiſſima, eaque aceroſa, membranacea, prorſus alba, ſic ut tota planta argenteis ſquamis conſtare videatur gratiſſimo ſpectaculo; flos illi candidus Polygoni vulgaris inſtar, ſed adeo exilis & inter membranulas illas latens, ut vix appareat: ſemen minimum, flavum, triangulare ut Polygoni vulgaris: radix oblonga, gracilis, candicans. Nuſquam abundantius quam petroſis & ſiccis collibus Salmanticæ vicinis obſervavit Cluſius, trans *Thormim* fluvium, etiam circa Valentiam & Murciam obſervavit idem, & lapidoſo illo campo ſupra *Arelatem* non procul à D. *Martini* diverſorio, qua iter *Maſſileam* eſt, ſed multo minorem & unciales ramulos cauliculoſve habentem. Florebat Maio, & Junio ſemen perficiebat.

6. *Polygonum* cocciferum Polonis Koſmaczek. Hoc tenuiſſimis prodit foliis & mucronatis, cauliculis nodoſis, exalbidis: floſculis in ſummitate candidis inter ſquamas vireſcentes. Ad radices ipſius coccum adnaſcitur elegantiſſimo colore commendatum. Provenit in arenoſis Poloniæ locis.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Succus Polygoni maris vulgaris epotus, ut ait Dioſcorides, ſpiſſat ac refrigerat: cruentæ excreationi ſanguiniſque rejectioni prodeſt: item choleræ & alvi fluoribus. Addit deinde & ſtranguria laborantibus prodeſſe & urinam manifeſtò provocare, non tamen exacte, ut ait Galenus, diſcriminat in quo ipſum dari expediat. Auxiliatur vero ſuccus & à ſerpentibus demorſis cum vino potus, & ad febrium circuitus, per horam ante acceſſionem ſumptus: feminarum profluvia ſiſtit: dolentibus auribus idem inſtillatus & cum melle coctus ad genitalium ulcera eximie facit. Folia autem contra ſtomachi ardorem, ſanguinis rejectiones: herpetis, eryſipelatis inflammationibus, œdematis

œdematis & vulneribus recentibus imponuntur. Vide cæteras facultates Polygoni apud Joh. Bauhinum pag. 376. Tom. 3. & pag. 438, 439. & 440. claſſis tertiæ operis Botanici quadripartiti Simonis Pauli ubi diffuſius videri poſſunt.

§. 2. *POLYGONUM Polyſpermon ſeu multigranum.*

Quamvis hæ plantulæ ſequentes non ſemine triangulari donentur ut Polygona ſuperiora; tamen propter multiplicem nodoſitatem & flores pentapetalos eaſdem prædictis ſubſtituimus.

Polygonum Polyſpermon

- 1. *Litoreum minus floſculis ex ſpadiceo albicantibus, C. B. P. & Prod.* ☿
- *Millegrana dictum*
  - 2. *Majus* Herniaria
    - *Glabra, nobis. Herniaria glabra, J. B. Chabr.* ☿
    - *Hirſuta, nobis.* ☿
    - *Major Africana, Park.* ☿
  - 3. *Minus Millegrana minima, Lob. Icon.* ☿
- 4. *Parvum flore albo verticillato, J. B. Chabr.* ☿
- 5. *Montanum Vermiculatæ foliis, C. B. P. Vermiculata montana nova planta, Col.* ☿
- 6. Knawel *dictum floſculis*
  - *Viridibus, nobis.* ☿
  - *Albicantibus, nobis.* ☿
- *Maritimum*
  - 7. *Minus foliis Serpilli, C. B. P. Polygonum alterum puſillo vermiculato Serpilli folio, J. B. Chabr. Ad. Icon. Lob.* ☿
  - 8. *Chamæſyces folio, nobis. Anthyllis maritima Chamæſyce ſimilis, C. B. P. Anthyllis maritima Narbonenſium altera Chamæſyces facie, Ad. & Icon. Lob. Lugd.* ☿
  - 9. *Lentifolium, nobis. Anthyllis maritima lentifolia, C. B. P. Anthyllis maritima lentifolia prior Peplios effigie, Ad. Icon. Lob.* ☿
  - 10. *Alſines folio, nobis. Anthyllis maritima Alſinefolia, C. B. P. Anthyllis marina incana Alſinefolia Narbonenſium, Ad. Icon. Lob. Lugd.* ☿

Explicatio hujus præcedentis Tabulæ.

1. P*olygonum* litoreum minus floſculis ſpadiceo albicantibus, C. B. P. & Prod. Ex radicula candicante, tenui, oblongiuſcula, prodeunt viticuli plurimi, tenerrimi, per terram ſparſi, ramoſi & dodrantales, foliolis oblongis, anguſtis & albicantibus alternatim cincti, ad radicem vero longioribus & biuncialibus: viticulorum ſummitatibus floſculi plures minutiſſimi, intus albi, foris ſpadicei inſident; quibus ſemina minutiſſima & copioſiſſima, ut ſinguli coliculi eo turgeant, ſuccedunt, hinc ad Millegranum referri poteſt. Hoc apud nos, ait C. Bauh. in arenoſis ad Vieſam flumen Autumno florens reperitur, etiam in Luſatia ubi locis arenoſis, in ripa fluminis Niſſæ provenit. Nos copioſe provenientem hanc plantam offendimus in ſabuloſis prope pontem *Neuli* qua iter eſt ad palatium Regium in pago Divi Germani *en Lay* ſitum.

2. *Polygonum* minus ſive Millegrana major, Herniaria glabra, nobis. Herniaria glabra, J. B. Chabr. Herniaria, Dod. Lugd. Thal. Tab. Ger. Herniaria multigrana ſerpillifolia. Ad. Lob. Late ſubjectum ſolum occupat luxurie læta complurium ramuſculorum hæc plantula, quos ex puſilla radicula fundit hinc inde ſparſos, teretes, creberrimis geniculis interceptos, ad quorum ſingula genicula adverſa folia exeunt Serpilli minora, glabra, ex viridi lutea, guſtu acri: eodem loco erumpunt mirum in modum numeroſi floſculi ex apiculis luteolis compoſiti. Locis gaudet incultis, arenoſis, reperitur etiam in uliginoſis ſed patentibus & ſoli expoſitis locis, Junio, Julio, nec non Auguſto frequens. Eſt & alia hujus ſpecies hirſuta cujus caules & folia cinere obducta ſunt. Eſt & tertia Herniaria fruticoſa viticulis lignoſis, foliolis oblongiuſculis denſiſſimis, forte Herniaria major Affricana, Park. Hæc enim major, amplior, erectior & cæteris antedictis ramoſior, cætera cum prædictis convenit.

3. *Polygonum* minimum ſive Millegrana minima, C. B. P. Millegrana minima, Lob. Icon. Herniaria altera, Thal. Parvula eſt hæc planta, vix triuncialis, orta in umbroſis foſſis ex tenui radice unicum caulem vix uncialem emittit, in quamplurimos ramuſculos diviſum, qui in cimis multiplicem ſuſtinent numerum floſculorum candidorum: quibus ſingulis plurima ſemina ſuccedunt, minuta, oblonga, unde ei nomen.

4. *Po-*

4. *Polygonum* parvum flore albo verticillato, J. B. Chabr. Semipalmaribus aut palmaribus conſtat cauliculis, gracilibus, rigidulis, frequenter geniculatis, in aliquot alios minores diviſis, ex quorum geniculis unciam fere à ſeinvicem diſtantibus bina emergunt foliola, Herniariæ fere ſed potius Chamæſyces inſtar rotunda, ſed minora: inter quæ floſculi exigui, candicantes, verticillatim in tenuiſſimas apiculas faſtigiati: radicula exigua, fibrata, ſiccæ ſapor nullus manifeſtus. Provenit in ſcrobibus foſſiſque & agrorum marginibus.

5. *Polygonum* montanum Vermiculatæ foliis, C. B. P. Vermiculata montana nova planta, Col. E radice admodum tenui, albicante, fibrillis diviſa, viticuli plures fruticant rotundi, candicantes, denſe geniculati, ex quibus ampliores reſupinantur alæ: foliolis digitali longitudine, anguſtis admodum, rotundis, carnoſis, lævibus, vermiculatis onerantur, non diſſimilibus Sempervivi minoris, tenuioribus multo ac etiam acuminatis, ſed non pungentibus: cum florere incipit hirſutos parum circa flores viticulos habet, ſinguliſque geniculis & alarum cavis flores ſingulos edit denſos ut plures videantur ſimul emergentes ſtellati, colore virente, in medio pallida exigua ſtaminula habentes, conſpectui vix ſe objicientia, quibus fructus ſubeſt ac ſuccreſcit utriculi modo iiſdem quinque radiis floris remanentibus. Quare ex his videtur plantis quæ florem fructui inſidentem emittunt, primumque fructum concipiunt quam flores, vel eodem tempore, & ſi magis fructus conſpiciatur, ut in Cucurbitis aliiſque pomiferis horariis plantis, Lyſimachia ſiliquoſa & ſimilibus. Fructus hi pallentes cum ſiccantur fiunt, parumque hirſuti, nec medulla interior, quæ alba eſt, à cortice ſeparari poteſt, quare potius ſemen quam fructum appellare debemus, & integer perfectus decidit. Æſtate floret & perficitur. In planis celſorum montium locis inter Æquicolos & Tornempartis fines, in quibus etiam gens illa meſſes legit, hanc reperimus, inquit Columna, inter ſegetes fruticantem plantulam, è terra palmum ſe attollentem, ſupinam.

6. *Polygonum* Germanis Knawell, Trag. Polygonum ſelinoides Knawell, Ger. Knawell, Dod. Saxifraga Anglica, Lob. Icon. Hoc Polygonum palmi plus minuſve altitudine aſſurgit, tenues virgulas, crebro geniculatas, complures & ramoſas promit: circa quas folia tenuia & exilia: floſculi è ſinu foliorum herbacei coloris: radix fibroſa, tenuis & oblonga: tota herba unà cum cauliculis & floribus vireſcit. Sabuloſis ac aridis, etiam aliquando opacis aut riguis gaudet, per cœli humidam conſtitutionem felicius provenit. Eſt & hujus alia ſpecies cujus flores & folia omnino albeſcunt. Utramque hanc invenimus nos in neglectis ſabuloſis extra ſepta *Chambort* in agro Solonienſi florentem & ſemina ferentem Julio & Auguſto.

7. *Polygonum* maritimum minus foliis Serpilli, C. B. P. Polygonum alterum puſillo vermiculato Serpilli folio, J. B. Chabr. Ad. Icon. Lob. Polygonum alterum Serpilli folio Penæ, Lugd. Hoc rarum & hactenus indictum ramulis & cauliculis eſt ſurculoſis, prolixis, gracilibus, Serpilli inſtar humi ſparſis: è geniculis foliola prodeunt puſilla, teretia, ſucculento Thymo parvo noſtrati æqualia & ſimilia: radix prælonga, lignoſa, ſapore amaricante, calidiuſculo. In collibus maritimis Galloprovinciæ non ſecus ac Herniaria luxuriat.

Ἀνθυλλὶς *Dioſcoridi l. 3. c. 153. duplex eſt: altera foliis Lenti ſimilibus, mollibus: altera foliis Aiugæ, de qua inter Chamæpytides Sectione octava agemus, Plinius l. 26. c. 8. illam Anthyllion vocat.*

8. *Polygonum* maritimum Chamæſyces folio, nobis. Anthyllis maritima Chamæſyce ſimilis, C. B. P. Anthyllis marina Narbonenſium altera Chamæſyces facie, Ad. & Icon. Lob. Lugd. Anthyllis Valentina, Cluſ. Hiſt. Lugd. Peplion ſive Peplus, Dod. qui in medium adfert deſcriptionem Peplios, at figuram adhibet Anthyllidis Valentinæ Cluſ. Hiſt. Chamæſyce Dal^{ii}. Lugd. Ex unica vero radice multos profert cauliculos ſeu viticulos dodrantales, humi ſtratos, ramoſos, ſubrubentes: foliola Lentis exigua ſeu potius Chamæſyces (cui tota planta adeo ſimilis eſt, ut primo aſpectu Cluſium fefellerit, illam tamen diligentius conſiderans lacteo ſucco carere deprehendit) & plerumque cum ſuis ramis veluti quadam ſalſugine aſperſa, ſed etiam ſalſi guſtus: flores enaſcuntur puſilli, quinis foliolis conſtantes ex albo purpuraſcentibus: radicem habet ſingularem, nigricantem. Hanc plantam nuſquam alibi quam ad foſſas urbis Valentiæ conſpexit Cluſius juxta eam portam quæ Regiam arcem ſpectat. Florebat Aprilis initio.

9. *Polygonum* maritimum lentifolium, nobis. Anthyllis maritima lentifolia, C. B. P. Anthyllis maritima lentifolia prior Peplios effigie, Ad. Icon. Lob. Anthyllis Portlandiæ lentifolia Penæ, Lugd. Hæc etiam in maritimis locis procumbit cæteris multo ſalſior, foliis & facie eſt Herniariæ aut Chamæſyces: flores calyculis Clinopodii minoribus multo occluduntur. Tota guſtu ſalſo, acidulo, lactei ſucci expers, nec proinde Chamæſyce ſtatuenda, ut quidam prodiderunt.

10. *Polygonum* maritimum folio Alſines, nobis. Anthyllis maritima alſinefolia, C. B. P. Anthyllis

thyllis marina incana alſinefolia Narbonenſium, Ad. Icon. Lob. Lugd. Paronychia altera, Matth. Lugd. Habet hæc folia Pepli longiora: flores parvos, copioſos, racematim cohærentes, albos: folia habet Alſines aut potius Lenticulæ, ſed per intervalla quædam quaſi circa genicula exorta numeroſa, copioſiſſima: in ſummo aggeſtis, muſcoſis floſculis albidis, floridum quaſi nomen Anthyllidis oſtentantibus: ſeminis etiam puſilli feraciſſimis ſummis, guſtu amaricante, ſubſalſo, nitroſo, calidiuſculo. Variat foliis modo ſubrotundis, modo oblongis. Vide Icones horum in Appendice.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Herniaria inſigniter vim exſiccandi habet, ut creditur, ſolidandi ac ferruminandi ex Dodonæo. Herniariæ ſive Millegranæ tres inſignes facultates tribuit Anguillara. Succus, ait, potus aut herba eſitata vel etiam emplaſtri modo plagæ impoſita morſis à vipera auxiliatur. Secundò emplaſtrum ex ea herniam mire reſtituit. Poſtremo jecori prodeſt & ictero: aqua enim diſtillata & pota curat intra octo dies. Camerarius aquam diſtillatam optimam prædicat in calculo. Polygoni Herniaria appellati decoctum feliciter calculoſis proferre refertur. Apud Cluſium ipſum exſiccatum & in pulverem tritum boum atque equorum vulneribus ac ulceribus inſperſum, vermes in iis natos abigere & enecare; præter vero facultatem qua calculoſis prodeſt adverſus hernias etiam utilem eſſe.

HALLUCINATIONES CASP. BAHINI
Aliorumque Authorum.

PAg.287. col. 2. pl. VI. Telephium repens folio non deciduo, C. B. P. Telephium Imperati in ſua Hiſt. Cam. Telephium 7. ſive legitimum, Cluſ. Hiſt. Telephium omne eſt planta ſucculenta cujus folia ſunt ſpiſſa, denſa, humore ſcatentia, & capſulas plurimas ſimul junctas gerit Sedi inſtar, cujus eſt ſpecies aut genus valde affine in omnibus ſuis partibus; atqui Telephium Imperati aut 7. legitimum Cluſii nullis harum conditionibus præditum eſt: ergo non fuiſſet Telephium dicendum primo authoribus, deinde nec Caſparo Bauhino. Flores enim profert pentapetalos: quibus ſuccedunt ſemina triangularia atque folia denſe per geniculationes caulibus adhærent; ergo apte reducitur ad Polygonum ratiocinando ex libro naturæ non ad Telephium cum authoribus.

Pag. 281, & 282. collocat Caſp. Bauhinus Polygonum inter Coridem & Symphytum petræum & Sedum, cum quibus fine ultimo neutiquam convenit; ergo nullam rationem plantarum fine ultimo convenientium habuit Caſp. Bauhinus in aſſociandis plantis: ob affinitatem florum, capſularum ipſorumque ſeminum debent plantæ diſponi.

DE MOLLIENTIBUS
Foliis ſpiſſis, floribus herbaceis, ſemine rugoſo aut aculeato donatis.

CAPUT XXXIV.

BETA.

BEtam Dioſcorides l. 2. c. 149. τεῦτλον *nominant, dicitur &* σεῦτλον *ab impulſu, quod facile excreſcat: Beta vero quoniam figuram literam β dum ſemine turget referre videtur.*

Genera: Dioſcorides nigram & candidam fecit: & Theophraſt. 7. Hiſt. 4. candida ſapore nigrâ præſtantior, quæ Sicula (nunc Cicla practicis) appellatur: at 7. Hiſt. 3. & ſilveſtris in genere Carduorum meminit, quæ tamen folia aculeata non habeat. Plin. l. 19. c. 8. ex Theophraſto, Betæ à colore duo genera Græci faciunt, nigrum & candidius, quod præferunt, appellantque Siculum: noſtri (ſubjungit) Betæ genera faciunt vernum & autumnale. Idem l. 20. c. 8. candidæ nigræ uſum præponit & ſilveſtrem, quam Limonium vocant, addit, quam Dioſcorides l. 4. c. 16. λειμώνιον *nominat.*

Beta eſt planta emolliens holeracea, foliis & coſtis ſpiſſis: floribus herbaceis luteo-vireſcentibus, ſemine rugoſo verrucoſove, aut aculeato donata. Variis modis ludit natura in productione foliorum, coſtarum, & caulium aliquando. Eſt enim radice fibroſa, eaque vel ſpontanea maritima, vel hortenſis, quæ eſt viridis, alba aut palleſcens, vel rubra, vel major Sicula, eaque vel viridi, alba, lutea, rubra aurantiacave eſt coſta, vel radice Rapæ longæ rubra, etiamſi ſit foliis viridibus, vel denique eſt Cretica ſemine aculeato. Quarum plantarum tractationem jam aggredimur, ſi plantas ipſas intuearis earumque finem ultimum, hunc locum ſibi neutiquam vendicant, nulla enim his aut certe exigua cum hactenus traditis & recenſitis externæ faciei neceſ-

ſitudo intercedit, multo minus florum ſeminumque ſimilitudo ; verum cum & ipſæ ſint plantæ emollientes & holeraceæ, neſcientes quo aliò referre, hic collocare libuit ante Spinachiam, Blitum, Parietariam, Amaranthum & Atriplicem emollientes etiam.

Pars TABULÆ XXX. Sectionis quintæ.

- *Beta*
  - *Radice*
    - *Fibroſa*
      - 1. *Maritima ſpontanea communis viridis ad oram maritimam, nobis. Beta ſilveſtris ſpontanea marina, Lob. obſ.* ⊙
      - *Hortenſis*
        - *Noſtras*
          - 2. *Alba vel paleſcens, nobis. Beta candida, Trag. Fuch. Tur. Lugd.* ☿
          - 3. *Rubra vulgaris, nobis. Beta rubra, Trag. Dod. Ger. Park.* ☿
          - 4. *Platycaulos, nobis. Beta platycaulos, Lugd.* ☿
        - 5. *Sicula ſeu Syriaca platyneuros ſeu coſta lata*
          - *Alba, nobis.* ☿
          - *Lutea, nobis.* ☿
          - *Rubra, nobis.* ☿
          - *Ruberrima, nobis.* ☿
          - *Aurantiaca, nobis.* ☿
    - 6. *Carnea rubra Rapæ oblongæ inſtar, nobis. Beta rubra Romana, Dod. Beta erithrorhizos, Lugd.* ☿
  - 7. *Cretica ſemine ſpinoſo ſeu aculeato, C. B. P. J. B. Chabr.* ☿

Explicatio partis Tab. trigeſimæ Sectionis quintæ.

1. B*Eta* ſpontanea maritima communis viridis, nobis. Beta ſilveſtris ſpontanea marina, Lob. obſ. Hæc Beta ſpontanea folia protrudit viridia, vulgaris Betæ ſimilia, cum quibuſdam venis rubris per eadem diſcurrentibus, aliquando iis carentibus: caules protrudit cubitales & bicubitales, rubros aliquando, aliquando virides, ſed tenuiores hortenſis Betæ: in cæteris convenit cum hortenſi. Provenit in ſabuloſis maritimis Galliæ & Angliæ: nec puto hanc ſpecie differre ab hortenſi viridi.

2. *Beta* alba vel palleſcens quæ Sicula & Cicla officinarum, C. B. P. Beta candida, Trag. Fuch. Tur. Cord. in Dioſc. Lugd. Beta alba, Matth. Ad. Lob. Cam. Beta folio viridiore & breviore, Cæſ. Beta hæc, quam ex radicis & foliorum colore candidam vocant, radicem lignoſam habet, minimi digiti craſſitudine, mediocriter longam, candidam: folia dilutius virent Lapathi ſativi modo, craſſa & ſucculenta, ſapore nitroſo: caulis duos cubitos altus, aut etiam major, gracilis, ſtriatus, multis alis concavus: in quibus longa ſerie floſculi exigui ex foliorum alis apicibus luteis conſtantes, quinis calycum foliolis obvallati, quibus etiam ſemen ſuccedit rotundum, & rugoſa ſuperficie aſperum, album aut fuſcum.

3. *Beta* rubra vulgaris, C. B. P Beta rubra, Trag. Dod. Ger. Park. J. B. Chabr. Beta rubra vulgatior, Ad. Lob. Lugd. Beta nigra, Matth. Fuch. Hæc foliis brevioribus, atrorubentibus aliquando, utplurimum foliis rubentibus: radice eſt alba, foliis ſolummodo diſtinguitur à præcedente.

4. *Beta* platycaulos, Lugd. Hæc eſt degeneratio Betæ vulgaris cujus caulis lateſcit ad ternas quaternaſve uncias, foliola protrudit ex eodem caule adeo denſa ut vix cerni poſſit ipſe caulis, præcipue verſus cimas, ubi ſemina proveniunt, hoc contingit in multis aliis plantis diverſorum generum ut in Aſparago, Intybo, Cichoreo, Hieracio Sabaudico, Draba ſiliquis ſtrictiſſimis Chamerarii aliiſque multis herbis, imo in arboribus & fruticibus ſubfruticibuſque aliquando.

5. *Beta* Sicula coſta lata, alba, lutea, rubra, ruberrima & aurantiaca, nobis. Ex Syria & Sicilia ſemina ad nos delata, & ſata in noſtris hortis, coſtas producit medias, palmum latas diverſorum colorum.

6. *Beta* rubra radice Rapæ, C. B. P. Beta rubra Romana, Dod. Rapum rubrum ſativum, Fuch. Icon. Beta erithrorhizos, Lugd. Hæc caule foliiſque rubet, ſed ſubinde dilutius: radices habet carnoſas, rubras & aliquando ruberrimas, craſſas, Napis aut Rapis oblongis formâ ſimiles, quæ interiore pulpa rubent & ori quam reliquarum gratiores ciboque aptiores. Seritur in hortis Beta omnis generis, & ſolum amat madens & lutum, at opportuniſſime Vere & Julio, tota æſtate viret, nec non & hyeme: altero anno caulis aſſurgit; Julio & Auguſto ſemen ad maturitatem perducit: hujus Betæ radix eruenda priuſquam caulis exeat, alio- quin

quin cibo inutilis futura. Reperitur & lutea à jam dicta radice tantum buxea differens.

7. *Beta* Cretica ſemine ſpinoſo ſeu aculeato, C. B. P. J. B. Chabr. Betæ hujus Creticæ folia ſunt noſtratis non multum diſſimilia, niſi quod vix unquam ad eam magnitudinem, quantum obſervare licuit, perveniant, cæteroquin ſatis ſpiſſa, per extremum rotunda, aut ſaltem obtuſa; juxta pediculum nonnihil alata: floſculi parvi, lutei, ad ſingula internodia & in ramulorum extremitatibus verticillatim provenientes: quibus efflореſcentibus ſubveniunt capſulæ echinatæ ſeu ſpinoſæ aculeatæve, & naſcuntur circa caulem ad genicula ex foliorum alis ſuperne in tres ſpinas radiatas deſinentes, coſtis pulchris donatæ, tranſverſiſque cancellis reticulatæ, quarum unicuique ſemen ineſt oblongum, pellicula ruffa tectum, medulla alba: rami multi, cubitales vel minores, ex radice annua ſupra terram ſeſe extendunt. Si hæc non jam uſurpaſſet nomen Betæ ad Spinachiam potius referrem.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Beta *cadida humidum & frigidum eſt olus, quod adjunctam quandam ſalſilaginem & nitroſam facultatem habet, unde & extergit & per nares pituitam evocat. Cocta autem editur & cito deſcendit, alvum ad excernendum excitat, præſertim cum jure in quo decoquitur ſumpta, abſq; jure eſitata, depoſita nitroſitate, minus extergit ac alvum irritat. Nutrimentum autem ex Beta qualicunque tandem exiguum aut nullum corpori accedit, idque minus quam ex Lactucâ probum. Succus autem naribus inditus pituitam clementer extrahit & caput purgat. Decoctum foliorum & radicum furfures ac lentes abſtergit. Radix raſo nonnihil cortice ano, glandis modo, impoſita infantium alvum ad excrementorum expulſionem invitat, præſertim exiguo ſale conſperſa. Beta rubra nonnihil aſtrictionis particeps alvum minus movet, ſed cibo minus idonea. Betæ Romanæ radix menſibus hybernis cum ſale & aceto condita Acetarii loco ſubinde cocta infertur, palato & ori grata.*

Beta *nomen ſibi adſcivit quoniam figuram β literæ Græcæ dum ſemine turget referre videtur, nam ſummitatem in cacumine reflexam obtinet id quod teſtatum nobis reliquit Lucius Columella in ſuo carmine de cultu hortorum, canens,*

Nomine tum Graio ſeu litera proxima primæ
Pangitur in ceræ docti mucrone magiſtri,
Sic & humi pingui ferratæ cuſpidis ictu
Deprimitur, folio viridis, pede candida, Beta.

Ad Betarum cocturam vinum & piper expeti ſcribit Martialis his verſibus,

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia Betæ,
O quam ſæpe petet vina piperque cocus.

De cæteris viribus conſule Joh. Bauhinum pag. 952, *&* 953.

DE MOLLIENTIBUS

Foliis ſucculentis floribus herbaceis ſemine ſpinoſo & non ſpinoſo, eodemque carentibus præditis.

CAPUT XXXV.

SPINACHIA.

HOc genus Spinachiam noſtra ætas appellat: nonnulli Spinaceum olus: alii Hiſpanicum olus. Spinachia dicitur à ſpinoſis ſeminibus, hæc appellatio convenit priori tantum non autem ſequentibus; ergo ſit olus Hiſpanicum ſemine ſpinoſo, & non ſpinoſo ſeu Lentiformi, & ſine ſemine ſeu ſterile.

Pars TABULÆ XXX. Sectionis quintæ.

Spinachia
- *Semine prægnans*
  - 1. *Spinoſo, nobis. Spinachia, Fuch. Matth. Dod. Tab. Spinachia, Ad. Lob. Lugd. Ger. Spinachia mas, Cam.* ☿
  - 2. *Non ſpinoſo, nobis. Spinachia ſemine non pungente folio majore rotundiore, J. B. Chabr.* ☿
- 3. *Sterilis, C. B. P. Spinachia femina, Lugd. Cam.* ☿

Explicatio partis Tab. trigeſimæ Sectionis quintæ.

1. S*Pinachia* ſemine ſpinoſo, C.B.P. Spinachia, Fuch. Matth. Dod. Tab. Spinachia, Ad. Lob. Lugd. Ger. Spinachia mas, Cam. Spinoſum olus, Geſn. Hort. Spinachia ob ſemina dura & ſpinoſa Græcis recentioribus σπανάχια à raritate in uſu medico: aliis Seutlolapathum, hoc eſt mediæ naturæ inter Betam & Lapathum: aliis Seutlomalache propter facultatem molliendi quam communem habet cum Malva. Spinachia Blito vel etiam Atriplici cognata eſt: folia profert mollia, obſcure virentia, ſucci plena, acuminata & latiore baſi triangula, juxta pediculum ſæpenumero una utrinque profundâ Sectione diviſa: caules teretes, pedales, intus concavos, ſimilibus foliis conveſtitos, juxta quæ, tum & in faſtigiis ramulorum floſculi herbacei, racematim cohærent, ſuccedente molliter ſpinoſo ſemine: radix tenuibus fibris conſtat. In hortis facillimo cultu provenit, ſolum vix ullum refugit. Quovis fere tempore anni ſeri poteſt, Vere ſata cito adoleſcit & intra duos menſes perficitur, quæ vero Autumno ſeritur, non ita celeriter creſcit, ſed per hyemem reſtans, mox primo Vere ſemen profert.

2. *Spinachia* ſemine non ſpinoſo, C.B.P. Spinachia ſemine non pungente folio majore rotundiore, J. B. Chabr. Spinachia ſilveſtris racemoſo ſemine, Lugd. Hiſt. Spinachia hæc longe major, majoribuſque eſt foliis, quam Spinachia prior, nec non rotundioribus, cæteroqui mollitie & fatuo ſapore ſimilibus, quemadmodum & floribus proxime circa caulem ad pediculorum exortum muſcoſis: at ſemina ſubſequuntur conglomerata, multa, veluti in racemulum, lenticulis fere paria, paululum rugoſa, rotunda, nullis ſpinis horrida, cineracei coloris. Paſſeres & aliæ aves hujus ſeminum valde avidæ. Hyemem non tam facile fert ut prior Spinoſa.

3. *Spinachia* ſterilis, C. B. P. Spinachia 3. Trag. Spinachia femina, Lugd. Cam. Floret quidem hæc Spinachia, ſed ſeminis infæcunda ſterileſcit. Hoc pluribus aliis generibus eſt commune, ut Cannabi, Lupulo, Mercuriali, Cynocrambæ, &c.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Eſt Spinachia humida plane & frigida ordine fere ſecundo, humida magis ex olerum numero, quorum ſubſtantia aquoſior, & ſapor qualitatis expers, cito idcirco deſcendit & alvum emollit. Editur decocta, ſed alimenti exiguum aut nihil confert. Flatulenta nonnihil eſt & nauſeam facile parit, niſi Zinzibere aut alio ſimili condiatur: recipitur & inter cruda acetaria recens enata, prius ſcilicet quam latiora ei ſubnata fuerunt folia. Quare Caſparus Bauhinus inter Lapatha Spinachiam collocaverit non poſſum ſatis aſſequi cum neutiquam Lapatho fine ultimo accedat uti innuimus capite de Lapatho ſupra. Vide Hallucinationes Lapathi illic.

DE MOLLIENTIBUS

Floribus herbaceis ſeminibus nigris, lucidis, donatis.

CAPUT XXXVI.

BLITUM.

B*λίτλον Dioſcoridi l. 2. c. 143. quaſi* βλητὸν *abjiciendum vel propter inertiam & vilitatem, vel ob inſulſum fatuumve ſaporem. Feſtus à* βλάξ *piſce omnino inutili deducit: licet & ſtolidum & inſulſum ſignificet. Blitum Plinii l. 2. c. 22.*

Genera Theophr. 1. Hiſt. 9. plura dixit, at nec Dioſcorides nec Plinius differentias propoſuit. Aliud majus eſt, aliud minus: utrumque album & rubrum.

Blitum eſt planta emolliens floribus herbaceis, ſeminibus nigris ſplendentibus, involucris cartilagineis ſeu membranis involutis prædita. Adeo affine eſt Amarantho ut difficile ſit veram & genuinam ejus differentiam aſſignare ab Amaranthis quibuſdam. Hoc præcipuum tamen eſto diſcrimen capſulam ſeu potius ſeminis involucrum habet Blitum membranaceum, album, tenue, quale cernitur in Lapathi nodis quoad ſubſtantiam. Amaranthus autem capſulam rotundam habet, quam vice floris cingunt quinque aut ſex foliola, potius petala mucronata, cujuſcunque coloris ſit flos: atque ſic facile inter ſe diſtinguuntur. Eſt enim Blitum vel majus bipedale & rectum; hocque eſt vel album ſeu viride, vel rubrum: vel minus quod eſt folio ſatis ſpiſſo, vel verticillatum, vel ſpicatum, vel minùs ſpiſſo Polyſpermum dictum Caſſiano Baſſo.

Pars

Pars TABULÆ XXX. Sectionis quintæ.

- **Blitum**
  - 2. *Perenne* — *Spinachiæ facie, nobis. Tota bona Spinachiæ facie, Ad. Lob. Tota bona Lob. Dod. Thal. Bonus Henricus, Trag. Matth. Tab. Ger.* ⊙
  - *Annuum*
    - *Majus rectum*
      - 2. *Album, nobis. Blitum majus album, C. B. P. Lugd. Ad. Lob. Blitum album, Matth. Blitum ſativum album, Geſn. Hort.* ☿
      - 3. *Rubrum, nobis. Blitum majus rubrum, C. B. P. Blitum rubens, Dod. Blitum pulchrum rectum magnum rubrum, J. B. Chabr.* ☿
    - *Minus procumbens*
      - 4. *Album, nobis. Blitum minus album, C. B. P. Ad. Lob.* ☿
      - 5. *Rubrum, nobis. Blitum minus rubrum, C. B. P. Blitum minus rubrum, Dod. Gal. Blitum minus rubrum ſupinum, Lob. Icon.* ☿
      - 6. *Polyſpermon (à ſeminis copia) nobis. Polyſporon Caſſiani Baſſi Anguillaræ, Obſ. Lob. Blitum Polyſpermon, Lob.* ☿

Explicatio partis Tab. trigeſimæ Sectionis quintæ.

1. BLitum perenne Spinachiæ facie, nobis. Tota bona Spinachiæ facie, Ad. Lob. Tota bona, Lob. Dod. Thal. Bonus Henricus, Brunf. Trag. Matth. Tab. Ger. Hæc eſt vera & genuina Bleti ſpecies, quamvis à viribus Tota bona recentioribus dicta, atque à Caſparo Bauhino Lapathi generibus, ſed perperam, annumeratur. Caules edit complures, craſſos, folioſos, pedales, vel paulo altiores, cujus ramulis ſurſum verſus herbacei, racemoſi, adhærent floſculi, ac deinde ſemina Bliti aut Atriplicis æmula: folia quæ longis innituntur pediculis lata ſunt & acuminata, forma quodammodo foliorum Ari, ſed candida & veluti farina reſperſa, craſſa: radix in plures radiculas divaricatur, colore veluti Oxylapathi, interius lutea. In incultis locis ac ſæpenumero ruderatis, ſecus vias, veteres muros & agrorum ſepimenta frequenter reperitur. Junio ac Julio præcipue cum flore viget.

2. *Blitum* majus album, C. B. P Lugd. Ad. Lob. Blitum album, Matth. Blitum majus, Dod. Blitum ſativum album, Geſn. Hort. Ad duos aut tres pedes attollitur: caulis ejus rotundus, geniculatus, qui in alas non paucas diſtribuitur: folia ſunt lata, acuminata veluti Atriplicis, ſed virentiora, leviter albicantia, glabra: floſculi in ſummis ramulis ſpicatim proveniunt herbacei: ſemina lævibus membranis incluſa, in ſummis itidem ramulorum faſtigiis racemoſa: radix multiplicibus fibris deorſum demittitur.

3. *Blitum* majus rubrum, C. B. P. Ger. Blitum majus rubrum, Matth. Ad. & Icon. Lob. Cam. Cæſ. Blitum rubens, Dod. Blitum pulchrum rectum magnum rubrum, J. B. Chabr. Facile adoleſcit hoc magnum rubrum, radice eſt pollicari, fatuâ, ut tota planta, caule fiſtuloſo intus extraque ſanguineo rubore perfuſo, concoloremque ſuccum preſſu remittente: folia Betaceis minora, magis rugoſa, quà cœlum ſpectant è rubro nigreſcunt, in ſupina parte hilarius rubent: floſculi muſcoſi ſecundum caulem apiculis pallidis conſtant: ſemen Atriplicis ſilveſtris vel Amaranthi, nigrum, nitens. Una cum Atriplicum ſpeciebus viget & floret.

4. *Blitum* minus album, C. B. P. Ad. Lob. Blitum ſilveſtre album, Geſn. Hort. Blitum ſilveſtre minus, Thal. Hoc foliis, caulibus vireſcit, partim procumbit, partim rectà aſcendit, & flores in ſpicam digeſtos & conſequenter ſemina ſuis membranaceis involucris incluſa ſpicatim in ſummitatibus gerit.

5. *Blitum* minus rubrum, C. B. P. Hoc priori valde accedit niſi quod caules omnes humi ſtratos gerat, ad quorum genicula ſemina racematim proveniunt, non autem ſpicatim in ſummis caulibus, ex fuſco viridantia; folia ramulique aliquando rnbent: utraque hæc ſpecies minor provenit in humidis, pinguibus locis. Floret verſus Autumnum.

6. *Blitum* minus Polyſpermon à ſeminis copia, C. B. P. Polyſporon Caſſiani, Aug. obſ. & Icon. Lob. Lugd. Atriplex ſilveſtris ſive Polyſpermon, Ger. A ſeminibus & floribus muſcoſis, botryoidi non diſſimilibus; quibus onuſti numeroſi cauliculi, pedales, aliquando in pingui ſo'o cubitales, aliquando exiliores, ſic denominatur: provenit imis foliis Solani, aut Atriplicis ſilveſtris ritu, ſummis minoribus multo & delicatioribus. Hoc mire capiuntur piſces, authore Caſſiano, cui ſubſcripſit Anguillara experimento nixus: radix alba, gracilis. Provenit in ſterquiliniis circa pagos. Floret verſus Autumnum.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Bletum *olus*, *Galenus ait l. VI. de Simplicium medicam. facult. eſt eſculentum humidæ frigidæque temperaturæ in ſecundo exceſſu à temperatis. Alimenti autem corpori præbet exiguum, ut* 12. *de Aliment. facult. ex oleribus eſt* ἀποίοις *ſeu guſtabilis qualitatis expertibus, quorum ſubſtantia aquoſior eſt. Hujuſmodi autem olera non ſolum exiguum nutriunt, ſed & ad facilem dejectionem ſunt propenſa, non tamen vehementer, cum nulla ipſis adſit qualitas acris aut nitroſa, quæ ventrem ad excernendum excitet.*

DE MOLLIENTIBUS

Floribus herbaceis ſemine nigro pellucido donatis.

CAPUT XXXVII.

PARIETARIA.

Ἐλξίνη *Dioſcoridi l.* 4. *c.* 86. *à ſemine aſpero veſtibus tenaciter adhærente*, περδίκιον *Galeno* 6. *ſimpl. quod perdices hac delectentur. Plin. l.* 22. *c.* 17. *Helxine & Perdicium. Parietaria quod in parietinis exeat: unde Muralis herba Cæſ. l.* 2. *c.* 33.

Parietaria eſt planta pentapetala floribus pluribus herbaceis ex luteo-virentibus, ſeminum involucris totidem hirſutis, foliis Mercurialis admodum formâ ſimilibus, hirſutis itidem donata; unde ab exiguis involucris, aſperis & hirſutis veſtibus prætereuntium adhærentibus, dicitur Helxine Dioſcoridi: eſt autem reſpectu magnitudinis foliorum, vel major, vel minor: eaque vel Ocimi vel Alſines folio.

Pars poſtrema TABULÆ XXX. Sectionis quintæ.

Parietaria
- 1. *Officinarum & Dioſcoridis, C. B. P. Helxine, Brunſ. Matth. Fuch. Lugd. Cam. (cui & Urceolaris Scribonii) Ad. Lob. (cui & Vitriola & Perdicium) Lob. Icon. Cæſ.* ⊙
- 2. *Minor Ocimi folio, C. B. P. Parietaria exigua* 1. *Trag.* ⊙
- 3. *Sicula Alſines folio, Boccon.* ⊙

Explicatio partis poſtremæ Tab. trigeſimæ Sectionis quintæ.

1. P*Arietaria* Dioſcoridis & officinarum, C. B. P. Parietaria, Dod. Tab. Ger. Park. J. B. Chabr. Helxine, Matth. Fuch. Lugd. Cam. (cui & Urciolaris ſicut & Scribonio) & Ad. Lob. (cui & Vitriola ſeu Perdicium) Lob. Icon. Cæſ. Vulgaris eſt notitiæ Parietaria vel Paritaria à natalibus ſic dicta herbariis. Caulibus eſt hirſutis, ramoſis donata: folia habet Mercurialis forma & figura, hirſuta, atrovirentia, & aliquando nitentia, per ſiccitatem ſaltem; floſculos confertim circa caules ex foliorum alis floccos coccinei coloris imitantes, primulum è nodulo emicantes; poſt ſe ſtamina oſtendunt, apiculis obſcure ex albo purpuraſcentibus involuta, quæ ſi ſtilo evolvere coneris ſubſultim excuſſo pulvere, cum impetu, ſpectaculo jucundo, ſe expandunt repanda, in medio ſeminis rudimentum circumdantia: radix fibroſa. Hanc noſtram Parietariam Ἐλξίνης nomine delineat Dioſcorides his verbis. Cauliculos promit tenues ac ſubrubentes, folia Mercurialis hirſuta: circa caulium genicula proveniunt, veluti exilia ſemina aſpera, veſtibus adhærentia. Dicitur & Parietaria quod in parietinis exeat, atque eâdem de cauſâ Muralis herba, Herba vitri & Vitriaria, Urceolaris & Urceolaria, quod tergendis urceolis vaſiſque vitreis efficax ſit. Dicta autem Helxine quod aſpera foliorum hirſutie aſperoque ſemine, tenaci nexu, veſtimentis obviis adhæreat. Perdicium à perdicibus quæ eam eſitare ſolent. Naſcitur juxta muros, parietes ſepeſve, in ruderibus utplurimum, & ſubinde in vinetis, ac ipſis murorum rimis frequentiſſime. In hortis etiam plantata ita provenit ut inde vix abigi poſſit. Maio menſe exit, Julio & Auguſto ſemen profert: radice hyeme ſola reſtat: in calidis regionibus toto anno viret, in muris præcipue: at in frigidis regionibus pereunt folia & menſe Martio prorumpunt,

2, & 3, *Parietaria* Sicula Alſines folia, Boccon. Parietaria minor Ocimi folio, C. B. P. Parietaria exigua vel 1. Trag. A Parietaria vulgari Matthioli, & à Parietaria Ocimi folia ſeu 1. Tragi differt hæc Parietaria foliis tantum, quæ ſunt ſtructura & figura minima, atque magnitudine Alſines majoris paria. Icones & Tragi & hujus proponuntur in Iconibus Pauli Boccone Tab. 24.

Rari-

rariorum ſuarum plantarum Siciliæ, Melitæ, Galliæ, &c. *A.* denotat Parietariam vulgarem, Matthioli *a* Parietariam Ocimi folio, C. B. P. ſeu exiguam vel 2. Trag. *B B* Parietariam Siculam Alſines folio, Boccon. Hæc Parietaria Alſines folio paſſim per univerſam Siciliam viret, in montibus Hyblæis oppido *Milelli* vicinis, Catanæ, Meſſinæ & Agrigenti ſæpius vidimus & legimus, inquit Paulus Boccone.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Vim habent folia Helxines refrigerantem, auctore Dioſcoride, & aſtringentem, quare impoſita ſanant ignes ſacros, condylomata, ambuſta, panos incipientes, omnem inflammationem ac tumores. Succus ejus ceruſſâ admixtâ illitus eryſipelata & herpetes ſanat, & podagras cerato cyprino aut adipe hircino exceptus: Prodeſt & tuſſi diuturnæ ſuccus cyathi menſura hauſtus. Tonſillis quoque inflammatis utiliter gargarizatur & illinitur, aurium dolori cum roſaceo inſtillata prodeſt ſtillatitia ejus aqua, faciem abſtergit & nitorem addit. Recentiores trium unciarum pondere ſuccum epotum remorantem urinam cito provocare aiunt: herbæ folia inſtar cataplaſmatis cum oleo & amygdalis dulcibus permixta pubi & dolentibus locis impoſita, calculoſis & urinæ difficultate laborantibus, præſidio ſunt. Sunt qui folia cum vino & quidem Cretico permiſceant; ſed cum oleo amygdalarum dulcium citius dolorem ſedant. Eadem nonnihil contuſa & confricata recenti vulneri impoſita & ſanguinem ſupprimunt & vulnus ipſum glutinant, & ſi triduo non permutata maneant, ſanant.

DE PENTAPETALIS
Spicatis ſeminibus nigris ſplendentibus donatis.
CAPUT XXXVIII.
AMARANTHUS.

Αμάρανθος *dicitur quaſi immarceſcibilis, eo quod hujus flos decerptus non marceſcat, & cum cuncti flores defecêre, aqua madefactus reviviſcat, & hybernas coronas faciat, ut habet Plinius l.* 21. *c.* 8. *At Theophr.* 6. *Hiſt.* 6. φλὸξ *dicitur Gaza flammam vertit.*

Amaranthus eſt planta ſpicata, cujus ſinguli flores quinis petalis in extremo margine conſtant: atque floribus ſuccedunt ſemina multa, nigra, ſplendentia utplurimum, aliquando alba, aliquando dilute rubella. Amaranthus floribus quinis illis petalis multo conſpectioribus conflatis facillime à Blito floribus herbaceis donato diſtinguitur. Amaranthus eſt vel floribus verticillatim, vel ſpicatim diſpoſitis: Amaranthus ſpicatus eſt paniculis propendentibus, iiſque aut ſemine albo aut rubro: vel paniculis ſurrectis, qui eſt vel major, ruber, viridis aut phœniceus variansque gradus rubicundi coloris: (omnes hi prædicti abundant ſemine nigro, at ruber ſemine albo:) vel eſt minor, rubellus, qui eſt aut ſpicatus, criſtatus, aut glomeratus, aut luteus, aut ſtramineus, qui itidem eſt ſpicatus aut criſtatus.

Pars TABULÆ XXXI. Sectionis quintæ.

- *Amaranthus*
  - 1. *Verticillatus foliis*
    - *Variegatis ſeu tricoloribus ſeu varie coloratis Pſittaci plumas referentibus, nobis. Amaranthus tricolor, Ad. Lob. Tab. Ger. Eyſt.* ☿
    - *Viridibus macula nigra Bliti inſtar notatis, nobis.* ☿
  - *Spicatus*
    - *Paniculis*
      - *Propendentibus*
        - *Floribus*
          - 2. *Obſolete purpureis ſemine albo ſeu Quinua, nobis. Quinua ſive Blitum majus Peruvianum, Cluſ. Hiſt.* ☿
          - 3. *Elegantis coccinei coloris ſemine rubro, nobis.* ☿
      - *Erectis*
        - 4. *Major*
          - *Ruber.* ☿
          - *Viridis.* ☿
          - *Phœniceus aut coccineus.* ☿
        - 5. *Minor*
          - *Ruber ſeu rubellus ſpica*
            - *Simplici.* ☿
            - *Glomerata.* ☿
            - *Criſtata.* ☿
          - *Luteus ſeu ſtramineus ſpica*
            - *Simplici.* ☿
            - *Glomerata* ☿
            - *Criſtata.* ☿

Ex-

Explicatio partis Tab. trigeſimæ primæ Sectionis quintæ.

1. *AMaranthus* foliis variegatis ſeu tricoloribus ſeu foliis varie coloratis Pſittaci plumas referentibus, nobis. Amaranthus tricolor, Ad. Lob. Tab. Ger. Eyſt. Symphonia ſive Amaranthus tricolor Dal[ii], Lugd. Herba Papagalli & Blitum maculoſum, Dod. Blitum hoc potius quam Amaranthum præmiſimus Amaranthis ſpicatis immediate, cum flores, & ſemina racematim ad ſingula genicula gerat, Bliti modo, aptius mea ſententia Blitum diceretur. Sit Blitum adjungendum Blitis cap. ſuperiore, ſitve Amaranthus, parum refert. Radice eſt brevi, candida, in ſurculoſas propagines diviſa: caule unico pedali, rubente, foliis Bliti alternatim poſitis, viridi, roſeo & luteo colore pictis, ſic ut in ſingulis foliis adultis & perfectis ea coloris varietas (pſittacorum plumas referens) jucundiſſimum intuentibus præbeat ſpectaculum: ſemen profert in exiguis involucris villoſis, racematim ambientibus caulem, & cauli adhærentibus ſine pediculis; cum flos nec ſit pulcher aut ſpectabilis, perinde ac ſi natura tantum venuſtatis ac gratiæ prius in folia contulerit, ut deinde pictura florum oblita eos vix inchoatos reliquerit, atque vice floris elegantis folia flaveſcentibus punctis viridibus & rubris notata largita ſit. Datur & hujus notha ſpecies cujus caules foliaque vireſcunt ſine maculis trium colorum in foliis, folia etenim habet Bliti inſtar macula nigra tantum in medio affecta, neutiquam in cæteris diſtinguitur ab Amarantho foliis tribus coloribus picto. Imo varietas colorum in verſicolore Amarantho ipſo variat, in altero hilarior eſt, extremo flavo, medio puniceo, reliquo viridi, aliquando viridi, luteo, rubro, in altero obſcurior, illum feminam, hunc marem appellant.

2. *Amaranthus* paniculis propendentibus ſemine albo ſeu Quinua, nobis. Amaranthus maximus, C. B. P. Amaranthus major paniculis ſparſis, Eyſt. Quinua ſive Blitum majus Peruvianum, Cluſ. Hiſt. Amaranthus hic maximus in hominis altitudinem excreſcit, caule craſſo, canaliculato, ſubrubente, ramis crebris ſtipato; folia acuminata Amaranthi minoris more, ſed majora, ex viridi purpuraſcentia, rugoſa, inſipida: flores tum è ſummo caule extremiſque ramis, tum è foliorum alis emicant, in ſpicas palmares & ſeſquipalmares, imo pedales aliquando digeſti, eaſque frequentes & jubæ inſtar, nonnunquam in latum luxuriantes, colore fuligineo aut purpuræ obſoletioris, ſtaminulis luteis; quibus ſemina ſuccedunt minuta, alba, milii excorticati magnitudine.

3. *Amaranthus* paniculis propendentibus ſemine rubro flore ſerotino elegantis coccinei coloris, nobis. Hic Amaranthus in omnibus convenit cum priore niſi quod folia ampla, macula, ſubnigra notata habeat, ſecundo paniculas habeat itidem propendentes, longas, at elegantis phœnicei aut coccinei coloris; atque floribus deciduis ſubveniunt ſemina leviter rubra ſeu pulchre rubella, in hiſce præcipua conſiſtit differentia.

4. *Amaranthus* major paniculis ſurrectis rubris viridibus phœniceis ſeu coccineis, nobis. Amaranthus ſimplici ſpica, C. B. P. Amaranthus anguſtifolius ſimplici ſpicata panicula, Obſ. & Icon. Lob. Amaranthus coccineus, Ger. Hic foliis eſt Blito anguſtioribus, oblongis, acutis, integris: caulibus rubicundis, in ſummo brachiatis; quorum ſummitates in ſpicas prioris Amaranthi rubri ſaturo colore ſimplices abeunt vel multiplicatas, quæ condunt ſemina nigra, pellucida. Huc pertinet Amaranthus major paniculis rubris, Eyſt. cujus figuram damus: Radices habet longas, fibratas: caulem bipedalem, ſtriatum, in quo folia Blito latiora & oblongiora, ſubrubentia, ſubinde magnis & obſcuris nigricantibus maculis infecta, ac mucrone finita, ambitu quandoque leviter & tenuiter circumroſa, alarum ut & caulis ſuperiorem partem paniculæ longæ obſolete rubentes, erectæ ſtipant, exilibus & in medio tenuibus ſtamineis floſculis, quinis petalis exiguis, mucronatis conſtantibus, & poſt illos ſemine in hiſpidis loculis condito numeroſiſſimo, albo, minuto, cumulatim confarcto; cacumina caulis plerumque in bifidam ſpicam, compreſſam, nutantem ſubinde, extolluntur.

5 *Amaranthus* minor paniculis ſurrectis luteis, luteopallidis aut ſtramineis ſpicatis, glomeratis & criſtatis, nobis. Amaranthus panicula incurva, C.B.P. Amaranthus holoſericeus, Lob. Lugd. Amaranthus holoſericeis ſanguineis reticulatis floribus, Ad. Lob. Amaranthus criſtatus, Cam. Eyſt. Folia Solani & Atriplicis Helxines foliis longiora habet, in caulibus alternatim exeuntia ſeſquicubitalibus, rubris, nitidis & vertices verſus brachiatis; cacumina ſingula exornant ſpicæ holoſericeæ, rubro colore tinctæ & multipliciter coagmentatæ, criſtatæ & in ſummo latiores ſeu compreſſæ ac varie reflexæ: in quibus continentur ſemina exigua, nigra, ſplendentia, Amaranthi tricoloris æmula, vel vulgatioris minoris purpurei. Hic ex eodem ſemine nigro variat quoad compoſitionem ſpicarum; eſt enim ſpicatus ſimpliciter, vel plurimas ſpicas conglomeratas, vel latas compreſſas criſtataſve fert: differt colore etiam ſpicarum, eſt enim luteo, luteo-

luteopallido, vel limoniaceo ſtramineove colore. Idem dicendum de præcedente qui ſpicam profert ſurrectam, viridem, rubram ſaturate vel dilute, ſeu phæniceam coccineamve: omnes tam majores quam minores paniculis ſurrectis ſemina producunt nigra, excepto Amarantho majore paniculis rubris Eyſt. qui ſemina producit alba. Multis modis ludit hæc planta Indica quoad ſpicas ſeu paniculas, colorem florum, & ſemina quæ ſunt alba, rubra ſeu dilute rubella, & nigra.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Amaranthus *profluvia ſanguinea ſiſtit ulceraque ſanie manantia curat: aiunt enim recentiores facultate frigida ſiccaque eſſe, quare florum infuſum epotum & dyſentericis prodeſſe, & menſium abundantiam cohibere albaſque uteri fluxiones, propterea cruenta expuentes levare, præſertim cum in pectore aut pulmone vas aliquod ruptum fuerit, nec id ſine ratione; nam Amaranthi omnes, authore Lobelio, refrigerant, reſtinguunt & reſiccant.*

DE MOLLIENTIBUS

Floribus muſcoſis luteis ſemine nigro donatis.

CAPUT XXXIX.

ATRIPLEX.

Aτράφαξις παρὰ τὸ ἀτρέμως αὔξειν, *cum octavo die à ſatu prodeat Theoph. 7. Hiſt. 1.* χρυσολάχανον, *olus aureum, à luteo flore, quem fert Dioſc. l. 2. c. 145. Genera duo Dioſcoridi & Plinio l. & c. 20. ſilveſtre & ſativum. Dividimus, inquit Caſp. Bauhinus, in hortenſem, ſilveſtrem & maritimam.*

Atriplex eſt planta emolliens floribus muſcoſis, luteis, & ſemine nigro utplurimum donata. A ſapore eſt inſipida ſeu fatua, vel ſalſa: ab odore eſt utplurimum odoris expers, vel ſuaveolens odorata, vel fœtida atque ingratiſſimi odoris: à foliis eſt vel latifolia, vel anguſtifolia: à loco eſt ſilveſtris, hortenſis ſeu culinaria, vel maritima incana: à modo producendi ſemina, eſt vel racemoſa non baccifera, vel baccifera; vel eſt ſemine ſingulari binis foliolis incluſo, eaque vel hortenſis, vel ſilveſtris, vel maritima incana; de hiſce ordine dicemus.

Pars TABULÆ XXXI.

- *Atriplex*
  - *Silveſtris racemoſa*
    - *Fatua ſeu inſipida*
      - *Latifolia Pes anſerinus dicta*
        - 1. *Major, nobis. Atriplex ſive Pes anſerinus latifolius laceris laciniis, Ad. Lob. Pes anſerinus, Fuch. Dod.* ☿
        - 2. *Minor folio acutiore, nobis. Pes anſerinus alter ſive ramoſus, J. B. Chabr.* ☿
      - *Folio ſinuato*
        - 3. *Candicante, nobis. Atriplex ſilveſtris ſinuata, Ad. Lob. Atriplex vulgatior ſinuata, Lob. Icon.* ☿
        - 4. *Saturate virente ſpica ſubrubra, nobis. Atriplex ſilveſtris altera, C. B. P. Atriplex Fimeteria minor, Thal.* ☿
        - 5. *Lucido craſſo procumbens, nobis.* ☿
    - 6. *Olida ſeu fœtida, C. B. P. J. B. Chabr. Garoſmon, Dod. Vulvaria, Tab. Lugd.* ☿
    - *Odora ſive ſuaveolens*
      - 7. *Vulgaris, nobis. Botrys ambroſioides, C. B. P. Botrys, Trag. Matth. Fuch. Dod* ☿
      - 8. *Americana Mexicanave, nobis. Botrys Americana, Park.* ☿
  - *Fragifera ſeu fructu Mori*
    - 9. *Major, nobis. Spinachia fragifera, Hort. Farneſiani.* ☿
    - 10. *Minor, nobis. Atriplex ſilveſtris baccifera, Cluſ. Hiſt.* ☿
    - 11. *Minima, nobis. Atriplex ſilveſtris lappulas habens, C. B. P. & Prod.* ☿

- *Atriplex*
  - *Semine ſingulari binis foliis incluſo*
    - *Hortenſis*
      - 12. *Alba ſeu pallide virens, nobis. Atriplex ſativa alba*, *Lob. Icon.* ☿
      - 13. *Rubra, nobis. Atriplex hortenſis rubra, C. B. P. Atriplex rubra, Tab.* ☿
    - *Silveſtris folio*
      - 14. *Deltoide triangulari ſinuato & mucronato haſtæ cuſpidi ſimili, nobis.* ☿
      - *Oblongo*
        - 15. *Viridi, nobis. Atriplex vulgaris anguſtifolia cum folliculis, J. B. Chabr.* ☿
        - 16. *Glauco aut cæſio, nobis. Atriplex anguſtifolia laciniata minor, J. B. Chabr.* ☿
    - *Maritima*
      - *Annua*
        - 17. *Laciniata, nobis. Atriplex marina, Matth. Dod. Lugd. Cam.* ☿
        - 18. *Halimi folio, nobis. Atriplex halimoides, Lob. Obſ. Atriplex ſilveſtris racemoſa foliis integris, J. B. Chabr.* ☿
      - *Perennis*
        - 19. *Folio deltoide triangulari minùs incano, nobis.* ⊙
        - 20. *Minima anguſtifolia maritima. Boccon.*
        - 21. *Latifolia ſeu Halimus latifolius fruticoſus, nobis.* ⊙
        - 22. *Anguſtifolia procumbens, nobis. Halimus 2. Cluſ. Hiſt.* ⊙
        - 23. *Anguſtiſſimo folio, nobis. Halimus vulgaris ſeu Portulaca maritima, Ger. Portulaca maritima, Dod. ut. Tur. Ad. Lob. Tab.* ⊙

§. 1. *ATRIPLEX racemoſa ſilveſtris inodora.*

Explicatio partis Tab. trigeſimæ primæ Sectionis quintæ.

1. A*Triplex* ſilveſtris latifolia, C. B. B. Atriplex ſilveſtris ſive Pes anſerinus latifolius laceris laciniis, Ad. Lob. Atriplex dicta Pes anſerinus, J. B. Chabr. Pes anſerinus, Fuch. Lon. Lugd. Cam. 1. Tab. Ad Atriplicum genus referenda vulgaris occurrit hæc herba, quam à formâ foliorum Pedem anſerinum appellant, quæ cubitali aut altiore caule, nonnihil ſtriato ac ramoſo aſſurgit: foliis circumveſtitur latis, lævibus, ſplendentibus, aliquot ſinubus in margine diviſis: floſculi exigui, muſcoſi, ſubrubent: ſemen ramulorum cacuminibus racematim adhærens, Atriplicis ſilveſtris ſemini ſatis ſimile eſt: radix in multas fibras dividitur. Secus veteres parietes, vias, ſemitas, & alibi in incultis ac deſertis, humentibus nonnihil locis frequens exit. Viget ac floret verſus autumni initium cum cæteris Atriplicibus ſilveſtribus.

2. *Atriplex* ſilveſtris latifolia acutiore folio, C. B. P. Atriplex dictus Pes anſerinus alter ſive ramoſus, J. B. Chabr. Atriplex ſilveſtris latifolia altera, Ger. Chenopodium 2. Tab. Hæc differt à priore, quod folia producat acutiora, tenuius diviſa; ſemina minora, & tota planta colore eſt ſaturatius virente.

3. *Atriplex* ſilveſtris folio ſinuato candicante, C. B. P. Atriplex ſilveſtris ſinuata, Ad. Lob. Atriplex vulgatior ſinuata, Lob. Icon. Atriplex ſilveſtris vulgaris, Ger. Atriplex ſilveſtris vulgatior major ſinuata, Park. Hanc diſtare à ſativa involucris ſeminum conſtat, etiam folia docent diſcrimen, quæ nigricant plumbeo colore ſolum, cum qua lubens aſſociatur in viarum marginibus, frequens etiam circa mœnia & fimeta: foliis minoribus, anguſtioribus, ſpiſſis, obtuſe per ambitum ſinuatis, floribus ex luteo herbidis: quibus evanidis ſuccedunt plurima ſemina, nigra, ſplendentia, plura membranis ſimul incluſa, cum ſativi ſemen unicum binis foliolis triangularibus, membranaceis, incluſum habeat.

4. *Atriplex* ſilveſtris altera folio ſinuato ſaturate virente, ſpica ſubrubra, nobis. Atriplex ſilveſtris altera, C. B. P. Atriplex Silveſtris, Fuch. Dod. Atriplex Fimeteria minor, Thal. Atriplex agreſtis, Trag. ſilveſtris 1. Matth. primæ edition. Lugd. Silveſtris hæc tam luxurioſa proceritate prodit ut quaternos ſæpe cubitos excedat caule, ut hortenſis, anguloſo, purpuraſcente & ramoſo: folio hortenſi non admodum diſſimili, potiſſimum quod ad colorem attinet, ſed paulo minore, crenato: flore luteo & exiguo ſemine racematim digeſto in ſummitatibus caulium: radice fibrata, in ſuburbiorum fimetis & foſſis paſſim.

5. *Atriplex* procumbens folio ſinuato lucido craſſo, nobis. Planta eſt pedalis, procumbens: folia habet craſſa, prona parte lucida, in margine ſinuata; caules & folia utplurimum ſunt rubra: ſemine onerantur caules ſummi racematim compacto, cæterarum ſilveſtrium more, nigro. Reperitur in humidis pinguibuſque terrenis locis circa Blæſas. Floret & ſemina ſua nigra minuta perficit eodem tempore cum cæteris ſilveſtribus.

§. 2. *ATRIPLEX racemoſa fœtida.*

6. *Atriplex* fœtida C. B. P. J. B. Chabr. Garoſmon, Dod. Vulvaria, Tab. Lugd. Admodum fœtida hæc Atriplicis ſpecies, corrupta putridaque ſalſamenta, ac fœtens horum jus graviſſimo moleſtoque odore, longe ſuperat, imo putidos meritricum loculos olet: exiguis procumbit cauliculis, circa quos foliola colore formaque Atriplicis, ſed minora multo, potius Ocimi, omnia tamen exigua & farina quaſi obducta: floſculi puſilli, muſcoſi, lutei: ſemen minutum, nigrum, involucris ſuis membranaceis tectum, racematim proveniens velut ſilveſtris Atriplicis, ſed multo minus: radix tenuis, fibrillis nonnullis capillatur. De hac ſic aiunt Adverſaria Lobelii. Eſt in Nitiobrigum agro aliiſque locis quamplurimis neglectis herbula Atriplici veræ accenſenda, ſecus vias frequentiſſima, tenera, parvula, humi cauliculis procumbens: folia candore micantia Ocimi forma & quaſi polline interſperſa. Hanc notiſſimam fecit odor ingratus, teterrimus & fere infamem: odoratu, namque hircum olet teter ſpiritus exhalens opplet nares, quo imbuti, queruntur permulti, imo omnes, qui eandem olfecerint aut tantum pedibus proculcaverint, ſe meritricum impuros loculos ſubodoratos eſſe: planeque referre odorem illum viroſum quem proſtitutæ libidinis ſcorta ex impura colluvie congeſta ſpirant, unde vulgo Vulvariam, Futinariam dictitant, atque autumant. Hæc tetri odoris herba illitas veſtium muliebrium plicas canes fugire, atque arecto veretro veneris æſtu actos, illas amplexas cupere mire, præſertim in templis ubi tetrius odor ille ingratus ſpirat & minus difflatur. Hæc ex Lobelio. Vulgo appellatur Atriplex olida ſeu fœtens, Vulvaria, Garoſmon Cord. in Dioſc. quaſi garum ſive liquamen piſcium olens. Errat Cæſalpinus dum ſemine carere affirmat: alii Atriplicem Caninam dixerunt, quia eam ex urina canum naſci putant. Locis incultis juxta ſemitas naſci gaudet & in hortis, ſemel ad hortos tranſlata diutine recurrit: annua eſt ut reliquæ Atriplices, cum quibus viget, viret ac perit.

§. 3. *ATRIPLEX odora ſeu ſuaveolens.*

7. *Atriplex* odora ſeu ſuaveolens, nobis. Botrys ambroſioides vulgaris, C. B. P. Botrys, Trag. Matth. Fuch. Tur. Dod. Ad. Lob. Cæſ. Lugd. Tab. Ger. Botrys Artemiſia Turcica, Eyſt. Botrys altera Ambroſiæ ſpecies cujus ſemen Amomum officinarum quibuſdam, Cord. in Dioſcor. Hæc à floribus, involucris & ſeminibus eſt Atriplicis ſpecies odora, etiamſi Botrys dicatur ab authoribus, ſed perperam, propter ſemina racematim provenientia, nam hoc convenit Atriplicibus ſupra deſcriptis, non minus quam Atriplici odoræ tam noſtrati, quam Americanæ. Eſt enim herba pede vix altior, recto & unico caule aſſurgens, in nonnullos tamen ramulos diffuſo ac diſtributo: quos folia utrinque laciniata, atque profundius inciſa, inſtar foliorum Erigeri, exornant: ſemen in racemulos collectum, circa totos ſuperiores exit ramulos, more aliarum prædictarum Atriplicum: radix in fibris abit. Tota herba per maturitatem in viridi luteo langueſcit, colore aliquando rubente: odorata & ſuaveolens eſt planta & tota quaſi gummoſo lentore prædita, qui colligentium manus inficit: ante vero quam adoleverit & cum primum prodierit folia inferiore parte omnino rubent. Naſcitur in Italia & Gallia circa profluentes aquas & fontes: reperitur vero in ſabuloſis ac aridis, in olivetis quibuſdam: facillime in hortis adoleſcit. Annua eſt planta ſub autumni finem ſemina maturans.

8. *Atriplex* odora ſive ſuaveolens Americana Mexiocanave, nobis. Botrys ambroſioides Mexiocana, C. B. P. in App. Botrys Americana, Park. Atriplex hæc odora Americana altius attollitur in plures ramos diviſa: folia quodammodo ſilveſtris Atriplicis anguſtifoliæ ſunt æmula, ſunt enim inferiora latiora, ſuperiora anguſtiora atque ſinuata & dentata Atriplicis ritu: in ſummis caulibus proveniunt infiniti floſculi, herbacei, ſublutei ſicut & prioris: ſemina infinita, exilia, nigra producit, membranaceis involucris incluſa, ſuperioris ſeminum omnino æmula, ſed minora & exiliora, & ut ait C. Bauhinus in Appendice, radice eſt oblonga, fuſca, capillaribus fibris cincta, intus candida; caule pedali etiam altiore aliquando, in pingui ſolo bipedali, eoque ſubrubente, quandoque rotundo, ſtriato, pilis leviſſimis & rariſſimis aſperſo: foliis pallide virentibus, oblongis, ſinuatis, pediculis longis donatis, & abſque ordine caulem ambientibus: ad ſingulorum exortum ramuli unciales, ut in cæteris Atriplicibus ſilveſtribus

racemoſis, ſupra deſcriptis, emergunt, pluribus velut capitulis racemoſis alternatim diſpoſitis onuſti, quibus ſingulis foliolum exiguum ſubjicitur; quibus apertis, floſculi exigui, luteoli, ut in Botry vulgari conſpiciuntur, hiſque ſemen minutum, nigrum, copioſumque ſuccedit. Planta eſt annua, ex ſemine deciduo ſeſe propagans. Odor ei gratus & ſuaveolens, excedens odorem prioris. Floret Auguſto & Septembri, ſemina perficit Autumno. Nomen Natales indicat.

§. 4. ATRIPLEX *fragifera ſeu Fragariæ fructu.*

9. *Atriplex* Mori fructu major ſeu fragifera major, nobis. Spinachia fragifera, Hort. Ferneſiani. Atriplex hæc fragifera foliis ac uſu à cæteris non differt, ſed ſapore minus acido, eſt autem folio potius Spinachiæ: flos huic eſt ſpectabilis, ex multis petalis herbaceis & muſcoſis coacervatus in alis ſuperioribus prope foliorum exortum adhærens: florem evanidum ſequitur fructus fragi Fragariæ inſtar aut Mori, ex multis arillis ſeminibuſve pellicula rubra tectus fragum rubrum perbelle repræſentans, elegantis rubicundiſſimi coloris, ſapore eſt quidem herbaceo, nec omnino ingrato quamvis inſipido, non dulci ut Fraga: folia ſunt emollientia, ut cæteræ Atriplicis ſpecies: fructus ignavi, fatui & inſipidi guſtus.

10. *Atriplex* Mori fructu minor ſeu fragifera minor, nobis. Atriplex ſilveſtris baccifera, Cluſ. Hiſt. Elegans eſt hæc planta, à me quidem, inquit Cluſius, in Hiſpaniis non obſervata, ſed ante biennium ad nos miſſa Francofurtum à Jacobo Plateau cum Icone ipſius manu delineata, cui paucas notas adſcripſerat, è quibus hæc ejus hiſtoria concinnatur. Aſſurgunt à ſingulari radice paucis fibris prædita terni aut quaterni caules, interdum unicus ſtatim radicis capite diviſus in aliquot ramulos pedem aut circiter longos, inæquales & anguloſos, in terram procumbentes, minoribus aliis ramulis donatos; in quibus ut & majoribus ſingularia adnaſcuntur folia modo in unum latus, modo in alterum diſpoſita, anguloſa, qualia in Atriplicis cæteris quibuſdam ſpeciebus, incana: ad quorum exortum multi in unum caput congeſti orbiculi, fructus Mori rudimenta quodammodo referentes, qui maturitate rubellum colorem contrahentes exigua fraga mentiuntur, atque magnam toti plantæ addunt venuſtatem & gratiam: ſinguli autem illi orbiculi ſemina multa continent, exigua, rotunda, cineracei coloris, qualia fere in Papavere ceratite violaceum florem ferente. Eandem aut ſimilem plantam in Tirolenſi comitatu reperiſſe ſe affirmabat Gulielmus de Mera medicus, dum ex Italia rediens per eam regionem iter faceret, ſub extremum Auguſtum magis fruticantem & ſuis fructibus onuſtam adeo elegantibus, ut ipſum etiam ad veſcendum invitarent. Florentem & fructum Fragi magnitudine ferentem elegantem & viſui gratum: plantam ipſam ſingulis annis florentem & ſemina ferentem habemus in horto publico Univerſitatis.

11. *Atriplex* Mori fructu minima, nobis. Atriplex ſilveſtris lappulas habens, C. B. P. & Prod. Ex radice parvâ, fibroſâ cauliculi palmares, ſtriati emittuntur, quos folia atrovirentia, parva, anguloſa, alternatim diſpoſita, brevibus pediculis donata, cingunt: ad quorum exortum lappulæ duæ rugoſæ Mori, fructui quodammodo ſimiles, Coriandri ſeminis rugoſi magnitudine, adhærent, ſemen nigrum, parvum, compreſſum, in ſingulis veſicis continentes. Hanc Atriplicis inſipidæ, parvæ, erectæ nomine D. Doldius ad Caſp. Bauhinum miſit; at in monte ventoſo Galliæ Narbonenſis altius excreſcit. Floret eodem tempore cum duabus fragiferis ſupra deſcriptis.

§. 5. ATRIPLEX *ſemine ſingulari binis foliolis incluſo.*

12. *Atriplex* hortenſis alba ſive pallide virens, C. B. P. Atriplex ſativa alba, Lob. Icon. Atriplex alba, Geſn. Hort. Atriplex ſativa viridis, Cord. in Dioſc. Atriplex hæc ſativa alba radice nititur in altum deſcendente, fibris multis capillata, ex qua caulis erigitur rectus, viridis & albus, aliquando rubeſcens, inferiore parte rotundus, ſuperiore quadratus, ad quatuor cubitos excreſcens, multis undique adnatis ramulis: folia prope caulem lata ſunt, ea denique in mucronem definentia, cum binis apendicibus pinnatis verſus pediculum Sagittariarum foliorum inſtar, pinguia, ſuccoſa, longa; in novella planta candicantia ſunt, perinde ac ſi farina aſperſa eſſent; quum adoleverint colore ſunt ex luteo langueſcente, aliquando in aliis ſunt plane dilute viridia: in caulium ſummis flores numeroſi coacervantur, muſcoſi, exigui, dein ſingulis floribus ſemen unicum ſuccedit compreſſum, binis foliolis rotundis membranaceis incluſum.

13. Hujus eſt alia ſpecies in omnibus quadrans cum priore, excepto colore rubro, aut ad rubellum inclinante.

14. *Atriplex* ſilveſtris annua folio deltoide triangulari ſinuato & mucronato haſtæ cuſpidi ſimili, nobis. Hæc Atriplicis ſpecies paſſim in foſſis ſuburbanis humidis provenit: folio eſt triangulari, acuto, mucronato, haſtæ cuſpidi ſimili, caulibus procumbentibus, pedalibus & ſeſquipedalibus, pediculis longis innixo: in quorum ſummis alis ſemina multa proveniunt, ſingula binis foliolis rugoſis aut verrucoſis, triangularibus, incluſa.

15. *Atriplex* anguſto oblongo folio, C. B. P. Vulgaris anguſtifolia cum folliculis, J. B. & ejuſdem alia Icon. Obſcurius virent folia, ut pæne atra ſint, ad Polygoni folia proxime accedentia, latiora tamen, acuminata, ſubinde (quanquam rarius) leviſſime ſinuata, excreſcit autem ad cubitalem & ſeſquicubitalem altitudinem: flos, radix Atriplicis ſinuatæ: ſemina ſingularia fert inter bina foliola ſeu pericarpia folliculacea, ſæpe etiam rhomboidea conferta in pediculis ramulorum, quæ dehiſcentia, unicum oſtentant ſemen rotundum, compreſſum, nigrum.

16. *Atriplex* anguſtifolia laciniata minor, J. B. Chabr. Hæc parum in omnibus diſtinguitur, nec caulium altitudine, nec foliis ſinuatis, nec floribus aut folliculis, ſed ſolo colore glauco aut cæſio, caulium, & foliorum adinſtar maritimarum plantarum utplurimum; cætera convenit cum ſuperiore.

§. 6. *ATRIPLEX maritima ſeu Halimus.*

17. *Atriplex* maritima laciniata, C. B. P. Atriplex marina, Matth. Dod. Lugd. Cam. Ger. Atriplex marina repens lutea & Xerampelina, Ad. Lob. Atriplex marina repens, Lob. Park. Atriplex maritima, J. B. Chabr. Hæc humi ſpargit caules cubitales, numeroſos, ex craſſa ſatis radice exortos, totos albicantes, per quos & folia candicantia, ſinuata, Pedis anſerini ſimilia: floſculi per extrema ramulorum potiſſimum muſcoſi, racematim congeſti, & inter bina foliola rugoſa ſeu aſpera, in dorſo aculeata, ſingulatim ſingula ſemina continentur. Reperitur Tergeſti ad ſalinas in maris litore. Lobelius in litoreis mediterraneis & Adriaticis nuſquam non obviam hanc Atriplicem humi ſtratam habuit.

18. *Atriplex* Halimi folio, C. B P. Atriplex halimoides, Lob. Obſ. Atriplex ſilveſtris racemoſa foliis integris, J. B. Chab. Hæc foliis incanis ſeminibus folliculaceis membranis binis incluſis convenit cum priore, niſi quod folia habeat integra, aut parum ſinuata, nec profunde ſinuata ut Atriplex marina.

19. *Atriplex* maritima perennis folio deltoide triangulari minus incano, nobis. Atriplex hæc in maritimis Angliæ & Belgii provenit caulibus bipedalibus, multis, lignoſis, humi ſtratis, atque medio ſurrecto longiore, ad quorum ſingulos nodos proveniunt folia triangularia, ſinuata tamen & acuminata, colore magis incano Atriplice quarta annua folio triangulari deltoide, ſed minus Halimo fruteſcente: flores profert muſcoſos, herbaceos, cæterarum maritimarum more; quibus ſingulis ſuccedunt ſingula ſemina, binis folliolis verrucoſis in dorſo præditis incluſa: radix eſt longa, brachiata, diu durans, ficut & Halimi cæteri marini. Floret eodem tempore cum cæteris Halimi ſeu Atriplicis maritimi ſpeciebus.

20. *Atriplex* minima anguſtifolia maritima, Boccon. Folia huic anguſta ſunt, Anthirrini minimi facie, incana pulveris aſpergine mariſque vicinia ſemper ſordentia: ſemina in exiguis folliculis ex duobus foliolis triangularibus compoſitis, ſpicarum more ſimul junctis continentur, ſingula tamen prædictis binis foliolis incluſa, nigra, ſpicamq; quaſi racemoſam componunt folliculi, Kali minimi formâ. A Bigarone Pharmacopola ex Stæchadibus allatam habuit hanc plantam Paulus Boccone. Planta non multo major eſt Icone pag. 30. plantarum in Sicilia, Melita &c. à Paulo Boccone collectarum.

῞Αλιμος Dioſcoridi l. 1. c. 121, id eſt, marinus ſeu maritimus eo quod in maritimis proveniat: vel rectius ut Plinius l. & c. 22. Olus maritimum ſalſum, & inde nomen, nam & alibi quam in maritimis non provenit: quod vero Plinius ſine aſpiratione legat, forte factum quia Solinus Alimon in Creta naſci prodidit, mirabili effectu, quod eo admorſo interdiu nulla fames ſentiatur, ut inde ei nemen impoſitum ſit, quod famem arceat. Et apud Theoph. 2. Hiſt. 20. ἄλιμον *legitur ubi Gaza Auronem vertit.*

21. *Atriplex* latifolia ſeu Halimus fruticoſus latifolius, nobis. Halimus fruticoſus latifolius, C. B. P. Halimus latifolius, Ger. Park. Portulaca hæc maxima marina Halimus dicta, eſt frutex lignoſus, cujus folia ſunt lata, non ſerrata, nec ſinuata, pinguia, ſucculenta, glauca ſeu cineracea cæſiave, mucronata candidioraque, duriora Portulacæ marinæ dictæ foliis: verſus cimas flores producunt ex alis purpureos, Bliti aut Atriplicis floribus haud abſimiles: ſemina vero inter bina foliola continentur ſingula, ut in prædictis, nigra, Atriplicis ſativæ aut Atripli-

cis marinæ æmula: radix eſt dura, longa, in multos annos durans, ſicut & tota planta, perpetuâ fronde viret, glauca ſeu cæſia, niſi ſæva ſit admodum hyems. Ad oram maritimam Hiſpaniæ aliarumque calidarum regionum & hæc & ſequens provenit. Ex hac fiunt ſepes & ſepimenta in hortis publicis aſpectui grata, cum propter colorem elegantem cæſium, tum durationem contra hyemis rigorem.

22. *Atriplex* maritima anguſtifolia procumbens, nobis. Halimus anguſtifolius procumbens, C.B.P. Ger. Halimus 2. Cluſ. Hiſt. deſc. Hujus folia valde ſunt prioris æmula, ſed non tam candida, longiora tamen & anguſtiora ſunt, Oleæ foliis haud abſimilia: caules vix altitudinem cubitalem aut ſeſquicubitalem attingunt, & frequenter humi procumbunt: flores ſunt ſaturate herbacei: quibus ſingulis ſuccedunt involucra rugoſa, binis foliolis triangularibus prædita; ſingula continentia ſingula ſemina inter prædicta foliola membranacea, multo prioris ſeminibus minora. Floret eodem quo ſuperior tempore, in maritimis Regni Valentini. Videre & etiam legere memini, inquit Cluſius, in aggeribus illius Inſulæ quam duo Rhodani cornua faciunt, inter fanum D. Ægidii & Arelatem, cum Monſpelio Arelatam & inde Marſileam proficiſcerer. Alitur etiam in hortis.

23. *Atriplex* maritima anguſtiſſimo folio, nobis. Halimus vulgaris ſeu Portulaca marina, Ger. Portulaca maritima, Dod. ut. Tur. Ad. Lob. Tab. Ger. Hæc planta maritima, etiam incana, caules protrudit pedales & ampliores, humi ſtratos: cum caules, tum folia cinerea ſunt, aliquando ſubrubentia: folia, inquam, valde colore accedunt priorum maritimarum foliis, ſed ſunt pinguiora & ſpiſſiora, minus tamen argentea, Polygoni maris inſtar longa, anguſta: in ſummis caulibus exiliunt floſculi purpurei, muſcoſi; quibus itidem ſuccedunt involucra binis foliolis rugoſis ſingula incluſa, compreſſa, nigra.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

1. Atriplex *dicta Pes anſerinus, J. B. Chabr. Hoc nomen recentior ætas huic Atriplici Pedis anſerini dedit à ſimilitudine pedis anſeris, quem angulis & ſectionibus ſuis folium quadantenus exprimit. Facultate frigida quoque ac humida eſt & quidem non minus Atriplici vulgari ſinuato folio, ſed uti apparet amplius refrigerans. Suino generi exitialis ac pernicioſa ſicut & reliquæ Atriplicum ſpecies, ſi ab ipſis edatur, fertur. In medicinæ uſum non admittitur, nec quælibet ſilveſtrium, multo minus inter edulia.*

6. Atriplex *olida ſeu fœtens, C. B P. Ex utero laborantibus gravitate odoris prodeſſe poteſt, ut teſtatur Dodonæus; nam uti Hippocrates ait, cum uterus ſtrangularit ad nares graveolentia adhibenda: Feminis ſtrangulatu uteri oppreſſis conferre obſervatur quotidiana experientia, maxime ſi umbilico imponatur.*

7. Atriplex *noſtras odora ſeu ſuaveolens, nobis. Botrys ambroſioides vulgaris ſeu noſtras, C. B. P. Botrys, Trag. Matth. Fuch. Atriplex hæc noſtras odora ſeu Botrys aliis dicta, calida & ſicca eſt ſecundo exceſſu: vim habet attenuandi & aperiendi. In vino pota, ut Dioſcorides & Paulus Ægineta aiunt,* ὀρθοπνοικοῖς *id eſt, non niſi recta cervice ſpirantibus auxiliatur: prodeſt vero eadem aſthmaticis ac purulenta expuentibus: menſes item movet & ſecundinas excludit. Fit ex foliis cum ſaccharo, quam conſervam vulgo vocant ad eadem utilis, addita carnibus, quæ cum jure coctæ eduntur, ad gratum ipſarum ſaporem conducit. Interponitur arida veſtimentis, non modo ut ſuavitatem odoris inde contrahant, verum à tineis & blattis conſerventur, quod ipſa quoque præſtat.*

16. Atriplex *maritima laciniata, C. B. P. Atriplex marina, Matth. Dod. Lugd. Vis Atriplici maritimæ, cujuſcunque ſpeciei, quæ cæteris Atriplicibus attribuitur, ſed propter ſalſedinem, qua referta eſt magis alvum citat, magiſque detergit, ſi cum carnis jure edatur, Matth. Hoc addit Camerarius, digerit, attenuat, liquat, à putredine vendicat, aperit & abrodendo expurgat, humentem ventriculum exſiccat, hydropicos juvat, pingues extenuat.*

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 138. col. 2. pl. 1. Botrys Ambroſioides vulgaris ſeu noſtras, & ibidem pl. 11. Botrys Ambroſioides Mexicana, C. B. P. ſeu Botrys Americana, Park. Cum hæ plantæ ſint ſic dictæ a ſemine quodracematim ramulis adnaſcitur, non minore jure cæteræ Atriplicum ſpecies fuiſſent Botryos ſpecies dicendæ, nam eodem modo florent & ſemina producunt quo Atriplices hæ odoræ Botryos nomine ab authoribus allatæ, cum in partibus ſuis eſſentialibus, id eſt, floribus muſcoſis ſeu ex herbido luteis & ſeminibus racematim ramulorum ſummis adhærentibus proveniant Atriplicum more; potiore jure ad ſuas conſimiles plantas reducuntur ratiocinando ex libro naturæ.

DE MOLLIENTIBUS

Succulentis floribus muſcoſis, luteis, & ſemine nigro donatis.

CAPUT XL.

KALI.

KALI *Mauritanorum, aliqui ad Anthyllidem Dioſcoridis: alii ad ejuſdem Tragon (cum tamen ſapore non ſit acerbo, nec acinis conſtet) referunt. Plinius l. 8. c. 22. ad Halimum retuliſſe videtur, dum inquit olus maritimum ſalſum, & inde nomen.*

Kali eſt planta maritima, ſucculenta, floribus muſcoſis luteis aut herbaceis & ſemine nigro, longo, ſplendente, aliquando non ſplendente donata: ratione durationis vel annua, vel perennis.

Pars TABULÆ XXXIII. Sectionis quintæ.

Kali
- *Majus ſemine cochleato flore*
  - 1. *Minore, nobis. Kali ſemine cochleato, C. B. P. Ger. Kali, Matth. Dod. Kali magnum Penæ, Lugd.* ☿
  - 2. *Majore pentapetalo membranaceo, nobis. Kali Siculum lignoſum floribus membranaceis, Boccon.* ⊙
- 3. *Minus album ſemine ſplendente, C. B. P. Kali album, Dod. Kali minus, Ad. Lob.* ☿
- 4. *Craſſulæ minoris folio, C. B. P. Kali floridum repens Aizoides Neapolitanum, Col. part.* 2. ☿
- 5. *Ægyptiacum foliis valde longis ac hirſutis, C. B. P. Kali 3. ſpecies, Proſp. Alpin. de Exot.* ☿
- *Arabum*
  - 6. *Primum genus Rauwolfii, Lugd. Hiſt. Gall. App. Kali Arabicum, J. B. Chab.* ☿
  - 7. *Secundum Rauwolfii, Lugd. Hiſt. App. Gall. Kali geniculatum alterum ſeu minus, C. B. P.* ☿
- 8. *Geniculatum majus, C. B. P. Salicornia, Dod. Kali Kellu Ægyptiis.* ☿
- *Fruticoſum*
  - 9. *Minus flore minore herbaceo, nobis. Sedum minimum arboreſcens, Lob. Lugd.* ⊙
  - 10. *Majus alterum flore majore, nobis. Vermiculatus frutex major, Lugd. Vermiculati fruticis varietas major, Lob. Icon.* ⊙
- 11. *Spinoſa affinis planta, C. B. P. Tragum, Matth. Tab. Tragon Matthioli, Lugd. Lob. Ger.* ☿

Explicatio partis Tab. trigeſimæ tertiæ Sectionis quintæ.

1. K*Ali* majus ſemine cochleato, Ger. Kali, Matth. Dod. Kali magnum Penæ, Lugd. Mauritani quaſdam plantas Kali & Alkali vocant, ex quibus uſtis ſal fit, *Alkali* ab iiſdem dictum. Plures recenſentur ſpecies apud authores, nulla antiquis videtur nota fuiſſe aut deſcripta, tantum abeſt ut ſal Kali quod vocant ex unâ iſtarum uſta, aut quod magis mirum eſt fuſa, fieri noverint, vix tacituri ſi ſciviſſent: quare ut nomen ſic & plantam ipſam & modum ſalis illius parandi videmur Græcis recentioribus aut Philoſophis Arabicis Chimiſtis & Hyalurgis debere. Prima ſpecies hic picta in fronte Tab. 33. notior eſt in maritimis Galliæ Narbonenſis, ubi tum ſponte, tum ſata, campos maritimos frequenti caulium rubentium operit purpurâ. Fruticat caule cubitali & ſeſquicubitali, ramoſo, Portulacæ concolore: foliis denſis, anguſtis, Sempervivi medii ſive minoris teretefolii duplo longioribus, acutioribus, inter quæ ſemina limacem puſillam vel ſpiram imitantia, colore fuſco, folliculis Malvæ ritu occluſa. Minus obvia hæc Septentrionalibus, imo nuſpiam fere. Iſtius copia per initium Autumni coacervatur, metæ inſtar, ſuper ſcrobe, cui ligna inſunt decuſſatim inſtructa, quibus accenſis herba uritur & in profundum ſcrobis defluit, ubi cogitur in glebam coloris nigricantis & cinerei, quod Kali & Alkali ſicut & herbam ipſam nominant. Galli *Soude* vocant ad vitrum conficiendum, quod in Italiam & Septentrionem ex Gallia Narbonenſi & Aquitania defertur. Urit non ſecus ac cauſticum [eoſdem ad uſus collectum] marini coloris. Narbonenſes primam ſpeciem hanc in Tabula pictam aliò tranſmittunt.

2. *Kali*

2. *Kali* Siculum lignoſum floribus pentapetalis membranaceis, Boccon. Radices hujus robuſtæ ſunt, atque altius in terram deſcendunt, ſubinde humano crure vel etiam coxa craſſiores: ab his virgæ plures, lignoſæ exoriuntur, in tenues ramulos diſtributæ: circa quos folia Kali minoris non temere ſparſa, ſed bina ſemper ex adverſo ſcite poſita reſpondent: flores æſtate albi, pentapetali, patuli, membranacei inſtar alarum papilionis, qui longo ordine, ſpectabili elegantia, denſe congeſti ramulos omnino geniculatim onerant: ſemen cochleatum exigua rubente tunica coopertum. Juxta Saccam, Catanam, & Agrigentum reperit Paulus Boccone ubi vocatur ab indigenis *Liuta* atque ejus cinere in linteis mundandis & dealbandis maxime utuntur. Vide Tab. 31, & 32. plantarum Siciliæ, Melitæ, &c. Pauli Boccone, ubi duas pluresve exhibet Icones, nempe Kali florens & non florens, & ſemine prægnans.

3. *Kali* minus album ſemine ſplendente, C. B. P. Kali album, Dod. Kali minus, Ad. & Icon. Lob. Lugd. Eyſt. Ger. Eiſdem natalibus gaudet cum reliquis, ora ſcilicet maritima, ſed foliis ac caulibus eſt minoribus multo, minuſque carnoſis, anguſtioribus, nec ita rubentibus, ſed ex pallido virentibus, unde vulgo *Blanchette* apud Gallos quaſi Kali album vocatur: ſemen exiguum, nigrum, Urticæ ſimile. Non ſolum calidioribus regionibus, ſed etiam ad Septentrionem Angliæ, Neuſtriæ Belgioque familiaris eſt hæc Kali ſpecies.

4. *Kali* Craſſulæ minoris folio, C. B. P. Kali floridum repens Aizoodes Neapolitanum, Col. part. 2. Maritima etiam eſt hæc nova planta noſtro mari frequens, inquit Columna, occidentalibus expoſita, quæ ex minuto admodum, arenæ inſtar, ſemine facile oritur non modo in ſalſuginoſis maritimis, ſed etiam in mediterraneis. Radiculam promit fibroſam, initio parum ſuperne rubeſcentem, & ex illa bina, craſſa, carnoſa, veluti vermiculata, ſed latiuſcula foliola profert, ſupra humum expanſa aut parum elata, ex quorum ſinu bina alia digitali longitudine, parum canaliculata & rotundiora, Aizoi ſecundi Dioſcoridis æmula emittit, in ſummo parum craſſiora, deinde ex adverſo alia bina, & ſic deinde in viticulos producta geniculatim alia, ut in ramos dividatur, & in terram procumbat; ſed adulta reſupinis aſſurgit parum viticulis, in quibus alternatim folia erumpunt, & ex illis ſingulæ alæ; in quibus flores in craſſis petiolis, medio die ſole illuſtrato præſertim dehiſcunt, candidis barbulis, tenuibus, radiantibus, multi numero, utplurimum medium exiguum umbilicum luteum habentes, ex exiguis luteis ſtaminulis compoſitum, quæ facile mane & ſero occulantur clauſo flore, recedente præſertim ſolis aſpectu: his fructus ſuccedit quinque angulis definitus, totidemque apicibus carnoſis vallatus, in quo ſemen copioſum, minutum, ex nigro fulveſcens continetur, & calyx ſtellatus quinquepartita linea dehiſcit ut ſemen decidere poſſit perfectum, atque in hoc Aizoi calyci non parum diſſimilis. Auguſto menſe floret & Septembri ſemen perficit. Tota planta ſalſo admodum ſapore eſt guſtui, ut ſal ipſum guſtare cenſeas; ſuccoſa porro & carnoſa eſt, aſpergine quadam ſplendida hirſuties viticulorum & foliorum depicta eſt ut argenteum quid vel potius chriſtallinas micas habere videatur. Radix parum flavicans tenuibus & longis fibris humum petens. In terrenis editis locis maritimis, non arenoſis oritur. Sata in hortis læte provenit, verum gracilior. Hujus plantæ cinis ignitus facile coit & congenerum more in vitrum tranſit, vehementiore ſaltem igne.

5. *Kali* Ægyptiacum foliis valde longis & hirſutis, C. B. P. Kali 3ia. ſpecies, Profp. Alpin. de Exot. Kali Ægyptiacum, Park. Unico caule exit in plures cauliculos ſeſe findens, procumbentes, qui utplurimum recti ſunt: ſingulis geniculis bina foliola, longa, ſubhirſuta adnaſcuntur, verſus terram etiam ſeſe reclinantia propter eorum longitudinem: cauliculi tenuiores, nudi ſunt, foliis privati uſque ad cimas, ubi plurima folia, longa, hirſuta proveniunt, præcedentis haud diſſimilia, ſed multo breviora, inter quæ producuntur flores tenues, ex purpura candicantes, multis tenuibus ſtaminulis in medio ornati.

6. *Kali* Arabum 1. genus Rauwolfii, Lugd. Gal. App. Kali Arabicum, J. B. Chabr. Kali minori noſtrati haud abſimile eſt, deinde prodit cauliculorum agmine, in varios ſurculos, graciliores diviſorum: quibus ſummo tenus adhærent capitula penitus repleta, ſub quibus anguſtiſſima acuminataque foliola formâ & viribus Kali minoris jam dicti, cum lævi quadam acrimonia, inferna parte penitus alba, ſuperne cineracea, inquit Rauwolfius, cui dicitur Kali Arabum 4. genus, Ægyptiis *Uſnen* dictum, incolis *Schinan*. Kali Arabum 1. genus, Lugd. Hiſt. pag. 19. App.

7. *Kali* geniculatum alterum vel minus, C. B. P. Kali Arabum 2. genus Rauwolfii, Lugd. Gal. App. Hoc ex radice craſſa ſatis multos ſurculos ſucculentos, geniculatos, pedales & bipedales protrudit: in quorum ſummis faſtigiis proveniunt ſpicatim multi floſculi muſcoſi & herbidi; quibus ſubveniunt ſemina nigra, oblonga. Surculi ad genicula craſſeſcunt & ſuperius internodium videtur inſeri in inferius ſemper, unde obſervantur inferiora internodia craſſiora ſuperioribus.

8. *Kali*

8. *Kali* geniculatum majus, C. B. P. Salicornia, Dod. Kali Kellu Ægyptiis. Hanc Salicorniam recentior ætas appellat, eſt enim inter Kali ſpecies annumeranda; tametſi minus ad uſum expetatur. Kali articulatum nonnulli vocant. Cauliculis aſſurgit teretibus, cubito altioribus, ramoſis, crebris geniculis articulatis abſque foliis, qui uti prioris Kali minus dicti ſuo tempore rubent: radix fibroſa eſt: ſuccus hujus uti ſuperioris ſalſus quoque ac mordax. Multo frequentiſſima eſt hæc planta in quibuſlibet maritimis oris cum oceani, tum mediterranei maris, quæ Salicornia vulgo vocatur, ſive Kali geniculatum, ſed effigie multum diverſa & cujus folia videntur teneri turiones ramulorum; ſunt enim è radice fibroſiore permulti cauliculi, cubitales, recti, denſius geniculati, extremis quaſi foliis craſſis, pinguibus, carnoſis: fructibus rubentibus crebris geniculis inſertis pixidatim quaſi parvorum alabaſtrorum inſtar, quadam Equiſeti ſimilitudine, & cornua recta, obtuſius mucronata imitantibus; guſtu non inſulſo, nec temperamento aut uſu à cæteris diſpari, ſed ubique neglecta.

9. *Kali* fruticoſum minus flore minore, nobis. Sedum minimum arboreſcens, Lob. Lugd. Huic, inquit Lobelius, omnium longe minimo quoad folia vermiculata, ex Syria aſportato folia ſunt quam Sedi minoris vermiculati minora minuſque ſpiſſa: cauliculi ſunt cubitales & bicubitales aliquando: in quibus ad alas luteoli flores minores, herbacei apparent: radix in multas radiculas fibratas finditur deorſum verſus, ſuperius ſatis craſſa & lignoſa lignoſoſque emittit ſurculos perpetuis foliolis vermiculatis, ex glauco viridibus, denſe ad genicula onuſtos.

10. *Kali* fruticoſum majus alterum flore majore, nobis. Vermiculatus frutex major, Lugd. Vermiculati fruticis varietas major, Lob. Icon. Huic ſunt folia minus acuta, anguſta, craſſa, glauca itidem Sedi vermiculati formâ. Tota planta major & lignoſior fruteſcit omnino, & eſt ſubfrutex lignoſus: flores producit itidem ex herbaceo luteos, ſed majores: ſemina ſunt uti Kali nigra, & hac ratione ducti hos duos fruticulos averruncavimus à Sedis, atque ſuis conſortibus Kali ſpeciebus adjunximus.

2. *Kali* ſpinoſa affinis planta, nobis. Tragum, Matth. Tab. Tragon Matthioli, Lob. Lugd. Ger. Hæc planta eſt ſpecies Kali ſpinoſa: caules protrudit pedales, aliquando altiores, ſeſe in plurimos ramuſculos tortuoſos findens, multis ſcatentes foliis craſſis, ſucculentis & ſpinoſis, coloris & formæ Aizoi: ex alis exeunt lappulæ ſpinoſæ, quales cernuntur in Tribulo terreſtri.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Kali *calidum & ſiccum eſt, ſiccior vero & calidior ipſius cinis, qui ad quartum qualitatis utriuſque gradum accedit. Urendi hic & cauſticam vim habet, colliqueſcunt hoc contriti lapides & in materiam aptam vitreis vaſis conficiendis & conflandis diſsolvuntur. Intra corpus exigua herbæ hujus quantitas aſſumpta non modo urinas, ſed & menſes potenter evocat: fœtum tam vivum, quam mortuum ejicit: aquoſos per alvum humores ducit & hydropicos purgat. Major quantitas pernicioſa eſt & exitialis. Fugantur hujus herbæ dum uritur & odore & fumo ſerpentes. Miſcetur vero cinis & iis quæ ad ſcabiem & cutis fœditatem faciunt medicamentis: ſuperfluam ac excreſcentem in malignis ulceribus carnem facile adimit, ut Avicenna & Serapio referunt. Flos chriſtalli, ſive ut vulgo Axungia vitri, inſigniter reſiccat, ſcabiem cutiſque fœditates facile tollit, ſi aqua in qua decoctus aut potius infuſus partes infectæ crebrius foveantur & laventur. Kali 2. Alpini, C. B. P. Chabr. Kali hæc ſpecies Kali album nonnullis dicta planta eſt ſalſa atque acri ſapore prædita linguam feriens, teſte Alpino. Kali cochleatum majus eſt Anthyllis ſalſa quam popularis meus Johannes Major, quondam Univerſitatis Pariſienſis rector magnificus, his verſibus deſcribit,*

E cineris maſſa ſalſaque Anthyllidis herba
Formari flammis lucida vitra ſolent.
Sic cinis ater eram, cineres nunc ſolvor in atros;
Sed nitidum corpus ſummo habebo die.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI,
Aliorumque Authorum.

P*Ag. 284. col. 1. pl. x. Sedum minus fruticoſum, C. B. P. Sedum minimum arboreſcens vermiculatum, Lob. Lugd. Ibidem pl. xI. Sedum minus fruticoſum alterum, C. B. P. Vermiculati fruticis varietas major, Lob. Sedum eſt planta pentapetala ſeu quinis petalis conſtans, atque flori evaneſcenti ſuccedunt plura loculamenta diſtincta, ſemina plurima in ſe continentia cujuſcunque ſint formæ & figuræ folia; atque hæ duæ plantæ non pollent hiſce conditionibus; ergo male ad Sedi ſpecies ab authoribus primo, deinde a Caſp. Bauhino referuntur, cum nil niſi folia cum Sedo minore tereti folio ſeu vermiculato commune habeant. Folia enim uti ſæpe a nobis dictum non faciunt ad genus conſtituendum: florem autem & ſemen nigrum minutum gerunt Kali, idcirco Kali folio vermiculato ſpeciebus accenſendæ ſunt.*

DE MOLLIENTIBUS

Floribus herbaceis ſeminum iuvolucris hirſutis ſeu aſperis donatis.

CAPUT XLI.

MERCURIALIS CYNOCRAMBE ſeu PHYLLON.

Λινόζωϛις, παρθένιον, ἑρμȣ̃ βοτάνιον *Dioſcoridi l. 4. c. 191. Linozoſtis ſive Parthenium Mercurii inventum (Plin. l. 25. c. 5.) ideo Græcis* ἑρμȣ̃ πόα, *apud nos Mercurialis. Theophraſti 9. Hiſt. 19.* φύλλον *cenſetur.*

Genera Dioſcoridi, femina eſt & mas, & Linozoſtis ſilveſtris mas, quam κυνίαν ἢ κυνοκράμβην *vocat. Theophraſto feminifica & mariſica: Plinio mas & femina.*

Mercurialis ſeu Cynocrambe eſt planta emolliens floribus herbaceis & ſeminum involucris hirſutis ſeu aſperis binatim junctis, in quorum ſingulis unicum continetur ſemen. Eſt enim vel teſticulata ſeminis fæcunda, vel ſpicata ſterilis ſeu femina. Cynocrambe diſtinguitur à Mercuriali non partibus ſuis eſſentialibus, ſed primo duratione, ſecundo foliis conſtat viridioribus, eſt enim planta perennis radice repente prædita, eſtque vel teſticulata mas, vel ſpicata femina. Phyllon neutiquam itidem differt à prædictis quoad flores & ſemina teſticulata; eſt enim planta perennis ſicut Cynocrambe, ſed maritima, incana lanugine obducta, quibus notis facillime inter ſe diſtinguuntur Mercurialis annua, Cynocrambe foliis ſaturate viridibus radice late repente, & Phyllon foliis & caulibus incanis lanugine alba obductis.

Pars TABULÆ XXXIV. Sectionis quintæ.

- *Mercurialis*
  - *Annua*
    - 1. *Teſticulata ſive mas Dioſcoridis & Plinii, C. B. P. Mercurialis mas, Matth. Fuch. Dod.* ☿
    - 2. *Spicata ſive femina Dioſcoridis & Plinii, C. B. P. Mercurialis femina, Matth. Dod. Ad. Obſ. & Icon. Lob. Lugd. Tab. Ger.* ☿
  - *Perennis*
    - *Montana*
      - 3. *Teſticulata, C. B. P. Mercurialis canina mas, Col. Mercurialis femina Matth. Fuch. Dod.* ⊙
      - 4. *Spicata, C. B. P. Mercurialis canina femina, Col. Cynocrambe femina, Cam. Ep. Cynocrambe ſive Mercurialis femina ſilveſtris, Cam.* ⊙
    - *Incana Monſpelienſis Phyllon dicta*
      - 5. *Teſticulata, nobis. Phyllon teſticulatum, C. B. P. Phyllon arrhenogonon, Lob. Icon. Lugd.* ⊙
      - 6. *Spicata, nobis. Phyllon ſpicatum, C. B. P. Phyllon theligonon Theophraſti, Dod. Phyllon mariſicum, Cluſ. Hiſt. Ger. Park.* ⊙

§. 1. *MERCURIALIS ANNUA.*

Explicatio partis Tab. trigeſimæ quartæ Sectionis quintæ.

1. *Mercurialis* teſticulata ſive mas Dioſcoridis & Plinii, C. B. P. Mercurialis mas, Matth. Fuch. Dod. Ad. Lob. Lugd. Tab. Ger. Mercurialis fructum ferens, Cæſ. Mercurialem marem à femina folia minime diſtinguunt, quæ inter ſe ſimillima ſunt, lævia, glabra, mucronata, leviter virentia, in ambitu ſerrata, ſapore nitroſo, calidiuſculo & nauſeoſo: caules utrinque anguloſi, ſpithamei, aliquando pedales, ac etiam altiores in pingui ſolo, geniculati, quos verticillatim cingunt floſculi herbacei, viridiuſculi, muſcoſi, qui in quatuor petala parva, herbacea, ſeſe explicantes cirros apiculorum luteorum aut herbidorum oſtentant: quibus ſingulis ſuccedunt bina ſeminum involucra, hirſuta, aſpera, brevibus pediculis nitentia, continentia ſingula unicum ſemen ſingulare, parvum, rotundum. Involucra, teſte Dodonæo, ad Aparines ſemina pelliculâ hirſutâ tecta accedunt, compreſſiora tamen: radix tenera & fibrata.

2. *Mercurialis* ſpicata ſive femina Dioſcoridis & Plinii, C. B. P. Mercurialis femina, Matth. Fuch. Dod. Ad. Obſ. & Icon. Lob. Lugd. Tab. Ger. Mercurialis florens, Cæſ. Mercuriali feminæ veluti exiguæ ſunt ſpicæ, in quibus ſpicatim muſcoſi, tenues, cohærent floſculi, qui inaniter & fruſtra decidunt abſque fructu & pereunt nullo ſuccedente ſemine. Reperitur Mercurialis cum mas, tum femina annua in hortis oletoriis & vinetis aliiſque locis humentioribus & ſecus hortorum ſepimenta.

§. 2. *Mer-*

§ 2. *MERCURIALIS perennis ſilveſtris Cynocrambe dicta.*

3. *Mercurialis* montana teſticulata, C. B. P. Mercurialis altera vel montana, Cæſ. Mercurialis canina mas, Col. Cynocrambe, Matth. Fuch. Dod. Ad. Lob. (qui unâ figura utramque expreſſit) Lugd. Cam. Cynocrambe ſilveſtris hæc Mercurialem priorem annuam ſatis refert: cauliculi ejus tenelli, firmiores, dodrantales ſunt: folia atrius virent, & ſunt majora: ſemina bina in duobus teſticulis hirſutis clauduntur, unicuique unicum: radix fibroſa, candida, late ſub terram progrediens ſerpit; unde foliis atrius virentibus, & radice longe lateque ſerpente, diſtinguitur à Mercuriali mare annua vulgari. Tota herba viroſi odoris ingratum redolet: in ſilvis ac aliis perinde umbroſis gignitur: viret vigetque eodem quo altera Mercurialis mas prior anni tempore: ſemina continentur in involucris hiſpidis binis, membranaceis ſepimentis diſtinctis, in uno pediculo tergemina. Tota æſtate viget utraque & hæc Cynocrambe mas ſeu teſticulata, & femina, hyeme plurima parte intercidit.

4. *Mercurialis* montana ſpicata, C. B. P. Mercurialis canina femina, Col. Cynocrambe ſive Mercurialis femina ſilveſtris, Cam. Cynocrambe femina, Cam. epitom. in Matth. ed. Bauh. In Cynocrambe hac femina ex foliorum alis pediculi ſurriguntur tres aut quatuor aut quinq; pedem longi, tenues, ſtriati; in quibus floſculi herbacei in ſpicam digeſti, ternis foliolis herbaceis conſtantes; in quibus ſtaminula herbacea: floſculi, inquam, ſpicatim proveniunt herbacei inutiliter, & exareſcunt pereuntque nullo relicto ſemine: nunquam ex feminæ hujus Cynocrambes ſilveſtris floribus proveniunt ſemina.

§. 3. *MERCURIALIS perennis marina incana Phyllon dicta.*

5. *Phyllon* teſticulatum, C. B. P. Phyllon mas ſeu arrhenogonon mariparum, Ad. Lob. Phyllon arrhenogonon, Lob. Icon. Lugd. Phyllon mariſicum, Cluſ. Hiſt. Park. Ger. Phyllon hoc Arrhenogonon, alterum vero Theligonum dicitur. Phyllon arrhenongonon & Theligonon folio incano Monſpelienſium pedales & cubitales habent caules, multos, totos candido tomento pubeſcentes, & per æſtatem ligneſcentes, qui in ramos ex adverſo poſitos ordine certo abducuntur: folia oblonga & ſubrotunda, craſſiuſcula, nervoſa, mollia, lanugine incanâ tecta, ad caulium articulos oriuntur: floſculi in mare quidem minimi, ad juncturas brevibus pediculis nixi, vix apparentes, ante fructus ſunt duo apices colore Ochri pallido: fructus autem ſunt gemelli, teſticulati, ut in Mercuriali mare & Cynocrambe mare binis villoſis & incanis loculis teſticulorum more comprehenſi: ſemina, inquit Lobelius, ut minoris Heliotropii exiliunt, immatura albida, matura vero cyaneo nitent colore, rotunda & quam Piperis majora, guſtu fervida & nonnihil pinguia: radix lignoſa, exilis: flores ſpicati racemoſique veluti in Mercuriali annua. Monſpelienſibus hæc planta merito Phyllon Dioſcoridis appellata eſt, quamvis ἐλαιόφυλλον vocari tradit propter ſimilitudinem forte quandam quam habet cum Olea: folia enim habet oblonga & candicantia ut Oleæ folia: item Bryoniæ accedit propter florem muſcoſum, ex herbaceo viridem.

6. *Phyllon* ſpicatum, C. B. P. Phyllon theligonon Theophraſti, Dod. Lugd. Feminificum, Ger. Cluſ. Hiſt. Park. Tab. Hæc Mercurialis perennis marina incana Phyllon feminificum dicta, neutiquam diſtinguitur à mare niſi quod ſpicas floribus onuſtas gerat ſine ſeminibus ſuccedentibus, quod contingit in Mercuriali annua & perenni Cynocrambe dicta. Utraque naſcitur, ut ſcribit Cluſius, in multis Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis locis, ſecundum vias, ubi Aprili, interdum maturius floret. In Belgio vero non niſi æſtate & ſingulis annis ex ſemine germinat, apud nonnullos herbariæ rei ſtudioſos has plantas vidi, inquit Joh. Bauhinus, Circa Monſpelium Auguſto vigentes & florentes & ſemina ferentes, menſibus interdum Aprili, Maio & Junio.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Mercurialis *annuæ cum maris, tum feminæ caules & folia tum in potu, tum olerum modo in cibo accepta vim habent alvum molliendi, emolliunt enim & abſtergunt, unde hodie in enematis frequentiſſimus Mercurialis eſt uſus & ſucco itidem plurimum utuntur ſeplaſiarii & pharmacopæi ad mel mercuriale conficiendum, quo ad ſopitam vim expultricem excitandam atque ad ciendam, detergendam atque eluendam alvum, nil aptius. Tolluntur utriuſque Mercurialis ſucco, vel tritis foliis parti appoſitis, omnis generis verrucæ: item ſemen cum Abſynthio decoctum ictericos mirifice juvare teſtantur Matthiolus & Ruellius: decoctorum foliorum juſculum bilem & aquoſa ducit. Mercurialis calida quidem & ſicca eſt temperatura, neutra tamen primum gradum excedit: abſtergentem viſcera (ut ait Galenus) obtinet & digerentem facultatem. Mirum quod*

 tradunt

tradunt Dioſcorides & Plinius ſi feminæ poſt purgationes admoveatur Mercurialis femina tritave bibatur, ut femina concipiatur efficere: ſin vero maſcula, marem generari.

Cynocrambe *facultate priori reſpondet, folia quidem cum cauliculis alvum movent & inter olera recipi queunt, & decoctæ herbæ jus pituitam, bilem & aquoſa detrahunt, uti Dioſcorides ſcribit.*

Phylli *arrhenogoni potu maſculi ſexus fieri partus, ut Theligoni feminei, Theophraſtus & Dioſcorides ſcriptum reliquere. Salmanticenſes utriuſque decoctum omnibus animalibus à cane rabido demorſis propinant magno ſucceſſu. Granatenſibus vero Mauritanis præſertim ad muliebres morbos magno in uſu eſt Phyllon.*

DE PENTAPETALIS

Seminum involucris ſuperius hiſpidis ſeu hirſutis binis terniſve ſeminibus repletis donatis.

CAPUT XLII.

EUPATORIUM GRÆCORUM ſeu AGRIMONIA.

Eπατώριον *Dioſcoridi l. 4. c. 41.* ἡπατόριον *Oribaſio in collectionibus &* ἡπατῖτις, *id eſt Hepatica, quod hepati medeatur. Plin. l. 25. c. 6. Eupatoria regiam authoritatem habet. Sunt qui velint nomen ab inventore Mithridate cognomento Eupatore habere.*

Eupatorium Græcorum ſeu Agrimonia eſt planta pentapetala, foliis multis alatis & hirſutis, uno extremum claudente, & ſeminum involucris hiſpidis Lappulæ inſtar in ſuperiore parte, in cujus gremio bina, terna quaternave ſemina continentur, pars involucri verſus petiolum curtum lævis & glabra eſt, ſeminis involucrum maturum ruffeſcit & cernuum ſeu propendens eſt.

Pars TABULÆ XXXIV. Sectionis quintæ.

Eupatorium Græcorum ſive Agrimonia
- 1. *Inodora ſeu minus odora, nobis. Eupatorium Græcorum, Ad. Lob. Eupatorium verum, Lugd. Agrimonia, Dod. Cæſ.* ⊙
- 3. *Odora Santonenſis ſeu Blæſenſis, nobis.* ⊙
- 3. *Odoratiſſima ſeu maxime odorata Romana, nobis. Eupatorium alterum odoratum & aromaticum, Col.* ⊙

4. *Agrimoniæ ſimilis planta, C. B. P. Agrimonoides, Col.* ⊙

Explicatio partis Tab. trigeſimæ quartæ Sectionis quintæ.

1. E*upatorium* veterum ſeu Agrimonia inodora ſeu minus odora, nobis. Eupatorium Græcorum, Ad. Lob. Eupatorium, Matth. Fuch. Tur. Tab. Eupatorium verum, Lugd. Agrimonia, Dod. Lon. Cæſ. Folia profert Agrimonia oblonga, in plures utrinque lobos diviſa, ſingula è regione rachi ſeu coſtæ mediæ adhærentia, Cannabis foliis particularibus ſimilia, ſed latiora & molliora minuſque ſaturo colore virentia, hirſuta, in ambitu ſerrata ſeu ſecundum margines profunde crenata: caulis tenuis, rectus, hirſutus itidem, cubito altior, duriuſculus, ſubnigricans: à cujus medio ſurſum verſus floſculi exeunt parvi, lutei, pentapetali, cum pluribus ſtaminulis in ipſorum medio luteis itidem; quibus ſingulis defloreſcentibus ſemina ſecundum caulis ſuperiorem partem ſpicatim, ficut flores antecedenter, proveniunt: involucra ſeminum ſunt hiſpida Fabæ equinæ magnitudine fere, quæ deorſum nutant ſeu reclinantur matura ſubrubent & prope inambulantium laneo veſtitui adhærent lappularum modo: ſemina bina, terna, quandoque plura in loculamentis diſtinctis continentur: radix oblonga mediocris craſſitudinis eſt & ſubnigricat. Planta eſt perennis: in locis parum cultis ſecus vias, ſepimenta pratorum ac arvorum, & quandoque in ſilvis exit. Junio menſe ac ſerius floret: ſemen deinde in multam æſtatem facit, uſque in Autumnum durat in caulium ſuperioribus partibus. Dicitur & Lappa inverſa, quod ſemina Lapparum inſtar aſpera, & ſpinulis prædita, deorſum pendentia producat; Eupatorium autem ab Eupatore inventore nomen & Regiam, inquit Plinius, authoritatem habet.

2. *Eupatorium* odoratum Santonenſe ſeu Blæſenſe, Agrimonia medio modo odorata, nobis. Hæc folia habet ad eundem modum conſtructa quo prior vulgaris, ſed magis odorata, minus autem

autem quam Romana ſeu ſequens, & ut ait Lobelius in Xantis Pictaviæ Galliæ finitimis ſilvis editur Agrimonia, quam odoratam vocant propter odorem multo fragrantiorem, eamque in hortis colebat ſuperioribus annis eruditus medicus Lamoureus, inquit Lobelius Adver. Pag. 308. Nos hanc Agrimoniæ ſpeciem invenimus in ſilva cædua & ſecundum margines pratorum adjacentium ſilvæ cæduæ dictæ *le Coſtè de Chaile* primo aut ſecundo lapide ab urbe Blæſis diſtanti.

3. *Eupatorium* maxime odoratum, nobis. Eupatorium Dioſcoridis odoratum, Caſt. Eupatorium alterum odoratum & aromaticum, Col. Agrimonia odorata, Cam. Hæc Agrimonia à prædictis differt, primo colore foliorum minus viridi, ſecundo altius attolluntur caules: tota planta major eſt prædictis, denique odorem ſuffundit fragrantiorem, ſeminum etiam involucra ſpinoſiora multo cæteris prædictarum Agrimoniarum involucris ſunt, craſſiora, majoraque, in hiſce notis præcipua conſiſtit differentia. Hæc eſt vera & genuina Agrimonia Dioſcoridis odorata & aromatica; ideo præferenda vulgari inodoræ & ingratæ. Mirum quidem naturæ inſtitutum ut in iiſdem pratis oriſque ſilvarum tam brevi intervallo ſeu diſtantia vulgarem prope villam *Chaile*, & ad margines pratorum illic ſitorum reperias odoratam priorem ſeu ſecundam odoratam, ut ab illa diverſam unuſquiſque, niſi flore & fructu eadem eſſet, judicaret, ſed odor fragrantiſſimus & color foliorum dilutius viridis ſtatim determinat eam eſſe diſtinctam à vulgari ſpeciem. Hæc etiam tertia major colore eſt florum pallidiore, tactu viſcoſo & odoris fragrantia nobilior & ſapore aromatico jucundiſſimo aſtringente: radice eſt ex nigro rubente, fibroſa, cum reliquis vero excepta magnitudine & odore aromatico eadem diceretur. Æſtate & Autumno reperitur perfecta: folia lobatim adhærent ex adverſo coſtæ mediæ uno extremum coſtæ claudente, ſerrata, dilute viridia, viſcoſa, valde odorata. Provenit in agro Romano juxta Præneſte in eodem colle & ſemita, & in agro *Mainello* utramque & vulgarem & odoratiſſimam hanc Romanam invenit Fab. Columna. Floret æſtate, atque Autumno ſemina ad maturitatem perducit. Has Agrimoniæ tres diſtinctas ſpecies in horto publico Univerſitatis impræſentiarum cultas habemus.

4. *Agrimoniæ* ſimilis planta, C. B P. Agrimonoides, Col. Propter aliquam cum Agrimonia quam habet ſimilitudinem hanc plantam Agrimonoidem appellavimus, inquit Columna, cum alio referre ignoraremus. Hujus radix parva eſt & fibroſa, lignoſa & rubeſcens: folia habet terræ proxima, longis, hirſutis, dodrantalibus, rubeſcentibus coſtis hærentia, Fragariæ ſimilia ſed nigriora & plura è regione coſtæ eidem mediæ adhærentia & Agrimoniæ modo diſpoſita, plurima majora, inter hæc alia parvula etiam binatim diſpoſita interſunt, ut in Agrimonia obſervatur, hirſuta omnia, mollia, per ambitum ſerrara, dentibus ſeu ſerris Agrimoniæ minutioribus & acutioribus, verum rotundiora: caules producit plures, veluti ſupinos, hirſutos, rubentes, alis tribus vel quatuor diviſos, in quibus folia minora hærent, pauciora atque rotundiora, auriculas habentia circa caulem, ut in congeneribus: in quorum ſummo tres aut quatuor inſunt utriculi, hirſuti, aſperi Cytinorum more & formâ, parvis multis inciſuris per ora fimbriati, luteum habentes florem parvum Agrimoniæ, quem in aliquibus locis vix exerit, ſed intus poſt illum teſte Columna, fructum concipit. Campoclari vero illum explicare omnino obſervavit: quo deciſo fructus producitur oblongus, rotundus, Tritici grano æqualis, laginariæ Cucurbitæ modo binis fere tuberibus formatus, & perfectus ex ſe decidit hiantem utriculum relinquens. Aprili menſe floret, & Maio perficitur ſemen. Sapore eſt abſtergente, ſiccante & amaro. Odorata etiam eſt, media inter bene olentem & vulgarem Agrimoniam. Locis incultis inter vepres & frutices ad Mateſii radices invenit Columna, ſeptentrionem reſpicientibus humentibuſque, & in Æquicolorum poſtea montibus etiam in meridiei averſis locis umbroſis. Hanc propter amarorem facile quis pro Arabum Eupatorio ſupponere poterit, quamvis non ita ſit inſignis amaritudinis & fortis, ut dicunt, ei æquiparari poterit ex ſententia Columnæ.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Citra manifeſtam caliditatem aſtringendi mediocrem vim Agrimonia obtinet, & unà temperiem ſiccam. Galenus Eupatorium tenuium eſſe partium aſſerit, & incidendi expurgandique facultate præditum, quocirca & jecinoris obſtructiones expurgare & ſimul viſceribus robur aſtringendi ſua facultate addere decoctum foliorum; hepaticis & nephreticis ſanguinemque ſpuentibus & mingentibus confert ſemen, Plinio authore, dyſentericis in vino potum auxiliatur. Addit Dioſcorides jecinoroſis & à ſerpentibus commorſis auxilio eſſe. Contrita folia cum adipe ſuillo impoſita ulceribus difficilem cicatricem contrahentibus medentur Dioſcoride quoque auctore; radix craſſior, foris fuſco rubore prædita, dura, exſiccante & moderate aſtringente facultate, adeo apta internis

 affecti-

affectibus ut decoctum dilutumve colore limpido vini albi placeat, & potum viſcerum hepatis præſertim tonum reſtituat, intemperiemque ſedet omnem, corrigat obſtructiones & reſeret eóque ſuccum officinæ expreſſum in trochiſcos ſervant. Petrus Bembus Cardinalis eloquentiſſimus aſſeruit ad arenulas è renibus expellendas nihil utilius ſe reperiſſe, quam aſſiduum uſum aquæ ſtillatitiæ ex Agrimonia ſive Eupatorio Græcorum. Hæc Cam.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

PAg. 320. col. 1. pl. 1. Eupatorium Cannabinum, C. B. P. Eupatorium Avicennæ creditum, Col. Eupatorium vulgare, Matth. Tur. Dod. Lugd. Hæc eſt planta papposa in paludoſis & humidis proveniens; idcirco papeſcentibus in Sectione ſeptima a nobis exhibendis adjungi debet, non obſtante nomine Eupatorii ab authoribus aſſignato, nullatenus convenit cum Eupatorio Græcorum ſeu Agrimonia in partibus eſſentialibus; ergo vitio vertendum Caſparo Bauhino, qui motus nomine Eupatorii, cum Eupatorio Græcorum ſeu Agrimonia aſſociaverit.

Pag. 321. col. 1 pl. 11. Cannabina aquatica folio tripartito diviſo, C. B. P. Hepatorium aquatile, Dod. Bidens folio tripartito diviſo, Cæſ. Ibidem pl. 111. Cannabina aquatica folio non diviſo, C. B. P. Eupatorium Cannabinum femina Septentrionalium, Ad. & Icon. Lob. Hæ plantæ cum ſint corymbiferæ ad Corymbiferas Sectione ſexta a nobis diſpoſitas referendæ ſunt; ergo male hic a Caſparo Bauhino (habita ratione nominis Eupatorii, ut ubique authores primo, & Caſp. Bauhinum ſecundo facere obſervamus, nulla habita ratione notæ genericæ & eſſentialis quæ toti generi convenit, aut ſaltem convenire debet ex libro naturæ) collocantur. Ibidem col. 2. pl. VI. Agrimoniæ ſimilis C. B. P. Agrimonoides, Col. Foliorum aliquam cum præcedentibus Agrimoniis vere ſic dictis ſimilitudinem habet, ſed florem, ſemen & capſulam ſeminalem diverſimodi factam; ergo non eſt vera & genuina Agrimoniæ Græcorum ſpecies, ſed nos, ut inquit Fabius Columna, neſcientes quo alio referre adjunximus Agrimoniæ propter aliqualem, quam habet in foliis hirſutis ſimilitudinem.

DE PLANTIS
Floribus muſcoſis ſeminum involucris hiſpidis donatis.
CAPUT XLIII.
SANICULA.

SAnicula officinarum à ſanandis vulneribus nomen traxiſſe videtur. Doctiſſimus Columna ſub Sideritide tertia Dioſcoridis pingit & deſcribit.

Sanicula (prout hic accipitur) eſt planta foliis lucide virentibus, floribus muſcoſis & ſeminum involucris hirtis ſeu hiſpidis donata. Hiſce nominibus ab Auricula urſi & Sedo montano guttato, quæ à viribus Saniculæ etiam authoribus dicuntur, facile diſtinguitur Sanicula hæc Diapenſia dicta.

Pars TABULÆ XXXIV. Sectionis quintæ.

1. *Sanicula officinarum, C. B. P. Sanicula, Trag. Dod. ut. Tab. Eyſt. Sanicula Diapenſia, Ad. Lob. Ger.* ⊙

Explicatio partis Tab. trigeſimæ quartæ Sectionis quintæ.

1. S*Anicula* officinarum, C.B.P. Sanicula, Trag. Dod. ut. Cæſ. Cam. Tab. (cui & Conſolida quinquefolia) Eyſt. Sanicula & Diapenſia, Ad. Lob. Ger. Diapenſia, Brunſ. Matth. Sideritis tertia Dioſcoridis, Col. Folia ſunt huic Saniculæ complura, quæ in oblongis pediculis à radice promit lata, lucide virentia, & quidem rotunda, niſi in partes quinque dividerentur, Vitis foliis idcirco quodammodo ſimilia, ſed minora multo & virentia & lævore nitentia, in ambitu ſerrata extremiſque angulis rubentibus: aſſurgunt inter hæc cauliculi dodrantem aut pedem alti, ad radicem rubentes: in quorum cacumine floſculi muſcoſi, albidi; ſuccedente ſemine rotundo, aſpero ſeu hirſuto involucro incluſo, prætereuntium adhæreſcente veſtibus Lapparum modo: radix ſuperius craſſiuſcula & multis inferius capillamentis fibratur. In ſilvis & umbroſis naſcitur. Gaudet pingui gleba, læto humidoque ſolo: transfertur & ad hortos in quibus adoleſcit. Floret Maio, ac Junio ſemina ſua perficit & maturat. Herbæ hujus folia toto anno virent.

TEMPERAMENTUM & VIRES.

Cæterum Sanicula hæc Diapenſia dicta ut cum aſtrictione quadam guſtu amaricat, ita præter quod expurget & abſtergendo roboret calida & ſicca eſt quidem ordine ſecundo. Succus ad ſananda vulnera datus prodeſt. Datur & decoctum ejus quod ſanguinis ſpuitionem & dyſenterias curat: ſordida etiam vulnera hoc abluuntur. Humores frigidiores diſcutit ac reſolvit in aqua decocta, & cataplaſmatis modo impoſita; miſcetur potionibus quas vulnerarias appellant.

DE DIPETALIS

Seminum involucris hirſutis donatis.

CAPUT XLIV.

SOLANIFOLIA.

Pars TABULÆ XXXIV. Sectionis quintæ.

Circæa { 1. *Lutetiana major*, *C. B. P.* *Circæa Lutetiana*, *Lob. Icon. Dalechampii*, *Lugd. Ger.* ⊙
2. *Alpina minor*, *C. B. P.* *Circæa minima*, *Col.* ⊙ }

Explicatio partis Tab. trigeſimæ quartæ Sectionis quintæ.

1. S*olanifolia* Circæa dicta major, C. B. P. Circæa Lutetiana, Lob. Icon. Dalpii. Lugd. Ger. Circæa, Eyſt. Folia habet Alſines majoris, mucronata & glabra, lucida: caules pedales & altiores in umbra, rectas, fractu faciles: flores ex purpura candicantes, dipetalos atque uniuſcujuſque petalum ad medium bifidum eſt cum multis ſtaminulis fuſcis in medio horum duorum petalorum; nec in tota cohorte herbarum aliam novi, cui natura florem dipetalum largita ſit præterquam Circææ, quæ obſervatio notatu digna: ſeminum involucra ſunt rotunda, hirſuta ſeu aſpera, veſtibus laneis prætereuntium adhærentia: radices ſunt multæ, lentæ, profunde in terram ſe demittentes, & longe lateque repentes, quibus largiter ſeſe propagat, ſimul ac radicem egerit. Vires hujus nondum ſunt detectæ. Eſt enim planta rariſſima, & ſingularis propter flores dipetalos, etiamſi ſit in omnibus ſilvis umbroſis humidis reperta.

2. *Solanifolia* Circæa Alpina, C. B. P. Circæa minima, Col. Hanc Franciſcus Gregorius Capucinus Circæam montanam, pumilam appellavit; adeo ſimilis eſt Circææ Lutetianæ Lobelii, non illi quæ Amara dulcis dicitur & Solanum repens. Circææ majori itidem omni ſui parte adeo ſimilis, ſed adeo puſilla, ut vix Iconem ſuperet à Fab. Columna allatam pag. 78. part. 2. & à nobis Tab. 34. verſus finem; perfecta quidem eſt & ſymmetria reſpondet majori in omnibus, radice, foliis, flore & fructu, quam ſiccam accepit Columna à prædicto patre Gregorio.

HALLUCINATIONES CASP. BAUHINI
Aliorumque Authorum.

Pag. 168. col. 2. pl. 1. Solanifolia Circæa dicta major, C. B. P. Circæa Lutetiana, Lob. Et ibidem pl. 11. Solanifolia Circæa Alpina, C. B. P. Circæa minima, Col. Nil habent affine, imo nec foliis, nec floribus, nec involucris ſeu ſeminum capſulis ſeminibuſve cum Solano conveniunt; ergo male a Caſparo Bauhino collocantur inter Solani ſpecies Bacciferas plantas.

Partis ſecundæ Sectionis quintæ finis.



Section. 5^tæ Tab. 1.
TRICAPSUSULARES LACTESCENTES, CAMPANULATÆ, Glabræ, majores.
Campanula, ſeu Rapunculus.
1. Campanula maj. lacteſcens, lob.
2. Campanula perſicæfolia, lob.
3. Campanula foliis ſerratis cærulea, Eyſt.
4. Campanula fol. ſubrotundis, CB. Prod.
5. Campanula Alpina Glabra fl. dilutiſſimè cæruleo, I.B.
6. Campanula minor magno flore, nobis. Erinus magno flore, Col.
7. Campanula pyramidalis minor, Proſp. Alpin de Exot.
8. Rapunculus Creticus seu Petro=marula Cretica, Park, Theat.
9. Campanula Alpina Tragopogi folio, C.B.P.
Campanula s Rapunculus ſyl: um=bellatus auguſtifolius et latifoli9 Cam; hort.
10.
11.
12. Rapunculus petræus Proſp. Alpin. de exoticis.
Sub auſpiciis Dom. Guilielmi Gape Pharmacopœorum londinenſium ſocii ac magiſtri anno 1672, ſereniſſimi Ducis Eboracenſis a multis annis Pharmacopœi.
Rob. Whit. ſculp.
Gulielmus Sonmans delin.

TRICAPSULARES LACTESCENTES CAMPANULATÆ *Glabræ minores. Section. 5. Tab. 2*



25.
Rapunculus minor fol. inciſis, C.B.P. Erini s. Rapunculi mimmum Gen,9 Col.



26. *Campanula ſeu Trachelium Campanula hirſuta ocimi folio caulem ambiente fl. pendulo, Boccon.*



27.
Campanula maxima fol. latiſsimis, C.B.P. mai. Belgarum, lob.



28.
Campanula maj. et aſperior fol. urticæ, C.B.P.



29.
Campanula s. Cervicaria maj. lævior fl. albo magno, I.B.



30. *Campanula hortenſis fol. & flore oblongo, C.B.P. Viola mariana, Dod.*



31.
Campanula perigrina maxima laciniatis folijs, nobis. medium Dioscor. Raunolfij, Cam. ep. I.B.



32. *Campanula hortenſis Ra=punculi radice repente, nobis. Trachelium in maritimis, lob. ad.*



33. *Campanula fol. echii floribus villoſis, C.B.P. & Prod.*




34. *Campanula folijs Echii, C.B.P. & prod. Trachelium folijs echij, Park.*



35.
Rapunculus montanus folijs Anchusæ, nob. Rapunculus montanus s. Trache=lium montan. I.B.



36. *Campanula Convolvuli flore, folijs anguſtis hirſutis, nob. Campanula lychnidea. I.B.*





Auſpicijs D. Iohannis Chaſe Pharmacopœorum Londinenſium ſocij, & in aula ipſius Regis Caroli 2. ſacræ perſonæ pharmacopæi.

TRICAPSULARES LACTESCENTES CAMPANULATÆ Hirſutæ

Campanula ſeu Trachelium

37. Campanula hirſuta pyramidalis Valerandi, I.B.



38. Campanula s. Cervicaria Bononienſis I.B.



39. Trachelium ramoſum fl. pleriſq. ſingularibus, I.B.



40. Trachelium minus album, I.B.



41. Trachelium capitatum hirſutum Gramineis foliis, Boccon.



42. Trachelium hirſutum altiſſimum aſperius fol. auguſtis fl. parvis I.B.



43. Trachelium pratenſe fl. conglomerato, nobis



44. Trachelium Petræum Globoſum, Ponæ.



45. Trachelium Spicatum Echii fol. nobis.





TRICAPSULARES LACTESCENTES CORNICULATÆ & GALEATÆ

Tab. 5. Section. 5.

46. Rapunculus Corniculatus folio urticæ, fl. cæruleo & albo, nobis. Alopecuroides longiore ſpica, Cluſ. hiſt.

47. Rapunculus Corniculatus fol. oblongo ſpicâ orbiculari, nobis.

48. Rapunculus corniculatus ſcabioſæ capitulo cæruleo, nobis rapuntium alterum leptophyllon capitatum, Col.

49. Rapunculus Alpinus corniculatus, C.B.P. Trachelium petræum minus, Ponæ des Bald,










50. Rapunculus Corniculatus Alpinus parvus, nobis. Alpinus parvus Comoſus, I.B.

51. Rapunculus montanus pulmonariæ Gallorum folio & Trachelii flore, Cluſ. cur. poſt.

52. Rapunculus valerianoides cæruleus, nobis. Trachelium umbelliferum cæruleum, Ponæ Ital.

53. Rapunculus Alpinus anguſtifolius, nobis. Rapuntium Alpinum anguſtifolium alterum, Col.









TRICAPSULARES LACTESCENTES GALIATÆ.

54. Rapunculus Galeatus Americanus coccineo flore majore, nobis. Trachelium Americanum, flos Cardinalis, hiſt. Mex.

55. Rapunculus Galeatus Virginianus flore violaceo majore, nobis.

56. Rapunculus Galeatus Blæſenſis flore violaceo, minore nobis.







Auſpiciis D. Guilielmi Roſewell Pharmacopæorum Londinenſium Socii, & Sereniſſimæ Reginæ Katherinæ Pharmacopæi.

Guil. Sonmans Delin.

Abr. Blootling ſculp.

TRICAPSULARES PENTAPETALÆ.

Hypericum, Androſæmum, Aſcyrum, Coris·

1. Hypericum vulgare, matth·

2. Hypericum fol· breviori, C·B·P· Syriacum, Ger· Lugd·

3. Hypericum minimū Supinū Septentrionale, Lob· I·B·

4. Coris lutea, C·B·P· legitima Dioscoridis Ponæ Ital. Coris Matth.



5. Hypericum Supinum tomentoſum maj· vel. Hiſpanicum, C·B·P· tomentoſum Hiſpanicum, Clus· hiſt·

6. Androſæmum perfoliatum & perfora=tum, C·B·P· alterum apulum, Col·

8. Androſæmum fœtidum Seu tragodes, Eyſt.



9. Aſcyrum S. Hypericum bifolium Glabrum non perforatum, C·B·P· Androſæmum Campoclarenſe, Col· Acyrum caule rotundo, nobis·

10. Aſcyrum caule quadrangulo, nobis· Aſcyrum, matth· Ger·

11. Androſæmum alterum hir=ſutum, Col· hirſutum, C·B·P·

12. Androſæmum maximum bacci=ferum, nobis. Herba Sciciliana, Tab



Auſpiciis Anthonii Hinton pharmacopæorum Londinenſium Socii ac Magiſtri anno, 1675.

TRICAPSULARES PENTAPETALÆ

1\. Viola martia purpurea fl·ſimplici C·B·P· & multiplici·

2\. Viola martia inodora ſyl· C·B·P· martia Canina, Eyſt·

3\. Viola marococi foliis, nobis·

7\. Viola erecta fl·cæruleo, & albo, Eyſt· Arborescens, matth·









8\. Viola tricolor erecta an Iovis flos Theop.ti C·B·P·

9\. Viola tricolor hortensis repens, C·B·P· viola tricolor, Dod·

10\. Viola bicolor arvenſis, C·B·P· ſyl·Lob·Icon·

6\. Viola Alpina rotundifolia lutea, C·B·P· montana fl·luteis, lob·obs· montana, Clus·hiſt·









11\. Viola montana lutea grandiflora; C·B·P· flammea lutea, lugd·

12\. Viola Alpina fol·in plures partes, diſsecto C·B·P· montana fol·multifido, I·B·

13\. Viola humida aut paluſtris pinguicula ιουυγσου geſn· Cam·Pinguicula s·ſanicula Eboracenſis, Ger·









Auspiciis Roberti Phelpes pharmacopæorum Londinensium Socii·

Guil·Sonmans delin·

Hub.tus Van Otteren Leodienſis ſculp.t


BICAPSULRES MONOPETALÆ.
section. 5. Tab. 8.
1. Digitalis vulgaris, Park. I.B.
2. Digitalis latifol. fl. ferru=gineo, nobis.
3. Digitalis augustifolia fl. ferrugineo, nobis.
4. Digitalis lutea magno flore, C.B.P.
5. Digitalis lutea parvo flore.
6. Digitalis perfoliata fl. violaceo minore.
7. Gratiola vulgaris, park.
1. Scrophularia Vrticæ folio, C.B.P.
2. Scorphularia flore luteo, C.B.P.
3. Scrophularia rad. nodosa, nobis.
4. Scrophularia radice fibrosa Betonicæ foliis, nobis.
6. Scrophularia sambuci fol. park.
Auspiciis Francisci Hall pharmaco=pœorum Londinensium socii.


8. Serophularia Ruta canina dicta vulgaris, CBP. Ruta canina, Clus. hiſt. lugd.
7. Serophularia foliis Filicis modo laciniatis, vel Ruta canina latifolia, CBP. Cretica, Clus. hiſt.
1. Verbaſcum mas latifolium luteum, CBP. Thapsus barbatus, Ger.
2. Verbaſcum maximum Meridionalium odoratum luteum & album, IB.
4. Verbaſcum lychnite fl. albo, parvo, CBP. Phlomos lychnitis, hiſt. lugd. Verbaſcum lychnite, matth.
5. Verbaſcum nigrum flore ex luteo purpuraſcente, CBP. nigrum, Dod. Ger.
6. Verbaſcum nigrum folio Papaveris cornicu=lati, CBP. criſpum, & ſinuatum, IB.
3. Verbaſcum pulverulentum fl. luteo, parvo, IB.
7. Verbaſcum anguſtius, Dod. anguſtifolium fl. aureo, folio craſsiore, IB.
5. Tab. x.mæ
Verbaſcum nigrum vulgare, Park. Blattaria, Dod. Blattaria Plinii, Ger. Lob.
1. Blattaria perennis fl. purpureo, nobis flore purpureo, Park.
Auſpiciis D. Iohannis Battersby Phar=macopœorum L. Socii ac Magiſtri Anno 1676.


BICAPSULARES MONOPETALÆ.
Tab.10.Section.5.
6. Blattaria flore luteo, Ger. Park. lutea, I.B.
7. Blattaria perennis purpurea, nobis flore purpureo, Lob. Icon. lugd. Ger.
2. Blattaria perennis flore gilvo s. obsoleti coloris, nobis.
3. Blattaria Cretica incana rotunda laciniato fol. nobis Verbaſcum fruticoſum auriculatum, Ponæ Ital. Braſsicæ folio, Col.
8. Blattaria Cretica ſpinosa foliis Leucoii incanis, nobis. Cretica ſpinosa, Park.
4. Blattaria pilosa Cretica s. Arctus quorundam, I.B. Verbaſcum foliis ſubrotundis, flore Blattariæ, C.B.P. & Prod deſc.
9. Blattaria incana multifida, Boccon.
10. Blattaria rubra ſpicata major glabra folio acuto seu Lysimachia ſpicata purpurea fol. acutis, nobis. purpurea communis maj. Clus. hiſt. purpurea ſpicata, Ger. C.B.P.
11. Blattaria purpurea ſpicata lanuginosa. s. folio ſubrotundo incano, nobis.
14. Blattariæ affinis planta major, fl. luteo, nob. Lyſimachia lutea maj. quæ dioscoridis, C.B.P. lutea communis Clus. hiſt lutea, Tab. Ger. Eyſt.
Blattaria affinis fol. nigris &c. Lyſimachia lutea minor foliis nigris punctis notatis, C.B.P. lutea altera Clus. hiſt.
16. Ephemerum matth. Dod. lob. Ger.
Guil Sonmans delin.
Abraham Blooteling ſculpsit.
Auspiciis Guilielmi Browne Pharmacopœorum Londinensium Socii

BICAPSULARES MONOPETALÆ·

1. Nicotiana major latifolia, C·B·P· Tabacum latifolium, Eyſt·



2. Nicotiana minor angus=:tifolia, C·B·P· & Eyſt·



4. Nicotiana minor, C·B·P· Nicotiana minor s·Hyoscyamus luteus, Eyſt·



3. Nicotiana minima, C·B·P· Taba=:cum s. Sana ſancta minima, lob· Lugd·



1. Hyoscyamus vulgaris & niger, C·B·P· Hyoscyamus vulgaris, Eyſt·



2. Hyoscyamus albus, Dod·Eyſt·



3. Hyoscyamus albus minor, C·B·P· albus vulgaris, Clus·hiſt·



5. Hyoscyamus Creticus luteus minor, C·B·P·4·vel albus Cretic° Clus·hiſt·



4·

Hyoscyamus Creticus luteus major, C·B·P· Prod & Matth·ed·Bauh·



6. Hyoscyamus rubello flore, C·B·P· syriacus, cam·hort·



7. Hyoscyamus cauliculis ſpinosis Ægyptiacus, C·B·P· Ægyptiacus, Clus· hiſt·



8. Hyoscyamus albus Ægyptiacus Weslingii ad Proſp·Alpin·



Auspiciis Edwardi Hearne Pharmacopœorum Londinensium Socii.

BICAPSULARES *Flore rictu anterius & Calcari poſterius Donato.* Tab. 12. Section, 5.

1. *Linaria latifolia Dalmatica magno flore, C.B.P. & Prod. maxima folio lauri Dalmatica, I.B.*




2. *Linaria latifolia triphyllos ſicula, Boccon.*



23. *Linaria triphyllos minor lutea, C.B.P. Valentina, Dod. Lob.*




3. *Linaria cærulea Apulà, Col. triphylla cærulea, C.B.P.*



20. *Linaria Bellidis folio C.B.P. & Prod. Oſyris odorata purpurea, Tab.*




4. *Linaria quadrifolia lutea, C.B.P. tetraphylla lutea minor, Col. tetraphylla tenuifolia, nobis.*



10. *Linaria vulgaris lutea fl. majore, C.B.P. vulgaris, Eyſt.*



11. *Linaria fl. pallido rictu purpureo, C.B.P. Linaria flore albicante, Eyſt.*



16. *Linaria purp. major odorata, C.B.P. purpuro-cærulea elatior, Eyſt.*



5. *Linaria lutea parva annua, I.B.*



17. *Linaria foliis anguſtis ex viridi caneſcentibus, C.B.P. Hiſpanica, 5. Cluſ. hiſt.*



Linaria foliis carnoſis cinereis. C.B.P. Linaria Hiſpanica 4. Cluſ. hiſt.





Auſpiciis Iacobi Gouer
Pharmacopœorum Londinenſium Socii.

BICAPSULARES *Flore rictu anterius & Calcari posterius Donato.* *Tab. 13. Section. 5.*




BICAPSULARES FLORE rictu anterius &calcari poſterius Donatæ,
Bicapſulares rictu anterius ſine calcari &tetrapetalæ quadricapſulares·
Linaria, Antirrhinum, Ruta,
Tab 14 Section·5·
27. Linaria folio ſubrotundo, nobis. Elatine folio ſubrotundo, C·B·P·
28. Linaria folio acuminato in baſi auriculato fl·luteo, nobis· Elatine fol· acuminato in baſi auriculato fl·luteo, C·B·P·
29. Linaria minima folio acuminato in baſi auriculato fl luteo minimo, nobis.
30. Linaria hederulæfolio, Col· Cymbalaria, matth·lugd Cymbalaria foliis hederaceis fl·cæruleo, Eyſt·
1. Antirrhinum fl·luteo, C·B·P·luteum, Tab.Ger·
2. Antirrhinum maj·alterum folio longiore, C·B·P·Antirrhinum fl·rubro, Eyſt·
3&4. Antirrhinum fl·albo Eyſt·& flore albo oris luteis, Eyſt·
5. Antirrhinum arvenſe majus, C·B·P·ſyl·Dod·Eyſt·
QVADRICAP=SV=LARES TE=TRAPETALÆ
1. Ruta Graveolens hortenſis, Dod·hortenſis latifolia, C·B·P·
3. Ruta ſylveſtris major, C·B·P· Graveolens, Dod·
4. Ruta ſylveſtris minor, C·B·P·ſyl· minima, Dod Ger ſylveſtris, Cam·ep·
5. Ruta ſylveſtris fl·magno albo, C·B·P· Ruta ſyl· Harmola, Matth·Clus·hiſt·lugd·
Guil·Sonmans delin·
Hubertus Van Otteren Leodienſis ſculpſit·
Auſpiciis D. Roberti Lightfoot Pharmacopœorum Socii nec non Apothecarii Reginii

PENTAPETALÆ ROSTRATÆ QUINQUECAPSULARES.

Gerania perennia



Guil. Sonmans delin. Hubertus Van Otteren Leodienſis ſculpsit.

Auspiciis Thomæ Gardiner Pharmacopœorum Londinensium Socii.

14. Geranium Batrachiodes folio aco=niti C.B.P. fl. albo, cœrul. & variegat.

15. Geranium macrorhizon, Eyſt.

17. Geranium Sanguineum maximo flore, C.B.P. Sanguinarium, Eyſt.

18. Geranium fuscum, Eyſt. & Pullo flore, Clus. hiſt.



20. Geranium radice Grumosâ, C.B.P. 4. vel bulbosum pennæi, Clus. hiſt.

21. Geranium tuberosum maj. C.B.P. tuberosum, Dod.

22. Geranium V. nodosum Plateau, Clus. hiſt.

23. Geranium argenteum Alpi=num longius radicatum, Ponæ.



24. Geranium Romanum versicolor, Park. Parad.

25. Geranium Moscoviticum purpureum, Park.

26. Geranium triſte corn. triſte sive Indicum noctu olens, Park.

27. Geranium fœtidum, Park.







Auſpiciis Thomæ Langham Pharmacopœo=rum Londinensium Socii.



PENTAPETALÆ MOLLIENTES Seminibus orbiculariter cingentibus ſtilum nutritivum.
Tab. 17. Section. 5
7. Malva ſylveſtris pumila, flore albo minore folio rotundo, nobis.
8. Malva ſyl. procerior folio ſinuato fl. maj. purpureo, nobis.
1. Malva procerior folio corrugato fl. minore rubro, nobis.
9. Malva major Hiſpanica lanuginoſa foliis micis aureis ſplendentibus, nobis.
18 & 20. Malva roſea folio ſubrotundo flore ſimplici & pleno diverſorum colorum.
22. Malva roſea folio Ficus, C.B.P.
15. Malva arborea Veneta dicta parvo flore, C.B.P.
2. Malva æſtiva trimeſtris, nobis. æſtiva hiſpanica, Ger.
3. Malva foliis criſpis, C.B.P. criſpa, Cam. Dod. Eyſt.
5. Malva Indica hirſuta florum petalis bifidis, nobis.
11. Malva Betonicæ folio, Boccon.
6. Malva folio vario, C.B.P. Prod.
Auſpiciis Thomæ Aungier Pharmacopœorum Londinenſium Socii.


PENTAPETALÆ MOLLIENTES ſeminibus orbiculariter cingentibus ſtilum nutritivum.
Alcea
Tab. 18. Section. 5.
3.
Alcea vulgaris, dod. lugd. Malva verbenaca, Ger.
4. Alcea folio rotundo laciniato, C.B.P. Malva montana s. Alcea rotun- difolia laciniata, Col.
5. Alcea cannabina, C.B.P. cannabina pentaphylli folio, I.B.
6. Alcea hirſuta C.B.P. villoſa Dal. pii hiſt. lugd.
11 & 12.
Alcea veſicaria, C.B.P. Dod. Veneta, Eyſt. lugd.
7. Alcea Indica magno flore, C.B.P. Americana Clus. hiſt. Sabdariffa, lob. Dod. lugd. Eyſt. I.B.
8. Alcea Indica parvo flore, C.B.P. Sabdariffa alia, hiſt. lugd. Bamia Alpini, Cam.
9. Alcea Ægyptiaca villoſa, C.B.P. Abel moſch Ægyptiorum s. Abutilon Avicennæ, Ponæ Ital.
10.
Alcea Ægyptia moſchata Abel moſch. dicta, Park.
2. Althæa Roſea Sinenſis multiplex & ſimplex, Ferr. ſen.
ſiliqua magna decagona s. multicapſularis Althææ Sinenſis.
Auſpiciis Petri Gelsthorp Pharmacopœorum Londinenſium Socii.




10.
PENTAPETALÆ MOLLIENTES ſeminibus orbiculariter cingentibus ſtilum nutritivum.
Tab.19. Section 5.
Malva Sicula foliis moſchatis Criſpis, Boccon.
12. Althæa & bismalva, Ger. I.B.
17. Althæa frutescens folio acuto parvo flore, C.B.P. Althæa arborea olbiæ lob. Icon.
6. Althæa Rosea peregrina, Cornut.
13. Althæa Arborea altera Bryoniæ folio, I.B.
1. Althæa frutex 1. Clus. hiſt.
Althæa frutex 2. Clus. hiſt.
3. Althæa Theophraſti fl. luteo, C.B.P. Abutilum Avicennæ, Eyſt.
4. Althæa Theophraſti ſimilis, C.B.P. Abutilum Indicum Cam. I.B. Park.
Loculamentum Ketmiæ Syriacorum cellulis diſtinctum.
5. Althæa palustris Cytini flore, Ad. lob. Park.
7 & 8. Alcea Pharnamb. carpini folio, ſemine roſtrato Simplici & Virginiana ſemine duplici roſtro prædito nobis.
Guil. Sonmans delin.
Hubertus Van Otteren Leodienſis ſculpsit.
Auspiciis D. Iohannis Garet Medicinæ Doctoris & Pharmacopœorum Londinensium Socii.


1. Lychnis Sil. perennis quæ Been album vulgo.
2. Lychnis perennis anguſtifolia, marina Anglica repens dici=tur; nobis.
3. Lychnis Syl. pluribus fol. ſimul junctis, C.B.P.
4. Lychnis mont. viſcoſa alba latifolia, C.B.P.
12 Lychnis noctiflora C.B.P. ocymoides noctiflorum, Cam.
13. Lychnis Syl. ſemper virens, ocymoides arboreum ſemper virens, Clus hist.
5. Lychnis viſcosa flore muſcoso, C.B.P.
6. Lychnis viſcosa ſyl. præcox fl. incarnato, nob. 4. Clus.
7. Lychnis viſcosa alba angu=ſtifolia minor C.B.P. 10. Clus. hist.
8. Lychnis pratensis flore laciniato ſimp. et multiplici.
9. Lychnis incana repens C.B.P. ocymoides lychnitis Col.
10. Lychnis Glabris fol. calyce duriori Boccon.
11. Lychnis noctiflora minima fl. parvo, Boccon.
Auſpicys Ioſhuæ Dreyner Pharmacopæorum Londinensium ſocii


14. Lychnis Chalcedonica fl. albo incarnato & miniato Simpl.& pleno.
21. Lychnis Syl. hirsuta alba simplex multiplex.
23. Lychnis ſyl. purpurea Simplex & multiplex.
19. Lychnis coronaria fl. albo rubro punctato Simpl. et rubr. pleno.
26. Lychnis viſcosa purp. latifolia levis, C.B.P.
27. Lychnis segetum Vaccaria Dicta, Dod.
29. Lychnis syl. viscosa rubra, altera C.B.P.
30. Lychnis ſyl lanuginosa maj. C.B.P.
31. Lychnis segetum major, C.B.P. Nigellastrum, Dod.
35. Lychnis syl. lanu=ginosa minor C.B.P.
37. Lychnis segetum minor, C.B.P. Alsine corniculata, Clus. hiſt.
33. Lychnis syl. calyculis ſtriatis turgidis maj.
38. Lychnis vel ocimoides repens, lugd ocimoides mont. C.B.P.
Auspiciis Richardi Thomlinson
Pharmacopœorum Londinensium
Socii & authoris amici integerrimi


Tab. 22. Section. 5.
PENTAPETALÆ UNICAPSULARES.
52. & 53. Saponaria vulgaris simplex, nobis. major lævis, C.B.P.
Saponaria concava Anglica, C.B. Prod. Gentiana concava, Ger.
varie= tas prioris.
54. Saponaria minor Dalp.ii hiſt. Lugd.
55. Saponaria s. Struthium Dioſcoridis Imperat, et Munting.
43. Lychnis vulgaris hir= suta, nobis. Caryophyllus arvenſis hirſutus flore majore, C.B.P.
44. Lychnis incana tomento= sa, nobis. Caryophyllus ho= loſtius tomentosus, C.B. Prod.
45. Lychnis minor anguſtifolia fl. pulchro albo, nobis. Auricula muris I.B.
46. Lychnis Grami= nea hirſuta fl. majore.
47. & 48. Lychnis Gra= minea glabra fl. minore & majore nobis.
49. Lychnis arvenſis folio glabro, nobis. Alſine verna Dalp.ii Lugd.
50. Lychnis minima muralis, nobis. Tunica minima, Lugd.
51. Lychnis foliis Laricis s. tennissime diviſis. Anricula muris folio tennissime diviſo, I.B.
32. vide 31. in Tab. 21.
Lychnis minor s. Nigellaſtrũ minus flore eleganter rubello, nobis.
Auspiciis Iohannis Clarke Pharma= copœorum Londinensium Socii


PENTAPETALÆ UNICAPSULARES.
Tab. 23. Section. 5.
1. Alsine altissima nemorum, C.B.P. Alsine major, Dod.
2. Alsine montana latifolia flore laciniato, C.B.P. montana hederacea maxima, Col.
3. Alsine major, C.B.P. Alsine s. Hippia major, Lob.
4. Alsine media, C.B.P. minor, Dod. Lob. icon.
5. Alsine minor multicaulis, C.B.P. minima, Dod. Lob. Ger.
6. Alsine minor Lini capitulis, C.B.P. petræa, Ger.
7. Alsine aquatica major, C.B.P. palustris, Tab. Ger.
8. Alsine aquatica media, C.B.P. fontana, Tab. Ger.
10. Alsine hirsuta major foliis dilute virentibus, nobis. spuria 3. Dod. desc.
11. Alsine hirsuta minor foliis longioribus obscnre birentibus, nobis. spuria 4. Dod. deſc.
12. Alsine tenufolia muſcosa, C.B.P. Alſine muſcosa, Lugd.
13 & 14. Alsine Spergula annua sem. rotundo nigro, nobis. 16 & 17. sem. foliaceo nigro, et fusco, nobis.
15. Alsine spergula marina, Lugd. vide 18. 19. 20. & 21 apud Boccon.
1.
2.
Auspiciis Guilielmi Bradford Pharmacopœorum Londinensium Socii

1.&3. Primula maj floribus luteis odoratis, Dod. Verbaſculum Pratenſe odoratum, C.B.P. & Pratenſe inodorum, C.B.P.

8.&9. Primula Sylvarum, Lob. ad veris ſyl. fl. pallido, Eyſt. & eadem fl. pleno ſpecioſo, Eyſt.

4. Primula veris incana lutea, C.B.P. Paralytica rotundifolia montana, Col.

2. Primula veris flore Geminati Eyſt. Ger. & flore pleno.



5.&6. Primula veris majore & minore flore diverſorum, colorum.

1. Androſace, matth.

2. Sanicula s. Auricula urſi matth. 1. Clus. hiſt.

4. Sanicula Alpina anguſtifolia C.B.P. Auricula urſi 4. Clus. hiſt.



7. Primula veris minor Eboracenſis, nobis. Primula veris fl. rubro, Swer. & de Bry.

3. Auricula urſi minima Ger. Sanicula Alpina minima, lob. Icon.

5. Auricula urſi Myconi Lugd. Cortuſa matth. Clus. hiſt.

6. Sanicula montana latifolia laciniata, C.B.P. Cortuſa matth. lugd.



Auſpicus Iohannis Warner Pharmacopœorum Londinenſium Socii.


PENTAPETALÆ UNICAPSULARES
Caryophylli.
Tab. 25. Section. 5.
1. Caryophyllus maximus ple=
=nus, Eyſt.
2. Caryophyllus maximus varie
=gatus, Eyſt.
9. Caryophyllus hortenſis
ſimplex fl. majore, C.B.P.
ſimplici flore, Swert.
varietas prioris
Caryophyllus ſimplex flore
punctato micis aureis aſperſo,
Lob. icon.
10.
Caryophyllus ſylveſtris
arboreus, Prosp. Alpin.
de exot.
11. Caryophyllus puſillus
omnium minimus.
ſyl. 1. Clus. hiſt.
20&21. Caryophyllus barbatus
ſylveſtris, C.B.P.
21.
Caryophyllus ſylveſt. prolifer,
Eyſt.
12.
Caryophyllus juncifolius
cæruleus Monſpelienſium.
18&19. Caryophyllus barbatus
hortenſis ſimplex. flos
armerius ruber, Eyſt.
17. Caryophyllus armerius
pleno rubro flore, Eyſt.
refer ad Lychnidem 42.
Caryophyllus Alpinus calyce
oblongo hirſuto, C.B.P. viii Clus.
hiſt.
Auſpiciis Michaelis Pearce Pharma=
copœorum Londinenſium Socii.


PENTAPETALÆ BICAPSULARES & MULTICAPSULARES.
Tab. 26. Section. 5.
1&2.
Centaurium luteum perfoliatum, C.B.P. Cam.ep. & parvum luteum, lob. Ger.
3.
Centaurium luteum perpuſillum, C.B.P. luteum novum, Col.
5.
Centaurium minus, C.B.P. Matth. Dod.
6.
Centaurium minus ſpicatum album, C.B.P. & Prod.
1.
Numularia major lutea, C.B.P.
2.
Numularia minor flore purpuraſcente, C.B.P. & Prod.
1.&2.
Anagallis flore phœniceo & cæruleo, C.B.P. mas & fœmina, Dod.
3.
Anagallis tenuifolia, Monelli, Clus. app. 2.
5.
Anagallis lutea nemorum, C.B.P. lutea, lugd. Ger.
1.
Linum ſativum, C.B.P. Trag. Dod.
5.
Linum ſylveſtre latifolium hirſutum Cæruleum, C.B.P.
14.
Linum ſylveſtre anguſtifolium flore magno, C.B.P.
9.
Linum marinum luteum Narbonenſe, lob.
12.&13.
Linum ſylveſtre annuum luteum minus, nobis.
11.
Linum luteum ad ſingula Genicula floridum, C.B.P.
19.
Linum pratenſe floſculis albis, nobis. ſyl. catharticum Ger.
Auſpiciis Caroli Watts Pharmacopœorum Londinenſium Socii.


MOLLIENTES FLORE HERBACEO ſEMINE TRIANGULARI donatæ
Tab 27. Section. 5.
1. Lapathum præſtantiſsimum, Rhabarbarum dictum, nobis. Rheum & Rha, Rhabarbarum officinarum.
2. Lapathum Alpinum: folio rotundo, I.B. Hippolapathum rotundifolium, Ger.
4. Lapathum hortenſe folio, oblongo s. 2. dioſcoridis C.B.P. hortenſe, lugd. ſativum, Dod. & ſyl. s. oxy=lapathum, Dod.
3. Lapathum acutum Ger. Oxylapathum ſive Lapathum ſyl. Dod.
5. Hydrolapthum hortense Hiſt. Lugd.
10. Lapathum fol. ſubrotundo sem. lævi, nobis. Hippolapathum s. Rhabarbarum monchorum, Dod.
6. Lapathum folio acuto rubenti, C.B.P. rubens, Dod. ſativum ſanguineum, Ger.
idem cum 10.mo.
9. Lapathum minimum C.B.P. acutum minimum, Ger lob. icon
7. Lapathum folio acuto Criſpo, C.B.P. Hydrolapathum minus, Ger.
11. Lapathum ſurrectum pericarpio ſpinoso, nobis.
13. Lapathum ramoſum procum=bens pericarpio ſpinoso, folio fidium inſtar, nobis. pulchrum. Bononiense ſinuatum, I.B.
14. Lapathum maritimum fœtidum C.B.P. & Prod. Park.
Auſpiciis Franciſci Bernard Phar=macopœorum Londinenſium Socii.


PLANTÆ FLORE herbaceo, SEMINE triangulari Donatæ·
Tab·28·Section 5.
ACETOSA & BISTORTA·
1. Acetoſa pratenſis, C·B·P· vulgaris, Park· Oxalis vulgaris folio longo, I·B
2. Acetoſa vulgaris Criſpa, nobis· Oxalis criſpa, I·B·
6. Acetoſa tuberoſâ radice, C·B·P· Park·I·B· Oxalis tuberoſa, lob·Dod· lugd·Ger·
9. Acetoſa rotundifolia hortenſis, C·B·P· Oxalis Franca s·Romana, Ger· repens fol· rotundiori, I·B·
10.
11. Acetoſa arvenſis lan=ceolata, C·B·P· minor lanceolata, Park·
12. Acetoſa lanceolata anguſ=tifolia elatior, nobis· an=guſtifolia elatior, Park·
7. Acetoſa americana foliis longiſſimis pediculis donatis, C·B·P· Acetoſa veſi=caria perigrina, Eyſt· veſicaria America=na annua, nobis·
13. Acetoſa Cretica ſemine aculeato, C·B·P· & prod· matth· ed· Bauh· Park·
14. Acetoſa Ocimifolia Neapolitana C·B·P· Ocimifalia Neapolitana βσκεφαλήφορα, Col·
8. Acetoſa veſicaria perennis repens fruteſcens folio deltoïde ſinuato, nobis·
2. Biſtorta major radice minùs intortâ, C·B·P· major vulgaris, lob· Icon Ger· Park·
1. Biſtorta major radice magis intortâ, C·B·P· minor Tab· latifolia, Park·
3 & 5. Biſtorta minor noſtras Park· minor Ger· minima ſemine ovato, non trian=gulari, nobis·
Auſpiciis Iohannis Arrowsmith Pharmacopœorum Londinenſium Socii·
Gul· Sonmans delin·
Hub· Van Otteren Leodienſis ſculpſit


PLANTÆ FLORE herbaceo, SEMINE triangulari donatæ.
Tab. 29. Section. 5.
1. Frumentum Sarracenicum rectum Semine Triangulo nigro majore, nobis. Phegopyran Dod Tragopyron, Park.
2. Frumentum Sarracenicum alterum convolvuli modo ſcandens Semine triangulo minore nigro, nobis. Helxine Semine triangulo, I.B.
1. Potamogeton rotundifolium, C.B.P. Potamogeiton latifolium, Ger. Potamogeton vulgaris, Park.
2. Potamogeton Salicis folio, C.B.P. Potamogeton anguſtifolium, Tab. Ger.
3. Potamogeton foliis latis Splen=dentibus, C.B.P. Potamogeton 3. Dod.
4. Potamogeton foliis anguſtis ſplendentibus, C.B.P. alterum, Dod. longis acutis foliis, Ger.
9. Potamogeiton puſillum flui=tans, Boccon.
1. Persicaria mitis non maculosa, C.B.P.
2. Persicaria mitis maculosa, C.B.P. lob. Icon.
5. Persicaria minor, C.B.P. pusilla repens, lob. Ger. Park.
6. Persicaria urens Sive Hydropiper, C.B.P. acris Seu Hydropiper, I.B.
1. Polygonum latifolium, C.B.P. mas vulgare (san=guinaria & Centum=nodia) lob. Ger.
3. Polygonum mari=tinum, latifolium, in=canum, nobis. marinum maximum, lob.
5. Polygonum capitulis inter Genicula Echinatis, Boccon.
Auspiciis Gulielmi Potts Phar=macopœorum Londinensium Socii.



MOLLIENTES SEMINE aſpero s. rugoſo ſpinoſo & flore herbaceo, ſemine minuto lucido donatæ. Tab 30 Section 5.
2. Beta alba vel palleſcens, CBP alba, hiſt. lugd, I B Dod.
3. Beta rubra vulgaris, CBP. rubra, Dod & platycaulos
6. Beta rubra radice rapæ, CBP rubra Romana, Dod.
7. Beta Cretica ſemine aculeato, CBP & Prod. Matth. ed. Bauh.
2. Spinachia ſemine racemoſo non ſpinoſo, nobis.
1. Spinachia ſemine racemoſo pungente s. ſpinoſo, nobis. Spinachia ſemine ſpinoſo, CBP.
1. Bonus Henricus, Matth. ed Bauh. IB Tota bona, Dod.
2. Blitum album majus, CBP maj. Dod. & minus, Dod.
6. Blitum polyſpermon (a ſeminis copia) CBP.
3. Blitum rubrum maj. CBP lob Tab. Ger.
5. Blitum rubrum minus, CBP min. rubrum, Dod.
1. Parietaria officinarum & Dioſcoridis, CBP. Parietaria, Dod. Helxine s. Urceolaris Scribonij, Cam. Vitriola ſive Perdicium, lob.
Auſpiciis Abrahami Hudson Pharmacopœorum Londinenſium Socii.
Guil. Sonmans delin.
Hubertus Van Otteren Leodienſis ſculpſit.


MOLLIENTES FLORE HERBACEO, ſemine utplurimum nigro minuto, albo & purpureo donatæ. Section 5. Tab.31.
1. Amaranthus fol. variegato C.B.P. nodiflorus tricolor, nobis.
2. Amaranthus oblongis florum paniculis pendentibus, nob. Quinua, Clus.
4. Amaranthus paniculis ſurrectis ruber, viridis, phæniceus s. coccineus, nobis.
5. Amaranthus Elegans ſpicâ Glomerata, nobis.
5. Amaranthus Criſtatus rubellus, luteus.
1. Atriplex ſyl. latifolia C.B.P. Chenopodium, 1. Tab.
2. Atriplex ſyl. latifolia acutiore fol. C.B.P. Chenopodium, 2. Tab.
3. Atriplex ſyl. fol. ſinuato candicante, C.B.P.
4. Atriplex ſyl. altera fol. ſaturate virente ſpicâ ſubrubra, nobis. ſyl. altera, C.B.P.
6. Atriplex fœtida, C.B.P. & J.B. Garosmon, Dod. Vulvaria, Tab. lugd.
7. Atriplex odora s. ſuaveolens Vulgaris, nobis. Botrys, Dod.
8. Atriplex odora s. ſuaveolens Mexiocana, nob. Botrys Americana, Park.
Guil. Sonmans Delin.
Michael Burghers ſculp.
Auſpiciis Gulielmi Clarke Pharmacopœorum Londinenſium Socii.


MOLLIENTES flore herbaceo, ſemine minuto nigro Donatæ;
Tab32·Section 5.
Atriplex fragifera·
9.
Atriplex Mori fructu maj s·fragifera maj;
nobis Spinachia fragifera hori·ferneſiani
10.
Atriplex fragifera media, nobis ſylveſtris
baccifera, Clus·
11. Atriplex fragifera minor, nobis Atriplex
ſylveſtris lappulas habens, C.B.P.& Prod·matth·
ed·Bauh·
12 & 13. Atriplex folliculata hortenſis
Atriplex alba, s. pallide virens &
hortenſis rubra, C.B.P·
14.
Atriplex folliculata ſylveſtris·
Atriplex folio deltoide triangulari ſinuato
& mucronato haſtæ cuſpidi ſimili, nobis·
15. Atriplex anguſto oblongo folio, C.B.P·
vulgaris anguſtifolia cum folliculis, I.B.
16. Atriplex ſyl·incana fol·
ſinuato nobis, I.B.
Atriplex folliculata marina
17
Atriplex maritima laciniata,
C.B.P·marina, Matth·
20.
Atriplex marina
anguſtifolia, Boccon·
Atriplex folliculata marina
18.
Atriplex Halimi folio, C.B.P·
Halimoides, lob·I.B
21.
Halimus latifolius, s. fruticoſus,
C.B.P. Halimus latifolius, Ger·
22. Halimus anguſtifolius
procumbens, C.B.P. Ger·
23. Halimus vulgaris, s. Portulaca, Ger·
Guil·Sonmans delin·
Hubertus Van Otteren Leodienſis ſculpſit
Auſpiciis Iohannis Fletcher
Pharmacopœorum Londinenſium Socii.

MOLLIENTES Flore herbaceo semine minuto nigro donatæ.

1. Kali majus cochleato semine, C.B.P. Soda Kali magnum, Lugd.



2. Kali floridum semine cochleato & floribus mem=branaceis, Boccon.



Kali idem sine floribus, Boccon.



3. Kali minus album semine ſplen=dente, C.B.P. Kali album minus Dod. minus, Eyſt.



4. Kali Craſsulæ minoris folio C.B.P. Kali floridum repens aizoides Neapolitanum, Col. Part. 2.



5. Kali Ægyptiacum foliis valde longis & hirſutis, C.B.P. Kali 3. ſpecies, Prosp. alpin. exot.



6. Kali Arabum, 1. Genus Rauwolfii, hiſt. Lugd. pag. 263.



7. Kali geniculatum alterum vel minus, C.B.P. Kali Arabum 2. genus Rauwolfii, Lugd. ibidem.



8. Kali geniculatum majus, C.B.P. Salicornia, Dod. Kali 1. Kellu Ægytiis, Alp. exot.



9. Kali fruticosum majus, nobis Sedum minus fruti=cosum alterum, C.B.P. Ver=miculatus frutex major, Lugd.



10. Kali fruticosum majus alterum, nobis Sedum mini=mum arboreſcens uermicu=latum, Lob. Lugd.



11. Kali ſpinoſo affinis, C.B.P. Tragum Matthioli, Lob. Lugd.



Auspiciis Edwardi Pilkington Pharmacopœorum Londinensium Socii. & Magiſtri anno D. 1676.

MOLLIENTES *aliæque* SEMINE *hiſpido donatæ.*

1. *Mercurialis teſticulata, ſeu mas Dioscoridis & Plinii, C.B.P. mas Dod. Fuch. Matth. teſticulata annua, nobis.*

2. *Mercurialis ſpicata ſ. fœmina Dioscoridis & Plinii, C.B.P. fœmina Matth. Fuch. Dod. ſpicata annua, nobis.*

3. *Mercurialis montana teſticulata, C.B.P. montana teſticulata perennis, nobis. Cynocrambe, Matth. Fuch. Dod.*

4. *Mercurialis montana ſpicata, C.B.P. montana ſpicata perennis nobis.*



5. *Cynocrambe seu Phyllon arrhenogonon s. mariſicum, Ger. Phyllon teſticulatum, C.B.P.*

6. *Cynocrambe s. Phyllon Thelygonon seu fœminificum, Ger. Phyllon ſpicatum, C.B.P.*

Cynocrambe Dioscoridis, C.B.P. Alsines facie nova planta, Col.

1. 2 & 3. *Eupatorium veterum s. Agrimonia, C.B.P. Eupatorium Græcorum, lob. Icon.*



4. *Agrimoniæ ſimilis, C.B.P. Agrimonoides, Col. Park.*

1. *Sanicula officinarum, C.B.P. Sanicula Dod. vulgaris ſive Diapenſia, Park.*

1. *Solanifolia Circæa dicta maj. C.B.P. Circæa lutetiana, lob. lugd. Ger.*

2. *Solanifolia Circæa alpina, C.B.P. Circæa minima, Col.*




Auspiciis Thomæ Warren Pharmacopœorum Londinensium Socii.

Guil. Sonmans delin. *Hub. Van Otteren ſculp.*


VARIÆ PLANTÆ ADDENDÆ SECTIONI 5.tæ APPENDIX Section. 5.tæ Tab. 35.
Campanula rotundifolia radice craſſiore, nobis. Erinus Dioſcoridis Muntting. refer ad Tab. 11. Sect. 5. pag. 455.
Androsæmum flore & theca seminali quinquecapsulari omnium maximis, C.B.P. Aſcyrum magno flore. C.B.P. & Prod. desc. pag. 472. pl. 13.
Hypericum rectum minus rubrūcaule & foliis, nobis. Hypericum pulchrum 4. Trag. Vide pl. 6. pag. 470.
Viola martia major hirsuta inodora, nobis. pl. 4. pag. 475.
Scrophularia Scorodoniæ foliis, nobis. pl. 5. pag. 482.
Scrophularia annua Senecionis foliis. nobis. colloca poſt. pl. 9. pag. 483.
Ruta tenuifolia florum petalis villis scatentibus, pl. 5. pag. 508.
Viola paluſtris rotundifolia glabra, nobis. pl. 5. pag. 475.
Linaria annua semine rugoso Chalepensis minor Erecta floribus albis lineis violaceis notatis calici, 4. foliolis uncialibus constructo insedentibus, nobis. pl. 24. pag. 498.
Geranium minimum Anglicum procumbens Betonicæ folio, nobis. pl. 8. pag. 510. & 512.
Malva silveſtris annua rotundifolia floribus albis omnium minimis, &c. nobis. pl. 4. pag. 521.
Alcea Virginiana Carpini foliis Sem. triangulari capsula prædito, nobis. pl. 8. pag. 528.
Burgh. ſculp.
Auspiciis Iohannis Michell Pharmacopœorum Londinensium Socii.

PLANTÆ VARIÆ ADDENDÆ suis GENERIBUS INTERMEDIIS. APPENDIX TAB. 36. Section. 5.




POLYGONA POLYSPERMA seu MULTIGRANA. Pars ultima Tab. 29. Section. 5.tæ
1. Polygonum Polyſpermon li= toreum minus floſculis ex ſpadiceo albicantibus, C.B.P. & Prod.
Polygonum cocciferum, Polonis Kosmaczek 6. in decriptione, Tab. præce= dentis XX1X.
2. Polygonum majus Hernia= ria glabra, nobis. Herniaria glabra, I.B. Chabr.
Polygonum majus Africanum Herniaria major Africana, Park.
2. Herniaria hirſuta, nobis.
3. Polygonum minus Millegrana minima, Lob. Icon.
4. Polygonum Polyſper= mon flore albo verticil= lato, I.B. Chabr.
5. Polygonum Polyſpermon Mon= tanum Vermiculatæ foliis, C.B.P. Vermiculata Montana nova Planta, Col.
6. Polygonum Polyſpermon Knawel dictum floſculis viridibus & albis, nobis.
7. Polygonum Polyſpermon maritimum minus foliis Serpilli, C.B.P. Polygonum alterum puſillo Vermiculato Serpilli folio, Ad. & Icon. Lob. I.B. Chabr.
8. Polygonum Polyſpermon ma= ritimum Chamæſyces folio, nobis. Anthyllis maritima Narbonenſi= um altera Chamæſyces facie, Ad. & Icon Lob. Anthyllis Valen= tina, Cluſ. Hiſt. & Hiſp.
9. Polygonum Polyſpermon maritimum lentifolium, nobis. Anthyllis maritima lentifolia prior Peplios effigie, Ad. & Icon. Lob.
10. Polygonum Polyſpermon ma= ritimum Alſines folio, nobis. An= thyllis marina incana Alſine= folia Narbonenſium, Ad. & Icon. Lob. Lugd.
Burghers ſculp.
Auſpiciis Thomæ Thomas Pharma= copœi Abergavenienſis.